A
XXXV
a S. MAR

B I

MYSTICA
ANATOMIA
SACRATISSIMI NOMINIS
DEIPARÆ VIRGINIS
MARIÆ

Sub omnium Scientiarum, & Creaturarum, Angelicarum, & Humanarum, Cœleſtium, ac Sublunarium operoſo Compendio,

AD REPRÆSENTANDAS

Prærogativas, & Perfectiones,. Maximaſquè Virtutes, ac Dignitates

ALMÆ DEI GENITRICIS

EXPOSITA,

EIDEMQUE VIRGINI MATRI DICATA.

Cum triplici Indice locupletiſſimo Oeconomiæ totius Voluminis, Textuum Veteris, & Novi Teſtamenti, & Rerum Notabilium: Addito etiam epilogo hieroglyphicorum, excellentiarum, virtutum, ac Feſtivitatum eiuſdem Virginis.

AUCTORE P. F. IOACHIMO A S. MARIA

Carmelità Excalceato Mediolanenſi, Sacrarum Interprete Scripturarum.

ORENTINAE·BIBL

VENETIIS, M. DC. LXXXX.

Ex Typographia Petri Antonii Brigoncii.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM
DEI MATREM
AUCTORIS VOTUM.

TE Sacram Dei Panegyrim
Ore venerabundo magis adorare,
Quàm Laudare fas eſſet.
Sed nè arguar ſilentii Reus,
Libuit, & decuit laudibus tuis Linguam dicare.
Te igitur appellaverim Dei Picturam
Divinis illitam Coloribus.
Ter Maximam Fœminarum,
Maternitate, Virginitate, & Fœcunditate.
Margaritam Orbis Terrarum
Pretio, Raritate, & Virtute Præclaram.
Admirabilem, & Singularem Phœnicem
Miraculorum admirabilitate
Et novitatum ſingularitate novarum.
Cherubicam Sapientiæ Cathedram,
E qua Deus infans, & elinguis,
Verbum, & Patris Vox ſilentio peroravit.
Aureum Auguſtioris Salomonis Thronum,
E quo Gratiæ Leges Promulgatæ.
Canticum Laudis, & Lætitiæ,
Sinè væ luctus,
Sinè Threnis, ac Lamentationibus *Culpæ*.
Lucem æterni Solis æmulam,
E quà idem Radius, qui à Patre, proceſſit.
Gemmantem Concham,
In qua Unio Verbi incarnati Divino Rore coagulatus.
Cœli, Terræque Coniunctionem,
Quà Summa imis, & Divina ſociata humanis.
Tabulam Pictoriam,
In quà Divinus ſe pinxit Apelles.
Omnipotentis Lecticam,
Quæ Angelorum Satellitio ſtipata
Gloriam Domini devexiſti.
Maximam Univerſi Molem,
In puſillo Magnam, & ſublimem in infimo.
Triadis Sacræ Dioptram,
Per quam Potentia Patris, Verbi Sapientia, & Amoris Bonitas

Nobis effulſit.
Vivum Librum
Archetypi Verbi charactere Conſcriptum.
Miraculorum Officinam,
In qua prodigium Prodigiorum
(Incarnatio ſcilicet Verbi)
Peractum:
Ergò & Dei Formam,
Quæ formam Dei Filio dediſti humanam.
Pulcherrimam Auroram,
E cujus ſinu prodiit Iuſtitiæ Sol.
Sacram, & Virgineam Palladem,
E cujus gremio æterna Sapientia
Per temporalem nativitatem exorta.
Te Rubus in foliorum virore, & in flammæ rubore delineavit.
Te Tabulæ divinitus perſcriptæ ſignificarunt.
Te Legis Arca,
Urna, Candelabrum, & Menſa prænunciavit.
Te Aaronis Virga,
Quæ Ver coniungens, & Autumnum,
Repentina floruit viriditate, & fructum dedit,
Apertè prænunciavit.
Ex Te enim illa Divinitatis flamma.
Ille Patris terminus, ac Ratio,
Suaviſſimum illud, & Cœleſte Manna,
Nomen illud nominis expers.
Et omne ſuperans Nomen,
Lumen illud ſempiternum, & inacceſſum,
Ille Panis vitæ, ac Cœleſtis,
Ille nullis agricolæ manibus fructus excultus,
Corporeo modo pullulavit.
O miraculum naturà præſtantius!
O rem ſummæ plenam admirationis!
Te nempè Sanctitatis Collegium,
Et Auguſtiſſimum totius perfectionis Senatum.
Te Orbis Magiſtram,
Scientiarum Epitomen,
Et ampliſſimum omnium Compendium Virtutum.
Te Cœlis amabilem, Inferiſque terribilem
Auguſtam.
Te Clementiſſimam Angelorum, & Hominum Reginam,
Maieſtate, Sceptro, & Imperio Potentem,
Cui in Humanis Deus ipſe eſt famulatus

Et

Et materna in Cęleſtibus tua exequitur Imperia.
Te Dei Manum
Cęlorum Plenipotentiariam, atque Terrarum,
E' qua Bonum omne dimanat.
O divina verè Miracula!
Te videlicet Vitæ Venam,
Gratiæ Abyſſum,
Salutis Pontem,
Cęli Scalam,
Theologorum Scholam,
Prophetarum Gymnaſium,
Divinitatis Palæſtram,
Venerandam Telæ Oeconomiam,
De quà Artifex Spiritus
Veſtem Filio Dei humanæ Naturæ contexuit.
Sed Te neque Telam tantum, ſed dixerim & Telum.
Telum, quæ aereas acies profligaſti.
Aut Tabernaculi Velum,
Quæ operuiſti Sancta Sanctorum.
O Virginem mirabilem,
Et in Humilitate Maximam,
Quæ dum Te Mediaſtinam appellaſti,
Evaſiſti Imperatrix.
Reſtabat Nominis Tui Anatomia,
Quæ te notam faceret Mundo,
Notam, ſed ſinè Notà:
Nulla enim unquam in Te fuit macula,
Quæ nigram originariæ culpæ Notam
Animæ tuæ Candori inureret illibato.
Quidni Beatam meritò prædicaverim,
Quam Filii tui Sanguis in Regiam Purpuram
Colorare prævenit:
Nè Cauſtico Criminis Stigmate,
(Quæ ſemper ingenua)
Dicereris aliquandò Servilis.
Reddo Tibi quod tuum eſt.
De Theſauro Nominis tui Theſaurum offéro,
Nomen ſcilicet Tuum,
Ditiſſimum Gratiarum Theſaurum.
MARIAM reddo MARIÆ
Regalem Gratiæ Dei Theſaurariam.

P. F.

P. F. PETRI GEORGII A S. FRANCISCO
CARMELITÆ DISCALCEATI

In Myſticæ Anatomiæ Marianæ *Opus ingenioſiſſimum per Rev. P. F. Ioachimum à Sancta Maria Carmelitam Excalceatum perbellè explanatum.*

EXASTICA.

EXeat in lucem Cœlo obſtetricante MARIA,
Exultet Ioachim, plaudat & Anna Parens;
Ingenioque novi Ioachim ſudante MARIA
Luce nova in lucem prodit amicta novam.
Virgo novum Ioachim riſu cognoſcere Patrem
Incipe, præla gemant, riſus obortus erit.

De eodem.

MElliſluum MARIÆ Nomen ceu quinque pyropis
Exornat typicis litera quina notis;
Has primus Ioachim gemmantes ventre recepit,
Expreſſit Ioachim mente ſecundus opes:
Nobilior ſed ventre cluat cùm gloria mentis
Gemmifero es Ioachim nobiliorque libro.

Idem ventilatur.

DEſinat obtutu Pedalyrius, atque Melampus
Scrutari medico corpora ſecta virùm:
Scrutatur Ioachim Nomen prægrande MARIÆ
Aurea ſe calamo tollit in aſtra ſuo.
M videt, apparet vaſtum MARE Virgo FAVORVM,
Flumineas Pelagus ſorbet, ut altus aquas:
A legit, & MARIAM ſubito inclinata videntur
ASTRA coruſciferis cingere digna comis:
R notat aſtriferum MARIANO in Nomine ROREM,
Quem ſimilem Enna ſuis, nec daret Etna roſis;
I ſtupet, arrectis MARIAMque explorat ocellis
Aureaque inſpicitur IANVA dicta Poli;
A legit, & relegit, MARIANI & NOMINIS ARCVM
Axe triumphalem ſuſpicit, atque ſolo.
Scrutetur Ioachim MARIANVM NOMEN, habebit
Dat Mare, quas Aer, Terra, vel Axis opes.

Eiuſdem opus Marianarum literarum acroſtico exaratur.

Magnificum MARIÆ nomen, Venerabile, Sanctu**M**
Aurifera Cœli deductum Nomen ab Arc**A**
Roriflua Mundum ſpargens dulcedine fertu**R**
Inque pio Ioachim calamo ſcribente diſert**I**
Aurea condecorat radiis melioribus aſtr**A**

Fr. Honorius ab Aſsumptione Præpoſitus Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac eiuſdem S. Montis Prior.

TEnore præſentium facultatem impertimur Rev. P. F. Joachimo à S. Maria Provinciæ Noſtræ S. Angeli Longobardiæ Sacerdoti Profeſso, ut typis mandare valeat librum, cui titulus: *Myſtica Anatomia SS. Nominis Mariæ*, ab ipſo compoſitum, & à duobus Congregationis noſtræ deputatis Theologis recognitum, & approbatum.
Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ de Scala 29. Maii 1689.

Fr. Honorius ab Aſſumptione Præpoſitus Generalis.

Fr. Carolus Matthias ab Omnibus Sanctis Secretarius.

EX commiſſione Rev. Adm. Patris Noſtri Honorii ab Aſumptione Præpoſiti Generalis attentius Librum Legi, cujus titulus eſt: *Myſtica Anatomia SS. Nominis Mariæ*: opus ſanè egregium; in quot quot tanti Nominis fiunt diviſiones, tot effluunt argentea miraculorum fluenta. In unum venit univerſi Orbis magnificentia, ut Parthenii Nominis æternum gloriæ efformet coronamentum; certatim currunt, volant Terra, Cœlum, Homines, Angeli, ut propriis circumdent divitiis, exornent perfectionibus, picturent virtutum coloribus, illuminent ſapientiæ radiis hoc inclytum Sanctæ Virginis Nomen. Videant ergò lucem hi characteres, non enim fas eſt, in tenebris cœcutiant; qui ſuis in ſillabis Virginea claudunt lumina, quæ à tenebris peccati nunquam fuere comprehenſa. Videat lumen hoc opus tanti ſolis illuſtratum ſplendore; & ſi in ipſo candicant illibati Nominis Virginea Sacramenta, ſine labe puram exprimit eloquentiam; ſtylus innocens hic eſt, ergò ſinè erroris aculeo: Anatomia eſt Innocentis, tamen ſinè vulnere fidei, ſinè ſanguine morum, ſinè vivificæ Charitatis jactura: ſic cenſeo, &c. Datum Cremonæ 4. Maii 1689.

Fr. Vitalis à S. Carolo Carmelita Excalceatus S. Th. L.

EX commiſſione Rev. Adm. P. N. Fr. Honorii ab Aſumptione Præpoſiti Generalis, Librum à Rev. P. Fr. Joachimo à Sancta Maria, Noſtræ Provinciæ Sancti Angeli Longobardiæ Hiſtorico, & Sacrarum Scripturarum Interprete compoſitum, ſumma attentione perlegi, nec in eo Fidei Catholicæ, Sacris Canonibus, boniſque moribus aliquid diſsonum, vel minùs conſonum reperi, ſed potius magna admiratione hujus præclari Auctoris ingenium ſuſpexi, qui ſtylo aureo Virgineum Nomen cunctis legentibus ità ſubtiliter diſtinctum, & rectè dearticulatum proponit, ut officium Angeli Superioris in illuminandis inferioribus mirabiliter æmuletur. Opus hoc planè electum, & ſingulare nuncupabo, cum in ipſo Sacratiſſimum Prælectæ Reginæ Nomen, ſcribentis manu mira ſenſuum varietate à Dextris Dei appareat exornatum. Quapropter avidè edant mentis ore ſapientes de hoc Volumine, & fiet in eis tanquam mel dulce, cum ſuaviſſimo Mariæ Nomine ſit undequaque refertum, & plenum. Prodeat ergo ad lucem *Myſtica* hæc *Anatomia SS. Nominis Mariæ*, in qua nova & abſcondita myſteria revelantur; ſine enim væh contradictionis, & erroris conſcriptum cerno in hoc opere illud Nomen, quod fuit Ave Angelico approbatum. Sic cenſeo in hoc noſtro Collegio S. Hymerii Cremonæ die 4. Maii 1689.

Fr. Carolus Marianus à S. Michaele Definitor Provincialis, Sacræ Theologiæ Lector, & Conſultor Sancti Officii Cremonæ.

NOI RIFORMATORI
DELLO STVDIO DI PADOVA.

HAvendo veduto per fede del Padre Inquiſitore nel Libro intitolato, *Myſtica Anatomia Sacratiſſimi Nominis Deiparæ Virginis Mariæ, Auctore P. F. Ioachimo à Sancta Maria Carmelita Excalceato*, non v'eſser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licenza à Pietr'Antonio Brigonci di poterlo ſtampare, oſservando gl'ordini, &c.
Data li 27. Aprile 1688.

(
(*Silveſtro Valier Cav. Proc. Riform.*
(*Girolamo Aſcanio Zuſtinian Riform.*

Gio: Battiſta Nicoloſi Segretario.

AD BENEVOLVM LECTOREM

PRAEMONITIO AVCTORIS, ET SPECIMEN OPERIS.

1 NVllus finis faciendi libros, aiebat Sapiens. Quod quidem non tam verè dicitur, quam & optimè de Virgine Dei Matre intelligitur. Nam ſi omnes eſſent Scriptores, & omnium membra verterentur *in linguas*, nequaquam dignè poſſent Deiparam laudare. Hanc enim gloriam, inquit Albertus Magnus Prologo 1. de laudib. Virginis, ſibi retinuit Supernus Artifex, cuius Virgo Mater Opus eſt ſpeciale: nec alteri daturus eſt eam. Quare de MARIA per Prophetam dicit: *Secretum meum mihi*. *Eſa.* 24. Propter hoc etiam de ejus ſpecie toties replicat Sponſus in Canticis: *Abſque eo quod intrinſecus latet*: Soli pervium Creatori, ſed nulli cognitum Creaturæ. Nam quanta ſit MARIÆ ſpecies, qui dedit ſpeciem, ſolus novit. Et ideo quia citrà Deum omnis impar eius præconiis eſt eloquentia, nulla Oratorum debet lingua ceſſare, vel Scriptorum calamus ociari, ut quam neque eloquio, neque ſcriptis celebrando valent adæquare, laudabili ſaltem obſequio eius laudes adumbrare conentur.

2 Inter hoſce unus & ego aleam jacio. Non quod ipſis palmam præripere velim, ſed eorum à longe ſequi veſtigia. Quemadmodum enim ſi quis Oceani immenſitatem excurrere nequit, non tamen demeretur adoream, ſi penes litora cymbam agat, & perluſtret nobiliora, quæ poteſt: Ita & mihi ſufficere viſum fuit, ſi ſolam literarum Nominis MARIÆ ſuperficiem perſcrutarer, altioribus Ingeniis ſublimiora inveſtiganda relinquens. Sed non inutilis labor, ut puto; quippe & in minimis plurimum acuminis, ac *magnitudinis; licet in Dei Matre nihil puſillum ſit*, ſed magnum, & ſublime omne quod ineſt. *Profuit* verò & mihi ſtylum ſumere: quia dum laboravi MARIAM effigiare; ex Sanctorum eloquiis, qui Ipſam ardentiſſimè coluerunt, didici devotionem.

3 Nemo tàm felix, ut ſibi Magiſter eſſe poſſit, nec aliorum egeat imbui miniſterio. Rudis quiſque naſcitur, & indigus erudiri. Optimam tamen dixerim humanæ Naturæ felicitatem, ſi probum nacta fuerit Præceptorem, cuius ſanis præceptis, ac documentis, quaſi acri ſtimulo ad virtutis bonum capeſſendum inflammetur. Quia igitur Deiparam Orbis Magiſtram ſuſpicimus, & in ipſo MARIÆ Nomine, eiuſque elementis perfectiſſimum magiſterium habemus, placuit per Anatomen literarum, è quibus MARIA reſultat, quaſi per quædam rudimenta, ad cognitionem maximarum virtutum, quæ Auguſtiſſimam Dei Marrem exornant, ducere Lectorem, ut eas imitari non pigeat, quas laudare, & admirari delectat. Nulla ſiquidem eſt Ars, in qua ab hoc Nomine non poſſis inſtitui.

4 Sed quia te vellem omnium literarum, ſivè potiùs omnium Virum Virtutum, ſtudui primùm literas ſolitariè ſumptas, deindè ſyllabas interpretari, ut vel ex ipſis elementorum primordiis diſceres, quod MARIA omnium diſciplinarum eſt officina, ut boni Viri ingenium ad virtutis ſpeciem, & æviternam gloriæ famam excudatur. An non Deipara inclytum Sapientiæ Muſæum, in quo nèdum bonæ literæ, ſed & theſauri ſapientiæ, ac ſcientiæ Dei ſedem habent? Quid memorant antiquum Minervæ Sacrarium, in quo avita religione fatale Palladium aſſervabatur? Inſpice in Deipara Palladem literatam, armiſque ſcientiarum præcinctam. Et verè MARIA inſtructiſſimum eſt armaturę literarię

rariæ Armamentarium, ex quo telorum omne genus debellandis vitiorum, atque ignorantiæ monſtris depromitur.

5 Si rectum loquendi ſpecimen, hoc eſt, Grammaticę erudimenta deſideras, MARIAM lege loquentem. Si bellicæ artis præcepta callere deſideras, MARIAM lege Bellatricem egregiam. Et quam eximia fuerint Deiparæ trophæa bellantis, recole quæ paſſim in Hungaria de ſubiugatis barbarorum capitibus nuper erexit, ut jam penè in Hungarico Regno nullæ ſint Vrbes, quæ tyrannico Ottomani iugo ereptæ, non ſint Marianis laureatæ Victoriis. Viennam Auſtriæ, pulcherrimam Imperii ſedem obſeſſam (hìc obiter hiſtoriam tango, quam propè finem operis fusè habes deſcriptam) non Ancilibus fabulosè è Cœlo delapſis, ſed cœleſti virtute, non modò à Barbarorum vi, atque impetu eripuit, ſed Religioni, Cæſarique ſervavit. Fremat licet ore cruento indignabundus Turca: velit, nolit, didicit inſolens barbaricas Cæſareo Trono ſubmiterre mitras, & quem iniqua cum Hæreticis perduellibus conſpiratione impetebat, Cæſarem adorare.

6 Si te fortè venationis magiſteria delectant, peramplam aperit MARIA Palęſtram, in qua non ferarum corpora, ſed immania vitiorum portenta transfigere diſces. Si Arithmeticæ calculos percallere, non æra numerare ſignata, ſed rectum vitæ tuæ calculum ponere te docebit. Si muſicis oblectari velis, admirabilem ex omnium virtutum numeris Deipara conſonantiam efformat, quà diſſonas animi tui paſſiones ad debitum, & benè harmonicum reducere poſſis concentum. Si & Cœlorum noſſe rationes, Siderum Curſus, & Planetarum influxus, ipſius Nominis literas perſcrutare, & Cęleſtem tibi indicabunt Aſtronomiam. Vrbanam, atque Civilem Architecturam deſiderare non poteris: modo ſis auditor Archiatræ docentis, & meliorem ſtudebis tibi condere ædem perennaturam in Cęlis, non marmoratam è ſilicibus perituram molem in terris.

7 Multos Oceanum inter ſcopulos, & pericula, inter naufragia, & mortes, ad comparandas ſibi opes, irritamenta malorum, enavigare videmus, quorum genium Venuſinus in ſermonibus apprimè deſcripſit, canens:

Impiger extremos currit Mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Vtinam & prò cęleſtibus divitiis acquirendis tantoperè deſudarent, quam dives æternarum opum evaderet animus, quas neque rapaces furari latrones, neque tineæ edaces corrumpere valent. Vniones, atque Orientis margaritæ magnà aviditate parantur: ſed ad quid maris cumulantur ejectamenta, ſi Cęlorum valvæ ex ſingulis ſunt conſtructæ Vnionibus? Freta agitantur, Perſica litora frequentantur, flumina convolvuntur, Bactrianæ, Carmeniæque fodiuntur rupes, ut gemmarum luxu mortales, verè digni luctu, potiantur. Quid hæ ad animi bona? Planè nihil prorſus. Quin & ipſis officiunt, qui eas nimio ardoris officio proſequuntur, & ut verius dixerim perſequuntur. Verte conatus, & vota: evolve MARIÆ Nomen, & ditiorem Gemmarum fodinam invenies.

8. Plurimi quoque ſunt, quoniam ſtultorum infinitus eſt numerus, ob temporalium delectationum amorem inſanientes, quorum dementiam in ſapientiæ paginis enarrat Salomon, eorumque inſana refert conſilia, quæ ſunt: *Non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Sap.* 2. Heu improba reproborum hominum vota! Vis agrum fructibus, & floribus pratum excultum? Auguſtiſſimum Reginæ noſtræ Nomen, & floridam pratorum amœnitatem, & frugiferam agrorum in ſe colligit ubertatem. Viridarium eſt floribus diverſi generis conſitum. Pomarium multiplici malorum varietate fœcundum. Si florum alliciunt odoramenta: in Deipara habes odoratiſſimam verni temporis virtutum fragrantiam. Si palatum ſaporum vis indulcare ſuavitate, extat ſapidum eius Nomen cujuſvis ſaporis habens delectamentum. Norunt quantum ſapiditatis in Mariano Nomine lateat eius devoti, atque familiares, qui moroſius quodam devotionis dente dulciſſimum Nominis Almæ Dei Genitricis favum terunt, ac cordis linguà de-

gluttiunt, ut ſapidius ſuaviſſimam eius dulcedinem prægustent. Et hi quidem flores, & fructus incorruptibiles, de Paradiſi Tempe, & de collibus tolluntur æternis.

9. Piſcatoriam, Nauticam, Medicam, Iuriſprudentiam, cæteraſque ſcientiarum artes hoc te Nomen docebit. Vel ſi libet per Angelicas expatiari Hierarchias, literæ MARIÆ Nominis ſemitam demonſtrant, quæ te per omnes ducet ordines Angelorum. Quod ſi præſtiteris, etiamnum viator in terris eris Angelicus. Ad hanc porrò ſublimitatem pervenire non poteris, niſi è temporalibus, terreniſque involucris, deſiderio, mente exceſſeris, & affectu. Denique in hoc ſolo Nomine Virorum Heroicorum Athenæum habes collectum; Iuſtitiæ ſcilicet, Prudentiæ, fortitudinis, ac Temperantiæ, Religionis, ac Pietatis, & cæterarum ſimulachra virtutum, quorum geſta, quemadmodum Themiſtoclem trophæa Melciadis, tuum excitent animum ad præclara, & inſignia facinora. Demum nè te obruam multis: totius operis ſeriem, & Nominis Anatomen piis oculis ſpectandam, & contemplandam propono.

DISPOSITIO, ET ORDO Myſticæ Anatomiæ Sacratiſſimi Nominis Mariæ.

LIBER I.

CAp. 1. De Titulo operis. 1.
Cap. 2. De ſignificationibus quinque literarum Nominis Mariæ ex Hebraico Alphabeto. 2
Cap. 3. Quid ſignificet in Nomine Mariæ prima litera Mem ex ſua interpretatione. 2.
Cap. 4. De arcanis ſecundæ literæ nominis Mariæ ex Hebræo, quæ eſt Aleph. 4.
Cap. 5. Quid ſignificet tertia litera in nomine Mariæ, quæ eſt Res ex Hebræo. 7.
Cap. 6. De ſignificatione quartæ literæ nominis Mariæ, quæ ex Hebræo eſt Iod. 9.
Cap. 7. Quas ſignificationes denotet quinta litera Ain in Deiparæ nomine. 12.
Cap. 8. De compoſitione nominis Deiparæ ex literis. Græcis 15.
Cap. 9. De Compoſitione nominis Virginei ex literis Latinis, & quid ſignificent ad gloriam Virgnis. 20.
Cap. 10. Quot ſyllabis conſtet virginis nomen, & quam habeant efficaciam. 21.
Cap. 11. Quid ſit Anagramma; & cur inducantur anagrammata ex literis Virginei nominis compoſita. 22.
Cap. 12. *Maria*. Anagramma Primum. *Amari*. Verbum. 24.
Cap. 13. *Maria*. Anagramma 2. *Riama*. 25.
Cap. 14. *Maria*. Anagramma 3 *Amari*. Nomen. 25.
Cap. 15. *Maria*. Anagramma 4. Maria. 26.
Cap. 16. *Maria*. Anagramma 5. *A Rami*, ſubintelligo *fructu*. 26.
Cap. 17. *Maria*. Anagramma 6. *A mira. A mari*. 28.
Cap. 18. *Maria*. Anagramma 7. *A! Mira*. 28.
Cap. 19. *Maria*. Anagramma 8. *I, arma*. 31.
Cap. 20. *Maria*. Anagramma 9. *Armai*. 31.
Cap. 21. *Maria*. Anagramma 10. *I, Aram*. 32.
Cap. 22. *Maria*. Anagramma. 11. *Mì Ara*. 33.
Cap. 23. *Maria*. Anagramma 12. *Ar ima*: ideſt: *Ara ima*. 34.
Cap. 24. *Maria*. Anagramma 13. *Mi ara*: Hoc eſt. *Mihi arato*. 36.
Cap. 25. *Maria*. Anagramma 14. *Ramia*. 36.
Cap. 26. *Maria*. Anagramma 15. *A Rima*. 37.
Cap. 27. *Maria* Anagramma 16. *A Mari*. 37.
Cap. 28. *Dei Mater*. Anagramma. 17. Diameter. 37.

LIBER II.

CAp. 1. Quantæ ſit dignitatis, & excellentiæ MARIÆ Nomen. 39.
§. 1 Maria. Nomen Immortale. 39.
§. 2. Maria. Nomen Omnipotens. 39.
§. 3. Maria. Nomen Iuſtificans. 40.
§. 4. Maria. Nomen Beatificans. 40.
§. 5. Maria. Nomen Supernaturale. 40.
§. 6. Maria. Nomen fortiſſimum. 41.
§. 7. Maria. Nomen Revelatum. 42.
§. 8. Maria. Altum Nomen. 42.
§. 9. Maria. Nomen Magnificum. 43.
§. 10. Maria. Nomen Eximium. 43.
Cap. 2. Quot, & quas habeat Mariæ nomen interpretationes. 44.
Cap. 3. Quam magnum ſit, quod Maria interpretetur Deus ex genere meo. 45.
Cap. 4. Quid ſit, quod Maria interpretatur Doctrix, & Magiſtra maris. 47.
Cap. 5. Cur Mariæ Nomen exponatur Myrrha maris. 47.
Cap. 6. Qua ratione Mariæ Nomen interpretetur Spes. 48.
Cap. 7. Cur Maria dicatur Illuminata. 50.
Cap. 8. Ratio, cur Maria dicatur Illuminatrix. 51.
Cap. 9. Exponitur, quarè Maria interpretetur. Stella. 53.
Cap. 10. Alia ratione probatùr Mariam convenienter dici Stellam. 54.
Cap. 11. Beata Virgo ſumit denominationem à Stella Matutinà. 56.
Cap 12. An Beata Virgo poſſit Regia ſtella nominari. 58.
Cap. 13. Exponitur, cur Maria interpretetur Stella Maris. 59.
Cap. 14. Iterùm probatur, aptiſſimè Mariam interpretari Stellam Maris. 62.
Cap. 15. Quam aptè Maria dicatur Mare. 62.
Cap. 16. Cur Maria dicatur amarum Mare. 64.
Cap. 17. Declaratur per quam peculiarem rationem Maria interpretatur Mare amarum. 65.
Cap. 18. Quod quadruplici ratione amariſſimum fuit B. Virgini tempore paſſionis ſeparatio Filii ſui. 65
§. 1. Quod amarum fuit Beatę Virgini tempore paſſionis ſeparatio Filii ſui, conſiderata eius conditione. 65.
§. 2. Quod propter cognitionem Filii ſui, amariſſima fuit & ſeparatio eius. 66.
§. 3. Quod maximè propter quinque diligebat B. Virgo Ieſum, ex quibus ſeparatio eius, ſibi amariſſima fuit. 66.
§. 4. Quod propter delectationem, quam Virgo de Chriſto habebat, amariſſima erat ei ſeparatio eius. 67.
Cap. 19. De quatuor effectibus, ſeu paſſionibus, ſe[illegible]undum quas B. Virgo ſummam amaritudi[illegible] [illegible] paſſa eſt propter mortem Filii ſui. 67.
§. 1. [illegible]ucd Cor Virginis in morte Fiti ſui miro modo contenebratum, & per conſequens amaricatum eſt. 67.
§. 2. Quod de omnibus, quæ circa mortem Chriſti Beata Virgo videbat, ſummam amaritudinem ſentiebat. 67.
§. 3. Quod viſio conſideratio, & recordatio eorum, quæ affligebant Chriſtum, in Virgine Maria maximam amaritudinem cauſabant. 68.
§. 4. Quod tantus erat amor Beatæ Virginis ad Fi-

lium, quod infinities prò eo mori voluiſſet. 68.
Cap. 20. De quatuor, quæ invicem miſcebantur ex quibus in Virgine cauſabatur maxima amaritudo. 68.
§. 1. Multa ſtupenda, quæ videbat in Filio, cauſa fuerunt in Virgine amaritudinis ſummæ. 68.
§. 2. Quod magnam amaritudinem præſtiterunt Beatæ Virgini ea, quæ vidit in diſcipulis, & amicis Chriſti, tempore paſſionis eius. 69.
§. 3. Quod magnam amaritudinem Beatæ Virgini præſtiterunt ea, quæ vidit fieri à perſequentibus Chriſtum. 69.
§. 4. Quod quia Beata Virgo paſſioni Filii præſens erat, nec illum poterat adiuvare, aut ei aliquo modo ſubvenire, ideò maximè cruciabatur. 69.
Cap. 21. Quid ſit, quod Maria interpretatur Domina. 70.

LIBER III.

CAp. 1. Quod Beata Virgo eſt omnium perfectionum, atque Creaturarum Compendium 75.
Cap. 2. Creaturarum Scala, per quas Beata Virgo figuratur. 76.
Cap. 3. De Regulis, quibus convenienter omnium perfectiones Creaturarum in Beata Virgine exprimuntur. 78.
Cap. 4. Exponitur iuxtà Regulas prædictas, quod Beata Virgo eſt omnium Creaturarum, ac perfectionum Compendium. 82.
Cap. 5. Quod Mariæ Nomen eſt theſaurus excellentiarum ipſius Virginis Mariæ. 85.
§. 1. Maria eſt Mediatrix. 86.
§. 2. Maria eſt Alleviatrix. 86.
§. 3. Maria eſt Reparatrix. 86.
§. 4. Maria eſt Illuminatrix. 86.
§. 5. Maria eſt Auxiliatrix. 87.
Cap. 6. In quinque literis Parthenii Nominis aliæ quinque Virginis excellentiæ comprehenduntur. 87.
§. 1. Maria eſt Mediatrix. 87.
§. 2. Beata Virgo eſt Amica Dei. 89.
§ 3. Beata Virgo dicitur Recta. 89.
§. 4. Maria eſt Innocens. 90.
§. 5. Beata Virgo eſt Admirabilis. 91.
Cap. 7. Quinque aliæ novę Prærogativæ in Beata Virgine conſiderantur. 92.
§. 1. Maria eſt Chriſti Mater. 92.
§. 2. Maria eſt humani generis Mater. 93.
§. 3. Beata Virgo eſt Mater miſericordiæ. 95.
§. 4. Beata Virgo vera dicitur Advocata. 96.
§. 5. Virgo Beata eſt Cœlorum Regina. 97.
§. 6. Cœli, terræque Imperatrix prædicatur Virgo Beata. 100.
§. 7. Quam Benè Deipara dicatur Auguſta. 102.
Cap. 8. Alia quinque decoramenta Virginem Beatam exornant. 103.
§. 1. Beata Virgo quadruplici officio Miniſtram ſedulam ſe exhibuit. 103.
§. 2. Quàm officioſa Ancilla fuerit Beata Virgo. 103.
§. 3. Deipara eſt Refugium peccatorum. 104.
§. 4. Beata Virgo eſt hæreſum Interemptrix. 105.
§. 5. Beata Virgo eſt hominum Adiutrix. 106.
Cap. 9. Declarantur quinque Prærogativæ Beatæ Virginis in literis ſui nominis expreſſę. 107.
§. 1. Beata Virgo paſſa eſt Martyrium amoris. 107.
§. 2. Dei Mater eſt Auriga Animorum. 109.
§. 3. Beata Virgo eſt Requies ſummi Dei. 110.
§. 4. Beata Virgo Apoſtolorum Inſtitutrix. 111.
§. 5. Beata Virgo eſt Alma in Sanctitate. 113.
Cap. 10. Quinque Virtutibus tanquam Corona pretioſiſſima redimitur Virgo Beata. 114.
§. 1. Quam ſit præclara Dei Matris Miſericordia. 115.
§. 2. De admirabili Dei Matris Amore. 116.
§. 3. De excellentiſſima Dei Matris Religione. 120.
§. 4. Quam ſit commendabilis Beata Virgo ex Iuſtitiæ virtute 121.
§. 5. De laudabili Beatiſſimæ Virginis Abſtinentia. 122.

LIBER IV.

CAp. 1. Qud Beata Virgo habuit in ſe omnes Agelorum perfectiones. 124.
§. 1. Beata Virgo habuit communes Angelorum proprietates. 124.
§. 2. Beata Virgo habuit proprietates primæ Angelorum hierarchiæ. 125.
§. 3. Beata Virgo ſecundæ Angelorum hierarchiæ ornamentis decoratur. 126.
§. 4. Beata Dei Mater omnium Angelorum ſupremæ Hierarchiæ decoramentis ornatur. 128.
§. 5. Compendiarius Epilogus demonſtrans Beatiſſimam Virginem omnes omnium Ordinum Angelorum proprietates poſſediſſe. 130.
Cap. 2. B. Virgo omnium antiquorum Heroum omnes habuit virtutes. 130.
Cap. 3. Quinque literæ Nominis Mariæ quinque inclytos Orbis Viros repræſentant. 132.
§. 1. Quid Beata Virgo in Malaleel ſit æmulata. 133.
§. 2. Quam excellentiam deſignet Adam in Maria. 135.
§. 3. Quid perfectionis in Beata Virgine denotetur per Rehu. 137.
§. 4. Iubal harmonicarum proportionum per concentum virtutum in anima Virginis typum referre monſtratur. 139.
§. 5. Quid ex Abel repræſentetur in Virgine. 141.
Cap. 4. Secundus Quinarius Heroum præclaras in Virgine virtutes deſignans. 142.
§. 1. Melchiſedech in Regali Sacerdotio Virginem repræſentat. 142.
§. 2. Abraham, & Beatam Virginem ſimilibus non ſolum præfulſiſſe virtutibus, ſed & eundem à Matre Dei in ipſis ſuperatum oſtendimus. 144.
§. 3. Qua ratione Ruben deſignet in Virgine cœleſtium excellentiam viſionum. 147.
§. 4. Quid præſignaverit Iſaac Patriarcha, in quo excellit B. Virgo. 148.
§. 5. Undè ex Aminadab, magnanimitatis, & fortitudinis Marianæ typus habeatur. 151.
Cap. 5. Tertius Heroum Quinarius pręclaras Virginis ſanctiſſimæ dotes repræſentans. 152.
§. 1. Moyſes pulchritudinis Marianæ Typus. 152
§. 2. Quædam Aaronis inſignes prærogativæ in Virgine Beatiſſima reſplendent. 154.
§. 3. Quid de Virgine Raguel præfiguret. 156.
§. 4. Quam excellentiam Iacob in Maria præſignet. 164.
§. 5. Aſer in benedictione ſua Virginis benedictionem præfiguravit. 165.
Cap. 6. Heroidum fœminarum laudes, & perfectiones Mariam in ſe collegiſſe probatur. 165.
Cap. 7. Primus Quinarius mulierum inſignium, quæ in Virginis typum præluxere. 168.
§. 1. In quo Maria Soror Moyſi, noſtræ Virginis fuerit Typus. 168.
§. 2. Quid prætendat Agar in figuram Marię. 170
§. 3. Quæ fuerit in Raab perfectio, per quam Virgo Beata ſit prænotata. 172.
§. 4. Quam Virginis excellentiam denotet Ioſabeth ex ſignificatione ſua. 173.
§. 5. Anna uxor Tobiæ ſedulitatem operis, & divitiarum contemptum in typum Dei Matris expreſſit. 174.
Cap. 8. Secundus Quinarius illuſtrium Matronarum, quæ virtutes Mariæ figurarunt. 177.
§. 1. Referantur myſteria, quæ Michol in typo Virginis denotavit. 177.
§. 2. Per Abigail prudentiam Virginis deſignari. 177.
§. 3. Quid Rebecca prætulerit in Beatiſſimæ Virginis typum. 178.
§. 4. Iabelem Virginis ſtrenuitatem præſeferre, propter quam fuit benedicta. 179.
§. 5. Quid Abiſag nupta David Regi jam ſeni præſignaverit de Virgine. 181.
Cap. 9. Tertius illuſtrium mulierum Quinarius plectitur in ſertum ad coronandam Dei Matrem. 182.
§. 1. Undè, & in quo Martha referat Virginis Typum. 182.
§. 2. Quid Axa ſignificaverit de Maria. 183.
§. 3. Quę ſit Rachelis relatio ad Virginis typum. 185.
§. 4. Quid myſterii ferat Joanna ad Virginem figurandam. 189.
§. 5. Quæ ſit Appiæ figura ad oſtendendas Beatæ Virginis qualitates. 191.
Cap. 10. Quartus Heroidum fœminarum Quinarius Mariæ dotes, ac virtutes illuſtrans. 193.
§. 1. Magdalena Chriſti Amica quem referat Virginis typum. 193.
§. 2. Quàm pulchrè Anna Samuelis Mater Beatam Virginem præſignaverit. 194.
§. 3. Quàm egregiè Ruth Beatam Virginem præfiguraverit. 196
§. 4. Judith bellatrice pulchritudine, atque virtutum choro belligeram Mariæ venuſtatem, & virtutum acies præſignaſſe. 198.
§. 5. Quid Abra deſignet in Virgine. 201.
Cap. 11. Extrema clauſula Mulierum illuſtrium, quæ in literis Virginei Nominis continentur, quibus Parentes ipſius Virginis, tanquàm epilogus, adnectuntur. 203.
§. 1. Quid expreſſerit Mater Machabæa, quo potuerit Virginem figurare. 203.
§. 2. Quid de Virgine prophetaverit Anna Prophetiſſa. 208.
§. 3. Quale adumbret Reſpha Myſterium, per quod geſſit Mariæ figuram. 212.
§. 4. Ioachim Sanctiſſimus Sanctiſſimæ Dei Genitricis Parens, Heroum magnus Heros à Filia inter Heroides ſuprema decoratur. 212.
§. 5. Laudes Annæ Matris Sanctiſſimæ Dei Genitricis. 217.

LIBER QVINTVS.

CAp. 1. Hieroglyphica è Cœleſtibus, & ſuperioribus petita, quibus Beata Virgo figuratur. 221.
§. 1. Qua ratione Beata Virgo ſit Mundus cœleſtis, ſcilicet Cœlum. 221.
§. 2. Quid perfectionis indicent Aſtra in Beata Virginę. 224.
§. 3. Quid denotet Radius in Beata Virgine. 226.
§. 4. Aptiſſimè Beata Dei Mater dicitur Iubar, hoc eſt, Sol. 228.
§. 5. Aurora felicior, Virgo Beata. 231.
Cap. 2. Terreſtris Mundi Coſmopeia Virginem Beatiſſimam exornat. 234.
§. 1. Quomodò Terræ proprietates Beatiſſimæ Virgini conveniant. 234.
§. 2. Aeris proprietates Beatiſſimæ Virgini optimè convenire. 237.
§. 3. De diviſione aerei elementi in tres Regiones, & quis typus habeatur ex ipſis ad ſignificandas Beatæ Virginis perfectiones. 238.
§. 4. Proprietates Ignis in Beatiſſimà Virgine maximè elucere. 239.
§. 5. Mirabiles aquarum proprietates in B. Virgine aſſeruntur. 240.
Cap. 3. De Impreſſionibus meteorologicis, & quid per ipſas ſignificetur de Beata Virgine. 242.
§. 1. Quem Beatæ Virginis Typum manna figuret. 242.
§. 2. Auſtro non incongruè Beatam Virginem deſignari. 245.
§. 3. Roris qualitates Beatiſſimam Virginem decere. 246.
§. 4. Perfectam Iridis Oeconomiam in Beata Virgine reperiri. 249.
§. 5. Quam Beatæ Virginis figuram habeat Aſſub. 252.
Cap. 4. Tempora, dies, menſes, & Anni certant Beatam Virginem coronare. 253.
§. 1. Quid myſterii habeat Menſis in primà literà Nominis Mariani. 253.
§. 2. Pulcherrimà corona Annus dicitur redimire Mariam. 256.
§. 3. Undè nam Diei appellatio conveniat Beatiſſimæ Virgini. 258.
§ 4. Quà ratione Beata Virgo vocetur Jubilæus. 258.
§ 5. Revelantur in Dei Matre Autumni myſteria. 260.
Cap. 5. Quem typum habeant marmora, & lapides, ut & de ipſis Beatæ Virginis laudum compendia ſumantur. 264.
§ 1. Marmorum varii colores, variæque qualitates varietatem virtutum Beatæ Virginis ſignificant. 264.
§. 2. Quid in Beata Virgine Alabaſtrum deſignet. 266.

§. 3.

§. 3. In Rupe Mariæ fortitudinem ſignficari. 267.
§. 4. Quid myſterii habeat Icon in quarta literà Nominis Mariæ. 268.
§. 5. Quem Virginis typum præferat Asbeſton. 269.
Cap. 6. Metalla,& Gemmæ in exprimendis Beatę Virginis perfectionibus nobilitantur. 269.
§. 1. Mercurii hieroglyphica in Beata Virgine deſcripta. 270.
§. 2. Per aurum plurimas Virginis dotes præfigurari. 271.
§. 3. Quam excellentiam ſignificet in B. Virgine Roditis Gemma. 272.
§. 4. Quem typum Ideus Dactylus ad Virginem habeat. 273.
§. 5. Quas ex Argento ſignificatas in Virgine habeamus virtutes. 274.
Cap. 7. Gemmarum officinam Mariæ Nomen eſſe demonſtratur. 275.
§. 1. Quæ excellentia denotetur in B. Virgine per Margaritam. 275.
§. 2. Quam perfectionem Gemma Allectoria deſignet in Beatà Virgine. 276.
§. 3. In quo Raben lapis adumbret Dei Matrem. 276.
§. 4. Iaſpidis proprietates figurant Beatam Virginem. 277.
§. 5. Achates in multis figura Mariæ. 277.
Cap.8. Quinque aliæ Gemmæ Mariæ Nomen inſigniunt. 278.
§. 1. Quem typum Beatæ Virginis præferat Melchites. 279.
§. 2. Adamas viribus ſuis naturalibus ſupernaturales virtutes Dei Matris adumbrat. 279.
§. 3. Quid perfectionis exprimatur per Rubinum in Beata Virgine. 281.
§. 4. In Dei Matre Iridis Gemmæ proprietates elucent. 281.
§. 5. Amethyſti dotes in B. Virgine fulgent. 282.
Cap. 9. Tertius Gemmarum Quinarius ad Deiparæ laudes conſecratur. 283.
§. 1. Per Melantem Deiparæ dulcedinem ſignificari. 183.
§. 2. Aſteriten in ſuis dotibus figurare Beatiſſimam Virginem. 284.
§. 3. Lapis Reſten triplici ratione figurat Beatam Virginem. 285.
§. 4. Quem typum Beatæ Virginis Ienia Gemma prætendat. 285.
§. 5. Quid Aſtrion in Dei Matre præfiguret. 286.
Cap. 10. Quinque alii inſignes lapides Dei Matrem coronant. 286.
§. 1. Magnete plurimas,& ſingulares dotes Beatæ Virginis ſignificari. 286.
§. 2. Quid figuret Amiantos in Beata Virgine. 288.
§. 3. Ram pulchrum dat Virginis typum. 289.
§. 4. Iſciſtos aliud in Virgine aperit Theatrum Virtutis. 290.
§. 5. Metam lapidibus, & Mariæ laudibus Androdamantus ponit. 291.

LIBER VI.

CAp. 1. Fruticum,herbarum,florum, atque arborum Coronamenta in præconia Sanctiſſimæ Dei Matris conſpirant. 292.
§. 1. Pulchrè Mandragora Beatæ Virginis dotes repræſentat. 292.
§. 2. Amygdali proprietates quàm maximè Beatæ Virgini quadrare. 293.
§. 3. Maria excellenter figuratur in Rubo. 295.
§. 4. Iuniperi qualitates expreſſæ in Dei Matre. 296.
§. 5. Quàm bellè Agnus Caſtus figura Mariæ. 297.
Cap. 2. Secundus vegetabilium Quinarius exprimit multiplices in Beata Virgine perfectiones. 297
§. 1. Ut Myrrha prædicatur B. Virgo 297.
§. 2. Beata Virgo Amomi proprietatibus illuſtratur. 299.
§. 3. Reſinæ medicinalis virtutes Beatiſſimæ Virgini convenire. 300.
§. 4. Beata Virgo odora ſicut Incenſum. 301.
§. 5. Quàm verè Beata Virgo dicatur Artemiſia. 302.
Cap. 3. Tertius vegetabilium Quinarius in literis Nominis Mariæ conſideratur. 303.
§. 1. Menta ex ſuis proprietatibus naturalibus Mariæ typus. 303.
§. 2. Per Anetum deſignatur Virgo Beata. 304.
§. 3. Per Rutam exprimi Mariæ virtutes. 304.
§. 4. Ia, ſcilicet Viola pulcherrimus Mariæ Typus. 305.
§. 5. Per Arborem vitæ jure optimo Beatiſſimam Virginem deſignari. 307.
Cap. 4. Alter vegetabilium Quinarius perfectiones Dei Matris commendat. 307.
§. 1. In Myrto mirabiliter adumbratur Beata Virgo. 308.
§. 2. Quid ſignet Amaranthus in B. Virgine. 309.
§. 3. Malæ Rhamni proprietates emendantur in Dei Matre. 310.
§. 4. Præclarum in Incenſaria habetur Beatæ Virginis hieroglyphicum. 310.
§. 5. Arundinis mirabilia in Dei Matre verificantur. 311.
Cap. 5. Novi flores,& plantę in Marię laudes ſe effundere gliſcunt. 313.
§. 1. In Moro Mariæ habetur Imago. 313.
§. 2. Quid particulariter ſignet Abies in Beata Virgine. 314.
§. 3. Pulcherrimum in Roſa oſtenditur Mariæ hieroglyphicum. 314.
§. 4. Herba, floſquę Iris aptiſſimus Mariæ Typus. 317.
§. 5. Anemona quid figuret in Beata Virgine. 318.
Cap. 6. Poſtremus Quinarius Vegetabilium laudibus Dei Matrem honorare decertat. 319.
§. 1. Quid præferat Malum Punicum in Beata Virgine. 319.
§. 2. Similitudines inter Deiparam, & Ambroſiam. 320.
§. 3. Ruſcus Beatæ Virginis Typus. 320.
§. 4. Quid denotat Ilex in Beata Vitgine. 321.
§. 5. Aſarum qua ratione figura Deiparæ. 322.
Cap. 7. Viventia ſenſibilia honoris tributa deferunt Matri Dei. 322.
§. 1. Per Muſtelam mirificè B. Virginem adumbrari. 323.
§. 2. In Ape pulchra Mariæ figura. 323.
§. 3. Èx Roſurellà nonnihil habetur, quo poteſt Beata Virgo figurari. 324.
§. 4. Ibis pulchrum Beatæ Virginis typum repræſentat. 324.
§. 5. Alauda Deiparæ laudes canit. 325.
Cap. 8. Alia ſenſibilia ſubeunt onus laudandi Deiparam. 326.
§. 1. Quem Deiparæ typum Merula præferat. 326
§. 2. In Aureolà Beatæ Virginis Hieroglyphicum. 327.
§. 3. Quid myſterii Rhinoceros habeat in tertia litera Nominis Mariæ. 327.
§ 4. Quid de B. Virgine figuretur in Iſpida. 329 20
§. 5. Quid per Anſolemes ſignificetur in Beata Virgine. 326.
Cap. 9. Proſequuntur ſenſibilia in ſuo certamine Beatam Virginem laudare. 330.
§. 1. Merox ſingularem Mariæ ſolicitudinem in educandis fidelibus deſignat. 330.
§. 2. Quid habeatur ex Alcione, quo Beata Virgo figuretur. 330.
§. 3. Ex quo Regulus parvula avis dici poſſit Virginis Typus. 333.
§. 4. Qua ratione Iſida ſit Mariæ figura. 333.
§. 5. Præclaram in Aeriophilone Mariæ figuram haberi. 333.
Cap. 10. Piſces,feræ, & volucres laudis Coronam Beatæ Virginis abſolvunt. 334.
§. 1. In Murice exprimi Regiam Mariæ dignitatem. 344. 2.
§. 2. Quid ex Aureo vellere in Beata Virgine denotetur. 335.
§. 3. Quà ratione aſſumatur Rangifer ad Beatæ Mariæ Virginis hieroglyphicum. 336.
§. 4. Icterus Pietatis Marianæ figura. 336.
§. 5. Ex quo Anſer poſſit eſſe Mariæ Typus. 337.

LIBER VII.

CAp. 1. Scientiarum varietas Mariam exornat. 338.
§. 1. Beata Virgo perfectam habuit Muſicæ cognitionem. 338.
§. 2. Beata Virgo ſcivit Aſtronomiam. 339.
§. 3. An Dei Mater ſciverit Rhetoricam. 340.
§. 4. Oſtenditur Beatam Virginem fuiſſe Organum Idraulicum. 340.
§. 5. Arithmeticam Beata Virgo percalluit. 342.
Cap. 2. Omnes ſcientiarum Coloniæ in Beata Virgine ſibi domicilium poſuere. 342.
§. 1. Medicinæ cognitionem Beatam Virginem habuiſſe probatur. 343.
§. 2. Iurium Civilium cognitionem habuit Beata Virgo. 343.
§. 3. B. Virgo perfectiſſimè Grammaticam ſcivit. 344
§. 4. Undenam Beata Virgo dicatur Idæa ſpeculationum. 344.
§. 5. Quà ratione Beata Virgo prædicetur Arx ſcientiarum. 345.
Cap. 3. De Venationis Inſtrumentis, quibus Beata Virgo figuratur. 348.
§. 1. Per Muſcipulam benè figurari Beatam Virginem. 348.
§. 2. Optimè quadrat Beatæ Virgini aculei figura. 349.
§. 3. Jure optimo per Rete ſignificatur Maria. 350.
§. 4. Quam aptè Iaculum B. Virgo dicatur. 351.
§. 5. Tota abſolvitur Oeconomia noſtræ Venatricis in arcu. 352.
Cap. 4. Geometricis, Nauticis, & Fabrilibus inſtrumentis figuratur Beata Virgo. 353.
§. 1. Quam rectè Beata Virgo ſit Menſura. 353.
§. 2. Propriè etiam in Amuſſi figuratur Virgo Maria. 355.
§. 3. Per Ratem optimè figuratur B. Virgo. 357
§. 4. Quid per Incudem in Beata Virgine figuretur. 359.
§. 5. Anchoram typum Mariæ præferre. 360.
Cap. 5. Bellicis munitionibus figuratur B. Virgo. 361.
§. 1. Per munitionem convenienter Beata deſignatur Virgo. 361.
§. 2. Per Aquæductum Beata Virgo optimè figuratur. 362.
§. 3. Per Rotam Mater Dei ſignificatur. 363.
§. 4. Quam præclarè Ianua dicatur Beata Virgo 363.
§. 5. Bellicoſiſſimam Arcem ad defenſionem noſtram ſeſe oſtentat Virgo Beata. 365.
Cap. 6. De fœmineis ornamentis, in quibus Beata Virgo figuratur,& laudatur. 367.
§. 1. Quid per Mitram exprimatur in Beata Virgine. 368.
§. 2. Quid deſignet acus in ornamentis Beatæ Virginis. 368.
§. 3. Cujuſnam ſignificationis typum præferat Ricinium in B. Virgine. 369.
§. 4. Quid ſit Infula,& quid præſignet in Deipara. 370.
§. 5. Quid myſterii deſignet Annulus in quinta litera Nominis Mariæ. 372.
Cap. 7. De nonnullis aliis mulierum ornamentis, quibus perfectiones Beatæ Virginis exprimuntur. 375.
§. 1. Quas virtutes Monile ſignificet in Beata Virgine. 375.
§. 2. Per amictum varietas virtutum Beatæ Virginis præſignatur. 376.
§. 3. Quid de Reticulo ad Virginis laudes ſentiendum. 377.
§. 4. Quid ſignificent Inaures in Beatæ Virginis ornatu. 378.
§. 5. De ſignificato Armillarum ad præconia Beatiſſimæ Virginis. 380.
Cap. 8. Mixtæ ex diverſis rebus laudes, quæ Dei Matrem commendant. 381.
§. 1. Quid ſignificent Murenulæ ad laudem Deiparæ primo loco poſitæ. 381.
§. 2. Per Arcam Dei, quam fecit Moyſes, figuratur Beata Virgo. 384.
§. 3. Beata Virgo fuit Reclinatorium æterni, & pacifici Salomonis. 385.
§. 4. Qua ratione Beata Virgo dici poſſit Iunctura. 386.
§. 5. Deipara Summi Imperatoris Palatium, & Aula. 386.

Cap. 9.

Cap. 9. Ab Urbibus Beata Virgo laudatur. 387.
§. 1. Non ſinè myſterio Mariæ Nomen in prima litera incipit ab urbe Mareſa. 387.
§. 2. Plurimùm in Alexandrià ex munitione virtutum Beata Virgo commendatur. 388.
§. 3. Romæ hieroglyphica coronaria capiti Virginis complicantur in ſertum. 389.
§. 4. Urbis Jericho Beata Virgo poſſidet Coronamenta. 391.
§. 5. Alio Coronæ genere Beata Virgo à Civitate Antiochià coronatur. 393.
Cap. 10. Urbium denique alter Quinarius Deiparæ Coronam perficit, atque hoc Volumen abſolvit. 394.
§. 1. Quid per Magdalum in Beata Virgine figuretur. 394.
§. 2. Athenarum prærogativæ in Deiparà demonſtrantur. 395.
§. 3. Præclariſſimam Rhodus Deiparæ fronti corollam intexit. 397.
§. 4. Ab Urbe Jeruſalem Beata Virgo commendatur. 399.
§. 5. Laudum concluſio, & Myſticæ Anatomiæ Nominis Mariæ, in Urbe Apollonia. 401.

PERORATIO

Ad Beatiſſimam Virginem Dei Matrem. 403.

MYS.

MYSTICÆ ANATOMIÆ SACRATISSIMI NOMINIS DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM

De Titulo Operis.

1 NOvum fortaſsè ſcribendi genus videbitur, nec immeritò, cùm Titulum anatomicę artis, quę in membris corporum exercetur, ad vocabula transferam. Quid enim ad literas anatomia? Quid inciſio partium humanarum ad nominum elementa? Non enim propinquitas, & ſimilitudo, ſed magna diſſimilitudo, atque diſtantia inter hoc, & illud conſpicitur, ſi utriuſque finem attendas. Scopus ſiquidem anatomiæ eò tendit, ut dum ferro cutem ſecat, venas diſtinguit, nervos ſecernit, muſculos diſgregat, tunicas oculorum præſcindit, pedum, manuumque articulos dividit, inteſtina aperit, præcordia ſcrutatur, ſplenis, & jecoris, peneumatis, & cordis arcana rimatur, quæ ſint eorum naturæ, officia, paſſiones, & proprietates, oſtendat. Si verò aliquod nomen in literas, ex quibus componitur, ſecetur, quæ tandem utilitas?

2 Atqui ex hoc, ego inquam, apta ſimilitudo, atque proportio deducitur, nam non ſolùm ipſum nudum Nomen, verùm etiam aut interpretatum, vel in ſyllabas, aut ſigillatim in elementa diſſectum, plurimas exhibet utilitates, quas non tantùm cognoſcere, ſed & experiri ſummè proficuum eſt. Magna vis in nominibus, & in eorum ſyllabis, atque literis latet. Magnam energiam, & pondus virtutis habent. Inclytam præſeferunt majeſtatem, ac dignitatem: ità ut vel Poetæ decantare libuerit:

Nomina ſunt ipſo penè timenda ſono.

Nedum ſyllabæ, ſed & characteres excelſa ſonant myſteria.

3 Jure igitur, cùm de Sacratiſſimo Nomine MARIÆ ſimus elocuturi, huic Operi Titulus *Myſticæ Anatomiæ* præfigitur, quandoquidem Nomen hoc ſub multiplicis ſectionis, & diviſionis formalitate conſiderandum, & nova quadam, myſterialique anatome partiendum, plurimas Deiparæ excellentias, atque prærogativas declarabit. Ut verò in dicendis ordo præluceat: In primo libro tractabimus de ſingulis literis, & ſyllabis, quæ *Mariæ* Nomen componunt: tùm de ejuſdem Nominis Anagrammatis. In ſecundo libro exponemus etymologias, ſeu interpretationes. In tertio rerum varietates, quæ Deiparam figurant, & quaſdam ejus excellentias individuales, & particulares virtutes. In quarto oſtendemus Ipſam habuiſſe Angelornm prærogativas, & Virorum Heroicorum, Heroidumque Matronarum perfectiones. In quinto videbimus, quod cœleſtes, & ſuperiores, terreſtreſque creaturæ, temporum vices, lapides, gemmæque pretioſæ *Mariam* exornant. In ſexto demonſtrabimus fruticum, herbarum, florum, tum volucrum, piſcium, & quadrupedum in Ipsà coronandà certamen. In ſeptimo omnium ſcientiarum, facultatum, & artium, ædificiorum, muliebris cultus, Urbiumque Ipſius capiti coronamentum impoſitum. Adſis clementiſſima auſibus noſtris, qui Sanctiſſimi Nominis tui evolvere arcana præſumimus: non enim temeritatis, ſed pietatis, & devotionis eſt auſus. Te duce, te auſpice Nominis tui theſauros

A in-

ingredıar, ut de tuarum abundantiâ divitiarum inops paupertas mea diteſcat: nullus enim ad te mendicus accedit, qui non à te divitiis cumulatus recedat. Nullus qui tuam non expertus magnificentiam, nemo qui tuam ignoret liberalitatem.

CAP. II.

De ſignificationibus quinque literarum nominis Mariæ ex Hebraico Alphabeto.

1 HEbraicam inter omnes linguas primatum habere extrà controverſiam eſt. Prima enim fuit in Orbe lingua, quam locutus eſt Adam. Quæ ſicut dignior cæteris, ità & fœcundior myſteriis. Poſt Hebraicam Græca ſecundum locum tenet. Latina denique poſt illas duas ſequitur. Quam graduationem non ſinè myſterio Divina Providentia in titulo Crucis voluit obſervari, ut ſcilicet literis Hebraicis, Græcis, & Latinis ſcriberetur, & hoc myſterium Joannes Evãgeliſta *c.* 19. ſignaret. *Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Erat autem ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.* De cuius quidem Tituli ſcriptione, & diſpoſitione per trium Elementa linguarũ, Simon de Caſſia *lib.* 13. de Paſſ. Salvator. *cap.* 108. rationem reddens, inquit. Tanquàm in humanis prudens Pilatus, & præcavés in futuris, linguæ triplicis elemento Titulum fecit inſcribi. Quod magis Divina inſpiratione factum, velut Caiphæ prophetiam. Nam lingua Hebræa, lingua originalis erat: & eò digna, quò prima: & in illâ locutus eſt Chriſtus, & Mundum docuit quæ neſciebat. Quæ in diviſione Gentiũ per loquelam ſola in populo ad Dei cultum pertinente remanſit. Gręca verò propter ſcientiam, & ſapientiam Græcorum ſuâ dignitate pollebat. Nam Græci Sapientiam quærunt. Latina lingua ſuper omnes alias Romanorum imperio, & diſſertione ferebatur. Undè ter: *Ieſus Nazarenus*, ſcriptum erat. Primò elementis Hebraicis, quià ipſe de genere illo erat. Secundò Græcis elementis, propter eos Græcos, qui aderant, ut referrent. Tertiò elementis Latinis, ut excuſaretur apud Cæſarem, ſive Senatum, ſi mors Chriſti ſibi objiceretur ad crimen. Igitur Pilatus ſuper caput Chriſti præmittebat excuſationem. In his tribus linguis Apoſtolus ſuas tantum ſcripſit Epiſtolas, unam ad Hebræos, aliam ad Romanos, duodecim ad Græcos Et magis (aliàs magno) præſagio factum eſt, quod in his tribus linguis Jeſus appellatus eſt Rex, quoniam omnium nationum profectò eſt. Hæc ille.

2 Cùm verò Matres, filiorum radiis, & dignitatum ſplendore præfulgeant, & Ieſu nomen tribus linguis ſit celebratum, congruum erat, ut & nomen Matris Jeſu, quod eſt *Maria*, triplici Idiomate inter omnes linguas potiori ſcriptum, apud omnes evulgaretur nationes, atque in toto Orbe terrarum fama nominis ejus reſonaret Adeſt & alia congruentia. Cum enim Chriſtus ſecundùm humanam naturam, Matrem referret, voluit & ſpſam in literis nominis ſibi aſſimilare. Ieſus ſiquidem, quod eſt Chriſti nomen, ut *Luc* 2. *Vocatum eſt nomen ejus Ieſus*: quinque literis conſtat: & Virginis nomen, de quo *Luc.* 1. *Et nomen Virginis Maria*: totidem habet elementa.

3 Præclarum ſanè myſterium! Ab Hebraicis literis exordiamur. Hoc habent peculiare Hebræorum elementa ut unumquodque ſuam propriam habeat interpretationem, quod in aliarum linguarum non invenies alphabeto. Quinque literæ Hebraicæ nomen Virginis componunt, & ſunt quinque myſteria, de quibus ſigillatim agendum. Seca igitur nomen in ſuas literas, & ab Hebraico alphabeto illas repete, quæ ipſis correſpondent, & nomen Virginis, quod eſt *Maria*, hebraicè ſcriptum habebis, ſcilicet.

Mem,
Aleph,
Res,
Iod,
Ain.

4 Simili planè modo in primo Patriarcharum elogio, quod inſcribitur *Aenigma*, Emmanuel Theſaurus luſit argutè in literis nominis *Adam*, ut per ęnigma primum hominem mundi compendium oſtenderet, qui in ſuo nomine quatuor literarum, quadrifidi Univerſi partes amplexus, tanquam alter erat Univerſus. Argutiam autem ſuggeſſerunt quatuor Doricæ linguę nomina, quibus quatuor Mundi plagæ denominantur: nec ipſum moror exemplum, quod Theſaurus ex primis Græcorum nominum elementis per quandam anatomen in *Adam* expreſſit, dicens. Nomen flagitas? Quatuor Mundi plagarum nomina ab Græcis pete,

Anatolì,
Dyſis,
Arctos,
Meſembria:

abſciſſa nominum capita junge; nomen habebis.

5 Age ergò, & de ſingulis literis hebraicis, quæ Virginis nomen efficiunt, propriam quæramus interpretationem, ex interpretatione inveſtigemus tanti Nominis myſteria, & Virginis præclariſſimæ dotes. *Mariæ* nomen, ſi neſcis, miraculorum eſt officina. Gratiarum abyſſus. Sapientiæ, ac ſcientiæ Dei theſaurus. Omnium virtutum epitome. Totius denique Trinitatis nobile Triclinium.

CAP. III.

Quid ſignificet in nomine Mariæ prima litera Mem *ex ſua interpretatione.*

1 MEm litera decima tertia in Hebræorum alphabeto duplicem juxtà Ambroſium in *Pſal.* 118. habet interpretationem. Sonat enim in Latinum: *Ex intimis*, vel ut alii volunt: *Ignis ex ultimis*. Quid igitur in nomine Mariæ eſt hoc *Ex intimis*? Puto, ni fallor, eſſe Divinitatis arcana. Fortè vis dicere Mariæ Nomen erutum de meditullio Deitatis? Minimè quidem negaverim. Duo maxima nomina, tanquam gemini Soles, Jeſus ſcilicet, & Maria, Cœlo, terræque principantur, & utraq; ab intimo Deificę Trinitatis Senatu evulgantur. De Jeſu nomine evidenter Evangelica pagina

gina teſtatur *Luc.* 2. *Vocatum eſt nomen ejus Ieſus: quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur.* Sed & hoc ipſum de Mariæ nomine Cardinalis Petrus Damianus affirmare non dubitat *Serm.* 11. de Annunciatione Beatiſsimę Virginis, in quo agens de Dei conſilio, & mundi decreta reparatione per Verbum facienda, tanti myſterii conſciam Virginem, & etiam arbitram in illo Trinitatis Senatu, ejuſque nomen ex intimis Divinitatis fatetur eductum. Evocatur, inquit, ſtatim Cœleſtis ille Conventus, & juxtà Prophetam init Deus conſilium, cogit Concilium, facit ſermonem cum Angelis de reſtauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, ac, illis ſtupentibus, & mirantibus præ gaudio, de modo redemptionis. Et ſtatim de theſauro Divinitatis *Mariæ* nomen evolvitur, & per ipſam, & in ipsâ, & de ipsâ, & cum ipsâ totum hoc faciendum decernitur, ut ſicut ſinè illo nihil factum, ità ſinè ipsâ nihil refectum ſit. Traditur epiſtola Gabrieli, in quâ ſalutatio Virginis, incarnatio Redemptoris, modus redemptionis, plenitudo gratię, gloriæ magnitudo, multitudo letitiæ continetur, &c.

2 Quid eſt ex theſauro Divinitatis, niſi ex intimis ejuſdem, *Mariæ* nomen evolutum? Ut mihi videatur proportione quadam, ac ſimilitudine audire Deum Patrem dicentem, cùm in Trinitatis concilio Mariæ nomen protulit: *Eructavit cor meum verbum bonum. Pſal.* 44. Quæ verba licèt Interpretes communiter de æternâ Verbi intelligant generatione, quod à Patre ex medullis Divinitatis eſt generatum, non tamen erit à fidei devotione alienum, ſi dixerimus Deum ab intimis Divinitatis eructaſſe *Mariæ* nomen, ut toti Univerſo eſſet bonum dulcedinis, ſuavitatis, ac ſalutis verbum. Nomen ſiquidem hoc ab æternitate erat Divini, Paternique Cordis inquilinum, cùm Deus Pater à diebus æternitatis ſuæ ad dignitatem Matris Unigeniti filii ſui incarnandi Mariam prædeſtinaſſet. Benè ergo *Mem* prima litera in nomine *Mariæ* interpretatur *ex intimis*, ut intimitas, quam antè ſecula habuit Virgo in corde Dei Patris, nobis fieret nota.

3 Quod quidem etiam magis roboratur ex aliâ conſimili interpretatione ejuſdem literæ: *Mem* enim juxtà Albertum Magnum lib. de muliere forti *c.* 13. §. 1. *viſcera* interpretatur: nam ſi *viſcera* à nominativo in plurali transferas ad ablativum in plurali, & dicas *viſceribus*: copules autem cum *ex intimis*, iam habebis *ex intimibus viſceribus*; ut noveris (quia enim viſcera ſunt intima) Mariæ nomen ex ſuaviſſimo, atquè intimo viſcerum divinorum meditullio prodiiſſe.

4 De ſecundâ verò literę *Mem* interpretatione, quæ erat *Ignis ex ultimis*, plurima occurrunt in laudem Virginis benedictæ dicenda. Et primò illud *ex ultimis* pretioſitatem quandam ſignificare videtur, quemadmodum & *Prov.* 31. ut mulieris fortiſſimæ raritas exprimeretur, eſt dictum: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Quę enim in magno pretio ſunt, pretioſa computantur. Quomodò autem de ultimis finibus Maria? & quinam ſunt hi ultimi fines? Poſſumus ergo per hos ultimos fines intelligere Divinitatem in filio Dei, & Divinam in Virgine maternitatem. Quemadmodùm enim ex parte filii ultrà Divinitatem non eſt procedere; ità & ex parte Virginis non eſt procedere ultrà Divinam maternitatem. Nam, ut cum Divo Bonaventurâ in Speculo B. Virginis *c.* 8. loquar: Ipſa eſt mater, quæ tali filio eſt decentiſſima. Ipſa mater eſt, cui talis filius decentiſſimus fuit. Ipſa eſt, quâ maiorem Deus facere non poſſet. Maiorem mundum poſſet facere Deus, majus Cœlum poſſet facere Deus: majorem matrem quàm matrē Dei non poſſet facere Deus. Undè Bernardus ait. Nec enim decebat Deum alia mater quàm Virgo, nec Virginem alius filius quàm Deus, quià nec major inter Matres, nec major inter filios naſci potuit. Hæc itaque mater eſt flos Miſericordiæ, mater Solis juſtitiæ, mater fontis Sapientiæ, mater Regis gloriæ. Mater, inquam, eſt ejus, cujus miſericordia ad dilectionem, cujus juſtitia ad timorem, cujus ſapientia ad agnitionem, cujus gloria ad ſpem nos inducit. Maria ergo mater ejus, qui effectivè eſt noſtra dilectio per miſericordiam, noſter timor per juſtitiam, noſtra agnitio per ſapientiam, noſtra ſpes per gloriam, ut verè ipſa dicere poſſit illud *Eccl.* 24. *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.* Hactenùs ille.

5 Hinc & Bernardinus Duſtenſis, in Mariali *Serm.* 2. de Creatione Mariæ, ex eo quod Virgo ſit à Deo prælecta ad tantam dignitatem, infert quòd Deus oſtendit per hanc electionem ipſius benedictæ Virginis ſingularem excellentiam, & unicam prærogativam: ſibi enim ſoli conceſſit maximum privilegium omnibus privilegiis excellentiùs, quæ unquàm ipſe Deus conceſſit, vel concedet tàm Angelis, quàm etiam quibuſcunque puris hominibus, ſcilicet ut eſſet mater Dei. Ex quo apparet ipſius Dominæ noſtræ ſublimitas, & celſitudo ineffabilis, & incomprenſibilis. Cum enim ſecundùm Logicos tria ſint genera correlativorum, ſcilicet æquiparationis, ut amicus, ſimilis, & vicinus; ſuppoſitionis, ut filius, ſervus, & diſcipulus; & ſuperpoſitionis, ut Pater, & Mater, Dominus, & Magiſter. Cùm Beata Virgo ſit mater Dei, & Deus filius eius: & omnis filius ſit naturaliter inferior matre, & ſubditus ejus; & Mater prælata, & ſuperior filio: ſequitur quod ipſa benedicta Virgo ſit ſuperior Deo, & ipſe Deus ſit ſubditus ejus, ratione humanitatis ab eâ aſſumptæ. Et ideò de hoc loquens Bernardus in quodam ſermone inquit. Iſta eſt beatæ Virginis gloria, & excellens prærogativa, quod unum, eundemquè filium cum Deo Patre meruit habere communem. Et Ambroſius ſuper *Luc.* ait: Benè gratiâ plena dicitur, quià gratiam, quam nulla alia habuit, à Deo conſecuta eſt, quâ Mater Dei eſt effecta. Denique Divus Thomas, ut doceat quàm verè de ultimis finibus ſit Maria, & ejus pretioſitas, cui nulla poſſit comparari, inquit: Beata Virgo ex hoc, quòd eſt Mater Dei, habet dignitatem quandam infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt aliquid fieri meliùs.

6 Si verò de toto interpretationis aggregato volumus ſpeculari: Quid eſt illud: *Ignis ex ultimis*? Niſi ut dicamus illum ignem verè ex ultimis, ſcilicet Spiritum Sanctum (quià Spiritu Sancto ſpirato à Patre, & Filio, in Divinis proceſſionibus

non eſt ultrà procedere) animam Virginis præ cęteris inflammaſſe, ità ut ipſa dicere poſſet illud *Thren.* 1. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me*. Quatuor autem ſunt, quæ ignem de excelſo receptum, ſcilicet Spiritum Sanctum, qui ignis, & charitas eſt, in corde Virginis cuſtodierunt, ut inquit Jacobus de Voragine Serm. 71. de B. Virgine. Primum eſt, quòd habebat ignem perpetuum, & divinum, qui nunquam extingui poterat, ſcilicet Dei filium, qui novem menſibus in eà habitavit, & de eà ortus fuit. *Eccl.* 24. *Ego feci in Cœlis, ut oriretur lumen indeficiens*: qui licèt receſſerit ab ejus ventre, non tamen receſſit ab ejus mente. De quo igne dicitur *Hebr.* 12 *Deus noſter ignis conſumens eſt*. Secundum eſt, quià habebat pabulum continuum, ideſt, bona opera, quæ ipſa ſemper faciebat: nunquàm ocioſa erat. *Proverb. ult. Panem ocioſa non comedit. Levit.* 6. *Ignis in altari meo*, ideſt, in Beatà Virgine, quæ fuit altare Dei, *ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos*, ideſt, Summus Pontifex, ideſt, Chriſtus, *ſubiiciens ligna*, ideſt, bona opera *per ſingulos dies*.

Tertium eſt, quod habebat ſufflatorium aſſiduum, ideſt, Spiritum Sanctum, qui in eius cor ſemper inſufflabat, & amorem accendebat. Sed multi ſunt, in quorum cordibus illud ſufflatorium deficit, nec gratia Spiritus Sancti in eis proficit. *Ierem.* 5. *Deficit ſufflatorium in igne*. Quartum eſt, quòd habebat fervorem deſideriorum, quæ ſe mutuò inflammabant. Sicut enim ex colliſione lapidũ ignis excutitur, ſic ex agitatione Sanctorum deſideriorum calor Spiritus Sancti in eà inflammabatur. Hieronymus in Sermone de Aſſumptione. Quantis putas Virgo doloribus filii afficiebatur, quo amore cruciabatur, quo deſiderio extuabat, cùm in animo revolveret cuncta, quæ audierat, & viderat: puto quòd quicquid humanæ virtutis eſt cogitare non ſufficiat. Hæc ille.

7 Amor enim, qui utique ardens ignis eſt, ſagittas etiam habet ignitas, quibus vulnerat, & inflammat: & his ſagittis flammantibus, & ferientibus divinus Amor Cor Virginis ſagittavit, ut in ejus animà jugis flamma, & vulnus arderet amoris. Nam, ut loquitur Bernardus *Serm.* 29. in *Cant.* Eſt & ſagitta ſermo Dei vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. De quo Salvator: *Non veni*, inquit, *pacem mittere, ſed gladium*. *Matth.* 10. Eſt etiam ſagitta electa amor Chriſti, quæ Mariæ animam non modò confixit, ſed etiam pertranſivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret, ſed toto corde, totà animà, totà virtute diligeret, & eſſet gratià plena. Aut certè pertranſivit eam, ut veniret uſque ad nos, & de plenitudine illà omnes acciperemus, & fieret mater charitatis, cujus Pater eſt charitas Deus, parturiens, & in Sole ponens tabernaculum ejus, ut Scriptura impleretur, quæ dicit: *Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſquè ad extremum terræ*. *Eſa.* 49. Hoc enim impletum eſt per Mariam, quæ in carne viſibilem edidit, quem inviſibilem nec de carne, nec cum carne ſuſcepit. Et illa quidem in totà ſe grande, & ſuave amoris vulnus accepit: Ego verò me felicem putaverim, ſi ſummà ſaltem quaſi cuſpide huius gladii pungi interdum me ſenſero, ut vel modico accepto amoris vulnere dicat etiam anima mea: *Vulnerata charitate ego ſum.* Hæc Bernardus.

8 Cùm verò ſit proprium ignis inflammare, & purgare, illuminare, & unire, ſicut patet in duobus ferris, quæ uniri non poſſunt niſi per ignem: Ideò, Iacobus de Voragine *ſerm.* citato ſubiungit: Ille ignis divinus totam Virginem inflammavit, totam purificavit, totam illuminavit, & totam cum Deo univit, ità quòd ipſa inflammabat frigidos, purgabat immundos, illuminabat tenebroſos, & uniebat cum Deo diviſos. Et propter iſta quatuor ipſa dicit *Eccl.* 24. *Ego mater pulchræ dilectionis*, &c. Ipſa enim eſt mater pulchræ dilectionis, inquantùm ad Dei dilectionem, & amorem frigidos inflammat. Ipſa eſt mater timoris, inquantùm immundos à culpà purificat: quia ſicut dicitur *Prov.* 15 *Per timorem Domini declinat omnis à malo*. Ipſa eſt mater agnitionis, inquantum ad Dei agnitionem tenebroſos illuminat. Ipſa eſt Mater ſanctę ſpei, inquantum homines elongatos à Deo, & diviſos ipſa unit, & copulat. Eccè iam patet, cur prima litera hebraica in nomine Mariæ dicatur *Mem*: cur interpretetur *ex intimis*; vel *Ignis ex ultimis*: quas denique innuat ſignificationes, atque myſteria.

CAP. IV.

De arcanis ſecundæ literæ nominis Mariæ ex Hebræo, quæ eſt Aleph.

1 PRima litera Hebræorum, ſcilicet *Aleph*, in Mariæ nomine eſt ſecunda. Et quid hoc ſignificat, niſi profundum humilitatis in Virgine, quæ nemini ſe præferre, ſed potiùs omnibus ſubeſſe appetebat? Nam ſi cum Caninio interpreteris *Aleph*, *Principem*, ſive *Primum* deſignat: undè maximum in Principe humilitatis eſt argumentum, cùm ſe cæteris eſſe putat inferiorem. Quid autem Deiparà excellentiùs, aut ſublimiùs poſt Chriſtum, prolem ſuam, Deique filium, eſſe poteſt? Et tamen ultrà quàm credi valeat in altiſſimam humilitatis abyſſum dejecta, ancillam ſe nominavit; quæ Dei Mater, & Angelorum, atquè hominum Domina erat electa. Propterea non immeritò Mariæ humilitas per Nardum ſignificatur, de quà dicitur *Cant.* 1. *Cùm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum*. Nam, ut ait Voragines *ſerm.* 100. de B. Virgine, notandum quod Nardus eſt herba parva, odorifera, calida, & virtuoſa. Inquantùm enim eſt parva, ſignificatur Mariæ humilitas, quià cum eſſet Maxima, & in Matrem Dei aſſumpta, tamen reputabat ſe parvam, & humillimam, quando dicebat: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Luc.* 1. Inquantum eſt odorifera, ſignificatur ejus Virginitas, cujus memoria Deo, & hominibus facit odorem. *Sap.* 4. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate, immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines*. Inquantùm eſt calida, notatur fervens ejus charitas, quæ tanta fuit, quod Deum de Cœlis ad terram traxit. Auguſtinus: O charitas, quàm magnas vires habes, Deum de Cœlo ad terram depoſuiſti! Inquantum eſt virtuoſa, notatur ejus pietas. Virtus autem nardi, ſicut dicitur de proprie-

tatibus herbarum, eſt quod habet cor, & cerebrum confortare, & inflammationem ſtomachi reprimere, & fluxum ventris reſtringere. Sic pietas Mariæ confortat cor in tribulatione, deprimit cor ab elatione, & reſtringit à carnali delectatione. Deniquè ſubdit Voragines. Videamus quis ſit iſte odor tàm gratus, prò eo quod dicitur: *Nardus mea dedit odorem ſuum*. Nam dum iſte Rex, ſcilicet Chriſtus, in primo accubitu eſſet, ideſt, in ſinu Patris, odorem dedit Mariæ humilitas, quæ in tantum Chriſtum delectavit, quod ad ejus uterum deſcendit. Cùm enim ſe humiliavit, dicens: *Ecce ancilla Domini*: ſtatim Chriſtus de ſinu Patris ad ejus uterum venit.

2 Rara quidem humilitas, quæ de Cœlis divinam Numinis majeſtatem ad terras attraheret! Eapropter Albertus Magnus lib. 4. de laudibus B. Mariæ *cap.* 1. hanc ejus humilitatem commendans, inquit. Igitur videndum eſt de humilitate ejus, quæ inter univerſas, & ſingulas virtutes ipſius obtinere meruit principatum: quià cuſtos erat, & quaſi magiſtra cæterarum virtutum. Hieronymus in illà homilià: Cogis me ò Paula: circà finem homiliæ. Quid nobiliùs Matre Domini, quid ſplendidiùs eà, quam ſplendor elegit paternæ gloriæ? Quid caſtiùs eà, quæ corpus Chriſti ſinè contagione generavit? Et tamen in eà ſolam humilitatem reſpexiſſe Dominum profitetur, quæ, videlicet humilitas, cuſtos eſt cæterarum virtutum. Collocaverat enim in tuto ſtationis portu, ſublimia meritorum ſuorum exercitia, & ideò divinitùs illuſtratur. Undè Dominus ait: *Ad quem reſpiciam niſi ad humilem, & quietum, & trementem Sermones meos? Eſa.* 66. Fecit enim quod promiſerat: & reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Undè & beatam eam dicunt omnes generationes. Siquidem de humilitate legit in terris ipſe Magiſter, & Dominus Angelorum, dicens *Matth.* 11. *Diſcite à me, quià mitis ſum, & humilis corde, &c.* Et hanc ejus lectionem retinuit præ cęteris beatiſſima Virgo, licèt & cætera omnia verba filii, Angelorum, & ipſius Simeonis conſervaret in corde ſuo: *Luc.* 2. Non ergo beata Maria, ſicut dicit ibidem Hieronymus, à filio ſuo didicit Cœlos fabricare, non Angelos creare, non miracula Deitatis inſignia operari, ſed tantùm humiliari, cæteraque virtutum documenta intrà humilitatis cuſtodiam aggregare.

3 Proindè Bernardinus Senenſis *Serm.* 7. de Conſenſu Virginali *art.* 1. *c.* 1. exponens illud *Luc.* 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*; oſtendit Virginem glorioſam quibuſcumque aliis titulis, & honoribus ſolam præpoſuiſſe humilitatem, dicens. *Reſpexit humilitatem*, inquit. Non dicit nobilitatem, vel altitudinem, quià Dominus *humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit*. *Pſal.* 37. Nec ait: Reſpexit potentiam; quià Dominus *depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles*. *Luc.* 1. Neque inquit, Reſpexit ſapientiam: quià *ſtultam fecit Dominus ſapientiam hujus mundi*. 1. *Corinth.* 1. Non deniqueait: Quià reſpexit virginitatem, ſed *humilitatem*: quià inveniuntur & fatuæ Virgines. *Matth.* 25. *Quinque autem ex eis erant fatuæ*. Proindè Bernardus ait: Et ſi ex Virginitate placuit, tamen ex humilitate concepit. Licèt enim omnia ſupradicta miro modo fuerint in Virgine glorioſà, & benedicta: quià tamen hæc omnia reſpiciunt ſecularem gloriam, nonniſi de ſolà gloriatur humilitate.

4 O verè, juxtà ſecundæ literæ tui nominis interpretationem, *Princeps*, ac *Prima*, ſed humillima Virgo, cujus ſolam Dominus reſpiceret humilitatem. Quem quidem gratioſum Domini reſpectum aliquantiſper cum Alberto Magno conſiderare non erit ocioſum. *Reſpexit*, inquit. Quià verò, ait Albertus loco ſuprà citat. de reſpectu gratiæ hìc agitur, conſiderandum eſt diligenter, qualiter per gratiam reſpiciat hominem Deus. Nam ipſum vocabulum *reſpectus* quandam expreſſionem notat, ut plùs aliquid eſſe videatur reſpicere, quàm videre: quaſi enim reſpicere eſt priùs, abiectos, & derelictos viſitare. Nam quaſi averti ab homine tunc Deus dicitur, cum per diſtrictionem judicii gratiæ ſuæ dona ſubtrahit: cùm verò placatus per miſericordiam ſubtracta reſtituit, rurſum per reſpectum gratiæ ad eum ſe convertit. Benè ergò Maria ſolam humilitatem in ſe reſpexiſſe teſtatur: quià divinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per ſuperbiam perdidit, in Marià per humilitatem recuperavit. Nam quià in eà Verbum Patris carnis ſubſtantiam, quam ſibi uniret, aſſumpſit, quaſi ad eam, quam priùs abjecerat, naturam ſublimandam, per miſericordiam reſpexit. Reſpexit Deus humilitatem Mariæ, cui per humilitatis meritum dedit, ut filium ſuum in carne conciperet, & de ſuà carne verum Deum, & hominem, omnium hominum quantum in ipſo eſt, Salvatorem generaret. Cujus humilitatis virtutem mox determinans ſubjungit: *Ancillæ ſuæ*: nam quià ſe humiliter, quod erat, ancillam cognovit, ideò quod non erat, ſublimiter eſſe mater promeruit. Exinanivit ſe exemplo filii ſui formam ancillæ accipiens. Propter quod & Deus exaltavit eam, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen poſt nomen filii ſui, ut in nomine ipſius omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, excepto genu filii ſui, qui tamen ſubditus fuit illi, & Ioſeph propter eam. *Luc.* 2. Et coràm eà, ut creditur, multoties genuflexit, ſicut filius coram matre.

Reſpexit igitur Deus humilitatem ancillæ ſuæ. Non dixit, quòd reſpexerit virginitatem ſuam, ſed humlitatem: ex eà enim parte plùs eam diligebat: & ubi amor, ibi oculus. Vel reſpexit, ideſt, approbavit, ſicut gloſſat Auguſtinus. Ideò ipſa potuit dicere Deo multò veriùs quàm David illud *Pſal.* . . . *Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſalvaſti de neceſſitatibus animam meam*. Averterat enim Dominus faciem ſuam ab omni muliere propter peccatum Evæ: ſed percepto odore nardi humilitatis beatæ Virginis, & fumo virgulæ, *reſpexit*, ideſt, *retrò ſe aſpexit*, quaſi poſt tergum *humilitatem ancillæ ſuæ*: & ſic convertit ſe ad viam portæ Sanctuarii exterioris. *Ezechiel.* 44. Porta, Maria: via portæ, humilitas Mariæ. Et ad hæc humilitas via eſt, quà ad matris, & filii gratiam pervenitur. Hæc ille.

5 Maxima igitur humilitatis celſitudo, quæ ſic altè Mariam extulit, ut ad celſiſſimam Dei Matris pertingeret dignitatem, & myſterium ſecundæ literæ ſui nominis adumbraret, quoniam *Aleph* interpretatur *Princeps*, ſivè *Primus*. Si verò cum Zamorenſi apud Del Rio in *Thren. cap.* 1. *Aleph* interpreteris, tunc ſonat *manſuetudinem*. Et hæc eſt no-

va excellentia Deiparę, & comes humilitatis; manſuetudo ſcilicet, quæ in ſecunda literà nominis ejus exprimitur. Et qualis manſuetudo? Utiquè ad ſimilitudinem, & imitationem mititatis Chriſti filii ſui, qui *Matt.* 11. dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Undè Bernardus *ſerm.* 1. de Deipara ex verbis *Apocal.* 12. *Signum magnum apparuit in Cœlo*, &c. ut nullus ad eam accedere formidet, docet quanta, quàm dulcis, & quàm ſuavis ſit ejus manſuetudo, dicens. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil auſterum in eà, nihil terribile: tota ſuavis eſt, omnibus offerens lac, & lanam. Revolve diligentiùs Evangelicæ hiſtoriæ ſeriem univerſam, & ſi quid fortè increpatorium, ſi quid durum, ſi quod denique ſignum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cœtero ſuſpectam habeas, & accedere verearis. Quòd ſi (ut verè ſunt) plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena manſuetudinis, & miſericordiæ, quæ ad eam pertinent, inveneris: age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benigniſſimà miſeratione providit, in quà nihil poſſit eſſe ſuſpectum. Deniquè omnibus omnia facta eſt; ſapientibus, & inſipientibus copioſiſſimà charitate debitricem ſe fecit: omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi: Captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam: denique tota Trinitas gloriam, filii perſona carnis humanæ ſubſtantiam: ut non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus.

6 Undè Albertus Magnus *lib.* 4. de laudib. B. Mariæ *cap.* 24. de hac admirabili Deiparæ manſuetudine ſubjungens, ait. Ipſa in ſuà manſuetudine ſuſcepit inſitum verbum potens ſalvare animas. Undè dixit Angelus de filio ejus, Joſeph viro ſuo *Matth.* 1. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Hoc verbum naturæ ejus fuit inſitum, vel inſertum, docens quod verbum Dei, quod nos impinguet, ſuſcipiamus in manſuetudine. 1. *ad Theſſal.* 1. *Accepiſtis verbum*, &c. Item manſuetudo ejus apparuit in filii paſſione, quandò nec irritavit, nec potuit irritari: licet enim multa ſuſtinuerit, nunquàm tamen ad iram, vel durum verbum provocata eſt.

In Quæſtionibus verò ſuper *Miſſus eſt*, probat idem Albertus Magnus Quęſt. 72. Deiparam inter omnes fuiſſe excellentiſſimam in manſuetudine. Conſequenter, ait, quæritur de mititate, & manſuetudine. Quòd autem excellentior fuit in beatà Virgine, videtur per Cantum Eccleſię: *Virgo ſingularis inter omnes mitis*, &c. Item *Matth.* 5. *Beati mites*, &c. Gloſſa: *Mites ſunt, qui malis moribus dominantur*; ſed hoc dominium fuit in beata Virgine prefectiſſimè: quià ejus dominium fecit ſinè pugnà, & aliorum cum pugnà. Ergò habuit mititatem cum excellentià. Item alia Gloſſa ibidem: Manſuetus nec irritat, nec irritatur; nec nocet, nec nocere cogitat. Hæc autem omnia fuerunt in beatiſsima Virgine cum improportionabili excellentià: quià nullum irritare, & omnia placare, diſtant improportionabili excellentià. Similiter nulli nocere, & omnibus prodeſſe, in ſummo. Hæc autem omnia in ſummo fuerunt in beatà Virgine. Ergò habuit mititatem ſuper omnes alios ſinè proportione.

Item alia Gloſſa ibidem: Mitis eſt, quem non rancor, vel ira afficit, ſed omnia æquanimiter ſuſtinet. Hujuſmodi autem virtutis ſe fecit magiſtrum Dominus: quod non feciſſet, niſi via ſummæ perfectionis iſta virtus eſſet. Sed beatiſſima Virgo à rancore, vel irà omnibus aliis fuit improportionabiliter immunior, & magiſterii divini capacior, & obedientior, & in vià perfectionis altior. Ergò omnibus aliis fuit manſuetior improportionabiliter. Item ſicut præmium ad præmium, ità meritum ad meritum: ſed poſſeſſionem terræ viventium, quod eſt præmium manſuetudinis, habuit beata Virgo omnibus excellentiùs: Ergò & beatitudinem manſuetudinis habuit aliis excellentius, &c. Hactenus ille.

7 Perge Domina noſtra, omnis Magiſtra virtutis, literis nominis tui nos in virtutibus erudire. Divinum profecto magiſterium perfectionis. Nam ſi alteram ejuſdem *Aleph* interpretationem attendamus, quæ eſt *mille*: quid hoc aliud niſi perfectionem ſonat? Millenarius ſiquidem numerus eſt hieroglyphicum perfectionis. Beatus enim Hieronymus in quadam Gloſsà ſuper *Geneſ.* dicit, quod millenarius, perfectus, & quadratus eſt numerus: intelligens hoc de perfectione cubi quadrati, ideſt corporis: cujus quadratura eſt in longum, latum, & profundum. Eſt enim millenarii longitudo 10. quæ à Philoſophis radix appellatur. Latitudo autem huius numeri habetur ex ductu longitudinis in ſeipſam, id eſt, ſi decies 10. accipiantur, hoc eſt, centum. Profunditas verò ejuſdem numeri provenit ex ductu longitudinis in latitudinem, hoc eſt, ſicut 10. multiplicant centenarium; ſic decies 10. decies. Per hoc autem denotatur, Sacratiſſimam Virginem fuiſſe perfectiſſimam ſecundum quadraturam quatuor virtutum Cardinalium, quæ ſunt Juſtitia, Fortitudo, Prudentia, & Temperantia. Ex quà perfectionis quadraturà potuit beatiſſima Virgo magiſterium exercere docendi.

8 Neque hoc diſtat à vero, ſi demùm *Aleph* interpreteris *doctrinam*: ut hinc aſſeramus Deiparam Apoſtolorum, quibus plurimorum tradidit myſteriorum doctrinam, fuiſſe Magiſtram. Unde Bernardinus de Buſto *ſerm.* 1. de Aſſumpt. Mariæ *p.* 3. hanc unam inter multas cauſas, propter quas B. Virgo non fuit aſſumpta cum filio, aſſignat, ut ſcilicet ipſa fidelibus eſſet veritatis magiſtra. Dimiſit eam, inquit, in terris poſt ſuam aſcenſionem, ratione inſtructionis reſpectu ſcribentium, ut ſcilicet fideles inſtrueret de rudimentis fidei, maximè de his, de quibus nulli mortalium, niſi per eam conſtare potuit. Quamvis autem Evangeliſtę Spiritu Sancto dictante Evangelia ſua ſcripſerint: nihilominùs credi poteſt, & veriſimile eſt, quòd de talibus cum ipsà Virgine conferebant. Similiter & alii fideles legentes Evangeliſtarum ſcripta, ab ipsà quærebant, ſi hæc ità ſe habebant.

9 Et non eſt dubitandum, quin Spiritus Sanctus plura Beatæ Virgini revelanda ſervaverit. Quis enim meliùs ſcire potuit de Magis venientibus cum ſtellà, de fugà in Ægyptum, de Angelicà Salutatione, & verbis inter ipſam, & Archangelum Gabrielem factis, de nativitate Chriſti, & de circuncisione ejus, & de oblatione ipſius in templo,

&

& de reliquis ad filium ſuum pertinentibus, quàm ipſa, quæ ſingula fuit experta, & cuncta Chriſti opera per triginta, & tres annos oculis propriis aſpexit. Undè dicitur *Luc.* 2. *Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Et ob hoc fortè Lucas plura de Chriſti infantià ſcripſit, tanquàm familiarior Virgini, nàm Capellanus ejus aſſeritur fuiſſe.

Reliquit ergò Dominus matrem ſuam Magiſtram Apoſtolorum, & omnium fidelium. Undè Hieronymus in ſermone ad Euſtochium loquens de beato Joanne Evangeliſta ſerviente ipſi Virgini, poſteà ſubdit. Non quod eximius ille Sanctorum Chorus Apoſtolorum eam deſeruerit, inter quos poſt reſurrectionem Domini intrans, & exiens familiarius contulit de Chriſti incarnatione, tantò ſiquidem veriùs, quantò ab initio per Spiritum Sanctum pleniùs cuncta didicerat, & perſpexerat pleniùs univerſa: licet & Apoſtoli per eundem Spiritum Sanctum omnia cognoverint, & in omnem edocti fuerint veritatem. Hæc ille: & ſic clareſcunt myſteria ſecundæ literæ nominis Mariæ.

CAP. V.

Quid ſignificet tertia litera in Nomine Mariæ, quæ eſt Res *ex Hebræo.*

1 MUltiplex interpretatio literę materiam etiam laudis multiplicabit. Quot interpretationes, tot virtutum myſteria. Quot virtutes, tot præcones. Mirari deſine, ſi vel ex uno elemento multiplex habeas præconium. Hæc eſt Mariæ laus, ut pluribus abundet encomiis. Ipſam dignè laudare non vales, niſi plurimas congeras laudes. Exilis laudatio, quæ per pauca tenetur; exuberans, quæ ſe extendit ad omnia. Nequè tamen ex hoc officii ſui partes laudator implebit, cum ſemper eà ſit minor, quam laudare proponit, & ipſa quamcunquè laudationem meritis ſuis excedat. Non per hoc tamen infirmi hominis lingua cœleſtis Heroinæ præconia taceat, quià etſi ad altitudinem, & maieſtatem meritorum ejus dicendo pertingere nequit, bonum tamen nobis eſt vinci, & ſuperari ab ejus majeſtate cœleſti.

2 Redit igitur in literà *Res* ſecundùm unam interpretationem eadem prorsùs magiſterii laudatio, quam ſuperiùs in Virgine adornavimus. *Res* enim juxtà Albertum Magnum lib. de muliere forti *cap.* 20. §. 1. *Sapientia* interpretatur. Ut iterùm diſcas Mariam omnium fidelium Sapientiſſimam fuiſſe Magiſtram, utpotè quæ fuerit diſcipula Salvatoris, à quo divinam edocta ſapientiam poſt admirabilem filii aſcenſionem in Cœlos, Eccleſiæ Magiſtra eſt relicta. Hæc eſt igitur (loquitur Thomas de Villanova Conc. 3 de Aſſumpt. Virginis) præclara illa Salvatoris diſcipula, quæ non ad horam, aut per diem, ſicut Magdalena, ſed triginta tribus annis in ſcholà illius, ad pedes ejus ſedens, audiebat verbum illius, & conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Cui propter ſingularem, & excellentem eruditionem, cœleſtis Magiſter ad Patrem undè venerat rediturus, ſcholam, & cathedram ſuam reliquit: non quidem ut oves ſuas regeret ſicut Petrus, ſed ut diſcipulos ſuos cœleſti ſapientià, quam ab eo didicerat, erudiret: quoniam & propter ingenii vivacitatem, & diuturnioris ſcholæ aſſiduitatem, cæteris omnibus condiſcipulis ſapientior, & doctior habebatur. Quam quidem ſcholam duodecim annis (ut fertur) rexit, ac tenuit, Apoſtolorum omnium, & diſcipulorum Chriſti, Eccleſiarumque Magiſtra; undè, & cunctas hæreſes ſolam interemiſſe, in Eccleſia Dei meritò decantatur.

3 Sequitur autem dicere Archiepiſcopus Valentinus, quæ, & quanta fuerit Deiparæ ſapientia. Quis hujus, inquit, tam familiaris, & dilectæ diſcipulæ lectiones, quas audivit, enarret? Quis Sacramenta, quæ novit, intelligat? Ediſſere nobis, ò Virgo beata, dulciſſimos illos dialogos, familiares locutiones, & arcana colloquia, quæ habuiſti cum filio, quandò in gremio tuo recumbens, cœleſtia tibi ſecreta pandebat, & dulcia illi in doctrinæ præmium oſcula referebas. Quid tunc diſſerebat? Quid docebat? Quid illum percunctabaris? Quid tibi reſpondebat? Noveras enim optimè eum quis eſſet: noveras divinæ Sapientiæ in eo latere theſauros, noveras abyſſum luminis profundiſſimam, intrà tenerrimi pectoris anguſtias latitantem, omniaque ejus verba, ſicut Dei omnipotentis oracula conſervabas. O felicem fœminam, quæ nectareo illo divinæ ſapientiæ poculo tandiu potata es! Cur nos, obſecro, Virgo, his tantis divitiis defraudaſti? Cur theſauros iſtos deſiderabiles à tuis ſervitoribus abſcondiſti? Cur dialogos illos dulciſſimos ad eruditionem, & conſolationem noſtram Scripturæ non mandaſti? Quid nobis nunc gratiùs, quid dulciùs, quid utiliùs dari poſſet, quàm ut colloquiorum hujuſmodi ſapiētiſſimo, ac ſalutari pabulo frueremur. Interrogantem Matrem, & filium reſpondentem de Cœleſtibus audiremus. Sed non decuit margaritas pretioſas omnibus palam fieri, & Sacramenta Cœleſtia, quæ non licet homini loqui, coram omnibus publicari, ac propterea non edita ſunt. Quæ enim nobis edidit Salvatorem, quando ſi deceret, utilem populo celaret ſermonem? Sicut ergò in vità præ cunctis dilecta, ſuper omnes ſapientià, & devotione volavit, ità hodiè in Cœlos aſſumpta ſuper omnes glorià, & honore ſublimata eſt. Aſcendit namque ſuper Cherubim, & volavit ſuper pennas ventorum. Ubi enim Arca Deifera, niſi ſuper Cherubim locanda erat? &c.

4 Vidiſti ex Villanovà, quæ fuerit Sapientia Virginis. Verùm ſi Zamorenſis vult *Res* etiam interpretari *paupertatem*: quid ad hoc dicendum? Num Virgo caruit virtute paupertatis? Minimè. Immò in excellentiſſimo gradu ſuper omnes quotcumque homines hanc habuit perfectionem: & dum fuit viatrix, beatitudinem paupertatis poſſedit. Sed age, & revolve nobis ſecretiſſimum in Deiparà paupertatis arcanum. Sed nemo neque aptiùs, neque doctiùs ſecretum hoc pandere poteſt, quàm Albertus Magnus, qui in Quæſtionibus ſuper *Miſſus eſt*, Quæſt. 71. inquit. Poſt hæc quæritur de beatitudine paupertatis, qualiter fuit in beatà Virgine? Et videtur, quòd in ſummo. *Matth.* 5. *Beati pauperes ſpiritu.* Gloſſa: Pauper eſt humilis corde: ſed beata Virgo habuit improportionabilem humilitatem omni viatore: ergo paupertatem,

tem, & humilitatem habuit. Item Gloſſa ibidem dicit: *Beati pauperes ſpiritu, &c.* quià non neceſſitas, ſed fides, & devotio paupertatis facit beatos: ut contemptis omnibus, Deo vivant: hæc autem omnia, fides, devotio, mundum contemnere, Deo vivere, fuerunt in beatà Virgine excellentiùs omni viatore: ergò paupertas fuit in eà excellentiùs omni viatore.

5 Item in Gloſſa ibidem ſubjungitur: Hæc habet duas partes, abdicationem rerum, & contritionem ſpiritus: ſed hæc duo fuerunt in beatiſſima Virgine in ſummo: ergò & paupertas. Quòd contritio ſpiritus, ſivè humilitas fuerit in ſummo in beatiſſima Virgine Maria, jam oſtenſum eſt. Quòd autem rerum abdicatio fuerit in beatiſſima Virgine, ſic probatur. Abdicatio fit duobus modis, ſcilicet per rerum ſubjectionem, vel per rerum omnimodam abjectionem: ſed magna eſt paupertas per rerum ſubjectionem, ſed major per rerum abdicationem, maxima quæ eſt ex utroque compoſita, de quà dicit Paulus, 2. *Corinth.* 6. *Omnia habentes, & nihil poſſidentes*: hoc autem non eſt poſſibile eſſe niſi in beatiſſima Virgine omninò propriè, & perfectè: omnes alii ſi res abjecerunt, non retinuerunt: & ſi retinuerunt, non abjecerunt, quià tantum procuratores, ſivè fructuarii, & non Domini fuerunt. Beatiſſima autem Virgo exiſtens Mater Dei, & Regina, jus, & dominium, & uſufructus, & poſſeſſiones habuit in rebus filii ſui: undè ipſa tantùm potuit relinquere omnia, & omnia poſſidere; relinquere quantùm ad uſum, & fructum; poſſidere quantùm ad jus proprietatis, & dominii: & ſic Beatiſſima Virgo potuit habere perfectiſſimam paupertatem in rerum abdicatione.

6 Item in rerum abjectione ordo eſt, & gradus. Quidam enim dant ſuperflua naturæ, & non perſonæ. Undè Auguſtinus de verbis Domini: Utere ſuperfluis, da pauperibus neceſſaria: utere pretioſis, da pauperibus vilia. Iſte eſt primus gradus paupertatis. Alii dant ſuperflua naturæ, & perſonæ. *Luc.* 11. *De eo quod ſupereſt, da pauperibus.* Gloſſa: De eo quod ſuper neceſſaria præter victum, & veſtitum, dandum eſt pauperibus. Tertius gradus non tantum ſuperflua dare, ſed etiam neceſſaria. Undè Gloſſa: Non ſolùm exteriora, ſed etiam interiora, & valdè neceſſaria cum proximis dividamus. Quartus gradus eſt omnia ſuperflua, & ſimul neceſſaria ſimul dare, ſed adhuc ſemetipſum retinere: quod etiam aliqui Philoſophorum fecerunt, licèt non propter Deum. Undè ſuper illud *Matth.* 19. *Ecce nos reliquimus omnia*: Gloſſa: Non dicit tantùm, *Qui reliquiſtis omnia*: hoc enim & Socrates Philoſophus fecit, & multi alii, qui divitias contempſerunt: ſed *qui ſecuti eſtis me*: quod propriè eſt Apoſtolorum, & credentium. Quintus gradus eſt omnia dare, & ſeipſum ſuperaddere. Undè Dominus in Evangelio: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me. Matth.* 19. Sextus gradus eſt omnia dare, & ſemetipſum relinquere, & præterеà laborare manibus, ut habeat undè tribuat neceſſitatem patienti, relevans ejus miſerias corporales. In hunc ſtatum attigit beatus Paulus, qui omnia reliquerat, & tamen tempore, & loco laborabat manibus, ut ſibi, & ſuis ſubveniret. Septimus gradus eſt omnia, & ſeipſum dare, ut paſcat proximum pane ſpirituali: & iſte gradus, ut dicit Gregorius, major eſt prędicto: quià majus eſt nutrire animam ſemper victuram, quàm ventrem aliquandò moriturum.

7 Octavus gradus eſt omnia, & ſeipſum relinquere, & de ſubſtantià ſui corporis partem accipere, & ad refectionem animarum proximis dare. In iſto gradu fuit Beatiſſima Virgo, quæ de puriſſimis carnibus, & ſanguinibus ſuis viaticum nobis fecit, & confecit, panem ſcilicet vivum, qui de Cœlo deſcendit, qui eſt verè vita, quem qui guſtaverit, non ſentiet mortem in æternum. Hunc autem toti Mundo mendico dedit beatiſſima mulier, de quà dicitur in Evangelio: *Mulier commiſcuit tria ſata, donec fermentaretur totum. Matth.* 13. & *Luc.* 19. Tria ſata ſunt Deitas, corpus, & anima. Fermentum, ut dicit Bernardus, eſt fides Virginis, quæ Deum humanæ naturę conjunxit, & homini refectionem fecit. Idem ferè dicit Auguſtinus de anima, & ſpiritu. Sivè ingrediatur, ſivè egrediatur, paſcua inveniet: intùs in divinitate Creatoris, foris in carne Salvatoris.

Nonus gradus eſt omnia proximo dare, & corpus, & animam propriam, & divinitatem his unitam in cibum animę, & ſub ſpecie tamen alienà. Et hoc fuit miſericordiæ, & ſummum paupertatis Domini noſtri Jeſu Chriſti in via. Decimus gradus eſt ſeipſum dare totum, corpus, & animam, & divinitatem ſub ſpecie proprià, in cibum corporis, & animæ ſimul, & ſemper in æterna beatitudine: de quo *Luc.* 14. *Beatus qui manducat panem in regno Cœlorum.* Ex his patet, quod beatiſſima Virgo ſpiritus paupertatem quantùm ad rerum abjectionem habuit excellentiùs omni homine, propter Dominum Chriſtum.

8 Item, in carentià neceſſariorum non eſt virtus, vel beatitudo: undè Gloſſa ſuper illud *Matth.* 5. *Beati pauperes ſpiritu*: dicit, quòd non neceſſitas, ſed fides, & devotio paupertatis beatos facit. Penès igitur intenſionem carentiæ, vel majoris neceſſitatis defectum non contingit ponere improportionabiliter excellentiorem: ergò non attenditur perfectio paupertatis penès propinquationem ad ſummum defectum, ſed penès voluntatem, & devotionem, & perſonæ dignitatem: ſi enim æquè parum habet miles, & ruſticus, pauperior eſt miles, quàm ruſticus: nam quod ruſtico divitiæ, militi paupertas: & quod militi divitiæ, Principi paupertas: & ſic aſcendendo, quantò quis dignior, ſi ſit in eodem defectu, tantò erit inferioribus pauperior: ergò cùm beatiſſima Virgo excellat omnes in dignitate, & æqualem aliis habuerit paupertatem, excellit omnes in paupertate improportionabiliter. Hæc Albertus Magnus.

9 Jure igitur literę ſacratiſſimi Nominis Marię myſteria mihi videntur, & cujuſdam Apocalypſis abdita ſacramenta, quæ nobis ex literarum interpretatione revelantur. At nondum ſupremum attigimus, quod latet in litera *Res*. Nam juxtà Ambroſium in *Pſal.* 118. *Res* interpretatur *Caput*, ſivè *Primatus*. Et Zamorenſis apud Del Rio in *Thren. cap.* 1. licèt ut ſuprà interpretatus ſit *paupertatem*: Fatetur nihilominùs, quod cæteri dicunt, eſſe verum, & ſignificare *primum*, *principium*, *Pri-*

ma-

matum, ſeu *Caput*: quaſi ריש *ros*. Quid ergò nova hæc interpretatio deſignat? Arbitror ſignificare in Virgine excellentiſsimum quendam Primatum, ac Principatum ſuper omnes Creaturas, ut meritò dicere poſſim cum Bernardino Senenſi *Serm.* 5. de Nativit. B. Virginis: Tot Creaturæ ſerviunt glorioſæ Virgini Mariæ, quot ſerviunt Trinitati. Omnes nempè Creaturæ, inquit, quæcumque gradum teneant in creatis, ſivè ſpirituales, ut Angeli: ſivè rationales, ut homines: ſivè corporales, ut corpora cœleſtia, vel elementa, & omnia quæ ſunt in Cœlo, & in terrà: ſivè damnati, ſivè beati: quæ omnia ſunt divino imperio ſubjugata, glorioſæ Virgini ſunt ſubjecta. Ille enim qui filius Dei eſt, & Virginis benedictæ, volens (ut ſic dicam) paterno Principatui, quodammodò Principatum æquiparare maternum, ipſe qui Deus erat, matri famulabatur in terrà: undè *Luc.* 2. *c.* Scriptum eſt de Virgine, & glorioſo Joſeph: *Et erat ſubditus illis*. Præterеà, hæc eſt vera: Divino imperio omnia famulantur, & Virgo. Et iterum hæc eſt vera: Imperio Virginis omnia famulantur, & Deus. Hactenùs ille.

10 Ex quo inferre liceat beatiſſimam Virginem ſuper omnes ordines Angelorum principatum, ac primatum habere, & alteram hierarchiam à hierarchiis diſtinctam Angelicis conſtituere. Et nè afferre me nova quis putet, audiat Magnum Albertum quæſt. 151. ſuper *Miſſus eſt* concluſionem hanc multiplici argumento probantem. Hieronymus, & omnes Sancti, & ipſa univerſalis Eccleſia cantat ſolemniter, quod ipſa eſt exaltata ſuper choros Angelorum. Indè ſic: Omnes chori Angelorum ſunt de aliqua hierarchia: ſed ipſa exaltata eſt ſuper choros Angelorum: ergo ipſa eſt ſuper omnes hierarchias Angelorum. Vel directè: quidquid eſt in aliquà hierarchia, ut in aliquo choro: ergò quod non eſt in aliquo choro, non eſt in aliquà hierarchia: ergò quidquid eſt ſuper omnes choros, non eſt in aliquà hierarchià.

Item, Plùs diſtat beatiſsima Virgo à Seraphin in dignitate, & glorià, quàm Seraphin ſuper Cherubin: ſed propter excellentiam dignitatis ordinatur Seraphin ſuper Cherubin uno ordine: ergò beatiſsima Virgo erit ſuper Seraphin ad minùs uno ordine: ergò ſuper hierarchiam Angelorum.

11 Item, Improportionabiliter differt magis Domina à ſervo, quam ſervus à ſervo: ſed Seraphin ſic ſe habet ad Cherubin ut ſervus ad ſervum, Domina autem ad Seraphin ut Regina ſua, & omnium Angelorum: ergò improportionabiliter plùs eſt ipſa ſuper Seraphin, quàm Seraphin ſuper Cherubin: ergò in alio ordine ſuper ipſum: ſed Seraphin eſt ſupremus ordo Angelorum: ergò ipſa eſt ſuper omnes hierarchias Angelorum.

Item, Rex, & Regina ab eadem denominantur dignitate, & regno, & principatu: ab eodem enim regno dicitur Rex Franciæ, & Regina Franciæ: ergò ab eodem regno dicitur Rex Cœlorum, & Regina Cœlorum: ſed ſua dignitas regalis eſt ſuper omnes dignitates Angelorum, & principatus: ergò dignitas Reginæ Cœlorum eſt ſuper omnes choros, & hierarchias Angelorum.

Item, 3. *Reg.* 3. Poſitus eſt thronus Matris Regis juxtà thronum Regis: ſed conſtat, quòd thronus Regis improportionabiliter eſt ſuper omnes thronos Angelorum: ergò & thronus Matris Regis, &c. Ex his patet, qualiter beatiſsima Virgo ſuper ordines, & hierarchias Angelorum, in quartam, & novam hierarchiam cum filio ſpecialiter eſt exaltata.

12 Jure dicat ergò Bernardus *ſerm.* 1. ex verbis *Apocal.* 12. *Signum magnum*, &c. Putas nè ipſa eſt *Sole amicta mulier*? Eſto ſiquidem ut de præſenti Eccleſià intelligendum Propheticæ viſionis ſeries ipſa demonſtret, ſed id planè non inconvenienter Mariæ videtur attribuendum. Nimirùm ea eſt quæ velut alterum Solem induit ſibi. Quemadmodum enim ille ſuper bonos, & malos indifferenter oritur, ſic ipſa quoque pręterita non diſcutit merita: ſed omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſsitates ampliſsimo quodam miſeratur affectu. Nam & defectus omnis ſub ea, & quicquid fragilitatis, ſeu corruptionis eſt, excellentiſsima quadam ſublimitate præ cęteris omnibus excedit, & ſupergreditur creaturis, ut meritò *ſub pedibus ejus Luna* eſſe dicatur. Alioquin nihil magnum dixiſſe videbitur, ut ſit Luna iſta ſub pedibus ejus, quam ſuper omnes Angelorum choros, ſuper Cherubim quoque, & Seraphim exaltatam nefas eſt dubitare.

CAP. VI.

De ſignificatione quartæ literæ nominis Mariæ, quæ ex Hebræo eſt Iod.

1 MInimam inter omnia Hebræorum elementa literam *Iod* ipſamet ſua figura demonſtrat, ſed ego myſteriorum numero dixerim eſſe maximam. Grandia de parvis: & è minimis maxima conſurgunt. A centro, quod eſt punctum indiviſibile, ad circunferentiam ducuntur lineæ: & omnes ad idem æquè contendunt. Quam magna igitur litera *Iod*, quæ ferè nihil diſtat à puncto. Et hoc punctum in ipsà eſt maximum, propter Sacratiſſima myſteria, quæ continentur in illà. Propter hæc neque dubitem affirmare, literam *Iod* Mariam ſignificare, quæ ab uno Sacrorum Interpretum appellatur *Cœli*, *terræque myſterium*. Sed digna, ac tanta ab interpretationibus myſteria quæramus.

2 *Iod* igitur teſte Hieronymo interpretatur *principium*. Quid autem principium in Virgine? Ni fallor: Maria in humanis in ratione principii, in divinis cum Patre contendit. Habemus nanque, quod Dominus Jeſus Chriſtus Dei filius, qui ſinè Matrę fuit in Cœlis, & ſinè Patre in terris, totam à Virgine humanitatem recepit, & totam à Patre divinitatem. Humanitatem à Matre tanquàm ab humano principio: Divinitatem à Patre tanquàm à divino principio. Humanitatem à Matre per temporalem generationem: Divinitatem à Patre per ęternam generationem. Aliquid neſcio plùs addit Bernardinus Senenſis *ſerm.* 4. *de Nativit.* B. Virginis, ſcilicet quod Beata Virgo, in ratione principii eundem Dei filium producentis, aliquid potuit facere de Deo, quod de ſe non potuit facere ipſe Deus. Plus enim, inquit, poteſt facere Beata Virgo de Deo, quàm Deus de ſeipſo. Quædam enim contraria videbantur inter Deum, & Virgi-

nem

nem, quæ dùm acceſſit Deus ad Virginem, concordata ſunt: putà, Primò impoſſibile erat Deum non generare: impoſſibile videbatur Virginem generare. Item Secundò impoſſibile erat Deum generare, niſi Deum: impoſſibile videbatur Virginem generare Deum. Ampliùs, Tertiò impoſſibile erat Deum cum alià perſonà generare. Acceſſit ergò Deus ad Virginem, & neceſſe fuit Virginem generare, & non alium quàm Deum, & non de alio quàm de Deo. Sed Deus non potuit generare, niſi Deum de ſe: & tamen Virgo Deum fecit hominem: Deus non potuit generare, niſi infinitum, immortalem, ęternum, inſenſibilem, impalpabilem, inviſibilem ſub formà Dei: ſed Virgo fecit eum finitum, mortalem, modicum, temporalem, palpabilem, ſenſibilem, viſibilem ſub formà ſervi, ſuppoſitum ſub naturà creatà.

3 O ineffabilis humilitas Creatoris! O incogitabilis virtus Virginis Matris! O incomprenſibilis altitudo myſteriorum Dei! Una mulier Hebræa fecit invaſionem in domo Regis æterni: una puella, neſcio quibus blanditiis, neſcio quibus violentiis, decepit, & ut ità dicam vulneravit, & rapuit divinum cor, & divinam Sapientiam. Propterea conqueritur Dominus de Beatà Virgine, dicens *Cant.* 4. *Vulneraſti cor meum, ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum.* Ubi Gloſſa: Prò amore tuo carnem aſſumpſi, & vulneribus primis in Cruce vulneraſti cor meum. Nam primogenita filii tui fuit: pluſque pro eà redimendà in mundum venit, quam prò omni alià Creaturà.

Ex Virginis igitur carne Deus, flens dico, ſummam altitudinem veſtivit humilitate: ſummam lætitiam veſtivit pœnalitate: ſummam opulentiam veſtivit paupertate: ſummam lucem veſtivit tenebris: ſummum honorem veſtivit opprobriis: ſummum amabile veſtivit flagellis; Reverà Deo Patri per omnem modum impoſſibile erat, quod de ſe aliquid tale faceret. Propterea in hoc ſtat Virginis prærogativa: quia cum hæc Deus non poſſit, nulli alteri Creaturæ conceſſit. Quod autem ſic generavit, totum pro ſalute generis humani procuratum eſt: unde ſicut illud quod Pater dedit filio, majus eſt omnibus, ut ſcribitur *Ioan.* 10. Sic quod Mater dedit ei, majus eſt omnibus. Quid igitur agendum eſt, niſi cum Gregorio exclamandum, atque dicendum? O mira circà nos utriuſque Parentis Jeſu Chriſti pietatis dignatio! O inæſtimabilis Dei, & Virginis dilectio charitatis, qui ut ſervum redimerent, communem filium tradiderunt, propter nimiam charitatem, quà Deus, & Virgo nos miſeros peccatores dilexerunt. Hactenus ille.

4 *Iod* ergò benè interpretatur *principium*: & quià ut diximus ab initio, litera *Iod* in ſuà figurà repræſentat quaſi punctum, quod eſt minimum in quantitate, & punctum ſecundum Philoſophos eſt principium lineæ, ideò de literà *Iod* poſſumus aliter philoſophari, & nova myſteria ad Virginis excellentiam ſpectantia aperire. A puncto, ideſt, ab humilitate, tanquàm à principio omnium ſuarum pręrogativarum lineam duxit. Quid enim humilitas niſi punctum? Minima quidem eſt, ſed maximorum principium donorum. Quid autem humilis, niſi punctum? Non enim humilis vult videri, ſed eſſe: quemadmodum & punctum quià indiviſibile, ideò inviſibile. Ad quas verò ultimitates Mariæ humilitas ſe contraxit? Non dicam ſolùm ad punctum, ſed ad extremam annihilationem. Undè quod ipſa cecinit *Luc.* 1. *Quià reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*: Cajetanus legit: *Nihilitatem ancillæ ſuæ*.

Tunc autem fuit, cùm ſe ad nihilitatem reduxit, cùm ſe nominavit ancillam, eccè ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum, præbuitque conſenſum, ut Dei filius in eà carnem aſſumeret, quod ab illo puncto, & nihilitate ditiſſimam meritorum lineam duxit, ut omnium purarum merita creaturarum excederet. Non mentior, quià verax Bernardinus Senenſis *Serm.* 4. de Nativit. B. Virginis *c.* 3. affirmat hæc, dicens. Plùs enim meruit glorioſa Virgo in uno ſuo conſenſu, ſcilicet Conceptionis filii Dei, quàm omnes creaturæ, ſivè Angeli, ſivè homines, in cunctis ſuis actibus, motibus, & cogitationibus. Et quidem omnes qui meruerunt, nihil ampliùs potuerunt mereri, niſi ſecundùm diverſos ſtatus, & gradus, gloriam felicitatis æternæ. Hæc autem Virgo in illo glorioſo conſenſu meruit extinctionem fomitis, primatum orbis, dominium Mundi ſuper omnes creaturas, ſceptrum regni, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructum ſpiritus, & omnium ſcientiarum, & maximè altiſſimæ Theologiæ, interpretationis ſermonum, ſpiritus prophetię, diſcretionis ſpirituum, operationis virtutum, gratiæ ſanitatum. Meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem filii Dei, quod ſit Stella maris, porta Cœli, & ſuper omnia quòd divinæ miſericordiæ ſit Regina, & Regina miſericordiæ nominetur, &c. Hæc ille.

5 O quam magnis myſteriorum ponderibus gravida eſt hæc litera *Iod* in nomine Mariæ! Progreditur & ultrà. Nam non ſolùm nobis ipſa Virgo myſterium, ſed & auxilium eſt. Et proculdubio hoc indicat altera interpretatio *Iod*, quam affert Caninius apud Del Rio in *Thren. c.* 1. *Iod* enim ab ipſo *manus* interpretatur. Et quid aliud ſibi vult nova hęc ratio interpretandi, niſi quòd beatiſſima Virgo eſt manus Dei, de quà poteſt dici illud *Pſal.* 144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Ipſa quidem eſt manus Dei, per quam nobis Deus gratiæ dona, & Paradiſi bona diſpenſat, juxtà illud *Pſal.* 74. *Extendit manum ſuam in retribuendo.* Ipſa manus Dei, per quam ſalvamur, & ideò Propheta in ſpiritu hanc manum ſalvatricem prævidens, rogabat: *Fiat manus tua, ut ſalvet me. Pſal.* 118. Ipſa manus Dei, per quam ad regnum Cœleſte perducimur, ut etiam Regius Vates de revelationis certitudine ſecurus, Deo gratias agendo, cavebat: *Quoniam illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Pſal.* 138. Hæc eſt illa Dei manus fortiſſima, quæ dœmones debellatos triumphavit: propter quod omnes Angeli illam benedixerunt, ut dicitur *Sap.* 10. *Victricem manum tuam laudaverunt pariter*. Hæc denique illa manus eſt, in quà fulgent prædeſtinatorum ſtellæ, ſecundùm illud *Apocal.* . . . . *Et habebat in dexterà ſuà ſeptem ſtellas*: Septenario enim numero univerſitas electorum deſignatur.

6 Nec mirùm Deiparam eſſe Dei manum, de quà Sponſus in Canticis *c.* 5. *Manus eius tornatiles*,

aureæ, &c. Quià ſi hujus manus voluerimus anatomen facere, profectò quinque gratiarum effectus inveniemus, è quibus glorioſa Virgo Maria rectè Dei manus dici poteſt. Pulchrè Jacobus de Voragine *ſerm.* 86. de B. Virgine hanc oculis noſtris Deiparæ manus anatomiam ſtylo devotionis repræſentat: Manus Dei, inquit, eſt Virgo Maria, de quà dicitur *Cant.* 5. *Manus ejus tornatiles, aureæ*, &c. Dicitur autem manus, quià ſicut in manu ſunt quinque diſtinctiones digitorum, ſic in ipſà ſunt quinque effectus gratiarum. Primus namque digitus *Pollex* dicitur *à pollendo*, eò quod præ cæteris polleat virtute, & poteſtate. Secundus dicitur *Index*, quià per illum omnia *indicamus*. Tertius dicitur *Medius*, ſivè *Medianus*, quià *medius* eſt hinc, & indè. Quartus dicitur *Medicinalis*, quià eo à *Medicis* tota collyria colliguntur. Quintus dicitur *Auricularis*, quià per eum *aures* ſcalpimus, ut dicit Iſidorus.

Ità igitur B. Maria eſt nobis tanquàm Pollex, quandò potenter nos in civitatem Cœleſtem introducit. *Eccl.* 24. *In Ieruſalem poteſtas mea*. Tunc eſt ſicut Index, quià ſapienter viam, quæ ducit ad civitatem Cęleſtem nobis oſtendit. Ipſa enim ambulantibus obviat, & per viam deducit. *Eccl.* 15. *Obviabit illi quaſi mater honorificata. Prov.* 4. *Ducam te per ſemitas æquitatis*, &c. Tunc eſt nobis ſicut digitus medius, quandò tanquàm mediatrix Deo nos reconciliat. Tunc eſt nobis digitus medicinalis, quandò vulnera peccatorum noſtrorum ſanat; *Eccl.* 24. *Medicina omnium in feſtinatione nebulæ*: id eſt, in feſtina ſubventione Mariæ; quæ dicitur nebula, quià fuit à terrenis elevata. Tunc eſt ſicut digitus auricularis, quandò aurem cordis noſtri aperit, ut Dei verba audiamus, dicens *Eccl.* 39. *Obaudite me divini fructus. Eccl.* 24. *Qui audit me, non confundetur.*

7 Cur autem hæc manus tornatilis dicatur & aurea, ſubiungit. Secundò iſta manus fuit tornatilis. Vas *tornatile*, quod à *torno* efficitur. Accipit autem ab ipſo torno rotunditatem. A rotunditate mobilitatem. A mobilitate velocitatem. Manus igitur B. Mariæ factæ ſunt à torno, id eſt, ab opifice Deo, & ex hoc habent rotunditatem. Vas autem rotundum nullum habet angulum; quià ubi angulus, ibi impuritas; ibi obſcuritas; ibi obliquitas: ſed ipſa ad tornum facta eſt, quià in ipſà nulla fuit impuritas culpæ, nulla obſcuritas ignorantiæ, nulla obliquitas intentionis obliquæ. Secundò, habet mobilitatem. Vas quadrum ad movendum eſt tardum: ſed res rotunda ad movendum eſt apta. Sic & ipſa levi motu noſtri deſiderii citò movetur. *Sap.* 6. *Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientià.* Tertiò, habet velocitatem, quià velociter ad auxilium noſtrum venit. *Sap.* 7. *Præoccupat qui ſe concupiſcunt, ut eis ſe prior oſtendat*. Undè ipſa dicere poteſt illud, quod dicitur *Eſa.* 65. *Antequàm clament, ego exaudiam: & adhuc illis loquentibus ego audiam.*

Tertiò iſta manus fuit ſicut aurum. Aurum eſt pulchrum, incorruptibile, & lucidum, ſivè clarum: Sic & ipſa fuit pulchra in mente per puritatem, fuit clara in converſatione per honeſtatem, fuit incorrupta in corpore, & in mente per caſtitatem, & virginitatem. De his tribus dicitur *Sap.* 4. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate*. Hæc Voragines.

8 Quià verò per manus poteſtas, & dominium ſignatur, juxtà illud *Ioann.* 19. *Sciens Ieſus, quià omnia dedit ei Pater in manus*: & Regius Vates ut divinum exprimeret dominium, hieroglyphicè aſſignavit manum, dicens: *In manu ejus omnes fines terræ. Pſal.* 23. Non incongruè Albertus Magnus *lib.* de muliere forti *cap.* 10. §. 1. literam *Iod* interpretatus eſt *manum*: ut hinc omnibus innoteſceret, quod Maria, quæ eſt mulier fortis, non ſolùm terreſtrium, ſed & rerum divinarum dominium haberet, tali quidem pacto, quod nulla gratia ad nos deſcendat, niſi per manus B. Virginis diſpenſetur. Et undè in Virgine tàm excelſæ dignitatis radii præfulgent? Hujus excellentiſſimi dominii radicem aſſignat Bernardinus Senenſis *Serm.* 5. de Nativit. B. Virginis *cap.* 8. A tempore enim, inquit, à quo Virgo Mater concepit in utero Verbum Dei, quandam (ut ſic dicam) iuriſdictionem, ſeu auctoritatem obtinuit in omni Spiritus Sancti proceſſione temporali: ità quod nullà Creatura aliquam à Deo obtinuit gratiam, vel diſpenſationem, niſi per manus Mariæ. Hinc Bernardus devotiſſimus ait: Nulla gratia venit de Cœlo ad terram, niſi tranſeat per manus Mariæ. Hinc Hieronymus in Serm. de Aſſumpt. inquit: In Chriſto fuit plenitudo gratiæ, ſicut in capite influente: In Marià verò, ſicut in collo transfundente. Undè *Cant.* 7. de Virgine ad Chriſtum Salomon ait: *Collum tuum ſicut turris eburnea.* Nàm ſicut per collum vitales ſpiritus à capite deſcendunt in corpus: ſic per Virginem à capite Chriſti vitales gratiæ in ejus corpus myſticum transfunduntur.

9 Unde iſte eſt ordo divinarum gratiarum defluxus, ut priùs à Deo defluant in Chriſti animam benedictam, deindè in animam Virginis Matris: indè in Seraphin, & ſic ſucceſſivè in alios ſanctos ordines Angelorum: demùm in Eccleſiam militantem. Cùm enim tota natura divina, totum eſſe, poſſe, ſcire, & velle divinum intrà Virginis uterum extiterit clauſum: non timeo dicere, quod omnium gratiarum effluxus quandam juriſdictionem habuerit hæc Virgo, de cuius utero, quaſi de quodam divinitatis Oceano, rivi, & flumina emanabunt omnium gratiarum: Reverà maternitas Dei hanc in mundo naturali iure obtinuit dignitatem, ut Regina miſericordiæ meritò nuncupetur: & hoc propter filii magnificentiam, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium.

Reperio namque in Rege noſtro Ieſu duas mirabiles dignitates: videlicet quod ſit æternus Deus genitus ab æterno, & æternum Deum producat, eò quod Spiritum Sanctum ſpiret: & ipſe clauſus in Virgineo utero, in æternitate à Deo Patre Deus generabatur æternus, & in eadem æternitate ipſe puer in ventre Matris, Deum inſpirabat, & producebat.

Primam filii dignitatem, ſcilicet quod ſit generatus à Deo, tam ſupremo modo Virgo benedicta participavit, quod Ieſus non dicatur veriùs filius Dei, quam filius Virginis: nec maior, nec minor, nec dignior eſt Dei filius in throno Paterno, ſedens veſtitus claritate, quam habuit antequàm Mundus fieret, quàm pannis pauperibus involutus, & intrà fœnum in præſepio reclinatus. Et quià talis eſt Mater filii Dei, qui producit Spiritum Sanctum:

Ideò omnia dona, virtutes, & gratiæ ipſius Spiritus Sancti, quibus vult, quandò vult, quomodo vult, & quantum vult, per manus ipſius adminiſtrantur. Ita Senenſis.

10 Quid autem ex hoc in Virgine beatà ſequeretur, ſcilicet pro tantis donis ſibi à Deo collatis, niſi Euchariſticon, confeſſio laudis, & Canticum gratiarum actionis? Planè hæc omnia in myſterio indicat ipſa litera *Iod*, quæ ſecundùm Ambroſium *Confeſſio*, iuxtà Zamorenſem *Laus* interpretatur; undè ſi utramque per Grammaticæ concordantiam iungas vocem, reſultat *Confeſſio laudis*. Benè quidem, & ut à Virgine diſceremus, gratam beneficiorum memoriam eſſe faciendam. Et ò quale in hoc ipſa dedit nobis exemplum! Decantavit toto corde Maria Dei Mater, & Virgo confeſſionem laudis, & illo Cantico totam oblectavit Trinitatem, ut non immeritò Marcus Vigerius *lib.* 1. Decachordi *c.* 16. Virginis præferat Euchariſticon Cantico Mariæ ſororis Moyſi.

Maria, inquit, ſoror Moyſi, & Aaron, inter mulieres, quæ mare rubrum tranſierunt, celeberrima, novum Moyſi Canticum tympano cecinit, prò liberatione filiorum Iſrael de manu Pharaonis, proque maris periculo ſuperato, dicens: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum, & aſcenſorem proiecit in mare*. Maria Virgo, ſoror, & Mater Chriſti, ſummi legiferi, & Sacerdotum primi, æternum obtinentis Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, poſt inchoatam liberationem humani generis, cantavit: *Magnificat anima mea Dominum*. Præceſſit illa mulieres Hebræas: Iſta præceſſit univerſas fœminas, ſed potiſſimè Chriſtianas. Illa dixit: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem*. Hæc dixit: *Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.*

11 Illa ſe liberatam agnovit prò tempore ab Ægyptiaca ſervitute, dùm dicit: *Iſte Deus meus, & exaltabo eum: Deus meus, & honorificabo eum. Dominus quaſi vir pugnator: omnipotens nomen ejus. Currus Pharaonis, & exercitum ejus proiecit in mare. Electi Principes ejus ſubmerſi ſunt in mari rubro. Abyſſi operuerunt eos: & deſcenderunt in profundum quaſi lapis*, &c. Quæ planè temporaneam liberationem conſequuntur. Maria noſtra noſtri Moyſi, noſtri Aaron mater, ſalutis viam por ſe in perpetuum apertam omnibus Gentibus gloriatur. Audite illam. *Quià reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Eccè enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Maria prior dixerat: *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine*; prò temporaneà liberatione. Prò æternà Maria ſecunda decantat: *Quià fecit mihi magna qui potens eſt: & Sanctum nomen ejus. Et miſericordia ejus à progenie in progenies*. Non hebræis tantùm, ſed *timentibus eum*: prò quibus omnibus *Fecit potentiam in brachio ſuo*. Non ad corpoream, & temporaneam tantùm liberationem, ſed ad ſpiritualem, & æternam: quandò profligando vitia, inſerendo virtutes: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Exurientes replevit bonis, & divites dimiſit inanes*. Quæ ſi benè examinaverimus, & canticum Mariæ Matris Domini cum Cantico prioris Mariæ contulerimus, inter ſe ſuaviſſimè conſonantia cognoſcemus. Illud nobis videbitur tenor: hoc quaſi concentum vocis alacrioris, ſublimioris, & dignioris oſtendet.

CAP. VII.

Quas ſignificationes denotet quinta litera Ain *in Deiparæ nomine*.

1 QUinque lucidiſſimas Stellas poſſumus quinque literas Parthenii nominis appellare, & potiori jure quintam literam *Ain*, quę communiter *oculus* interpretatur, & *fons*. Oculi enim ſunt in humana facie tanquàm in Cœlo ſidera: ſidera verò ſtellante ſunt Cœlorum ocelli. Oculi radiante micant ſplendore: fulgentibus internitent ſidera radiis. Oculi tanquàm vigiles in fronte hominis reſident: in Cœlo ſidera nocturnas agent excubias. Oculi fons lucis: ſidera vehiculum luminis. Oculos providentia procul ſpectare videmus: & à ſideribus divinarum diſpoſitionum influxus in orbem elementarem dimanare conſpicimus. Sed quid *Ain* ad oculum, & fontem? Vel quid oculus, & fons ad Mariam? Nunquid Maria, oculus, & fons? Vel oculus, & fons idem, quod Maria? Hoc quidem myſterium eſt, quod explanare oportet. Oculus ſimul & fons eſt Maria, ut exprimit quinta ſui nominis litera *Ain*. Nam oculi ſunt lucis fons. Et etiam eſt ſingulariter fons, ut videbimus.

2 Maria igitur eſt oculus, & fons propter providentiam, & pietatis, atque compaſſionis reſpectum. Utique in oculis pulchra, & gratioſa. Nihil torvum, nihil auſterum in illis oculis, qui undique miſericordiæ radios emittebant. Nihil impræviſum in illis oculis, qui prudentiæ regulis regebantur. Bernardinus Buſtenſis *ſerm.* 2. de Nativit. Mariæ *p.* 2. quò ad partem pulchritudinis, & pietatis oculorum Deiparæ ità fatur. Oculos quoque habuit pulcherrimos, & lucidiſſimos. Undè de ipſis poſſumus dicere illud poeticum:

Radiant utrique gemelli
Luce ſmaragdina, vel ſyderis inſtar ocelli.

Dicit autem Albertus in Quæſtionib. ſuper *Miſſus eſt*, quòd oculi ejus nigri temperatè. Tales enim oculi ſecundum eum ſunt nobiliores, & clariores ad videndum, ut etiam pulchriores. Ideò *Cant.* 4. ait illi Sponſus ejus Cœleſtis: *Oculi tui Columbarum. Vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Et *Cant.* 7. iterum inquit: *Oculi tui ſicut piſcinæ in Eſebon*. Ideò autem oculi beatæ Virginis piſcinæ comparantur: quià ſicut piſcina habet abundantiam aquarum, ita oculi ejus pietate pleni in tribulatorum afflictionibus effundebant lachrymas compaſſionis. *Eſebon* verò *computatio* interpretatur, per quod ſignificatur, quod oculi beatæ Virginis erant magnæ reputationis propter eorum pulchritudinem, ut exponit Nicolaus de Lyra in *Cant. cap.* 7. De ipſis quoque verificata eſt prophetia Iacob *Geneſ.* 49. dicentis de Iuda, à quo deſcendit beata Virgo: *Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores*.

3 Guilhelmus autem in *Cant. c.* 7. & cur piſcinis oculi Deiparæ comparentur, & quàm ſingularem pro-

providentiam haberent, exponens, inquit. His piſcinis aſſimilantur oculi piæ Matris. Nam plena erat oculis, & utique multò plenior, quàm quodlibet illorum quatuor animalium, de quibus ſcriptum eſt, quòd *in circuitu, & intus plena ſunt oculis*. *Ezechiel.* 1. Plena inquam erat oculis providentiæ ſinè intermiſſione, providendo bona, non tantùm coram Deo, ſed coram hominibus omnibus. Planè hos oculos ejus nullus unquàm vel tenuis carnalis illecebrę pulvis fuſcavit: nullus vel modicus æmulationis, ſivè iracundiæ motus turbavit: ſed ad inſtar aquæ vivæ puri ſemper, atque perlucidi fuere: quià nihil in ſe turbulentum, ſivè pulverulentum habebant, ſed quandam aquæ vivæ, ideſt, Cœleſtis gratiæ ſimilitudinem exprimebant.

4 Pulchrè verò Philippus Abbas lib. 6. in Cant. c. 20. in oculis Deiparæ gratioſos miſericordiæ ſuę reſpectus contemplatur, & quæ bona in hominibus pariant hi benevolentiæ ſuæ reſpectus, declarat: dùm quæ ſit cauſa, cur dicantur Virginis *oculi ſicut piſcinæ in Eſebon, quæ ſunt in portà filiæ multitudinis*, inquirit, & tali pacto interpretatur. De oculis in ſecundo libro ſatis æſtimo dictum eſſe, nec repeti quod dictum eſt, neceſſarium reor eſſe: ſed quià nova comparatio videtur hic apponi, ipſa quoque novitas poſtulat hic exponi. Eſebon eſt Civitas, quam popularum inhabitat multitudo: piſcinæ, fontes ſunt, ſivè laci, & aquarum congrua plenitudo: quæ in portà Civitatis, rei poſità veritate, ipſius vobis incolas multiplici reficit largitate. Oculi ergò Sponſæ non infecti fœcibus ſerpentinis, ſed conformati moribus Columbinis, ideò in præſenti fortè ſimiles ſunt piſcinis, quià lotos imbuunt, vel imbutos abluunt ſalutaribus diſciplinis.

Nàm quos Virgo dignatur gratis oculis intueri, quibus dignanter eligit reſpectu benevolentiæ miſereri, ab errore campeſtri revocans, ad portam utilem nos adducit: per quam ad Cives, & domeſticos, & frequentiam dignè merentium introducit. *Eſebon* interpretatur *Cingulum mœroris*. Reſpectu quidem ſuo à forenſi Virgo licentià nos reſtringit, & ingreſſos portę anguſtias mœror neceſſarius nos accingit: & à cunctis, quæ foris perſtrepunt, ultrà non ſuſtinet lætos eſſe, ſed afflictos miſerià, dignos miſericordià vult nos eſſe. Quos cùm tales Virgo miſerans intuetur, ut cives, & domeſticos filiæ; multitudinis nos tuetur: quæ filia, ideſt, Civitas multos quidem ad ſe conventos intromittit, ſed lege ſatis mirà, niſi mœſtos, & miſeros non admittit. Hoc habent refrigerium, hoc præſidio utuntur in præſenti, quòd eos Virgo fovet oculorum beneficio competenti, quòd mœrentes viſitat ſolicitudine diligenti, &c.

5 Plura etiam de oculis Mariæ Albertus Magnus lib. 5. de laudib. B Mariæ c. 2. quò ad venuſtatem efficaciam, providentiam, & miſericordiam, cùm ipſam eminuiſſe inquit in oculorum pulchritudine, vel claritate. Et ſubdit: Oculi Marię intellectus, & affectus. Vel identitas cogitationũ, & operum. Vel ſimplicitas, & vultus uniformitas: ipſa enim eſt *Anna*, ideſt, *gratia*, cujus vultus non ſunt in diverſa mutati. 1. *Reg.* 1. nec Mariæ gratia fœcundata contemplatione unquàm potuit avelli, vel retardari. Ideò dicit ei Sponſus de pulchritudine oculorum ipſam cõmendans *Cant.* 1. *Eccè tu pulchra es amica mea, eccè tu pulchra es, oculi tui Columbarum.* Bis dicit, *Eccè*, unam demonſtrationem faciens ad oculum, aliam ad intellectum. Bis dicit, *pulchra*, ad innuendum, quòd in eà eſt quod meretur oculus carnis à foris, & quod diligat ab intus oculus mentis. Vel in hoc etiam commendat eam à duplici dilectione, ſcilicet Dei, & proximi. Charitas enim pulchritudo eſt animæ. *Sap.* 4. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Vel in hoc commendat eam à pulchritudine intellectus, quæ eſt veritas, & affectus, quæ eſt bonitas. Vel commendat eam ab innocentià quò ad ſe, & beneficientià quò ad proximum. Vel à dilectione totius boni, & odio totius mali. Sequitur: *Oculi tui columbarum*, hoc invenies infra.

6 Item ab oculis commendat eam Sponſus *Cant.* *Vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Alia litera dicit: *Percuſſiſti nos corde*, totam videlicet Trinitatem: vulneraſti cor meum vulnere charitatis, non doloris, ideſt, me ad amorem tuum delectabiliter attraxiſti, ut te profundè diligerem de corde meo. In uno, ideſt, in unitate oculorum tuorum, ſcilicet affectus, & intellectus, quæ in te ità ſunt unum, quod non aliud deſiderat affectus, niſi quod deſiderandum indicat intellectus. *Vulneraſti cor meum in uno crine cervicis tuæ*, quod habet alia litera: ideſt, in unitate cogitationum tuarum, quæ ſic adhærent Chriſto capiti ſuo, quod nihil aliud dicunt niſi illud *Pſal.* 26. *Vnam petii à Domino*, &c. Dicit ergò ſe charitate vulneratum, & corde percuſſum in uno oculorum, & in uno crine Matris ſuæ: quià de corde ipſius triumphat hæc unitas, & ejus recordationem nulla debet oblivio, ſicut nequit fieri, nè vulnus cordis continuè ſentiatur.

Vel per unum crinem deſignatur, ejus humilitas ſingularis, & unica, & quæ ad modum crinis gracilis erat, & tenuis, carens onere mundanorum, & craſſitudine temporalium, ut meliùs poſſet aſcendere, & intrare per foramen acus, ideſt, finem paſſionis. Erat etiam ejus humilitas rotunda, ſicut crinis rotundus eſt: quià propter amorem æternitatis intantum ſe humiliavit, non causà inanis gloriæ, ſicut hypocritę, *qui nequiter ſe humiliant, & interiora*, ideſt intentio, & affectio, *plena ſunt dolo, & fallacià. Eccl.* 19. Sequitur: *Colli tui*. In hoc notatur, quod beata Virgo non ſolùm humilis in mente, ſed etiam in voce. Per collum, quod continet guttur, in quo formatur vox: unde de quibuſdam dicitur: *Non clamabunt in gutture ſuo*: ſignificatur humilitas verborum eius: quià per humilitatem ſonuit verbum obedientiæ, dicens: Eccè ancilla Domini. Ergo per unum crinem ſingularia humilitas mentis eius. Et quià additur *colli tui*, ſingularis, & unica humilitas vocis eius. Et hàc duplici humilitate profundè vulneravit cor ipſius Chriſti vulnere amoris, quòd facta eſt ei ſoror, & Sponſa quò ad humanam naturàm, quã aſſumpſit ex eà, in quà vulneratus eſt ad mortem in patibulo Crucis. Ideò dicit: *Vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa*.

7 Item *Cant.* 5. dicitur de oculis Sponſi, & poteſt exponi de oculis Mariæ: *Oculi eius ſicut Columbæ ſuper rivos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* In Columbà notatur ſimplicitas, & innocentia. Quod videlicet Columbæ ſuper rivos aquarum ſedentes, & aquas reſpiciunt,

quæ

quç impræſentiarum fluunt, & illas, quæ jam fluxerunt, & illas, quæ affluunt. Sic & oculi Virginis per ſimplicitatem, & innocentiam Columbini, perſpicaciter conſpiciunt in Speculo Trinitatis præterita, præſentia, & futura, umbram, & accipitris, ideſt, diaboli. Oculi etiam ejus comparantur Columbis, quæ lacte ſunt lotæ: quià reſpectus ejus, pietatis, & miſericordię dulcedine perfuſus eſt. Et iſti oculi ſubtiliter vident, ut Columbæ: quia reſident juxtà fluenta pleniſſima, ideſt, juxtà aquas ſapientiæ ſalutaris.

8 Aliter oculi ejus ſicut Columbæ, ideſt, caſti, & ſimplices, ſuper rivos aquarum, ideſt, juxtà fluenta Scripturarum, in quibus Virgo ſtudebat: quę lacte ſunt lotæ. In lacte duo: Cãdor qui ad caſtitatem: dulcedo quæ debet referri ad pietatem. Undè petimus: *Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte*. Sed ſi vis, ut te reſpiciant oculi iſti, oportet te fieri pauperem ſpiritu, ideſt, humilem: quià oculi Chriſti, & Mariæ in pauperem reſpiciunt. Diabolus *reſpicit omne ſublime*, ideſt omne ſuperbum, ſicut dicitur *Iob* 41. Item oculi Domini ſuper juſtos, ſicut oculi Matris ſuper puerum, nè cadat: & ſi ceciderit, ut eum relevet. Undè dicit ſervo ſuo: *In via hàc quà gradieris, firmabo ſuper te oculos meos*. Et reſident juxtà fluenta pleniſſima Scripturarum. Et nota: reſident; non tranſvolant, aut deambulant, contrà illos qui non poſſunt reſidere ad libros ſuos, & contrà quoſdam monachos equitatores, qui non poſſunt reſidere in clauſtro.

9 Item *Cant.* 7. dicitur Mariæ: *Oculi tui ſicut piſcinæ in Eſebon*, quę ſunt in portà filiæ multitudinis. *Æſebon* interpretatur *cingulum mœroris*, ideſt, *mœror cingens*, ut intelligatur intranſitivè: quià mœror pœnitentiæ cingit hominem, & reſtringit peccatorum ſaniem, & fluxum peccati, ſicut vitta cingit vulneratum, & reſtringit ſanguinis fluxum. Et hoc ſigillum competit pœnitentibus, qui in mœrore animi recogitant peccata ſua, & pœnas inferni, & indè humiliantur: quià ſicut dicitur *Prov.* 12. *Mœror in corde viri humiliabit eum*, *&c.* Talibus enim ſunt oculi Beatæ Virginis quaſi piſcinæ, ideſt, reſpectus miſericordiæ, ejus multiplex lavatorium. Oculi enim Domini ſuper juſtos, oculi Dominæ ſuper peccatores. Et dicantur iſti oculi eſſe in portà filiæ multitudinis, ideſt, Eccleſiæ, cujus ipſa eſt portà.

Vel oculi ejus, ideſt intellectus, & affectus ſunt piſcinæ: quià continent aquas doctrinæ, & miſericordiæ, quibus nutrit minores, qui ſunt in Eſebon, quæ fuit quædam Civitas, antè cujus portam erat fons circunfluens civitatem, nec ingrediebatur quis in eam niſi per fontem. Similiter nec Eccleſiam ingreditur quis niſi per baptiſmum. Et dicuntur hæ piſcinæ eſſe in portà, ideſt, in ipsà, quæ eſt porta Eccleſiæ: quià niſi per illam non intrant fideles ad vitam: filiæ multitudinis, ideſt, multitudo filiorum.

10 Item de oculis Matris congruè poteſt dici ſicut dicitur de oculis filii *Apocal.* 1. *Oculi eius velut flamma ignis*. Quæ quatuor habet proprietates: illuminat enim, & calefácit; terret, & exurit. Mariæ enim reſpectus illuſtrat electos luce ſapientiæ, & calefacit amore juſtitiæ: reprobos autem, & dæmones terret ferocitate comminationis, & incorreptos exurit incendio damnationis, ſicut patet in Juliano Apoſtatà.

Aliter flammei ſunt oculi iſti per charitatem, & illuminant corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia: quià vita ejus inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias: & quià comburunt dœmones, & peccata. *Prov.* 20. *Rex qui ſedet*, &c. Hactenùs ille.

11 Sunt autem, & iidem oculi quidem fons, & fons lucis, iuxtà varios quos perducunt effectus, ut in Biblia Mariana probat Albertus Magnus *lib.* 6. *Iob*, ſub fulgidiſſimæ typo Auroræ §. 3. dicens. Ipſa eſt Aurora terrens dœmones. *Iob* 24. *Si ſubitò apparuerit Aurora*, ideſt, Maria vel in lucem Mundo naſcendo prodiens, vel in Cœlum, ut peccatoribus gratiam authoritate Dei infunderet, *arbitrantur* ipſi dœmones *umbram mortis*. Gloſſa: qui de hoc dolent. Ipſa etiam quantum in ſe eſt, nulli denegat lumen gratiæ, & miſericordiæ. Sic *Baldad ad Iob* 25. *Super quem non ſurget lumen illius?* Scilicet Mariæ, ſuper quem Angelorum, vel electorum, vel juſtorum, vel peccatorum, non conſurgit lumen illius in præmium, vel in adjutorium.

Propterea & §. 9. eiuſd. *lib.* ſubiungit. Oſtendit etiam ſe, & peccatorum cœcorum ductricem, & claudorum ſuſtentatricem. *Iob.* 29. *Oculus fui cæco*, ideſt, peccatori, ipſum ducens, ipſi viam monſtrans, ipſum à foveà inferni defendens. *Et pes claudo*, ideſt, peccatori. Hæc ille.

12 Sunt oculi Marię fons lucis, *fons* ſcilicet ille *parvus*, de quo *Eſther* 10. ſed *qui crevit in fluvium*, *& in lucem*, *Solemque converſus eſt*, *& in aquas plurimas redundavit*. Ubi A Lapide primò ſymbolicè textum interpretatur de Eſthere, dicens. Somniarat Mardochæus ſe videre parvum fontem, qui crevit in fluvium, & in lucem, Solemquè converſus eſt; ac poſteà intellexit hunc fontem eſſe Eſtherem, quæ anteà abiectà, & vilis, poſteà ità crevit, ut facta ſit Regina, & gentem Judæorum, & numero, & robore, & glorià mirè adauxerit, ideoque quaſi Sol in Perſide, totoque Orbe, radiis ſuæ virtutis, & majeſtatis effulſerit.

Aptè Eſther comparatur fonti. Primò, quià ſicut fons aquas continuè eructam producit ingentem fluvium: Sic Eſther ſuà operà, & ſtudio ingentem produxit Judæorum populum, multoſque Gentilium ad Deum, & Judaiſmum convertit. Secundò, ipſa ſuis oculis, & lachrymis quaſi fontibus extinxit immane Amani incendium in Judæos conflatum, ęquè ac iram Dei. Tertiò, ipſa iiſdem quaſi aquis torrentis ingentibus, & vehementibus obruit, & demerſit 75. millia Gentilium Judæis adverſantium. Quartò, fons hic, qui antè erat in tenebris, hoc eſt, in ſummo mœrore, & angore, *in lucem*, *Solemque*, ideſt, in lucidum Solem (eſt Hendyadis) *converſus eſt*, putà in ſummam lætitiam, & felicitatem, cum Judæos morte liberavit, eoſque de hoſtibus triumphare fecit.

13 Porrò appoſitè fons hic dicitur converſus in lucem, & Solem, quià magna eſt affinitas, & analogia fontis, & Solis. Primò, quià ſicut fons eſt origo, & ſcaturigo fluminis, ſic Sol eſt luminis; ſicut enim flumen manat à fonte, ſic lumen à Sole; ſimilis enim eſt utriuſque productio, pro-

profluxus, & emanatio. Undè Hebræum *ner*, ideſt, *lux*, & *lucerna* alludit ad *nahar*, ideſt, *flumen*, & ad *or*, id eſt, *lumen*, quià ſignificat profluxum, ſeu propagationem luminis, ceu fluminis, ideſt, ſeminis, & poſteritatis. Secundò, quià quod fons eſt in terrà, hoc Sol eſt in Cœlo: ſicut enim fons eſt quaſi oculus terrę, ſic Sol eſt quaſi oculus Cœli, totum Cœlum, orbemque luſtrans, & ornans. Undè Hebræum *Ain* tàm *oculum*, quàm *fontem* ſignificat, quià quod oculus eſt in homine, hoc fons eſt in terrà, & Sol in Cœlo. Tertiò, quià flumen ex fonte manans limpidum eſt, perſpicuum, & clarum inſtar cryſtalli (immò cryſtallus non eſt aliud, quàm aqua fontis conglaciata) ac radiis Solis illuminatum reſplendet ut Sol. Quartò, quià ex fonte & aquis primigeniis creatus eſt Sol, & Cœli: undè, & Hebraicè *Scamaim*, quaſi d. ibi *aquæ*, vocantur. Simili modo, & analogià Eſther hic quaſi aquea, id eſt, pauper, & abiecta, ab Aſſuero evecta ad ſolium regale quaſi ad Cœlum, facta eſt glorioſa, & radians ut Sol, ut jure *fons Solis*, de quo *Ioſue* 15. & *cap.* 18. vocari poſſit iuxtà id, quod *cap.* 11. de eà dicitur: *Lux*, *& Sol ortus eſt*, *& humiles exaltati ſunt*, *& devoraverunt inclytos*, &c.

14 Secundò, Allegoricè hic fons in Solem converſus, ſimiliſque fonti Solis, de quo Ioſue, ad literam ſignificans. Eſtherem, myſticè repræſentat B. Virginem, quæ *Apocal.* 12. vocatur *mulier amicta Sole*. Undè S. Fulgentius *Serm. de laud. Virg.* Facta, inquit, Maria feneſtra Cœli, quia per ipſam Deus verum fudit ſeculi lumen. B. Damaſcenus Orat. 1. de Nativ. Virginis, vocat eam *Portam vitæ*, *Fontem lucis*, quo nomine vocant eam complures alii. Epiphanius ſerm. de laud. Virginis, his verbis: O Virgo ſancta lucis æternæ Mater; lucis inquam, quæ in Cœlis illuminat copias Angelorum; lucis, quæ illuminat ipſorum Seraphin incomprehenſum oculum: lucis, quæ illuminat Solem ſplendidis facibus: lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati: lucis, quæ dixit: *Ego ſum lux mundi*: lucis, quæ dixit: *Ego lux in mundum veni*: lucis, quæ aſſumpta eſt, & illuminavit cuncta, quæ ſunt in Cœlis, & in terrà. Et iterum: O uterum habentem inextinguibile lumen ſepties lucentis gratiæ! Chryſippus oratione ad Deiparam: Ave, inquit, *fons lucis* omnem hominem illuminans: Ave Solis ortus, qui nullum ferre poteſt occaſum.

Ildephonſus *ſerm.* 1. de Aſſumptione: *Maria*, inquit, ſecundùm verbum hebraicum interpretatur *Stella maris*: mare præſens ſeculum eſt, ſtella autem B. Virgo Maria, de qua natus eſt ille, per quem illuminatur omnis mundus. Hinc ſecuriùs accedite ad laudem Virginis, & illuminamini, quoniam ipſa eſt, per quam vera lux in mari hujus ſeculi refulſit. Eccleſia in Miſsà in præfatione de B. Virgine, hac eadem metaphora utitur illis verbis: *Quæ virginitatis gloria permanente lumen æternum mundo effudit*, *Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Ephrem ſerm. de laudibus Virginis: Ave, inquit, Stella fulgidiſſima, ex qua Chriſtus proceſſit: Ave per quam clariſſimus Sol juſtitiæ nobis illuxit. Et iterum, Virginem Luciferam appellat; æquè ac Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas: Maria, ait, vitæ genitrix, mater pulchritudinis, Maximipara Luciferi.

15 Rectè igitur ex *Ain* quinta litera nominis Deiparæ ipſa verè dicitur *oculus*, & *fons*: oculus quo nobis prævidet, & providet bona Cœleſtia, fons quo nobis emanat divinarum gratiarum influxus, & dona, ità ut meritò de illa dicere poſſimus cum Auguſtino apud Bernardinum Senen. *Serm.* 4. de Conceptione Virginis art. 3. cap. 4. Maria eſt flos, & ianua Paradiſi, gloria generis humani, thronus, & camera Regis æterni, charitas Dei, lucerna mundi, Scala Cœli, Regina Angelorum, terror dœmonum, refugium peccatorum, imago, & ſpeculum puritatis, exemplum, & regula honeſtatis, fons, & taberna gratiarum, mons, & ſcala virtutum, arca Cœleſtium theſaurorum, conſolatio pauperum, refrænatio divitum, recreatio humilium, confuſio ſuperborum, ſolatium electorum, conductrix peregrinorum, portus naufragantium, murus obſeſſorum, requies tribulatorum, mater orphanorum, tutela viduarum, ſcutum pugnatorum, dulcedo Contemplativorum, magiſtra prædicatorum, fortitudo laborantium, advocata pœnitentium, medicina ægrotantium, forma iuſtorum, ſpes, & laus credentium, & titulus catholicorum.

16 Quid igitur nobis reliquum eſt, niſi cum devotiſſimo Bernardo in meditatione Antiphonæ *Salve regina*, ad ipſam clamare, ipſam ſuppliciter invocare, ipſam fiducialiter, & affectuosè rogare, & deprecari, ut nos miſeros ſuis oculis tàm felicibus, quam piis, & benignis aſpiciat, utique potenti interceſſione ſi reſpexerit factura beatos. Non ergò, inquit Bernardus, reſtat Domina, niſi ut illos miſericordes oculos ad nos convertas. *Eià ergò advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos converte*: non dubitamus Domina cum ſi noſtras aſpexeris miſerias, non poterit tua miſeratio ſuum retardare effectum. Mirabiles, nec non & amabiles illi tuorum radii oculorum, quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam ducis ſalutem, nè venenatos oculos baſiliſci timeamus. O Evæ oculi venenati, cur non offertis vos oculis Virginis, ſi vultis perfectam recipere medicinam: nàm ſuorum claritas oculorum tenebras expellit, effugat catervas dœmonum, purgat vitia mentium, corda congelata accendit, & domùm ad Cœleſtia trahit. O quam beati, ò Domina, quos tui viderint oculi! Hos ergò oculos ad nos Domina converte.

CAP. VII.

De Compoſitione nominis Deiparæ ex literis Græcis.

1 QUendam hucuſque Hebraica lingua peregit triumphum, cùm de theſauris ſuorum elementorum arcanas protulit ſignificationes, quæ in literis Virginei nominis ſervabantur. At non minùs glorioſum ex ſuis elementis Græcorum lingua gliſcit trophæum erigere. Ipſa etiam quinque literas ſui Alphabeti Parthenio nomini vectigales facit. Digna qui-

quidem & Græcorum lingua, quę Deiparæ deferat honoris tributa. Neque parvum decus eſt illius linguæ, quod ferè omnes novi Teſtamenti ſcripturæ à canonicis Scriptoribus Græco ſermone ſunt exaratæ, & in Latinum traductæ, aliqua vocabula ex ipſis ob dignitatem, & excellentiam arcanæ intelligentiæ, in Latinis codicibus de Græco fonte perſeveraverunt intacta. Et hæc fuit advertentia Ruperti *lib.* 1. Commentar. in *Apocal.* ubi in principio ſic ait. *Apocalypſis Ieſu Chriſti c.* 1. Cùm tota libri ſeries Græcè conſcripta fuerit, & de Græco fonte in Latinæ Linguæ amnem cucurrerit, ſola ejuſdem appellatio intacta permanſit, ut apud Latinos diceretur *Apocalypſis*: quod nomen poterat *in revelatione* transferri, videlicet ob excellentiam rerum, ſivè myſteriorum, quæ hæc Scriptura comprehendit. Sic *Alleluia*, ſic *Amen*, Hebræa vocabula, ob dignitatem ſuam in Græcis, & Latinis literis permanſerunt. Sic *Evangelium* in Latinis Codicibus de Græco reſervatum eſt: quo ſermone omnes, præter Matthæum, Evangeliſtæ conſcripſerunt. Ergò & ad compoſitionem Parthenii nominis Græca lingua concurrit, cùm illud nomen à tribus Evangeliſtis ſit Græcè conſcriptum. Sunt autem literæ ſequentes, ſcilicet μ, α, ρ, ι, α, quæ juxta propriam enunciationem, & recto ordine per literas capitales poſitę componunt Virginis nomen, *Maria*: videlicet,

My
Alpha
Rho
Iota
Alpha.

2 Quid autem myſterii prætendat ex Gręcis elementis hujus ſacratiſſimi nominis Compoſitio, ex ſupputatione numerorum Græcę Arithmeticæ poſſumus indagare. Quandoquidem ut tradit Iſidorus lib. 1. Origin. c. 3. omnes literæ apud Græcos, & verba componunt, & numeros faciunt. Nam *Alpha* litera apud eos vocatur in numeris *unum*. Ubi autem ſcribunt *Beta*, vocantur *duo*. Ubi ſcribunt *Gamma*, vocantur in numeris ipſorum *tria*. Ubi ſcribunt *Delta*, vocantur *quatuor*: & ſic omnes literæ apud eos numeros habent. Si ergò juxtà Græcorum Arithmeticam in *Maria* literas expendamus: prima litera *My* ſonat *duodecim*: ſecunda litera *Alpha* ſignificat *unum*: tertia litera Rhò reddit *decem, & ſeptem*: quinta litera *Iota* facit *novem*: quinta litera *Alpha* exprimit *unum*: qui omnes numeri ſimul ducti, ſcilicet

12
1
17
9
1

faciunt num. 40

3 Cùm verò Quadragenarius numerus in quatuor denarios æquales dividatur, & denarius quater ductus 40. producat, poſſumus ſpeculari Quadragenariũ numerũ in Virgine illius perfectionis hieroglyphicũ eſſe, quæ à numero quatuor virtutũ Cardinalium reſultat. Et quidem Albertus Magnus *l.* 3. de laudib. B Mariæ §. 3. ex Bernardo quadripartitam virtutum cardinalium perfectionem in unà Virgine perfectiſſimè conveniſſe deſcribit, dicens. Pręrogativę Mariæ poſſunt referri ad quatuor virtutes Cardinales, quas ſingulas invenimus eminuiſſe tripliciter in eà. Habuit enim ex Temperantià pudicitiam carnis, modeſtiam Sermonis, humilitatem cordis. Habuit ex Prudentià, quòd ſiluit turbata, quòd intellexit audita, quod reſpondit ad propoſita. Habuit ex Juſtitià, quòd morem geſſit duris corde in ſuà deſponſatione, in filii circuncíſione, in legali purificatione. Item quòd compaſſionem erubeſcentibus miniſtris exibuit, vino in nuptiis deficiente. Item quod Communionem Sanctis exhibuit, cum mulieribus, & diſcipulis perſeverans in oratione. Habuit ex Fortitudine per magnanimitatem, quòd virginitatis propoſitum aſſumpſit, quod aſſumptum retinuit, quòd rei tam immenſæ fidem adhibuit.

4 Si verò ex alio capite conjectari velis, quid perfectionis Virgini advenerit ex quadragenario numero, ſcias ipſam Quadraginta ſeptimanis (ut perhibent Sancti Patres) in utero ſuo geſtaſſe Dei filium in carne. Quibus autem meritorum ſplendoribus, virtutum radiis, & incomprehenſibili gratiarum claritate ſit adaucta toto illo quadragenario hebdomadarum numero, quo Deum incarnatum geſtavit in utero, ex illatione quam facit Bernardinus Senenſis Serm. 4 de Concept. B. Virginis art. 3 c. 1. patere poterit. Nempè, inquit, in illà Spiritus Sancti obumbratione, quà beata Virgo concepit filium Dei, tantam largitatem, & copiam Spiritus Sancti accepit: quantum poteſt Creatura viatrix recipere non Deo unita unitate perſonæ. Nam ſecundùm Hieronymum in *Serm.* de Aſſumpt. tota gratiæ plenitudo, quæ eſt in Chriſto, in Mariam venit, quanquàm aliter, & meritò quidem: quià in Chriſto ſicut in homine perſonaliter deificato: in Maria ſicut in templo Chriſti verbo ſingulariter dedicato. In Chriſto ut in capite influente, & in Maria ut in collo corpori Eccleſiæ transfundente. In Chriſto fuit ut in ſuppoſito ſubſiſtente, ac ex univerſali fonte omnis boni lumen gratiæ influente. In Maria ſicut feliciùs hæc omnia tàm mente, quàm carne recipiente. O quis poſſet ſufficienter intelligere, quale fuit illud è Cœlo emiſſum incendium, collatum refrigerium, infuſum ſolatium, tàm in Sacratiſſimæ Virginis mente, quàm carne!

5 Ipſa quippè tunc facta eſt *mulier amicta Sole*, ut dicitur *Apocal.* 12. Quià ipſa illa divina Sapientia, qua Deus ab æterno Mundum ſibi conciliare diſpoſuit, pleniſſima fuit: quam non ſolùm per divinam revelationem præſcivit, verùm & cuncta, quæ ad incarnati Verbi Dei myſteria pertinebant, certo experimento cognovit. Propter quod & *Luna ſub pedibus ejus* eſſe narratur: quià non ſolum tranſitoria Sanctorum ſuorum pedum veſtigia ſubjecit, immò & omnium Creaturarum cognitionem in comparatione ad ſupereminentem Chriſti ſcientiam parvipendit. Undè & *Corona duodecim Stellarum* non immeritò coronatur. Quià omnium virtutum, & gratiarum merita, ſuper omnes rationes, & ſpirituales creaturas, ſingulariſſimi generis privilegio ſuperexceſſit.

6 Tandem Bernardus ex hoc antecedenti inferens concluſionem, inquit: Undè meritò *Prov. ult.* de ipsà beatà Virgine Salomon ait: *Multæ filiæ*

con-

congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. Denique ſicut Bernardus ait in Sermone de Nativitate Virginis: Redempturus Deus genus humanũ, pretium univerſum contulit in Marià. Intuemini igitur quanto devotionis affectu eam à nobis voluit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Marià. Ut ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab eà noverimus redundare. Hęc ille. Tanta igitur fuit perfectio ejus, ut ſoli Deo cognoſcenda reſervetur, juxtà illud *Eccli.* 1. *Ipſe creavit illam in Spiritu Sancto, vidit, dinumeravit, & menſus eſt*, ſcilicet ipſe ſolus Deus. Hactenus Senenſis. Si igitur in primo ingreſſu in uterum Virginis tantam gratiarum perfectionem Dei filius illi conferre dignatus eſt, ad quæ putas incrementa donorum Jeſus Matrem ſuam toto illo ſpatio hebdomadarum quadraginta provexerit? Quibus virtutum augmentis Sacrarium pudici pectoris factum Dei templum, in quo ipſe Deus corporaliter per hebdomadas quadraginta quieſcere voluit, cumulaverit?

7 Adde Quadragenarium numerum à Virgine in purificatione legali obſervatum, in ipsà perfectiſſimæ obedientiæ exemplar, & typum eſſe. Quadraginta ſiquidem diebus à partu filii ſui, antequam illum offerret in Templo, detenta eſt in domo Bethleemiticà. Quemadmodum enim, ait Petrus Bongus de myſteriis numeri 40. ſervatum veteribus tradunt, ut geſtans utero nè Sacra adiret Quadraginta diebus, qui dierum numerus dicebatur *Teſſeracoſton*; ſic à partu maſculi totidem diebus decurrebat mulier, quæ enixa fuiſſet maſculum, antequàm in templum domo abiret, & puerum deferret. Sic enim ſcriptum eſt *Levit. c.* 12. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus juxtà dies ſeparationis menſtruæ, & die octavo circuncidetur infantulus, ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.* Si igitur ſeptem diebus immunditiei addiderimus triginta tres purificationis, fient Quadraginta. Sed nunquid flos Virginitatis indigebat purificatione? Quas maculas Sol iſte luridiſſimus eluendas habebat? Quos nęvos in illà puritatis nive abſtergẽdos? Et tamen illa, quę ſolo afflatu Spiritus Sancti Deum, & hominẽ conceperat, quadraginta diebus in ſpelũcà Bethleem latere voluit, & quadrageſimo die purificationis legẽ adimplere.

8 O pulcherrimum humillimæ obedientiæ expoſitum omnibus exemplum! Ità ſentit Guerricus Abbas *ſerm.* 1. de Purificat. B. Virginis. Sint, inquit, lumbi noſtri præcincti, ut Purificationem Mariæ æmulemur: ſint lucernæ ardentes in manibus, ut gaudium Simeonis lumen in manibus portantis, etiam viſibili ſigno in nobis repræſentemus. Simus videlicet caſti corpore, & mundi corde: & Purificationem Marię expreſſimus. Simus ardentes devotione, & lucentes opere, & cum Simeone Chriſtum portamus in manibus. Maria tamen non tàm purificata fuit, quàm Purificationis myſterium commendavit; implendo legalem, ſignificando ſpiritalem. Quid enim in eà purificandum eſſe potuit, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, Virgoque permanſit: immò quæ ipſo conceptu planè purificata fuit, ſiquid fortè minùs antè puritatis habuiſſet? Quid, inquam, mundandum habuit conceptus ille, qui ſolus poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? qui fontẽ, quo immundus purificetur, edidit; fontem domus David, qui hodieq; patet, indefeſſeque ſcatet in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ? Suſcepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ ſpeciem, ut ſimul & obedientiſſimæ humilitatis virtutem, & Evangelicæ purificationis inſinuaret veritatem. Ubi nunc ille, qui tàm fallaciter, quàm contumaciter præſumens de Sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia ſubire? Eſto quod Sanctus ſit; nunquid ſicut Sanctarum Sanctiſſima, quæ Sanctum Sanctorum peperit Maria? Utinàm fratres mei, utinàm nos illam haberemus humilitatem in peccatis noſtris, quam verè habuerunt Sancti in virtutibus ſuis.

9 Sed jam ſingulos numeros in ſingulis literis nominis Deiparæ expendamus. Prima litera *My*, ut diximus, ſignificat *duodecim*. Quid ergò duodenarius numerus in prima litera niſi duodecim prærogativas quaſi totidem Stellas in Marię capite pręfulgere deſignat? Profectò coronà duodecim ſtellarum, ideſt, privilegiorum, Mariæ frontem inſignitam eſſe non dubitat Bernardus *Serm.* 1. de B. Virg. ex verbis *Apocal.* 12. *Signum magnum*, &c. *In capite*, inquit, *ejus corona ſtellarum duodecim*. Dignum planè Stellis coronari caput, quod & ipſis longè clariùs micans, ornet eas potiùs, quàm ornetur ab eis. Quidni coronent ſidera quam Sol veſtit? Sicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Nimirùm læva Sponſi ſub capite ejus, & jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æſtimet gemmas? Quis ſtellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum eſt? Suprà hominem eſt coronæ hujus rationem exponere, indicare compoſitionem.

10 Nos tamen prò modulo noſtræ exiguitatis abſtinentes à periculoſo ſcrutinio ſecretorum, non incongruè forſitan duodecim ſtellas iſtas, duodecim prærogativas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria ſingulariter adornatur. Siquidem invenire eſt in Marià prærogativas Cœli; prærogativas carnis; prærogativas cordis: & ſi fuerit ternarius iſte per quaternarium multiplicatus; habemus fortè ſtellas duodecim, quibus Reginæ noſtræ diadema præfulgeat univerſis. Mihi ſanè ſingularis rutilat fulgor: Primò quidem in generatione Mariæ: Secundò in Angelica viſitatione: Tertiò in Spiritus ſuperventione: Quartò in filii Dei inenarrabili Conceptione. Sic & in his quoque ſidereum planè irradiat decus: Quod Virginitatis primiceria: quòd ſinè corruptione fœcunda: quòd ſinè gravamine gravida: quod ſinè dolore puerpera. Nihilominùs etiam ſpeciali quodam ſplendore in Marià coruſcant: manſuetudo pudoris: devotio humilitatis: magnanimitas credulitatis: martyrium cordis. Hæc Bernardus.

11 Secunda litera eſt *Alpha*, quæ *unum*, ſivè *unitatem* ex Græcorum arithmeticà deſignat. Cur autem in ſecuudà literà Virginei nominis unitas, quæ eſt omnium numerorum principium? Unitas enim non eſt numerus, ſed principium numeri. Et in hoc quidem magnum habes myſterium. Beata Virgo inter cæteras virtutes maximà humilitate præfulſit. Proprium autem humilitatis eſt ſibi videri, vel reputare ſe nihil eſſe: cùm tamen ſit baſis, & cæterarum fundamentum virtutum. Et

C ex

ex hoc unitatis typum refert, quę de ſe non eſt numerus, ſed tamen initium numeri. Et ideò ſecunda litera in nomine Virginis unitatem præſefert, ut ſcias ex unicà ipſius humilitate omnes omnium numeros conſurrexiſſe virtutum.

12 Tertià litera eſt *Rho*, quæ facit *decem*, & *ſeptem*; & non eſt ſinè myſterio. Nam, ut ſcribit Petrus Bongus de myſteriis numeri 17. Decimus ſeptimus, priſcis Theologis ſemper inviſus numerus. Illud profectò in Onirocritarum monumentis obſervatum legimus, ſi audias decem ſeptem, vel ſcriptum videas, ad numeros transferendum, fit XVII. Sic enim apud nos pingitur hic numeri calculus, ex cuius characteribus nulla dictio ſignificativa componi poteſt, præter quàm VIXI. Quarè præſens numerus mortem ſignificabat. Infelix quidem, & infauſtus numerus, qui mortem per peccatum à primo Parente in omnes poſteros derivatam deſignat. Cur autem iſte numerus tam diri ominis in literà tertià Virginei nominis? Ut diſcas, quod qui olim in Adam fuerat numerus mortis, in Virgine eſt numerus vitæ, per quam fugata eſt mors, & reparata eſt vita. Undè Epiphanius *lib.* 3. adversùs hæreſes hęreſi 78. pulcherrimam antitheſin inter mortem, & vitam, ſcilicet inter Evam, & Mariam facit: illa enim origo mortis: hæc vitæ: & inquit. Eva mortis cauſa facta eſt hominibus, per ipſam enim mors ingreſſa eſt in mundum: Maria verò cauſa vitæ, per quam genita eſt nobis vita, & per hanc Filius Dei advenit in mundum: & ubi abundavit peccatum, ibi ſuperabundavit & gratia: & undè illata eſt mors, illinc proceſſit & vita, ut vita pro morte fieret: & qui per mulierem vita nobis factus eſt, mortem ex muliere inductam excluderet. Et Auguſtinus *ſerm.* 18. Mater, inquit, generis noſtri pœnam intulit mundo: Genitrix Domini noſtri ſalutem intulit mundo. Auctrix peccati Eva: auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit: Maria vivificando profuit. Illa percuſſit: iſta ſanavit.

13 Quarta litera in nomine Virginis eſt *Iota*, quæ apud Græcos valet *novem*. Et iſte numerus myſteriis plenus eſt. Nam Novenarius continet tres ternarios, qui ter ducti faciunt novem. Quid autem iſte numerus in nomine Sanctiſſimæ Dei Matris ſignificat niſi triplicem elevationis modum quo Beata Virgo fuit elevata primò in hac vità, ſecundò in glorià, tertiò in regno Cœleſti? Quælibet autem elevatio proprium habet vel virtutum, vel dignitatum, vel privilegiorum ternarium: qui tres ternarii ter ducti faciunt numerum novenarium, novem prærogativarum radiis illuſtratum. Bernardinus Senenſis *Serm.* 12. de Aſſumpt. Virginis *art.* 1. nobis evolvit hujus arcana novenarii myſteria. Sublimes, inquit, elevationes Beata Virgo ſuſcepit à filio. Primò, dum in hoc mundo viveret. Secundò, dum ad gloriam hinc tranſiret. Tertiò, dum in throno gloriæ juxtà ipſum reſidet. Et licèt ſint inexplicabiles omni linguæ, tamen lingua Scripturæ Sacræ hanc triplicem elevationem nobis in Virgine inſinuare conatur. Nam elevatam eam oſtendit. Primò, dum hìc viveret in mundo elevatione gratioſà. Secundò, dum hinc tranſiret de mundo, elevatione glorioſà. Tertiò, dum ſublimiter reſidet in Cœlo, elevatione fructuoſà.

14 Primò quippè elevata fuit vivens in mundo elevatione gratioſà; & hoc tripliciter. Primò in Sanctitate. Secundò in Converſatione. Tertiò, in Contemplatione. Primò per eminentiam Sanctitatis ſuprà munditiam Virginum, & Angelorum. Secundò per excellentiam converſationis ſuprà obedientiam Martyrum, & Confeſſorum. Et Tertiò per eminentiam contemplationis ſuprà ſapientiam Prophetarum, & Apoſtolorum. Hanc triplicem elevationem myſticè oſtendit nobis Scriptura in elevatione Arcæ Noe: in elevatione Rotæ: & in elevatione Aquilę.

Primò quippè elevata fuit per eminentiam Sanctitatis. Proindè *Geneſ.* 7. *c.* ſcriptum eſt: Multiplicatæ ſunt aquæ: ſcilicet propter exuberantiam gratiæ ſublimitatis, & ſanctitatis. Multiplicatio enim aquarum in Arcà, denotat gratiarum plenitudinem in Marià. Ipſa enim eſt *fons hortorum, & puteus aquarum viventium*, ut ſcribitur *Cant.* 4. *Hortus irriguus, & fons aquarum, cuius non deficiunt aquæ. Eſa.* 58. Hæ autem *aquæ elevaverunt Arcam*, in quà ſalvatum eſt univerſum ſemen generationis electæ, *in ſublime à terrà*, ideſt, ab omni terrenitate, & amore infecto: dixit autem *in ſublime*, quià ad hanc puritatem, & munditiam nulla pura Creatura aſcendit, nec Angeli, nec Virgines. Nàm Angeli habent munditiam tantùm in mente, Virgines in mente, & carne: ſed glorioſa Virgo Maria cum quadam utriuſque perfectione ſuper omnem Creaturam elevata eſt in ſublime.

Secundò verò elevata fuit per excellentiam Converſationis, deſignata in elevatione Rotæ, de quà *Ezechiel.* 1. ſcriptum eſt. *Apparuit Rota ſuper terram iuxtà animalia habens quatuor facies, & aſpectus rotarum, & opus earum, quaſi viſio maris.* Et ſequitur. *Cum elevarentur animalia de terrà, elevabantur ſimul & rotæ.* Et additur, *Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Per illa quatuor animalia myſticè doctrina Evangelica denotatur. Per Rotam verò illam, quæ quatuor facies habet, Virgo beata meritò indicatur; quæ quatuor virtutes habet, ſecundùm quas vita activa regitur, & omnimodà perfectione ad Evangelicam conformatur. Et quoniam hæ virtutes licèt uniantur in gratià, diſtinguuntur tamen in operatione ſuà: ideò pluraliter dicit, quod rotæ illæ elevabantur, quià virtutes in eà fuerunt in ſummo perfectionis, tàm ad agendum, quàm ad patiendum: Et hoc in tantà incomprehenſibilitate intellectui humano, ut meritò dicatur, quod *aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris.* Nam inæſtimabiliter ſuperavit omnem obedientiam, & actionem Martyrum, & Confeſſorum. Nam in omnibus fuit pondus difficultatis ad bonum, & pronitas ad malum. In Virgine beatà nullum fuit omninò retardativum. Proindè tota volubilis fuit, ſecundùm omnem Spiritus Sancti nutum.

Tertiò autem elevata fuit per excellentiam contemplationis. Et hæc deſignata fuit in elevatione Aquilæ, de quà *Iob* 39. ſcriptum eſt. *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila, & in arduis ponet nidum ſuum?* Quomodo enim Aquila iſta ſuper omnes aves fuerit elevata, & omnes quoſcumque ſuperaverit ſapientia: hanc triplicem elevationem ex-

primit Spiritus Sanctus *Cant. c.* 6. ubi de Virgine ait. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens.* Et hoc in Sanctitate. *Pulchra ut Luna.* Et hoc in converſatione. *Electa ut Sol.* Et hoc in contemplatione. *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Et hoc in omni prædictorum connexione.

15 Secundò elevata fuit tranſiens de hoc mundo elevatione glorioſa, & hoc ad culmen triplicis dignitatis, videlicet altiſſimæ, latiſſimæ, & firmiſſimæ, ut ſit Virginis regnum altum, latum, & ſempiternum. Quæ tria in elevatione divinæ magnificentiæ, divinæ Sedis, & montis immobilis figurantur.

Primò quippè elevata eſt ad culmē dignitatis altiſſimę, ut ſit regnum Virginis altū. Et de hoc Propheta inquit: *Elevata eſt magnificētia tua ſuper Cœlos. Pſal.* 8. Porrò ſingularis magnificentia Dei fuit beata Virgo, quià in ejus exaltatione plùs magnificatur; & etiam in ejus humiliatione, devotione, gratiarum actione, & omnium bonorum Dei fruitione plùs magnificat Dominum, quàm omnis creatura alia ſimul ſumpta. Undè meritò elevata dicitur ſuper Cœlos, ideſt, ſuper Angelos univerſos. Quia ſicut filius Dei Jeſus ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis, *Hebr.* 1. *c. Tantò melior Angelis effectus, quantò præ illis differentiùs nomen hæreditavit*: quod nomen profectò eſt, ut verè ſit Dei per gratiam unionis: Sic & Mater Jeſu tantò omnibus Angelis melior eſt, quantò præ omnibus in dignitate maternali abundat.

Secundò elevata eſt ad culmen dignitatis latiſſimę, ut ſit Virginis regnum latum, ut 2. *Reg.* 3. *c.* ſcriptum eſt. *Quomodò juravit Dominus David, ſic faciam coràm eo, ut elevetur thronus ejus ſuper Iudam, & Ieruſalem à Dan uſque Berſabee.* Thronus iſte, in quo ſedet, & requieſcit David, manu fortis, & vultu deſiderabilis Jeſus Dei filius, fuit glorioſa Virgo Maria, quæ elevata fuit ad latitudinem regni, ut de eà dici poſſit, quòd non ſolùm dominatur à Dan uſque Berſabee, ſed dominatur à mari gratiæ uſque ad mare gloriæ: & à flumine influxum divinorum uſque ad terminos orbis terrarum, ſuper omnem creaturam regnans.

Tertiò elevata eſt ad culmen dignitatis firmiſſimæ. Proindè *Eſa.* 2. *c.* ſcriptum eſt. *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles.* Mons iſte, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: & de quo abſciſſus lapis ſinè manibus, eſt glorioſa Virgo, de qua ſinè humano opere natus eſt Chriſtus Jeſus, lapis angularis, qui replevit univerſam terram. Hic mons elevans eſt ſuper colles: quià Virginis altitudo, ſicut dictum eſt, ſublimiſſima eſt ſuper ſummos, & latiſſima ſuper cunctos, & firmiſſima, & inconcuſſa, ut moveri non poſſit ſtabilitas montis, quamdiu durat imperium prolis: de cujus imperio *Daniel.* 7. ſcriptum eſt. *Poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur.*

Hæc triplex elevatio Virginis in præmio *Eſa.* 9. ſimul prævisa fuit, ubi ait: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium*: quià immobiliter requievit ſuper Virginem glorioſam Mariam ratione dignitatis firmiſſimæ. *Solium*, inquam, *excelſum, & elevatum* ratione dignitatis altiſſimæ: *& plena erat omnis terra majeſtate ejus* ratione dignitatis latiſſimæ. Bernardus etiam ait: Neque in mundo dignior locus fuit virginalis uteri templo, quo Mariam Mariæ filius ſublimavit. Et exclamans quodam in Sermone ait: O venter capacior Cœlis, diffuſior terris, latior elementis, qui illum continere valuit, quem totus mundus comprehendere non potuit, & qui tribus digitis molem terræ appendit.

16 Tertiò elevata fuit beata Virgo ſublimiter reſidens in Cœlo, ſcilicet elevatione fructuoſa: quià dum reſidet juxtà filium, tria militanti Eccleſiæ patrocinia præſtat. Primò dirigit. Secundò protegit. Tertiò irrorat, ſivè rigat. Nàm dirigit expediendo viam: protegit repellendo pugnam: irrigat impetrando gratiam. Undè & verè dicere poteſt illud *Eccli.* 24. *c. In me omnis gratia viæ, & veritatis: in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Hæc elevatio figurata fuit in triplici figurà. Primò in figurà Virgæ: Secundò in figurà Arcæ Moſaycæ: Tertiò in figurà Nebulæ.

Primò quippè, quià dirigit, figurata fuit in figura Virgæ *Exod.* 9. *c.* ubi ſcriptum eſt, quòd Dominus ait Moyſi: *Eleva virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & divide illud, ut gradiantur filii Iſrael in medio maris per ſiccum.* Hæc profectò Virga, ad cujus elevationem præparatur via populo Dei, eſt glorioſa Virgo Maria, cujus patrocinio omnis penè amaritudo Dei populo dulcoratur. Proindè Bernardus ait: O quiſquis te intelligis in hujus ſeculi profluvio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quàm ambulare: nè avertas oculos à fulgore hujus ſideris, ſi non vis ſubmergi procellis. Et iterum: Si criminum immanitate turbatus, ſi conſcientiæ fœditate confuſus, ſi judicii horrore perterritus, ſi barathro deſperationis abſorptus es, Mariam cogita, Mariam invoca: non recedat à corde, non recedat ab ore. Nam ipſam cogitans, non erras: ipſam rogans, non deſperas: ipſam ſequens, non devias. Ipſa tenente, non corruis: ipſa protegente, non metuis: ipſa duce, non fatigaris: ipſa propitia, pervenis: & ſic in temetipſo experiri poteris, quàm meritò dictum ſit: *Et nomen Virginis, Maria*; id eſt, *maris Stella.*

Secundò verò, quia protegit, figurata eſt in figura Arcæ Moſaycæ, de qua *Numer.* 10. in fine ſcriptum eſt: *Cùm elevaretur arca, dicebat Moyſes: Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua*: ut myſticè innuatur, quòd quando elevata fuit Virgo glorioſa ad cœleſtia regna, dœmonis potentia imminuta eſt, & diſſipata. Unde pro illa dici poteſt illud *Eccli.* 24. *c. Superborum, & ſublimium colla propria virtute calcavi.*

Tertiò verò quià irrigat, figurata fuit in figura nebulæ, de qua *Iob.* 58. ſcriptum eſt: *Nunquid elevabis in nebula vocem tuam, & impetus operiet te?* Vox in nebula elevata, eſt gratia per orationem Virginis impetrata: ad quam ſequitur impetus aquarum, quia per ipſam impetratur influentia gratiarum, atque remiſſio peccatorum. Undè *Eccli.* 43. *c.* ſcriptum eſt: *Medicina omnium in feſtinatione nebulæ*: hoc eſt in feſtina aſſumptione Virginis benedictæ: quià omnes, qui volunt, participes fiunt gratiæ ſuæ. Proindè Bernardus ait:

Maria omnibus omnia facta eſt ſapientibus, & inſipientibus, copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit omnibus, miſericordiæ ſinum aperit, ac de plenitudine ejus accipiunt univerſi.

Prædicta triplex efficacia Virginalis patrocinii deſignatur ſimul in elevatione nubis, de quà *Numer. 10. c.* ſcriptum eſt: *Elevata eſt nubes de tabernaculo fœderis, profectique ſunt filii Iſrael per turmas ſuas*. Nam de hac legitur *Exod. 14. c.* quòd populum deducebat quantum ad primum, defendebat quantùm ad ſecundum, & obumbrabat quantum ad tertium. Nàm aliquandò præcedebat, aliquandò ſequebatur, aliquandò ſuperferebatur: ut myſticè patrocinia multiplicia beatæ Virginis indicentur ergà populum electorum, & omnium Chriſtianorum. Et eccè ex Senenſi habuiſti novenarii myſteria numeri.

17 Tandem in quinta litera Virginei nominis iterum redit *Alpha*, quę ſecundùm Gręcorum arithmeticam ſonat *unitatem*. Quid autem eſt hoc, niſi quòd ipſa Virgo inter omnes puras creaturas, ſive Angelis, ſive homines, eſt unica, & ſingularis, ità ut nullus ſivè Angelorum, ſivè hominum ad tantam unionem cum Deo valeat pervenire, quantam ſola Virgo eſt aſſecuta. Tractat hoc argumentum egregiè Bernardinus Senenſis *ſerm.* 13. de exaltat. B. Virg. in gloria *art.* 1. *c* 9. ubi loquens de excellentiis Deiparæ, ſextam excellentiam appellat *Vnitatem*. Deindè ponit hanc theſim: *Quod Beata Virgo plùs in infinitum Deo, & ejus filio uniatur, quàm omnes aliæ puræ creaturæ*: quam & ſequentibus rationibus probat. Sexta autem, inquit, excellentia, *unitas* nominatur. Quantò enim Beati magis uniuntur cùm Deo, tanto glorioſiores fiunt in eo. Omnes enim creaturę ſimul junctæ non tantum uniuntur cum Deo, quantum ſola beata Virgo.

18 Ad cujus intelligentiam notandum eſt, quod ſex ſunt aſcenſus, ſeu gradus unionis in Deum, quibus creaturæ in eum gradatim aſcendunt. Primò eſt unio creationis: ſecundus eſt cognitionis: tertius eſt dilectionis: quartus glorificationis: quintus eſt maternalis conceptionis: ſextus, perſonalis unionis. Primus autem unionis aſcenſus eſt creationis, ideſt, per participationem eſſendi, per quam entia conjunguntur Deo, ut Cauſæ efficienti, exemplari, atque finali. Secundus eſt unio cognitionis, ſcilicet per vim intelligendi, per quam intellectualia uniuntur Deo, ut objecto intelligibili per gratiam fidei, qua unimur Deo, ut ſupernaturali credibili, & ut credito, & credendo. Tertius eſt unio dilectionis, ſcilicet per donum gratificantis amoris, per quem unimur Deo, tanquàm amico, & amato. Quartus eſt unio glorificationis, ſcilicet per viſionem, & fruitionem gloriæ ſempiternæ, per quam anima unitur Deo, ut objecto beatifico faciliter viſo. Quintus eſt unio maternalis conceptionis, per quam beata Virgo facta eſt mater Dei, ità ut una, atque eadem eſſet caro Virginis, & caro Chriſti, non conſiderata in Chriſto divinitate ejus. Sextus autem eſt perſonalis unionis.

19 In quolibet autem iſtorum, quilibet excedit alterum in infinitum: quià inferior in ſuà ſpecie infinitiès multiplicatus, ſuperiori æquiparari non valet. Quod ſic patere poteſt. Primum enim patet, quià eſſe in infinitum, excedit omne eſſe, quia talia infinita non æquivalent minimo puncto eſſendi. Secundum etiam patet, quià infinita non intellectualia uni intellectui æquivalere non poſſunt. Tertium etiam ſimiliter patet, quià omnes intellectus infideles, & inimici Dei non æquivalent uni fideli, & amico Dei: undè *Prov. 16. c. Melior eſt unus timens Deum, quàm mille filii impii*. Quod quidem verum eſt, niſi pro quanto quidam ex eis in Dei prædeſtinatione pro tempore futuro habentur ut Dei fideles, atque amici.

Quartum etiam patet. Nam quicquid dari poteſt circà viſionem Dei, non æquivalet uni Beato, quià omnia ſimul ſumpta non facerent unum Beatum: quamvis pro quanto maior gradus gloriæ ſpe, & meritoriè, & per modum ſeminarii in dono gratiæ comprehendatur, & quodammodò tale donum dici valeat, quò ad quid excedere inferioris gloriæ gradum. Quintum quoque patet. Nam illa unio, ſivè aſſenſus, qui eſt per originalem, ſeu maternalem conceptionem, tranſcendit omnes inferiores in infinitum, prout in hoc aſcenſu includitur maternus amor ſibi correſpondens ut plenariè conſummatus. Quia ſicut communis amoris gradus conſummatur in gloria; ſic maternus amor Dei conſummatur in Maria. Sextum, & ultimum inſuper patet. Nam aſcenſus per perſonalem unionem tantæ tranſcendentiæ eſt, quòd reliqui citrà ipſum infinities multiplicati ei æquivalere non poſſent. Et loquor prout in perſonali unione includitur beatifica reflexio mentis perſonaliter Deo unitæ. Ecce quod huiuſmodi aſcenſus unionis in Deũ, ad maternalem conceptionem, in infinitum excedit omnes alios præcedentes. Ex quo manifeſtè apparet, quòd quantum in præſenti ſeculo talis unio exceſſit alias uniones in gratia; tantum nunc in Paradiſo excedit in gloria.

CAP. IX.

De compoſitione nominis Virginei ex literis Latinis, & quid ſignificent ad gloriam Virginis.

1 NOn patiuntur elementa Latini idiomatis ab encomiis Virginei nominis ſe excludi. Quinque ipſius literæ, quæ Virginis nomen componunt, ſunt quinque tituli, & characteres virtutum ejus. Nova quidem, & antiqua in Cœlo Virgineo ſidera rutilant, ut per apoſtraphen ad ipſam cum Poeta mihi dicere liceat:

Tot tibi ſunt dotes Virgo, quot Sidera Cœlo.

Verùm hic non omnes, ſed quinque ex literis Alphabeti Latini à nobis conſiderandæ ſunt cum Magiſtro Ambroſio Ordinis Servorum B. Virginis, qui *Serm.* 39. in ſuo Quadrageſimali inquit, quòd nomen Mariæ ex literis quinque compoſitum oſtendit quinque virtutes in ea pręcipuè fuiſſe.

2 Per M, enim oſtenditur virtus fidei: nam hæc litera ex tribus I, invicem colligatis componitur, ut oſtendatur, quòd Virgo perfectiſſimam Trinitatis notitiam, & fidem habuit. Sicut enim tres I, invicem colligati unam literam faciunt: ità

tres Perſonæ Divinæ invicem per generationem, & proceſſionem colligatæ, unum Deum oſtendunt: cujus veri Dei Beata Virgo perfectiſſimam fidem ſervavit.

3 Per ſecundam literam, ſcilicet A, ſignificatur virtus Spei. Nam ſicut hæc litera eſt à ſiniſtris aperta, & capite curvo, & à dextris clauſa: ſic ſancta ſpes eſt, quà animus à ſiniſtris, ideſt, à tribulationum parte exiſtens, læto vultu, & capite clivo, ac humiliato, totum ſe apertum oſtendit ad omnia ſupplicia pro amore Dei perferenda: & à dextris clauditur, quià nullis Dei gratiarum donis extollitur. Undè Gregorius in *moralib.* ait. Spes in æternitate animum erigit, & idcircò nulla mala, quæ exteriùs tolerat ſentit.

4 Tertia litera eſt R, quæ ſignificat virtutem charitatis: quoniam ſicut R, duas tortiones habet: ità charitas vera, ad Dei, & proximi dilectionem ſe extendit, quoniàm *in his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ*, ut dicitur *Matth.* 22.

5 Quarta litera eſt I, & ſignificat veram humilitatem, & non fictam: quià humilitas rectum hominem facit, ſicut ſuperbia eum reddit obliquum. Undè Gregorius in *moralib.* ait. Tantò fit unuſquiſque vilior Deo, quantò eſt pretioſior ſibi: & tantò pretioſior Deo, quantò vilior ſibi. De Mariæ autem humilitate inquit Bernardus in quodam Sermone. O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, Cœlos innovavit, mundum purificavit, Paradiſum aperuit, & hominum animas liberavit. Facta eſt Mariæ humilitas ſcala Cœleſtis, per quam Deus deſcendit ad terras, &c.

6 Quinta, & ultima litera eſt A, quæ virtutem largitatis oſtendit: quià ſicut A, litera aperta eſt, manum quaſi porrigens à ſiniſtris: ſic & Virgo omnibus volentibus eam ſe præbet abundanter, ut inquit Bernardus in quodam Sermone.

7 Aliter Bartholomæus de Piſis *lib.* 1. de Vità, & *laudib.* B. Marię *Fructu* 8. conſiderat compoſitionem literarum, quæ in Deiparæ nomine habentur, & ex ipſis perfectiones, & prærogativas Beatiſſimæ Dei Matris declarat. Prima ſiquidem litera, inquit, eſt M, & Beatæ Virginis miſericordiam oſtendit, & pietatem, quà plena eſt omnis terra. A, altitudinem dicit contemplationis ipſius, quà continuè in Deum ferebatur. R, religioſitatem declarat, in cultu, habitu, & omni ejus motu. I, innocentiam ipſius declarat, & puritatem: ſed A, affluentiam exprimit gratiarum.

8 Vel aliter iſtis quinque literis hujus benedicti nominis, ſub compendio tota vita exprimitur Beatę Virginis. M, mirabilitatem dicit conceptus, & nativitatis Mariæ. A, acceptabilitatem ipſius in Dei Matrem oſtendit. R, rectiſſimam clamat quò ad ſingulos beatæ Mariæ actus. I, imitationem perfectam, juſtiſſimam, & conformitatem dicit Mariæ ad Chriſtum. A, altitudinem gradus, quà ſuper omnes eſt in glorià ſublimata, declarat evidenter. Hactenùs ille. Sed de his fuſiùs in tertio libro, ubi videbimus Deiparam omnium rerum, ac perfectionum abſolutiſſimum compendium eſſe.

CAP. X.

Quot ſyllabis conſtat Virginis nomen, & quam habeant efficaciam.

1 VSquè modo ſingulas expendimus nominis Mariæ literas, nunc per aliam anatomen ejuſdem nominis in ſyllabas diviſio facienda. Quodlibet enim nomen ex literis, ſyllabiſque componitur. Undè Bartholomęus de Piſis *Fructu* 8. *lib.* 1. ut ſuprà. Et non ſolùm, inquit, literæ, ſed & ſyllabæ magnitudinem declarant Beatæ Marię: ſunt enim duę ſyllabę, & una litera. Prima ſyllaba *Ma* dicit maternum affectum Marię ad fideles. Secunda ſyllaba *Ri* oſtendit rigorem ejus ad dœmones. *A* verò litera, acceptationem precum noſtrarum à Deo, ipſius interventione oſtendit. Hæc ille.

2 Aliter etiam Joannes Raulinus Cluniacenſis *ſerm.* 3. de Annunciat. Domini, conſiderat energiam ſyllabæ *Ri*, vel literę R in nomine Marię, ad demonſtrandum quod invocato Mariæ nomine temperatur furor, & indignatio Dei. Undè ait. Virgo commendatur à nomine ſpeciali, cùm dicitur: *Et nomen Virginis, Maria. Luc.* 1. Undè nomen Mariæ eſt valdè commendabile: quià eſt nomen manſuetum, & pium. Omnibus enim in hoc nomine Deum invocantibus auxilium invenitur, & refugium. Indè & in periculis quaſi naturali inſtinctu hoc à Deo inditum eſt, ut dum ſubitanea ſunt, ſubitò invocent eam, dicentes vulgari nomine: *Noſtre Dame*, hoc eſt, *Noſtra Domina*.

3 Undè & in nomine Mariæ R, quæ media litera eſt: litera quidem terroris: amittit pluſquàm mediam partem ſui ſoni terrentis: in ſignum quòd Maria in nomine ſuo invocata furorem Domini temperat, & mitigat. Ideò in adverſitatibus non eſt tam ſceleratus, qui ad eam non habeat devotionem. Quis enim eſt, qui offendens pedem ad lapidem, non ſtatim invocat Mariam? Bernardus: Ubi nomen Mariæ nominatur, ibi dœmonum crudelitas effugatur, reis venia, medela ægris, puſillis corde robur, afflictis conſolatio, peregrinantibus adiutorium datur.

4 Sed è contrà, ſi nomen Domini ſit terribile peccatoribus, quomodò nomen Mariæ erit manſuetum, & pium eis? Licet ſcribatur *Prov.* 18. *Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſam confugiet iuſtus, & ſalvabitur*: Et in *Pſal.* . . . . *Domine, refugium factus es nobis*: tamen in quem ponebant tunc refugium, etiam nec loquentem poterant ſuſtinere: *Non loquatur* (inquiunt *Exod.* . . .) *Dominus nobis, nè moriamur*. Et *Eſa.* 25. *Eccè nomen Domini venit de longinquo: ardens furor ejus, & gravis ad portandum*. Horrenda quidem dulcedo nominis tanto furore reſperſa. Ideò David ait: *Sanctum, & terribile nomen tuum Domine*. Et ulteriùs dato, quod turris ſit nomen Domini, & refugium: ſed cuius? *Ad ipſam*, inquit, *currit iuſtus, & ſalvabitur*. Quod ergò relinquitur peccatori refugium? Sed certè turris fortiſſima nomen Dominæ, ad ipſam currat peccator, & ſal-

vabitur . Si enim peccator es, fruſtrà aſcendis in Galaad : fruſtrà tibi multiplicas medicamina , ac per hoc ſanitas non erit tibi. *Ierem.* 46. Ad Mariæ nomen confugias ; ipſum ſolum ſufficit ad medendum . Nulla peſtis tàm efficax , quæ non continuò ad Mariæ nomen cedat . Hactenùs ille .

5 Nihil ergò vel in ſyllabis , vel in literis hujus Sacratiſſimi nominis non invenies, quod non ſit efficax,virtuoſum,& pium,ut etiam aliqua adiicere liceat de ſignificationibus quinque literarum , quæ Mariæ nomen componunt.AdeſtBerchorius Interpres in ſuo Dictionario,qui in vocabulo *Maria Virgo*, duplicem habet conſiderationem, primò de figuratione nominis, & ſecundò de ejuſdem deſignatione . De figuratione ergò hujus nominis , inquit , notandum eſt , quòd nomen iſtud *Maria* quinque literis figuratur , quarum figuratio quinque virtutes deſignat . *M*, enim , quæ tres habet pedes , ſignat quod habuit fidem Sanctiſſimæ Trinitatis . *A*, quæ interjectio dolentis , deſignat , quod hæc habuit quamdiu vixit , dolorem pœnæ , & aſperitatis . *R* , quæ eſt ramoſa ſicut arbor , ſignat quòd hæc habuit more arborum fructus virtutis, & ſanctitatis . *I*, quæ eſt minima litera, ſignat quòd hæc habuit modicitatem paupertatis , & humilitatis . *A*, quæ eſt prima literarum , ſignat , quòd hæc habuit charitatem , quæ eſt caput , & principium totius bonitatis . Et iſta poſſunt dici de ſui nominis figuratione . Undè patet , quòd propriè dicta eſt *Maria* .

6 Sed ad hoc faciunt illa , quæ poſſunt dici de ſui nominis deſignatione . In iſto enim nomine *Maria* ſunt quinque literæ , quæ ad quinque Virginis conditiones referuntur . Eſt enim ibi

M ( ) Melleam pietatem ,
A ( ) Aqueam puritatem ,
R (ſignans Virginis) Roſeam venuſtatem ,
I ( ) Igneam charitatem ,
A ( ) Auream claritatem .

Quià proculdubio Beata Virgo per pietatem fuit mellea : per puritatem fuit aquea : per honeſtatem fuit roſea : per charitatem fuit ignea : per claritatem fuit aurea . Benè ergò dictum eſt *Luc.* 1. *Et nomen Virginis* , *Maria* .

7 Sed ut clareſcat Mariæ potentia , quà pollet apud Deum , adducam quæ ſentit eruditiſſimus Caramuel de potentiſſimo Mariæ nomine ; vult enim ipſum ęmulum eſſe omnipotentis nominis *Tetragrammaton*, quod ſolius eſt Dei : undè ipſi Virgini , in Oratione Anagrammatica de dulciſſimo Mariæ nomine , titulum hunc inſcribit : *Maria* , *Nomen Tetragrammaton* : ut dicat jam non ſcribi quinque literis , ſed quatuor elementis Mariæ nomen ad imitationem nominis *Tetragrammati*. Audi quid dicat . Multi , inquit , aggreſſi ſunt Mariani Nominis expoſitionem , nec mirùm multa indicta manſerint poſt multa feliciter dicta : eſt enim nomen gratià plenum , plenum Deo , & nunquàm exhauriri poteſt . Utile eſt , inquit Auguſtinus, plures libros à pluribus fieri diverſo ſtylo , etiam de quæſtionibus eiſdem , ut ad plurimos res ipſa perveniat , ad alios ſic , ad alios autem ſic . Igitur tametſi multa ſcripſerint de Auguſtiſſimo Virginis nomine, ſcribam etiam aliquid ego, ut ad alios illud uno modo perluſtratũ perveniat , ad alios alio.

8 Incipio à literarum numero,obſervoque Deum Tetragrammato nomine voluiſſe ubique terrarum honorari . Dixit vetus Poeta :

Numero Deus impare gaudet : & ego :
Quatuor immenſi ſi nomen Numinis , almæ
Si nomen Matris compunt literæ, utrunque
Demiſsè recolens , & confidenter adorans ,
Dicam : Divinus numero Rex jam pare gaudet .

Quaternis Deus ab omnibus , aut ferè Gentibus profertur literis : quaternis Diva . Ille ab Hebræis dicitur , nimirùm , *Ieova* , *Eloa* , *Adonai* , *Adon* , hoc eſt , *Ens* , *Iudex* , *Superior* , *Dominus* : ab Ægyptiis Οσιρ, ab Hetruſcis Εσαρ : ab Arabibus *Alla* : ab Aſſyriis *Adad* : à Syris *Morio* : à Turcis *Agdi* : à Græcis Θεὸς , à Latinis *Deus* : ab Hiſpanis *Dios* : ab Italis *Idio* : à Germanis ſuperioribus , & inferioribus, itemque ab Anglis *Boot* : à Polonis , & conterminis populis *Boog* , ſemper nomine quadrilitero . A Perſis etiam *Syre*, undè videntur Galli Regium ſumpſiſſe titulum , ab ipſis enim *Syre* dicitur , qui ab aliis *Dominus* .

A nomine Dei Syriaco *Morio* , per contractionem deducitur *Moro* , ſicut apud Latinos , Græcoſque à nominibus *Dominus* , & Κύριος deducitur *Domnus* , & Κυρος , quæ ſignificant humanos Dominos : & hinc ſcitur , cur Africa in ſervitute hærens , Mahomethanos clavum tenentes *Moros* dixerit , ſic enim illi volebant dici , quià volebant adorari ut Dii , coli ut Domini . Vide Apodixin Aulæ Regiæ editam Viennæ anno 1647.

9 Ut eſſet nominum ſimilitudo , Deus cultus Tetragrammato nomine , Matrem ſuam puriſſimam coli voluit nomine Tetragrammato , *Mariam* voluit lingua Chriſtiana , hoc eſt Syriaca dici, hæc enim *Mariæ* parentibus , & amicis vernacula . Et quidem nomen *Mariam* deducitur à nomine divino Syriaco *Morio* , Chaldaicè *Maria* , *Dominans* , ut *Mariam* rerum etiam Dominam intelligamus .

Sed cur formam pluralem habet ? Ut ſit nomen *Mariam (Marim)* ſimile nomini *Elohim* : Deus enim unicus , & ſimpliciſſimus eſt , & nomine plurali indigitatur : & *Maria* nomen habet , non plurale , ſed plurali ſimillimum , quoniam tametſi Trina non ſit , eſt tamen ſimillima Deo Trino . Nec etymo contradicit Eccleſia , cùm *Mariam Virginem ſingularem* appellat . Summa enim in hoc relucet ſingularitas, quòd unica perſona cùm ſit , ſit virtualiter multiplex , ut *Caſtrorum acies ordinata* . Et hæc ſint dicta de literis , & ſyllabis potentiſſimi Nominis Mariæ Virginis juxtà ſeriem, & ordinem naturalem ipſarum. Nunc alia via philoſophandum de iiſdem ſacratiſſimi nominis elementis , quæ eſt per anagrammata ex literis ipſius compoſita :

CAP. XI.

Quid ſit Anagramma : & cur inducantur anagrammata ex literis Virginei nominis compoſita .

1 MAteriam delectabilem præ manibus me habere nullum credo poſſe dubitare . In illo ſiquidem ingenii acumine, & amœnitate verſamur, quæ plurimam ſtudioſis pariunt delectationem

nem . Eſt enim quædam animi voluptas ex unius vocabuli literis nova, & plura condere nomina , & verba,quæ in unica,& ſimplici voce latebant . Verũ ut diffinitionem deſcriptivam Anagrammatis afferamus , ſciendum cum Emmanuele Theſauro in Idea heroicorum Acuminum pag. 384. quòd *Anagrammata ſunt peregrinæ quædam ſignificationes à tranſpoſitione literarum alicujus proprii nominis reſultantes*,ut patet in hoc nomine *Roma*, ex cujus literis tranſpoſitis hoc producitur Anagramma, ſcilicet *Amor* : vel alterum è regione diverſum , ſcilicet , *Mora* .

2 Ad rationem autem veri Anagrammatis duæ virtutes neceſſariò requiruntur: quarum prima eſt proprietas ſignificationis ; ità quod Perſonæ conveniat , & adaptetur : quæ quidem ſignificatio quaſi quodam fatali myſterio involvitur, & abſconditur in Vocabulo naturali . Secunda verò eſt integritas : taliter quod à ſolà tranſpoſitione ſitus literarum , abſque aliquo augmento , vel diminutione , aut mutatione unius literæ in aliam , peregrinus oriatur conceptus . Et hæc Anagrammata fatalia appellantur ; in quibus humanum ingenium neſcio quid reperit divini : reliqua potiùs ſcommata ſunt , & Paranomaſiæ , quàm Anagrammata vera .

3 Gloriam hanc apud Græcos obtinuerunt Anagrammata Ptolomæi Regis , & Arſinois ejus uxoris : ille famoſus, & inclytus propter dulcedinem facundiæ ſuavis : celebris hæc propter florem pulchritudinis juvenilis . Eccè utriuſque exemplum .

Ptolemaios.
Anagramma .
Apo Melitos .

Quod quidem ſignificat : *Dulcis ſicut mel*. Quemadmodum enim nihil gratiùs , aut melle dulciùs ; ità nihil Ptolomæi facundià ſuaviùs videbatur .

Alterum erat ex nomine coniugis ejus , ſcilicet :

Arſinoi .
Anagramma .
Iras Ion .

Et hoc apud Græcos deſignat gratioſiorem Veris florem , quem Violam Junonis appellant . Quemadmodum enim in illo flore coloris amœnitas , & venuſtatis decor vernat ; ità & in illa muliere Regali utriuſque pulchritudo florebat .

4 Hæc igitur Anagrammata , præter Integritatem , & Proprietatem , hanc aliam laudem merentur, quod pro Themate ſolùm Nomen proprium habent: ubi magis illud poeticum elucet acumen , quod myſterioſa fatalitas quædam vulgo videtur . Quapropter , ſi in Themate multa ſint verba , nimis facile eſt pro libito quemcunque noſtrum in ipſo invenire conceptum . Hinc ſub primis felicium ſucceſſuum auſpiciis Svecorum Regis , qui avidiſſimè ad Laurum Imperatoriam aſpirabat, magno cum applauſu ſui Nominis Anagramma fuit acclamatum ; quod quia videbatur fatidicum , magnos animos ſuis aſſeclis dedit :

Guſtavus .
Anagramma .
Auguſtus .

Prœlium autem fatale , in quo iſte imaginarius cecidit Auguſtus , evidenter oſtendit : Prophetias has fuiſſe Poeſes . Celebre quoque, ac pervulgatum eſt illud aliud Franciſci Bencii:

Gregorius Decimus Quartus
Anagramma .
Murus , Cuſtodiaque Gregis .

Attributum quidem , quod tanto Pontifici quadrabat . Sed inprimis deficit ab Integritate : cum anagrammati deſit tertia *R*, thematis . Et præter hoc , magis fatidicum viſum fuiſſet , ſi Pręſagium illud fuiſſet erutum à natalitio ſuo Nomine , *Nicolaus Sfondratus* .

5 Denique ut hiſce exemplis finem imponam , duo alia tantùm Anagrammata , argutiſſima , & fatalia , quia integra , & undequaque perfecta . Primum quidem eſt ſuper Luterum , quod quaſi divinum Oraculum prædixit vulnera , quæ à Martino Lutero Eccleſiæ Matri erant infligenda , quà ſcriptis , quà lingua, & quà hæreticalibus pugnis .

Martinus Luterus .
Anagramma .
Ter Matris Vulnus .

Hoc diſtico feliciter explicatum .

Et Ferro , & Linguâ, & Calamo , fera Vipera Luter;
Eccleſiæ Matris Ter grave Vulnus eris .

Demum & illud aliud in Calvinum Luteri collegam , quod quidem alludit ad ulcus , quo à Deo percuſſus eſt in poſteriora:quemadmodum & Philiſtæi poſtquam Arcam Dei profanaverunt,ſimili genere ſupplicii à Deo mulctati ſunt .

Calvinus .
Anagramma .
Ani Vlcus .

Ubi vides plagam hanc divinæ punitionis characterem præferre , quia temerè ſanctam profanavit Eccleſiam .

6 His igitur præmiſſis de Anagrammate , eius definitione, integritate,& argutia, reddo rationem, cur velim inducere Anagrammata ex literis Virginei nominis compoſita . *Maria* eſt nomen tam altum,eximium,magnificum,& excellens,ut Virgo unico non ſatis nomine queat nominari . Illa enim, quę omnes puras ſupergreditur Creaturas,cur unico tantùm nomine indigitetur ? Et non aliundè plurium nominum titulos aucupamus,quàm à literis ejuſdem ſui nominis anagrammaticè diſpoſitis , in quibus theſauros ſapientiæ,ac ſcientiæ ſuæ Deus repoſuit .

Quare ſicut olim dixit nonnullus apud Plautum (ut verbis utar Caramuelis in Orat. Anagrammaticà de dulciſſimo Mariæ nomine) *Tam longum eſt nomen meum , ut ab Aurora uſque ad concubiam noctem ſi ambules , vix ad finem pervenies* . Concludit Senex: *Opus eſt face, & viatico ad tuum nomen , ut tu prædicas* . Ità & ego nominis tui maieſtate , Cœlorum Imperatrix , territus , idiomate ſinceritatis utens , eadem verba reſumere poſſum , aut debeo . Tàm longum enim eſt , Puriſſima Virgo , nomen tuum , ut ſi à meæ pueritię Aurorà ad mortis uſque noctem illi dilucidando , & exponendo inſiſterem, vix pervenire ad finem , & terminum poſſem : es enim Mater , & huius Virgineę Maternitatis terminus eſt Deus , ad quem à nobis datur infinita diſtantia .

7 At quia magna paucis dici non poſſunt , nomi-

minis tui magnitudinem dividam, ut poſſim dilucidare illud vel ex parte. Ducor à melleo tuo Bernardo, qui *ſerm. 1. de nom.* Virginis citatus ab Avendaño, ſic ait. *Sicut Deum ipſum non uno tantùm nomine nominamus, ſed multis, ut ſic ejus incomprehenſibilitatem enunciemus: Sic & glorioſam Virginem multis nominibus deſignamus; nunc Solem, & huiuſmodi nominare ſolemus, ut ſic ad ſublimitatem ejus cognoſcendam veniamus.* Hęc ille. Sed potiori ratione, inquam ego, hæc Virginis magnitudo, & celſitudo ſublimis ex multiplici deprehenditur ſui nominis Anagrammate: tanquam enim ex intimiori radice prodeunt ſuarum incrementa gratiarum. Auguſtiſſimum igitur Marię nomen per Anagrammata eruditiſſimi Caramuelis in Oratione Anagrammaticà dilucidemus, & exponamus, quibus & ego quandoque addam aliqua de mei exigui ingenii penu deprompta.

CAP. XII.

Maria.

Anagramma Primum.

Amari. Verbum.

1 QUotidiè ab Eccleſià Romanà dicitur Angelorum Regina, *Vita*, & *Dulcedo*, nominibus ſumptis abſtractim. Abſtractis enim ſumma ineſt ſignificationis efficacia, quam non adſequuntur concreta. Hanc ob rem, hæc dulciſſima Princeps, ne dicatur *Amans*; id enim nobis eſt gloriæ, non merito; quoniam glorioſum nobis eſt à tanta Heroide diligi, non tamen ideò digni prœmio, quippè, qui ob proprias, & non ob alienas actiones coronabimur. Eandem ob rem, ne dicatur *Amata*; ſonat enim præteritum, neſcio quam præſentis obſervantiæ carentiam, quam in quocunque Chriſtiano condemnabo. Nè denique vocetur *Amor*: eſt enim potentiale vocabulum, & in actu conſiſtit perfectio.

2 Nos omnes dilectio activa ſimus, ipſa ſit paſſiva dilectio, & ut voces clariùs diſtingui poſſint, nihil in nobis percipi poſſit quàm *amare*, nihil in illà quàm *amari*. Amemus illam mente, amemus voluntate, amemus ſpiritu. Senſus etiam corporei illam proſequantur amore; & gratiæ omnes nobis divinitùs infuſæ, quæ virtutum nervi, & oſſa moralia ſunt, unanimi conſenſu dicant: *Domina, quis ſimilis tibi?* Ametur illa tota, ametur totaliter. Ametur in illa, & admiratione colatur gratia illa præveniens, quam habuit primo conceptionis inſtanti. Amemus, & veneremur prærogativas ſecundarias, gratiæ originariæ pediſſequas, omnes virtutes, omnes operationes, & ut verbo dicam, Mariana omnia; deſideremuſque eſſe Deo ſimiles, nam ſi intelligere Dei eſt eſſe Dei, amare *Mariam* ſit noſtrum eſſe, & correlativum illud eſſe, quod *Mariam* ad nos redamandos invitat, *ſit à nobis amari*. Hæc Caramuel.

3 Et quidem jure optimo à nobis, ut loquamur cum Alberto Magno *lib. 2. de laudib.* B. Mariæ *c. 3.* diligenda eſt Maria, & ſpecialiter honoranda: quià Ipsà mediante forma divina ſpontè venit ad hominem ſpontè deformatum: gratia gratis ad ingratum: medicina non rogata ultrò venit ad ægrotum: virtus ad infirmum: Sapientia ad fatuum: Sanctificatio ad immundum: veritas ad mendacem: pietas ad immiſericordem: pax ad rebellem: miſericordia ad impium: charitas ad inimicum: juſtitia ad injuſtum: non ut eum ſecundùm ſuam juſtitiam judicaret, & damnaret, ſed ut eum in ſuà injuſtitià juſtificaret, & ſecundùm ſe formaret, & formatum ſecundùm ſe tandem glorificaret in ſe. Ad id enim forma Dei venit in carnem, ut ſibi priùs in ſpiritu, poſt etiam in carne illos conformaret, *quos præſcivit, & prædeſtinavit* Deus Pater *conformes fieri imaginis Filii ſui*. Ad *Rom.* 8. Hæc ergò forma tam formoſa ex pietate ſolà ſe univit materiæ tam informi, nec modò informi, ſed & deformatæ, nec deformatæ quidem ex ullà neceſſitate, ſed ex ſolà propriæ voluntatis voluntarià perverſitate.

4 Item diligenda eſt Maria: quia per ipſam facti ſumus de nihilo aliquid; novi de vetuſtis, & de damnatis, & mortuis beati, & æterni. Et propter hoc comparatur ipſa Auroræ, quæ conſurgens omnibus rebus reddit colores proprios: quia omnia de nocte quaſi unius coloris ſunt: ſic & in ortu Mariæ meliorari incœperunt omnia.

5 Item diligenda eſt: quia per partum ipſius liberavit Deus Pater pauperem à potente, ideſt, hominem à diaboli poteſtate. Undè de Chriſto dicit *Pſal.* ..... *Liberavit*, vel *liberabit Dominus pauperem à potente*, ideſt, à diabolo, qui cùm in ſuà naturà potens ſit: undè *Iob ult. Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei valeat comparari*: peccator facit eum potentiorem; quia facit, ut potentia ejus habeat effectum: niſi enim homo incurvet ſe, non poteſt diabolus aſcendere. *Io*: 8. *Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Pauperem dico, & talem pauperem, cui non erat adiutor alius: quià nec homo, nec Angelus, nec lex, nec liberum arbitrium poterat eum liberare, niſi *Leo de tribu Iuda*. *Apocal.* 5. *Eccli.* 51. *Reſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat.* Et nota, quòd pauper eſt peccator: quia ſpoliatus gratuitis, & vulneratus in naturalibus. Potens eſt autem peccatum, quia Rex. Undè *Rom.* 6. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Ab hoc potente hic pauper liberatur à Domino: quoniam ei infunditur voluntas pœnitendi. Ideò clamare ei debes igitur: *Libera me de ſanguinibus, &c. Pſal.* 50. Verè talis pauper: qua carens ſuffragiis Eccleſiæ. Hactenùs ille.

6 Ergò diligenda eſt Maria: quia, ſicut dicit Auguſtinus, dulciùs dilectione nihil eſt: ſed dilectioni Mariæ nulla dilectio creaturæ comparabilis eſt: ergò nihil ipſa dulciùs eſt. Adde & aliam Bernardi rationem, quà in quodam Sermone nobis ſuadet Mariam diligere, cùm exclamando inquit. O nomen glorioſæ Virginis ſuaviſſimum, nomenque jucundiſſimum, certè non ſum dignus te nominare; ſed ſi non ſum dignus propter me, ſum dignus propter te: quia Tu es digna nominari, & ab omnibus amari, & revereri, quia per te gratiam acquirimus, gloriam impetramus. Per Te Maria franguntur vincula, ſolvuntur debita, vincuntur vitia, ſolidantur confracta, recuperantur perdita, renovantur vetera,

tera, roborantur infirma; magnificantur minima, exaltantur infima, incœpta promoventur, infecta perficiuntur, perfecta conſervantur, dęmones fugantur; purgatur cor, mens refulget, & animus inflammatur; liqueſcit pectus, dulceſcit guſtus, & decoratur aſpectus. Sed neque minorem diligendi Mariam cauſam ego dixerim eſſe, cùm ſciamus ipſam ſuos ſe redamare dilectores, ut ex ſequenti conſtabit Anagrammate.

CAP. XIII.

Maria.

Anagramma 2.

Riama.

1 LIcèt poſitum Anagramma à me ſit ex vernacula lingua deductum, ad rem noſtram tamen non inopportunum eſſe videtur, cùm & ex latino nomine verbum italicum, ſivè vulgare poſſit efformari. Illud enim *Riama*, quod ex ſuo nomine Deipara nobis indicit, maximam vim, & efficaciam habet, ut nos ad ipſam amandam inducat, cum ſuam amatoribus ſuis certiſſimam promittat redilectionem. Nam, ut inquit Albertus Magnus loco ſuprà citato, diligenda eſt Maria: quià diligit diligentes ſe. Undè dicit cum Filio *Prov.* 8. *Ego diligentes me diligo.* Et ex hac auctoritate poteſt formari hoc argumentum: Maria diligentes ſe diligit: ergò plus diligentes ſe, plus diligit.

2 Hunc reciprocantem amoris, & dilectionis affectum ipſamet Virgo expreſſiſſe videtur, cùm apud Bernardinum Senenſem *ſerm.* 10. de Purificat. B. Virginis, ita loquatur, cùm Simeoni obtulit filium ſuum, in reſponſione ad verba Simeonis, dicens. Novi fideliſſime Procurator mundi, quibus egeat mundus, quare illum contulerit mihi Deus: Prò mundi ſalute mihi donavit illum: quià *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum Vnigenitum daret. Ioan.* 3. Dono igitur illum etiam ego, & hoc charitate eviſcerata, quià ad hoc illum accepi. Charitate feſtina, quia prius non potui: Charitate integra, quia nihil mihi retinui: Charitate materna, quia nulli invidi: Charitate conſummata, quia plus dare non valui.

3 Dono igitur illum in donum illuminationis, in exemplum converſationis, in præmium glorificationis. Novi, quid dono: novi, quid facio: novi, pro quibus dono. Pro dilectis filiis meis illum offero, pro illis redimendis, pro illis expiandis, pro illis informandis, inſtruendis, reficiendis, gratificandis, atque glorificandis illum expono, quia ipſe eſt verus Agnus, qui tollit peccata mundi: hunc ſola dives offero, quia ſolum Agnum habeo, quem ſinè pudore concepi, ſinè gravedine tuli, ſine dolore peperi, & cum plena virginitate Dominum, & hominem parturivi.

Scio ergò, quid dono filiis gratiæ, qui volunt eſſe participes hujus doni: nec ſolum filium meum, ſed meipſam ſuper hoc donum dono: atque ipſorum advocatam, genitricem, tutricem, excuſatricem, & ab omnibus hoſtibus defenſatricem, nec non & theſaurorum filii mei diſpenſatricem, charitate inviolabili repromitto.

CAP. XIV.

Maria.

Anagramma 3.

Amari. Nomen.

1 MUltæ fuerunt Mariæ, Chriſti Domini auditrices, & aſſeclæ: præcipuæ ſunt. Maria Mater Domini, Maria Mater filiorum Zebedæi, & Maria Magdalena. Omnibus nomina ſecundaria attribuuntur; nam Maria Magdalena, *Maria Lazari* dicitur: Maria Zebedæi uxor, vocatur *Maria Salome*: ergò *Maria Ieſu*, ſiquidem iſte *Amarus* fuit, *Maria Amari* vocatur. Profectò enim amoris doloribus, & vulneribus Chriſtus Dominus ſaucius, *Amarus* per antonomaſiam dici poteſt; nemo enim tormenta magis amara, & acerba fuit paſſus.

2 Ex Gnato ad Parentem tranſlatà denominatione, qui heri dicebam: *Salve Regina, Mater Miſericordiæ, Vita, Dulcedo, & Spes noſtra ſalve*; uſus antitheſibus hodiè, dicam Divæ: *Salve Ancilla Domini, Mater Severitatis; Mors*, Amaritudo, & Spei myſterioſa negatio. Primo te loco *Ancillam* nomino, ſed Domini: grandiùs enim eſt ancillari Deo, quàm toti orbi terrarum dominari: qui enim Deo ſervit, regnat, & imperat in terrà, & Cœlo.

3 Te etiam *Matrem infinitæ ſeveritatis* dixero, quoniam es Parens Chriſti ſeveriſſimi Judicis, qui in tribunali horribili judicaturus eſt vivos, & mortuos? Te *Mortem* invoco, vivit enim in me vetus Homo, antiquus Adam, qui deberet, ut novus naſceretur, occidi. Dicebat olim Job: *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Et ego illo miſerior (neſcio miſerabilior) *Peccavi, & in amaritudinibus non moratur oculus meus*: & quidem amaro animo ſum, quia animum amarum non habeo.

4 Sanè omnis medicina eſt amara; & ego peccato laborans, quia dolore, & amaritudine deſtituor, etiam alexipharmaco, & medicina careo. Dolore ego, Angelorum Regina, lachrymis, contritione, amarore, ut commiſsa expiem, & nova peccata non committam. Sis amaritudo cordi meo, & quia contraria recurrantur contrariis, à voluptatis dulcore, quo illicior, *libera me, & pone me juxtà Te, & cujuſvis manus pugnet contrà me. Quia, eccè qui elongant ſe à Te, peribunt, perdidiſti omnes, qui fornicantur abs Te. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Divà (quæ invenit gratiam apud Deum) ſpem meam.*

5 Sed cur ſpem? Ut ſpe caream? Ut poſſim Divæ dicere: *Et in verbo tuo* (in Redemptore meo) *ſuperſperavi*. An caret ſpe, qui ſuperſperat? Caret omninò. Quia, ut alibi monuiſſe me memini, qui ſperat, habet ſpem; & qui ſuperſperat, habet aliquid ſuper ſpem, poſſeſſionem nimirum: & quæ poſſidet aliquis, non ſperat. Tu igitur, Sereniſſima Princeps, es Spes, & Spei carentia, ideſt, Poſſeſſio. Quoniam qui ad Te anhelant, ſperant; & qui apud Te ſunt poſſident Jeſum Chriſtum Filium tuum, quem clariùs poſt hoc exilium oſtenſura, etiam nunc nobis

in hac valle lachrymarum oſtendis. Hæc calamus Inſulati.

6 His adde, verè Deiparam amaram eſſe dœmonibus. Nam, ut ſcribit Bernardus in quodam ſermone. Non ſic timent hoſtes viſibiles quamlibet caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aereæ poteſtates Mariæ patrocinium, vocabulum, & exemplum. Fluunt enim, & pereunt, ſicut fluit cera à facie ignis, ubicunque invenerint crebram ipſius recordationem, devotam invocationem, & ſedulam imitationem. Et Joannes Raulinus Cluniacenſis *ſerm.* 3. de Annunc. Domini. Mariæ nomen, inquit, terribile eſt dœmonibus. *Pſal.* .... *Sanctum, & terribile nomen ejus.* Sanctum Angelis, terribile dœmonibus. *Judith* 14. *Vna mulier hebræa fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor.* *Cant.* 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te, amica mea:* ideſt, ſimilis eſt exercitui contrà currus Pharaonis, ideſt, diaboli. *Cant.* 5. *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.*

CAP. XV.

Maria.

Anagramma 4.

Maria.

1 SEd quid hoc nomen dulciſſimum ſignificat? Obvium, ideſt, deducitur enim à mari, & plurimo tempeſtatum horrore *mària* ſonat. Sed quid commune Mariæ dulciſſimæ, amariſſimo mari? Exponam.

Mare omnium fluviorum eſt terminus, principiumque; in illud omnes influunt, ut iterum fluant, & nos in lachrymarum valle lugemus, & noſtri luctus fluvios dirigimus ad oceanum Virgineum, ut indè per ſecretos meatos reduces, iterum fluant. Eccè adſum Mare gratiarum plenum, peccavi, & lugere non poſſum; me non poſſe lugere, lugeo, & has primas lachrymas ad te derivo, ut illas recipias, foveaſque, & remittas Sole divinæ gratiæ tinctas, ut lachrymari incipiam, & aquis diſtillatis à corde abluere conſcientiam, & animam.

2 Chriſti oculi excitandis lachrymis potentiſſimi. Si dubites, tuos converte ad Petrum. Magiſtrum negat! Petra eſt! Quis undas extrahere poterit ab hoc ſaxo duriſſimo? Reſpondebit Ambroſius, vel ut alii volunt Auguſtinus; immò uterque, quoniam ut neutrius verba ſint, eorum ſenſus, ſpirituſque erit utriuſque. Quos Jeſus reſpicit dando ſpiritum compunctionis, flent delictum. Dedit rationem, & progreditur. Quare flevit? Quia erravit ut homo. Non invenio, quid dixerit: invenio, quòd fleverit. Non enim multis verbis indiget, qui lachrymatur: labuntur enim oculis guttæ, & ſingulæ amaritudinis internæ non modò teſtes ſunt, ſed & præcones. Subjungit ille: Lachrymas ejus lego, ſatisfactionem non lego.

3 Torqueo literam, aurea enim fila eò videntur pulchriora, quò plus torquentur. Petrus dimiſit lachrymas, & ego lego, ego colligo; ut jam non proprias, ſed lachrymas Eccleſiæ emittam. An nè condemno privatas lachrymas? Minimè: niſi fortè impedimento fuerint publicis. Gaudere cum gaudentibus, & flere jubemur cum flentibus: & me miſerum! *Singularis ſum ego, donec tranſeam.* Gaudeo cum flentibus, & crudelitatem inſinuo: lugeo cum gaudentibus, & prodo invidiam: nec unquam proximum diligo ſicut meipſum. Sed jam reformo mores meos. Petrus caput Eccleſiæ eſt; oceanos ille lachrymarum emittit; hæc eſt inundatio publica, non privata; ejus lachrymas colligam, & juſſus utar, nè ſingularis videar, ſi juſſus lugere, aut jejunare, rideam; aut juſſus in Domino exultare, lachrymer.

4 Reſumo igitur verba, quæ torſi, eademque ſpiritu communi illuſtro. Lachrymas ejus lego, ait Sanctus Doctor, ſatisfactionem non lego: ſed quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lavent lachrymæ delictum, quod confiteri pudet. Lachrymæ enim crimen ſine offenſione verecundiæ confitentur. Lachrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur. Bonæ lachrymæ, quæ lavant culpam. Et ad rem ipſam veniens, infit. Undè lachrymæ? Quià reſpexit Chriſtus. Negavit primò Petrus, & non flevit, quià non reſpexerat Dominus. Negavit ſecundò, non flevit, quia nondum reſpexerat Dominus. Negavit & tertiò; reſpexit Dominus, & ille amariſſimè flevit. Et concludit, dicens: Reſpice Domine Jeſu, ut ſciamus noſtrum deflere peccatum, lavare delictum.

5 At ego etiam peccavi, & nondum fleo. An orabo Dominum lachrymans? Sed qua fronte illum inimicus, & ingratus accedam? Quid faciam? Ingrediar cor altum, & ſeriò rem ipſam cogitabo. Audio fideles Chriſtianos, Cœlorum Reginæ devotos, qui ſic aſſumunt; *Ad Te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle. Ergò Advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.* Subinferunt: *Ergò & Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* Et hac ego fortiſſima argumentatione perſuadeor lachrymas noſtras reſpectas à Maria nobilitari, & eò promoveri, ut etiam à Chriſto reſpiciantur.

6 Huc ſpectat cujuſpiam junioris ſpeculatio, quæ prodeſſe conceptui noſtro poterit. Habet textus Syriacus. *Et converſus Dominus reſpexit Petrum* (proſpexit Petro.) *Et egreſſus foras Petrus flevit* (mari rohith) *amarè*, vel *Maria reſpiciente.* Eccè Chriſtus dando auxilium excitans, & præveniens, proſpexit Petro: ſed quo illi modo proſpexit? Conducendo ad *Mariam.* Et quid præſtitit illa? Lachrymas excitatas à Chriſto, in ignem ſuà præſentià convertit, & ſuorum oculorum vi amaras reddidit. At, ut video, te moratur propriæ tenuitatis cognitio, conſcientiæ pudor, & criminum commiſſorum memoria. Sed ſi peccatorem conſideras, oportet, ut medicinam cœleſtem non repellas, &c.

CAP. XVI.

Maria.

Anagramma 5.

A Rami, ſubintelligo *fructu.*

1 MAriam, & Crucem meditor, & ſummam proportionem invenio. Maria

Crux Chriſti fuit: Crux Chriſti Mater. In Mariæ ipſe viſceribus paſſionem eam incœpit, quam tandem in Calvario abſolvit. Torquebatur nondum natus Jeſus patiendi dolores deſiderio; & quoniam iſtud erat vehemens, intenſiùs, quàm ſi pateretur acerbiſſimos. Maria Chriſti fuit Mater, à quà natus Mundi Redemptor, fuit morti, & tormentis obnoxius: at natus myſterioſè à Cruce, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.

2 Cruci dicit Eccleſia.

Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis:
Nulla ſylva talem profert
Fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus ſuſtinens.
Flecte ramos arbor alta,
Tenſa laxa viſcera;
Et rigor lenteſcat ille,
Quem dedit nativitas:
Vt ſuperni membra Regis
Miti tendas ſtipite.
Sola digna tu fuiſti
Ferre ſecli pretium,
Atque portum præparare
Nauta mundo naufrago,
Quem ſacer cruor perunxit,
Fuſus Agni corpore.

3 Mariæ Ego. Tu fuiſti, Sereniſſima Princeps, prima illa, & puriſſima Crux, quam Verbum æternum incurrit. Dum fœmina eximia, ſexus muliebris gloria, circundabas Virum, illi eſſe in thalamo, & non in Cruce, Cruci, & tormento fuit: loco enim ſolaminis, & gloriæ habuit pati pro filiis hominum. Tu es, Arbos unica, fidelis, & nobilis. Arbos quidem; reliquæ enim Creaturæ, aut nullam, aut multas vitas habent, & plantæ unicà contentæ ſunt. Ethnici quandiu fide nudi, ſunt ſaxa, & lapides, quæ vità carent. Peccatores, quandiù indulgent genio, ſunt ſenſuales, & ſimiles equo, & mulo, quibus non eſt intellectus. Juſti, etiam optimi, ſunt homines; nam ſepties in die cadit juſtus, & hominum errare eſt. At Tu, quoniam viva es, cum lapidibus, & elementis comparari non potes: quoniam pura, ſenſuum imperfectione cares: & quoniam conſtans, nec lapſui obnoxia, humanas maculas non participas: Sed *quaſi Terebintus extendis ramos tuos; ramos ſcilicet honoris, & gratiæ. Quaſi vitis fructificaſti ſuavitatem odoris; & flores tui fructus honoris, & honeſtatis.*

4 Et Arbos Virginea, unica, & nulli ſimilis; quam Orthodoxus Mundus *Virginem ſingularem* appellat. Arbos unica, quam poſtulabat olim Propheta Rex, dicens: *Vnam petii à Domino, hanc* (unam) *requiram.* Sed ad quid illam? *Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Ex hac enim

Arbore decorà, & fulgidà,
Ornatà Regis purpurà,
Electà digno ſtipite,
Tam ſancta membra tangere,

formatur illa Jacobi Scala, quà Deus coronatus Angelis venit ad Homines, & homo Angelis ſeptus aſcendit ad Deum.

5 Eſt hæc, Virgo puriſſima, nobilis, & fidelis: originem reſpicit Nobilitas, & facinora propria Fidelitas. Omnes ſumus ignobiles; omnes in peccato concepti, natique: Joannes fuit benè natus, (Hiſpanicè *bien nacido*) at culpam communem contraxerat: at Mariæ originalis fuit nobilitas, & immunitas, quam actibus generoſis, cùm ætas ſuccrevit, adauxit.

Cùm igitur hæc Mariæ immaculata nobilitas ſingulariſſima ſit, meritò dicimus omnes Viros egregios eſſe arbores, at Partheniæ impares; nulla enim ſylva talem profert, ſeu agamus de charitatis (quæ operire multitudinem peccatorum aſſeritur) fronde, ſive de virtutum flore, ſive de meritorum germine. Nobis igitur, potentiſſima Princeps, dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus exhibe. Naufragantibus nobis extrema imminebant pericula; & Pœnitentia, altera poſt baptiſmum tabula, fauſtum, & dulce lignum fuit. Dulces ſunt clavi, qui nos Chriſto crucifixo ſuffigunt: dulceque pondus illud, quo in Numinis amorem rapimur.

6 Igitur Arbor alta, ſiquidem pygmæi ſumus, & gigantæa tua Majeſtas, ut te amplecti poſſimus, flecte ramos, & Jeſum benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc miſerabile exilium oſtende. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quibus viſitavit nos oriens ex altà (hoc eſt ex Te) tenſa, obſecro, laxa viſcera; & gementes, & flentes exules filios Evæ ulnis miſericordiæ protege. Si conſideres Cõceptionis, & Nativitatis tuæ puritatem, fortè nos viles, humiles, & ſordidos peccatores deſpicies; ſed rigor lenteſcat ille, quem dedit Nativitas. Sol abyſſos tenebroſas illuminat, nec inficitur tenebris: Tu manum peccatori porriges, nec eris obnoxia peccato. Omnes Chriſti membra ſumus, qui de uno Calice participamus: & quia ille ſummus Monarcha eſt, ad tuos pedes provolvimur, oramuſque, ut tuo favore, & auxilio ſuffulta hæc ſupremi membra Regis, ad te tendant cœlitùs.

7 Orarunt olim Patriarchæ, ut viderent oculis ſuis ſalutare Dei, quod pararat antè faciem omnium populorum: lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſrael. *Luc.* 2. Lytro egebant captivi, ſubligati peccatorum compedibus: & tamen ſola digna tu fuiſti ferre ſecli pretium; ut redempti omnes, qui Chriſtum primarium Redemptorem ſuſcipimus; te cultu congruo dicamus, & veneremur Redemptricem.

Procellam in captivitatis oceano, tempeſtatem in miſeriarum pelago, ſævam, perpetuam, & periculoſam fuimus paſſi. At quia Tu, Sereniſſima Princeps, ambulare cœpiſti ſuper aquas, ceſſarunt venti, & ſequuta eſt tranquillitas magna. *Ave* igitur, *Maris Stella, Dei Mater alma, Atque ſemper Virgo; Felix Cœli porta.* Digneris igitur ſecundos Zephyros, atque portum præparare Nauta mundo naufrago, ut ſuperatis Syrtibus, Scyllis, & Carybdibus, ad Empyreum (hic verus omnium portus) tandem aliquandò perveniat.

8 Pyratas, & hoſtes plurimos in undoſo elemento timemus; at quia olim in Ægypto ſecura domus illa fuit, quam ſacer cruor inunxit fuſus

Agni corpore; hodie, ut ſpero, illa erit navis tuta, quæ Agni delibuta ſit ſanguine. Nos quidem, Angelorum Regina, ſacer cruor unxit, Te perunxit: & quia nos tametſi laverimus ſtolas noſtras, & candidas eas fecerimus in ſanguine Agni, tantùm ex parte tincti ſumus, ideò maculas, & peccata contraximus. At Te à primo anhelitu ad ultimum, à conceptione ad obitum, totam, totam ſacer cruor non modò unxit, ſed & perunxit etiam: Et ideò Conceptio tua tincta divino ſanguine immaculata fuit: tua Nativitas cruore Agni delibuta, puriſſima: Vita etiam tua hoc liquore ſuffuſa, obedientiſſima: & tuus etiam tranſitus hoc purpureo lacte, hac lacteà purpurà decoratus, diviniſſimus, & feliciſſimus. Undè Sponſus contemplatus te totam, ab ipsà conceptione ad tranſitum, *Tota pulchra es amica mea*, ait, *& macula non eſt in te, Cant.*

CAP. XVII.

Maria.

Anagramma 6.

A mirà. A mari.

1 TE à Mari culparum, antequam ingredereris, favore præventionali ereptam, dicam *Miram*, an *Myrrham*? Sed quia *Miram* frequentiſſimè dixero, nunc *Myrrham* dicam, ſequutus Epiphanium. Ait enim *Serm. de laudib. Virg.* Mariæ. Nomen *Maria* interpretatur *Myrrha maris*. Illam non ſolùm *Myrrham* Eccleſiaſticus, ſed etiam *electam* appellat: datur enim Myrrha, quæ nec electa eſt, nec cum Angelorum Reginà comparanda. Sic lego. *Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedit, quaſi Myrrha electa dedit ſuavitatem odoris. Eccli.* 24.

2 Myrrha igitur, ut conſtat Plinio *lib.* 2. *c.* 15. & 16. eſt Arabiæ arbos, è cujus cortice defluit lachryma, quæ & ipſa *Myrrha* vocatur, & mortuorum cadavera incorrupta conſervat. Ab Hebræis *Mor* dicitur; undè nomen *Mos moris*, aut etiam *Mors mortis* exortum meritò ſuſpicaremur.

3 Et quidem ſi rem benè conſiderem, Maria myrrha eſt, Chriſtus myrrha. Illa, arbos; hic, ejuſdem arboris lachryma: qui enim ratione generationis æternæ eſt Deus de Deo, Lumen de Lumine: ratione temporalis, Fructus de Planta, lachryma de Arbore, Myrrha de Myrrha eſt.

4 Hinc jam intelligo Spiritus Sancti illa verba, quæ frequentiſſimè reſumit Eccleſia; videlicet: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Pone corpus immerſum myrrhæ, & corrumpi non poterit. Pone animam immerſam Chriſto, & corruptelæ, & culpæ neſcia, æterna erit.

5 A *Myrrha* nomine deduximus *Mortem*, & *Morem*; quoniam boni mores, & bona mors ſunt affines, & in myrrhæ ratione conveniunt. Conſultus Auguſtinus: An mors ſubitanea ſit mala? Mortem non eſſe malam, ait, ſi bonam ipſa vitam, & bonos mores ſubſequatur. Quos habeas, rogo, laſcivos, molles, dulces? Ergò in ipſis peccati alitur vita, non mors. Habes amaros, regulares, ſeveros? Ergò dum mortificas corpus, ut morieris peccato, condis contritionis myrrha animum, ut à corruptione præſerveris.

6 Marte igitur animo, Candide Lector: ſi careas lachrymis *Mariam* accede, illamque ora, ut ſuam lachrymam pretioſiſſimam tibi communicet. Ejus lachryma eſt Chriſtus, Verbum æterni Patris, quo ad Cœlos ducimur. Nè dicito: *Hic ſermo eſt durus, hoc eſt verbum amarum*: ægrotas enim, & in medicina non quæritur dulcor, ſed ſalus; non ſuavitas, ſed mera ſanitas. Quod ſi quæratur etiam ſuavitas, cùm pro æterna ſalute toleratur, afflictio dulcis eſt, dolor ſuavis, amaritudo mellea, rigor benignus: omnis enim pro Deo ſuſcepta mortificatio recreat, rigor fovet, & auſteritas favit.

CAP. XVIII.

Maria.

Anagramma 7.

A! Mira.

1 QUamvis Caramuel in præcedenti Anagrammate *Miram* à ſuo nomine appellaverit *Mariam*, ipſe tamen principaliter hanc non intendebat derivationem, nam literas Virginei nominis ad myrrhæ appellationem traduxit, duabus dictionibus, ſcilicet præpoſitione *A*, & *Mirà* in ablativo. Ego autem aliter ſpeculari deliberavi, nam ex tranſpoſitione literarum hujus nominis *Maria*, duas extraxi dictiones, vel ut meliùs dicam compoſui, quæ Deiparam verè admirabilem prædicarent. Et prima quidem dictio eſt *A*, quæ admirantis eſt nota, ut magis in ſecunda dictione, quæ eſt *Mira*, admirabilitatem exprimeret. Dicam igitur. Imperatrix Auguſtiſſima: *A*, tu ſola quidem poſt Chriſtum es *Mira*. De te enim dici poteſt quod de Filio tuo dicitur *Eſa.* 9. *Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis*. Quemadmodum & illud, quod dicitur *Geneſ.* 32. *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile?* Tu enim, ut habetur *Eccli.* 43. *Vas admirabile, opus Excelſi*. Unde tuus Anſelmus in *lib.* oration. exclamat, dicens. O pulchra ad videndum, ò admirabilis ad contemplandum, ò deſiderabilis ad amandum, quomodo effugies capacitatem cordis mei! O Virgo mirabiliter ſingularis, & ſingulariter mirabilis, per te elementa renovantur, homines ſalvantur; dœmones conculcantur, & Angeli reintegrantur.

2 *Mira* quidem, quia omnes tranſcendit creaturas. Quod probat Bernardinus Senenſis *Serm.* 1. de nomine Mariæ *art.* 2. *c.* 3. docens cur Virgo Stellæ poli comparetur. Comparatur, inquit, Stellæ poli: quia hæc Stella eſt Stellarum primaria, ſeu prima: ſive Stellæ ſint ſempiternæ apparitionis, ut quæ circunſtant polum Aquilonarem: ſive ſempiternæ occultationis, ut quæ ſunt in interioribus Auſtri: ſive ſint viciſſim apparitionis, & viciſſim occultationis, ut quæ ſunt in medio ſitæ. Sic Beata Virgo, Primaria, ſeu Primativa eſt, quò ad gloriæ magnitudinem, & dignitatis celſitudinem.

Inter omnia inferiora corporalia, quæ ſunt viſibilia: aut inter omnia intellectualia, quæ ſunt inviſibilia: aut etiam inter illa cœleſtia luminaria, quæ ſunt quædam media, quia cum primis participant

cor-

corporalitatem, cum aliis perpetuitatem: reſpectu priorum primitiva eſt, ſicut *Sap.* 7. ſcriptum eſt. *Nec comparavi illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius*. Et hæc ſunt inter viſibilia, pretioſiora. Reſpectu aliorum, ſcilicet intellectualium, & inviſibilium, ipſa eſt primitiva, quoniam omnium Spirituum tranſcendit excellentiam. Unde *Eccli.* 24. ipſa ait: *Omnium excellentium, & ſublimium colla virtute calcavi*. Reſpectu cæterorum, ſcilicet luminarium cœleſtiũ, ipſa etiam primitiva eſt: hoc patet, quia *luci comparata invenitur prior*, ut dicitur *Sap.* 7.

Poſſet autem hoc diſtingui aliter, ut Stellæ ſempiternæ occultationis ſint contemplativi, qui ſemper Deo aſſiſtunt. Stellæ ſempiternæ apparitionis ſunt activi, qui ſemper actionibus intendunt. Per viciſſim verò apparentes, & viciſſim ſe occultantes, medii, ſive mixti, qui aliquando contemplantur, & aliquando operantur. Reſpectu enim omnium horum beata Virgo primitiva eſt. Proindè *Eccli.* 24. *c.* inquit: *In omni populo, & in omni gente primatum habui.* Admiranda igitur hæc Stella. Unde meritò *Sap.* 7. in fine de ea ſic Spiritus Sanctus ait. *Eſt enim hæc ſpecioſior Sole: & ſuper omnem diſpoſitionem Stellarum luci comparata invenitur prior.*

3 O verè *Mira*, & admirabilis, immò & admirãda! Quærit Joannes Raulinus Cluniacenſis *Serm.* 5. de Annunciat. Domini in fine: Quare voluit Dominus noſtræ ſalutis exordium à muliere incipere? Et quatuor cauſas adducit, ex quibus apparet, quàm veraciter Deipara dicenda ſit *Mira*, & *Admiranda*. Reſpondetur, inquit, quòd hoc Deus fecit ad honorandum ſexum muliebrem. Dicit enim Bonaventura, quòd ſexus virilis muliebrem excedit in tribus, & quartum ſuperaddemus.

Primò, quò ad dignitatem in principiando, quià omnes tàm viri, quàm mulieres ex uno viro fuerũt. Sed Maria in hoc exceſſit, quòd ille qui eſt ſine fine, & ſine principio, qui eſt Alpha, & Omega, principium, & finis, qui eſt primus, & noviſſimus, quantum ad humanitatem ex ea ſumpſit principium, ut ſicut mulier producta eſt ex ſolo viro, ſic Dominus ex ſola prodiret muliere.

Secundò, excedit quantùm ad virtutem in agendo; quia viri eſt agere: mulieris pati. Ideò vir plus habet de virtute activa. Inde Philoſophus dicit *lib.* de animalibus, quòd fœmina eſt mas occaſionatus, ideſt, imperfectus. Sed Maria in hoc exceſſit, quia cum omnipotentia Spiritus Sancti ſola cooperari potuit ad formationem corporis Chriſti.

4 Tertiò, quantum ad auctoritatem in præſidendo. Nam ſecundùm ordinem naturæ non mulier viro, ſed vir mulieri præficitur. Sed Maria exceſſit, quia ille, cui flectitur omne genu, ſubditur illi. *Luc.* 2. Quod nunquam alteri creaturæ conceſſum eſt, aut concedetur. Tum etiam apparet auctoritas, quia regnorum ambaſſiatæ non Reginis, ſed Regibus mittuntur. Rex autem Deus ad eam ſuum nuncium miſit. Tum etiam, quia Eva ſuperbiendo caput extulit, & ideo contritum eſt in limine portæ exitus Paradiſi. Maria verò ſuper omnes ſe humiliavit: ideo neque vir datus eſt ei ut caput, ſed ut cuſtos, & teſtis virginitatis ejus.

Quartò, ſuperadditur exceſſus viri ſupra mulierem in ſapientia, & prudentia. Hic Adam per ſuam ſapientiam omnibus animantibus nomina impoſuit. Hæc autem omnes antè ipſam ſapientia longè præceſſit. In doctrinà enim inventiva dicit ei Angelus: *Inveniſti gratiam apud Dominum*: ideſt, tam ingenioſa, & ſubtilis fuiſti, ut quod cæteri nunquàm invenire potuerunt, tu ſola inveniſti. Si autem laudatur Adam, quòd omnibus brutis nomina impoſuit: Hæc autem filio Dei: quià in Evangelio: *Vocabis nomen ejus Ieſum*. Similiter etiam in agibilibus, quando cum Angelo, cum Deo, cum hominibus degens, tam prudenter ſe geſſit, ut ſine quacunque nota, aut reprehenſione vitam duxerit.

5 Nonnè igitur *Mira*, & *Admiranda* dici Virgo debet? Docet Divus Thomas 3. *p. q.* 15. *art.* 8. quòd Admiratio eſt propriè de aliquo novo, & inſolito. Quid autem magis novum, & inſolitũ, quàm Incarnationis myſteriũ, cuius officina fuit Vrginis uterus? Nam, ut inquit Petrus Damianus *Serm.* de Nativit. B. Virg. Eſt novum omnium novorum, & omnium novorum maximè novum. *A* verè *Mira!* Repetam ego. Quis enim unquam invenit circuli quadraturam? Tu verò circulum Divinitatis quadrato noſtræ humanitatis conquadraſti. In myſterio ſiquidem Incarnationis, Rota divinitatis fuit unita quadrato noſtræ humanitatis. Unde ait quidam:

In hac Verbi copula,
In qua fallit omnis regula,
Circulus quadratur.

Rota quippè, ut ait Franciſcus de Mayronis apud Bernardinum Buſtenſem *Ser.* 3. de Annunciat. Mariæ p. 1. ſignificat divinitatem, quia circularis figura non habet principium, neque finem. Sicut æternum verè eſt ſinè principio, & ſine fine. Undè quidam Philoſophus diffiniens, *quid eſt Deus*, dixit: quod *Deus eſt circulus, cujus centrum eſt ubique, & circunferentia nuſquam*. Quadratus verò, qui ex omni parte eſt finitus in puncto, deſignat naturam creatam: Et idcircò circulus tunc fuit quadratus, quandò Deus extitit humanatus.

6 An admirabilis, & Mira Virgo beata, propter quam, & in quà, & ex quà novitates factæ ſunt admirandæ? Nullo quidem modo negari poteſt. Et harum attende mirabilia novitatum. Etenim Incarnationis myſterium convenienter in Martio menſe peractum propter novitatem. Nam, ut ait Iſidorus *lib.* 5. *Etymolog.* hic menſis appellatur menſis novitatum à Romanis. Tunc enim omnia virent, ridet terra, & arbores, ceſſant nives, & glacies, & fit aeris ſerenitas. Vento arbores impinguantur, & omnia floreſcunt. In hoc tempore novo novus homo, venit in mundum. Undè Hieronymus ad Euſtochium ait. Verè novum, & omnium novitatum ſuper eminens novitas, quandò Deus, quem ferre non poterat mundus, neque videre aliquis ut vivere poſſit, ſic ingreſſus eſt hoſpitium ventris, ut pudoris clauſtra neſciret; ſic geſtatus, ut totus Deus in eo eſſet.

7 Undè Bernardinus Buſtenſis *ſerm* 3 de Annunciat. Mariæ *p.* 1 ſcribit quàm mira fuerint quatuor, quæ in Virgine facta ſunt. Convenienter ergò, inquit, in hoc menſe debuit concipi, qui autor eſt mundi. In cujus conceptione facta ſunt quatuor nova. Primum fuit nova Angeli ſalutatio: undè

Ber-

Bernardus in Sermone de *Annunciat.* ait. Iniungitur Angelo nova ſalutatio, & novam Virgo profeſſa virtutem, novæ ſalutationis honoratur obſequio. Et Hieronymus ad Euſtochium inquit. Non ſimplex, vel conſueta fuit iſta ſalutatio, ſed omni admiratione digna.

Secundum novum fuit Virginis ſinè viro conceptio. Undè Bernardus in quodam *ſerm. Pentec.* ait. Subſtantialiter utero Virginis illapſus de Spiritu Sancto conceptus eſt Chriſtus. O magna miracula! Conceptus fuit ſinè pudore, partus ſinè dolore, Mater ſinè corruptione.

Tertium novum fuit tantæ Maieſtatis abbreviatio. Undè Bernardus ſuper *Miſſus eſt* ait. In conceptu, partuque virginali, nova, ac mira profectò inſpicit, qui diligenter inquirit: porrò ibi agnoſcitur longitudo brevis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita.

Quartum novum fuit omnis creaturæ renovatio: quippè omnis creatura erat antiqua, & à proprio uſu elongata; quià poſt primum peccatum nulla creaturà habuit uſum ſuum debitum: facta eſt enim, ut homini ſerviret exiſtenti ſinè peccato, & ſubdito Deo. Quandò ergò homo peccavit, debitum ſervitium creaturarum amiſit: Chriſto autem in carne venienti omnis creatura priſtinam exhibuit ſervitutem; & tanquam renovata miniſterium ſuum homini impendere cœpit conſuetum. Et ad hoc exponi poteſt illud *Apocal.* 21. *Eccè nova facio omnia.*

8 Propterea neque miror Thomam de Villanova *Conc.* 1. *de Annunciat. Virg.* de tanti novitate miraculi admirabundum exclamare. O quam te memorem Virgo? Meas fateor ſuperat vires, meum valdè excedit eloquium dignitas tua, felicitas tua, ſublimitas tua, & gloria tua. Quicquid enim de te aut cogitari, aut dici poteſt, multum à tua deficit laude, multum à tua vincitur beatitudine. Unico nanque volatu in tam ſublime evecta es dignitatis faſtigium, ut celſitudinem tuam neque humanus, neque Angelicus pertingere poſſit obtutus. Subitò nanque ex Adæ filià, humilique puella, mater Creatoris, Domina mundi, Regina Cœli, & totius Imperatrix facta es creaturæ. Undè meritò ex hoc te omnis creatura collaudat, te omnis generatio beat, quæ eſt, & quæ erit, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Intrat igitur Artifex omnium uteri virginalis anguſtias: qui omnia fecerat, hominem ſe facit ex fœmina. Illabitur immenſus humani corpuſculi vaſculo, vaſtoſque ſtricto præcingit cingulo ſinus. Sic enim olim Propheta prædixerat. *Decorem indutus, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. Pſal.* 29. Unitur humanæ naturæ Divinitas in hypoſtaſi, mirandoque nexu diſpares formæ in uno adunantur ſuppoſito, in unamque utriuſque perſonam mirà arte uniuntur. Prodigium novum mirante naturà, ſtupente Cœlo, in mundo comparuit: Deus homo, homo Deus: Deus homine velatus, homo Deo inſertus. Prodigium prodigiorum, maximum miraculum ſuper omnia mundi miracula, ad quod nihil eſt in orbe mirandum. Hæc ille.

9 Quidni *Mira*, quæ ipſos Angelos in ſui rapit admirationem? Ipſe certè Gabriel tanti myſterii Paranymphus, poſtquam Virgini cœleſtem expoſuit legationem, diſceſſit ab eà ejus admirans pulchritudinem. Quia & tota Angelorum familia, cùm primùm Cœlos appulit Virgo, mirabunda de tanto maieſtatis decore quærebat, ut Thomas de Villanova *Conc.* 1. de Aſſumptione Virginis. Jam Cœlos, inquit, læta contigerat manibus delata potentis, cùm ecce obviam ei occurrit Angelorum innumera multitudo, decorem illius, & gloriam admirantium, voceque jucundà percunctantium. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii? Cant.* 4. Alii verò dicebant. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol?* Alii autem: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* &c. Quis vobis, ò Angeli, reſpondebit, quis dicere poterit, *Quæ eſt iſta?* Non mihi ſi linguæ centum, ſi ora centum, ſi ferrea vox, ſi centum inquam ora darentur, dicere non ſufficerem, *Quæ eſt iſta?*

Aliquid maius, immò maximum quod dici poſſit, addit Albertus Magnus *lib.* 12. *de laudibus* Beatæ Mariæ *c.* 4. §. 33. quòd Deipara adeò *Mira*, & *admirabilis* eſt, ut totam rapiat Trinitatem ad ipſam intuendam. Canticorum 6. inquit Albertus, dicit ei tota Trinitas: *Revertere, revertere Sunamitis, &c. ut intueamur te.* Et in hoc verbo, *ut intueamur te*, oſtenditur, quod tota Trinitas ipſius ſpeciem deſiderat intueri.

10 Quid igitur nos puſilli? Certè ut quàm *Miram* prædicamus, toto devotionis affectu honoremus, & Advocatam noſtram apud Filium invocemus; & monitum Bernardi ſequamur, qui *ſerm.* 2. de Virgine ſic hortatur. Totis ergò medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc inquam voluntas ejus eſt, ſed prò nobis. In omnibus ſiquidem, & per omnia providens miſeris, trepidationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiam abigit, erigit puſillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere: ſolo auditu territus ad folia fugiebas. Jeſum dedit tibi mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? exaudietur utique prò reverentià ſuà: Pater enim diligit Filium. An verò trepidas & ad ipſum? Frater tuus eſt, & caro tua, tentatus per omnia abſque peccato, ut miſericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forſitan & in ipſo maieſtatem vereare divinam, quòd licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam recurre. Pura ſiquidem humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro reverentià ſuà. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater, &c.

CAP.

CAP. XIX.

Maria.

Anagramma 8.

I, arma,

Hoc eſt: *Ito ad arma:*

Aut: *Ito, & armato.*

1 TErribilis ut caſtrorum acies ordinata, Cœlorum Imperatrix dicitur; & ſiquidem coram acie ſumus, dum linguà invocamus *Mariam*, mente vertamus Nominis fortiſſimi literas, iterumque *Arma*, & *Arma* dicamus. Ad Arma, ad Arma, Orthodoxi Chriſtiani, hoc eſt, ad *Mariam*: quotquot enim eà carent, inermes ſunt; & quotquot non carent, armati.

2 Igitur, Devoti Auditores, *abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut* (ut ſic) *in die honeſtè ambulemus.* Id nos docet Apoſtolus *ad Rom.* 6. cujus verba ſingulatim exponam. Opera tenebrarum ſunt culpæ; & quià fruſtrà victoriam ſperaret Pugil catenis, & compedibus obrutus, vos culpas, quibus concatenati eſtis, abjicite, & expediti in arenam intrate. Arma Lucis induite. Quæ tamen arma? Cujus Lucis? An Lux indicet, aut utitur armis? Lux, de quà inpræſentiarum, Chriſtus eſt, qui meritò ab Ambroſio dicitur,

Splendor paternæ gloriæ
De luce lucem proferens,
Lux Lucis, & fons luminis,
Diem Dies illuminans.

Hæc divina Lux, cùm induit fragilitatem noſtram, armis quibus ſe muniret, non eguit; nam à Divinitate protecta debuit hoſtium inſultus ſuperare. At quia nos nudi eramus, & perpetuò debebamus confligere, nobis *Arma* providit (*Mariam* intelligo) quibus tecti, protecti: quibus veſtiti, muniti: quibus induti, tuti.

3 O mi Deus, quàm altè nunc intelligo illud civile Axioma: *Sileant leges inter arma.* Ethnicè ipſum pro Milone expoſuit olim Cicero; illud ego Chriſtianè. Peccavimus, Domine Deus, in Patribus noſtris originaliter; injuſtè egimus; quia contra Te; iniquitatem fecimus; quia contra Proximum. Læſæ ſunt Leges Divinæ, humanæque, nos reos inclamāt, & dignos pœna æterna pronunciant. At nos Lucis Arma appellamus. Annè à Lege Divina appellari permittitur? Annè armorum ſtrepitus in appellatione toleratur? Hæc ſunt Armorum Lucis, hæc *Mariæ*, hæc Chriſti ſtupenda miracula. Clamant Jura, & polaria, & politica, à nobis læſa, à nobis fracta. Mariam inclamamus, Miſericordiæ Matrem; ipſa Chriſtum, hoc eſt, Miſericordiam. Nos armamur Virgineo Patrocinio; & his armis tantus excitatur ſtrepitus, ut leges audiri non valeant. Silent igitur, dum arma clamant; clauduntur ora Juſtitiæ etiam Divinæ: appellatur Clementia, Miſericordia loquitur, & hæc ſola auditur inter Lucis Arma.

4 Lucis arma indui, & ſtatim ſenſi intellectum meum, & illuminatum, & armatum: jam clariùs, fortiùs, & ſecuriùs diſcurro; jam altè intelligo illa verba: *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti* (& volentes) *rapiunt illud.* Cœlum, aliàs inexpugnabile, neſcit reſiſtere armis Lucis, *Mariæ* verbis. Verbo Deus Cœlum condidit, Verbi virtute illud *Maria* promeruit, nobis Verbi miſericordia illud aperit, ut triumphantes intremus. Violentia infertur naturæ, ſed nihil violentum eſt volenti, nihil arduum armato, nihil invium conducto, nihil periculoſum homini à Principe Angelorum protecto.

CAP. XX.

Maria.

Anagramma 9.

Armai.

1 DIcet fortè aliquis: Ut quid intrudere vulgaria verba Latinis? Et ego inquam: fortaſsè meliùs aliquando noſtrū explicant conceptum vulgaria verba, quàm Latina. Vidimus Caramuelem ex literis Parthenii nominis condidiſſe Arma Lucis. Nos verò Deiparam conſideramus de propria Armorum officina clientes ſuos armare, & illam inducimus breviloqua Ethopeia dicentem: *Armai:* ideſt: *Armavi.* Et quem, vel quos belligera Virgo armaſti? Planè Deipara, Bellatrix egregia, Dei filium armis præcinxit humanitatis, ut ad præſidium, & defenſionem divinum nobis daret in carne bellatorem, qui fortem, & antiquum, & potentem debellaret Armatum, ejuſque vaſa, & ſpolia diriperet. Unde Fulgentius *ſerm.* de S. Stephano, pulchra antitheſi pugnam, & victoriam Prothomartyris triumphalem, & initia præliorum Chriſti à natalitio die ſuſcepta deſcribens, inquit. Heri Rex noſter trabeà carnis indutus, de aula uteri virginalis egrediens, viſitare dignatus eſt mundum: hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migravit in Cœlum. Ille ſempiternæ Deitatis majeſtate ſervata, ſervile cinctorium carnis aſſumens, in hujus ſeculi campum pugnaturus intravit: iſte depoſitis corruptibilibus corporis indumentis, ad Cœli palatium perenniter regnaturus aſcendit. Ille deſcendit carne velatus: iſte aſcendit ſanguine laureatus, &c.

2 Nec quidem dubius ego Filium à Matre lorica carnis accinctum, ut eo ſub habitu militari occultatus, novo aſtu fallaciſſimum deciperet pugnatorem, qui dum putat fragilem invadere hominem, à fortiſſimo Deo, qui latebat in homine, ſe victum eſſe ſentiret. Plutarchus in Laconicis refert; quòd Mater Lacæna clypeo obarmans filium: *Cum hoc*, inquit, *aut in hoc redi.* Nempè ut ſe fortiter gereret, & vel rediret victor cum clypeo, vel morte occumbens omnibus victoriis glorioſiore, in eodem clypeo, tanquàm in curru ſui triumphi, aliorum manibus rediret elatus. Et mihi videor Virginem Matrem omnibus Lacænis præſtantiorem, cum Filium ſuum clypeo, & loricà humanitatis armavit, audire dicentem: *Et cum hoc, & in hoc redi:* poſtquam paſſione tuà redemeris mundum, proſtraveris hoſtem, & expoliaveris poteſtates, & principatus inferni.

3 Et ò quam glorioſè pugnavit. Quandoquidem, ut ait Joannes Raulinus Cluniacenſis *ſerm.* 2. in die Paſch. Vulgò dicitur: Plus valet ingenium,

quàm

quàm fortitudo. *Sap.6. Melior eſt ſapientia, quàm vires, & vir prudens, quàm fortis*. Inter luctantes non ſemper fortior vincit, ſed cautior. Undè alter pugillum quandoque ſcienter ſe permittit cadere, & quandoque eodem impetu ſub ſe revolvit inimicum. Quem modum luctandi videtur nos docuiſſe Chriſtus, qui cùm in campo Crucis bellum prò nobis contrà diabolum gereret, permiſit ſcienter ſe per mortem cadere, ſed illo caſu mortis auctorem ſuperavit. Undè & idem Cluniacenſis *ſerm.* 3. Chriſti triumphum in hoc prælio de morte novo pugnandi genere revectum, ut ſcilicet mortem occiſus occideret, & poſtmodum redivivus Sole pulchrior oriretur, omnibus adorandum proponit. Hæc, inquit, eſt dies Domini, quam fecit Dominus, ſcilicet reſurrectionis ad vitam. De qua in figurà *Exod.* 12. *Habebitis diem hanc*, ſcilicet Paſchæ, *in monimentum, & celebrabitis eam ſolemnem in cunctis generationibus veſtris cultu ſempiterno*. De qua *Eccli.* 1. *Oritur Sol*, ſcilicet in incarnatione, *& occidit* in paſſione: *girat ad aquilonem*, cùm corpus eſt in ſepulchro, & anima in Inferno. Tunc enim oriebatur Sol inferis, & occidebat ſuperis: & renaſcitur in die reſurrectionis. Morte quippe occiſà per mortem, hodie vita noſtra cum eo ſurrexit. Undè Auguſtinus in homilià. Dominus enim, qui ſemper vivit, ut occideret mortem, veſtitus eſt morte. Non enim potuit mors mori niſi in vita. Non moritur amaritudo niſi in dulcedine, nec frigus niſi in calore: nec mors niſi in vità: & hoc quandò Leo fremebat adversùs Agnum, & Agnus occidit Leonem. Ideò prò hac victoria Agni à ſeculis inaudità meritò dicitur: Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eà.

4 Sed quanta gloria decorus! Quali inſignitus honore! Quibus vulneribus Sole fulgentioribus etiam poſt triumphum ornatus apparuit! Scilicet ut in cicatricibus corporis ſigna prælii, & characteres triumphi manerent, & ad oſtendendum, quod eam humanitatem, quam à Matre tanquam loricam, & ſcutum acceperat, in qua pugnaret, triumphalibus revereret ornamentis onuſtam. Jam Cluniacenſis *ſerm.* 1. *Fer.* 3. Paſchæ hæc innuit exponens Chriſti verba Apoſtolis dicta: *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & oſſa non habet. Ioan.* 19. Hoc eſt, inquit Cluniacenſis, videte quomodò calciatus ſum, & quomodò chirotecatus ſum propter vos. Iſtæ ſunt ſagittæ, quas in manibus, pedibus, & latere ſuſcepit prò nobis, medium ſe obiiciendo contrà hoſtes noſtros.

Primò videbat ſagittas Dei Patris nobis comminantes. *Deut.* 35. *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis*. Videbat etiam tela nequiſſimi ignea in nos directa: ideò ſe medium oppoſuit. Aquila dum Sagittariorum ſagittas timet, pullos ſuos portat in tergo, & corpus proprium inter ſagittatorem, & pullos interponit. Sic Chriſtus, qui velut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos, expandit alas ſuas, ideſt, brachia in Cruce; aſſumpſit, & portavit nos, & ubi corpus ſuum foratum eſt, ſcutum interpoſuit, & vulnera nobis infligenda ſuſcepit. Nam quantæ fuerint ſagittæ potentis acutæ: qualia fuerint tela nequiſſimi ignea, declarant prò nobis ſuſcepta vulnera. Bernardus in quodam Sermone de Spiritu fortitudinis. Januis clauſis intravit Dominus: manus, & lateris, ſicut ſolet miles in ſignum virtutis clypeos, ità foramina demonſtravit. 2. *Reg.* 22. *Dominus ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ*.

5 Armavit igitur Filium Virgo Mater, ſed & devotos famulos ſuos præcingit munitiſſimis armis: & ideò de eà dicitur *Cant.* 4. *Sicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex eà, omnis Armatura fortium.* Ipſa enim eſt Eccleſiæ Armamentarium, de quo Chriſtifideles arma ſumunt ad præliandũ. Undè Albertus Magnus *lib.* 11. *de laudib.* B. Mariæ *c.* 5. de omni armorum genere hujus Turris ſic loquitur. Propugnacula ſunt virtutes, & gratiæ, dignitates, & prærogativæ, intentionum puritas, & operum ſanctitas, virtus orationum, & merita operum, per quæ Beata Virgo pœnitentes protegit, maximè ſi propugnare voluerint prò regno Cœlorum, per quæ debellat hoſtes, vel inimicos.

Sequitur. *Mille clypei pendent ex eà.* In millenario clypeorum, perfectio protectionis ſignatur. Pendent, inquam, quaſi de eminentià vitæ ejus, exemplo, auxilio, & documento: quia exempla Virginis, quæ nobis inſinuantur per Scripturam, & adjutoria, quæ ſuis exhibet veneratoribus, & ad ſe confugientibus, & documenta verborum ipſius, nos incitant, & inſtruunt ad pugnandum.

6 *Omnis armatura fortium.* Iſtud expoſitivum eſt ejus quod dicitur, *Mille clypei*. Vel dicit: *Omnis armatura fortium*: innuens duplicem armaturam, ſcilicet protectionis, & impugnationis. Lorica, galea, ocreæ, & clypeus ſunt armatura protectionis. Clypei ſunt virtutes, quæ repellunt jacula diaboli, ut eſt prudentia contra inſidias diaboli, temperantia contra ignita jacula carnalis concupiſcentiæ, & hujuſmodi. Item *Sermo Dei clypeus ignitus eſt*. *Prov.* 30. Item fides clypeus. Undè *Epheſ.* 5. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei*, &c.

Armatura impugnationis, lancea, gladius, jaculum, clava, & hujuſmodi, ſcilicet opera virtuoſa juſtitiæ, miſericordiæ, pietatis, orationis, quæ fortes defendunt, & diabolum confundunt. Clamandum eſt igitur jugiter ad Mariam: *Eſto mihi*, ò Domina, *turris fortitudinis à facie inimici*. Item: *Expugna impugnantes me. Apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi*. Hactenus ille. Et his armis beata Virgo ſuos devotos, & veneratores armat, munit, tegit, & protegit.

CAP. XXI.

Maria.
Anagramma 10.
I aram.

1 PIngebant veteres Ægyptii in hieroglyphicis omnes paſſiones, & virtutes: & inter ipſas ſummam Animi demiſſionem, & reſignationem ſpecie bovis inter aram, & aratrum medii cum hoc lemmate: *Ad utrumque paratus*. Et ego, quoniam in Ezechiele *c.* 1. & 10. legi boves converti in Angelos, nolo cum Leone ſuperbeſcere, nolo cum Aquila ſupervolare, nolo cum hominem nimium diſcurrere, cùm agitur de vità ęternà, quæ humiliter deſcendendo, & captivando intellectum adquiritur.

2 Bos ſum inter aram, & aratrum, inter Mariam, & Martham, inter Contemplationem, & Actionem poſitus; & quò me vertam ignoro. Conſulo Cœlites, & *I Aram* dicunt; & nè deviem, aut errem, grandi *Ara* nomine *Mariam* intelligunt, *Mariam* exponunt. An nè *Maria* eſt *Ara?* Aſſertivè reſpondeo; & illi approprio pulcherrima Naſonis *Faſt.* 5. carmina. Sic inquam.

3 *Nos quoque tangit honos, feſtis gaudemus, & aris,*
Turbaque Cœleſtes ambitioſa ſumus.
Sæpè Deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et prò delictis hoſtia blanda fuit.
Sæpè Iovem vidi, cùm jam ſua mittere vellet
Fulmina, thure dato ſubſtinuiſse manum.
At ſi negligitur, magnis injuria poenis
Solvitur, & juſtum præterit ira modum.

Authoris mentem non examino; verba retineo; meam propono. Angelos omnes ſuæ Reginæ ſervire video, aut invideo; & quià æmulor Dei æmulatione, nomine Mortalium ſic eloquor.

4 Regnatis Cœlites, quià Regum Reginæ ſervitis; *nos quoque tangit honos*, volumuſque exemplo veſtro Virgini divinæ famulari. Ejus *feſtis gaudemus*, & ſolemni apparatu multas quotannis celebramus. Et quià ipſa non ſolùm ſimplex, ſed multiplex ara eſt, gaudemus *ara, & aris*. *Mariam* ardemus, ut in Marià ardeamus, & holocauſti inſtar conteramur in cineres, & ſicut incenſum in conſpectu Domini aſcendamus ad Cœlos. Sanè vulgus empyrea amans, *turbaque Coeleſtes ambitioſa ſumus*; & hæc ambitio bona eſt, & Mariano patrocinio fovetur.

5 *Sæpe Deos* humanos (Reges, Principes) *aliquis peccando* (immò & ſæpè precando) *fecit iniquos*; crebrò enim peccata obſequia reputant, crebrò preces injurias; quoniam iniqui ſunt, ut faveant, fato, aut caſu, non virtute moventur. Sæpè apud Cæſares habita prò ſceleribus obedientia, & ſinceritas, *& prò delictis hoſtia blanda fuit*. At omnia aliter habentur apud Deum. Juſtus eſt, & univerſis ſtipendia meritorum largitur; punit peccata, & virtutes coronat.

6 *Sæpè Iovem* (Jeovam) *vidi, cùm jam ſua mittere vellet Fulmina*: & quià *Ara* hæc Parthenia cœpit teneri à peccatoribus, ornari floribus, rigari lachrymis, flammis charitatis ſuccendi; vidi etiam Deum auro devotionis oblato, myrrhà mortificationis poſità, & orationis *thure dato, ſuſtinuiſse manum*. Curanda eſt omninò pœnitentia, altera poſt baptiſmum tabula; *nam ſi negligitur magnis* (immò æternis) *injuria poenis ſolvitur*: & tamen, quià Deus, cum iraſcitur, miſericordiæ recordatur, *juſtum præterit ira modum*: nam ſi in aliquà actione, etiam malà, aut modus agendi ſit bonus, aut aliqua circunſtantia honeſta, hanc ira præterit; non enim ſub Deo juſto, vel unica formalitas bona punietur, vel unica coronabitur mala.

7 Sed dictis à Caramuele unicum verbum ſuperaddam. Et Deipara, inquam, eſt *Ara Maxima* Pontifici Maximo, & Sanctorum Sanctiſſimo dicata. Et ad quid hæc Ara? Nimirùm ut peccatoribus eſſet prò aſyli refugio. Fuiſſe enim aras apud veteros, inquit Pierius lib. 49. hieroglyphicorum uti etiam nunc ſunt, ſanctioris aſyli loco, nulli non exploratum eſt. Hinc apud Maronem Priamus, omnia alià ſalutis ſpe abiecta, ad aram confugit, cui dixerat uxor: *Hæc ara tuebitur omnis*. Et Marci Tullii dictum prò Roſcio Comædo: *Sicut in aram confugit ad hujus domum.* Et apud Terentium: *Nemo te accuſat Syre, nè tu aram tibi, aut deprecatorem pararis*. Et Ovidius de Triſtibus:

Vnica fortunis ara reperta meis.

Quam quidem ſententiam quilibet, qui patrimonium gratiæ prodegit, quantumvis ſcelerum maculis ſordidatus, quantumvis penè abſorptus deſperationis abyſſo, ſi ſe ad meliorem frugem recipere velit, dicere poteſt: Tu Virgo, Angelorum Princeps, Regina Cœli, Aulæque Cœleſtis Imperatrix Auguſta: Tu ſola, Tu potens:

Vnica fortunis ara reperta meis.

Quid tu non ſis mihi propitia, miſericordiæ mater, Ara propitiationis, & pietatis, cùm Tu meliùs, & veriùs, quàm apud Athenienſes, ſis Ara peculiaris miſerationi ſacra.

8 Notandum tamen, ut loquar cum Bernardino Buſtenſi *ſerm.* 6. de filii Dei incarnatione ex Virgine, quòd in hoc altari, ſive arà, ſcilicet Virgine glorioſà, quæ eſt altare exemplarium, ſi quis attendat, reperiet plenè qualiter actus brutales, & beſtiales debeat occidere; & de occiſis facere ſacrificium Deo corde contrito, & humiliato. Nam in hoc altari inveniet malleum humilitatis ad conterendum Leonem Superbiæ, aculeum charitatis ad feriendum ſerpentem invidiæ, ſtimulum paupertatis ad percutiendum lupum avaritiæ, jaculum virginitatis ad interficiendum porcum immunditiæ: ibique omnia arma parata inveniuntur ad effuganda omnia peccata.

CAP. XXII.

Maria
Anagramma 11.
Mì Ara.
Id eſt: *Mihi es Ara*.

1 NOn poſſum ab Arà hàc Virgineà diſcedere, libenter ardeo. Sic aliis, Angelorum Regina, Vita, Dulcedo, Spes; mihi eris omnia, modò mihi ſis Ara. Et vos Mortales Silium 12. Bell. Pun. audite, & intelligite utiliore conceptu. Ait ille:

Ferte. Modo & tepidos Aræ libato cruores.

Ferte, afferte, auferte. Feretis proximos, ſi alter alterius onera portetis; feretis grata munera, ſi voluntatem reincidendi auferatis. Sed quid debetis conſecrare? Sanguinem; immò ſanguines etiam: multis enim vinculis ſanguis obſtringit hominem; & hæc omnia debent Deo conſecrari.

2 Dixit Chriſtus: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, vel Patrem, vel Matrem, vel Vxorem, vel filios, vel agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Et vos dicitis: Nexu ſanguinis ſtrictiſſimo tenemur Parentibus, fratribus, filiis; & quià poſſeſſiones ſunt media, quibus ſuſtinetur familia, etiam domibus, &

agris egemus; ut tepida ſunt ſanguinis omnia iſta vincula, & illa *Aræ*, & *Modo* libamus: hoc eſt Chriſto, & Mariæ.

3 Annè Chriſtus eſt *Ara*; Maria *Modus*? Maximè. Primò enim, Crux eſt ara, & Crucifixus victima, quæ in ipſa Parenti divino immolatur. Eccleſia in Hymno.

Chriſto canamus Principi,
Cuius Corpus Sanctiſſimum
In arà Crucis torridum
Cruore eius roſeo
Guſtando vivimus Deo.

Secundò, in Chriſto crucifigimur, & tum ipſemet eſt Crux, nos ſuffixi; ipſe eſt Ara, nos victimæ dicatæ Deo.

4 Tertiò, Virgo Mater eſt Ara, in quà noſtræ incenduntur preces, ut non iam tepidæ ſint, ſed ferventes. Undè Eccleſia Deo: *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine*; & inter alia, quàm eminens illud, ob quod dixit Maria: *Magnificat anima mea Dominum. Omnia in Sapientia feciſti; repleta eſt terra*. Sed quæ terra? Illa, de quà dicitur: *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem*: Illa, quæ eſt plena gratià, repleta Deo. Illa quæ noſtras preces ſuſcipit, fovet, & igne charitatis ſuccendit. Igitur, *Dirigatur Domine, oratio noſtra, ſicut incenſum in conſpectu tuo.*

5 Sed uter eſt Modus alterius? Chriſtus Mariæ, an Maria Chriſti? Multi, ut Modi eſſentiam circumſcribant, confugiunt ad abſolutam Dei omnipotentiam, illumque eſſe Modum affirmant, ſine quo res poteſt, & ſolet eſſe, qui ſine re eſſe, nec divinitùs poteſt. Nos hìc mitiùs, & temperatiùs, ordinariam poteſtatem urgebimus, præſcindemus ab extraordinarià. Et quia docet Oviedus contr. 6. punct. 6. n. 4. creaturas eſſe modos extrinſecos Dei; dicam primò, Chriſtum eſſe modum Deiparæ: ſecundò, aliter urgebo conceptum, & aſſeram Deiparam eſſe Chriſti modum.

6 Maria quindecim annis Chriſto antiquior, de facto ſine Chriſto fuit, Chriſtus ſine Maria nunquam fuit, nunquam erit; ergo ſi ſanguinem tepidum libare jubemur Modo, & Aræ, tenemur libare Chriſto, & Virgini, nam Chriſtus eſt Virginis Modus. Cicero de Oratore. *In omnibus rebus videndum eſt quatenùs. Et ſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium, quàm parum*. Et Poeta vetus:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

Omnis igitur homo ſuum modum habet, ſuam legem, ſuam regulam, ad quam omnes vitæ actiones elimat. Alii nimietate, alii avaritia peccant. Virtus in medio eſt, hoc eſt in Chriſto. Quoniam

Latrones inter Salvator quandò pependit,
Aut nunquàm, aut virtus tunc fuit in medio.

Apud nonnullos vitæ modus eſt præcipitatio, prodigalitas, furor: apud alios timor, tenacitas, puſillaminitas. At apud Beatam Virginem vitæ modus fuit Chriſtus. Chriſto enim concepta, Chriſto nata, Chriſtum concepit, Chriſtum peperit: eidem vixit, eidem obiit, ad eundem abiit, & cum eodem regnat in ſecula.

7 Vel dicamus Mariam eſſe Modum Chriſti: hunc ſinè illà eſſe nolle, iſtam non poſſe. Video illam ſinè filio à quopiam iuniore Apelle pictam; at ſubitam audio; &, ni fallor, hæc verba.

Neſcio cur Matrem ſinè Gnato pinxeris: eſſe
Nam ſine me potius, quam ſine prole queo.

Igitur Chriſti modus eſt, quæ ſinè Chriſto eſſe non poteſt. Et hæc quidem magno acumine Caramuel eruditiſſimus in diſſerendo, & accutiſſimus in ſpeculando. Nos verò à longè ejus ſequentes veſtigia aliter ſpeculabimur, & in ſequenti capite cauſam ex novo quæremus Anagrammate, propter quam Deiparæ titulus Aræ conveniat.

CAP. XXIII.

Maria
Anagramma 12.
Ar ima.
Ideſt: *Ara ima.*

1 Iſidorus, qui vocabulorum origenes perſcrutatus, lib. 15. cap. 4. perfectam undequaque tradit Aræ etymologiam, & propriam differentiam inter Aram, & Altare. *Aram* inquit quidem vocatam dixerunt, quod *incenſæ* ibi victimæ *ardeant*. Alii *aras* dicunt à precationibus, ideſt, quas Græci ἄρας vocant, undè contrà imprecatio ſatyra dicitur. Alii volunt *ab altitudine aras*, ſed malè. *Altare* autem *ab altitudine* conſtat eſſe nominatum, quaſi *alta ara*. Ad declarationem igitur Anagrammatis, quatuor à nobis ſunt diſtinguenda, quæ in anagrammaticis nominis Virginei literis ſociantur. Primum, cur *ab ardendo* ſit dicta *Ara*. Secundum, cur Græci *aram à precationibus* appellaverint. Tertium. Cur *Ara* non *ab altitudine*, ſed ab *imitate* ſit appellata. Quartum, cur *Altare* denique *Alta ara* vocetur.

2 *Aram* non immeritò *ab ardendo* appellavi Deiparam, quia ipſa tanquàm amoris Victima igne charitatis cremata ſemper ardebat. Nam ſi Paulus charitatis igniculo flagrans dicere non dubitabat: *Quotidie prò vobis immolor:* Quid ipſa mater amoris, quam Spiritus Sancti flamma totam penetraverat, atque ſuccenderat? Inextinguibili ſanè hæc Ara conflagrabat igne, & perpetuo Victima hæc charitatis incendio cremabatur.

3 Hinc Jacobus de Voragine ſerm. 5. de B. Virgine triplicem ignem in Ara Virginea contemplatur ardentem; ſcilicet erga filium, erga Deum, & erga proximum. Amabat quidem, inquit, filium amore præcordiali, & intimo. Amabat Deum amore Seraphico. Amabat cætera omnia amore ordinato.

Filium quidem amabat amore præcordiali, & intimo, quod taliter oſtendi poteſt. In Chriſto enim erat triplex ſubſtantia, ſcilicet caro, anima, & deitas. In Matre ſimiliter erant tria, caro, anima, & ſpiritus. Erat igitur inter matrem, & filium triplex conjunctio, ſcilicet carnis ad carnem ſecundùm naturam, animæ ad animam ſecundùm amicitiam, & ſpiritus ad Deitatem ſecundùm gratiam. Amabat igitur Chriſtum amore naturæ, ut mater filium. Amore gratiæ, ut creatura Creatorem ſuum. Amore amicitiæ, ut amica dilectum. Tam magnus igitur amor fuit matris ad filium, quòd ipſa tota erat in amorem converſa. Sicut enim ferrum miſſum in igne

igne totum efficitur ignis, ſic ipſa charitate ſuccenſa, tota facta eſt charitas, quià ipſa tota in amorem converſa, & liquefacta erat. *Cant.* 5. *Anima mea liquefacta eſt*, &c. quià ipſa tota erat amore vulnerata: unde dicit Sponſa: *Vulnerata charitate ego ſum.*

4 Secundò, ipſa amabat Deum amore Seraphico. Sicut autem dicit Dionyſius in Angelicà hierarchià. Amor Seraphin eſt mobilis, acutus, calidus, & ſuperfervidus. Amor igitur Dei fecit eam mobilem ad citò credendum Deo. Secundò, fecit eam acutam, id eſt, humilem ad ſubiiciendum ſe Deo. Sicut enim ſuperbia facit hominem groſſum, ſic humilitas facit ſubtilem, & acutum. Iſta duo tangit, cùm dixit: *Eccè Ancilla Domini*. Eccè humilitas in ſubiiciendo ſe Deo. *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Eccè magnanimitas in credendo. De his duobus dicit Bernardus. Iſta tanta humilitas non minuit ejus magnanimitatem, nec tanta ejus magnanimitas tantam ejus humilitatem; ut in ſui æſtimatione eſſet humilis, & nihilominùs in promiſſionis credulitate magnanimis. Agit hoc nimirum in ſervis Dei divinæ gratiæ prærogativa, ut eos nec humilitas puſillanimes, nec magnanimitas faciat arrogantes.

Tertiò fecit eam calidam, ideſt, valdè ferventem, quià mox ad alta virtutum conſcendit, quod ſignificatum eſt in hoc, quòd concepto Salvatore ſtatim abiit in montana. Ambroſius ſuper Lucam. Abiit in montana non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuncio, nec quaſi dubitans de exemplo, ſed quaſi læta prò voto, religioſa prò officio, feſtina prò gaudio. Quò enim jam Deo plena, niſi ad ſuperiora conſcenderet? Et hoc cum feſtinatione, quià neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Beda in homil. Abiit in montana, quæ guſtatà ſuavitate ſupernorum civium, humilitatis greſſibus ſe ad alta virtutum tranſtulit. Tres autem cauſas ponit Ambroſius, quarè ivit cum feſtinatione. Una eſt, quià nolebat diu morari in publico. Secunda eſt, quià impellebatur ab immenſo gaudio. Tertia eſt ad innuendum, quòd ferventes debent eſſe illi, qui ſunt pleni Spiritu Sancto.

Quartò fecit eam ſuperfervidam, ideſt, in ſolo Dei amore quieſcentem. Omnem enim amorem mundanum impatienter ferebat, & ſolum Dei amorem anhelabat. *Cant.* 5. *Nunciate dilecto meo, quid amore langueo.*

5 Tertiò, amabat cætera omnia amore ordinato. Nam ſecundum Auguſtinum quatuor ſunt gradus amoris. Primò enim debemus quod ſupra nos eſt diligere, ſcilicet Deum: deindè quod nos ſumus: deindè quod juxtà nos eſt, ſcilicet proximum: deindè quod infrà nos eſt. Beata igitur Virgo ordinatum amorem habuit, quià quod ſuper ſe erat reverenter diligebat, ſcilicet Deum. Et quod juxtà ſe erat, ſcilicet filium dilexit dulciter. Quod ipſa erat, ſcilicet ſeipſam dilexit ſapienter. Quod infrà ſe erat, ſcilicet genus humanum dilexit miſericorditer. Propter iſta quatuor ipſa dicit *Eccli.* 24. *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.* Ipſa enim fuit *Mater pulchræ dilectionis*, quò ad filium, qui præ ſui pulchritudine eſt diligendus, quem dilexit dulciter: *Et timoris*, quò ad Deum, quem timore filiali dilexit reverenter: *Et agnitionis*, quò ad ſe, quià ſe dilexit ſapienter: *Et ſanctæ ſpei*, quò ad genus humanum, quod dilexit miſericorditer. Eccè Deipara amoris victima, & Ara ſemper ardens charitatis incendio.

6 Si verò Græcorum conſideres etymologiam, qui *Aras* à precationibus dicunt: ò quàm nobis proficua eſt Ara Parthenia? Ara quidem, ideſt, Mariæ deprecatio aſcendit ad Deum, & deſcendit Dei miſeratio. Quid de mundo foret, niſi Maria Deum prò nobis precaretur? Quid de peccatoribus, niſi ipſa ſuis precibus iratum Numen placaret? Undè Caſſianus ad Virginem exclamando ait: Tu Patrona humani generis: Tu cunctis afflictis Medica ſingularis. Quis tuo non eget munere, cum ſit peccare commune? Et Bernardus ſerm. de B. Virgine, ut quilibet licèt criminoſus ad aras precationis Marianæ confugiat, inquit. O peccator ſi ad conſpectum Patris accedere times, ne liqueſcas quaſi Cera à facie ignis, vade ad mediatricem, Matrem miſericordiæ, & oſtende ei vulnus, & ulcera, & ipſa prò te oſtendet filio pectus, & ubera; & filius Patri latus, & vulnera. Pater non negabit filio: Filius non negabit Matri: & Mater non negabit tibi.

7 Teneamus igitur manibus piæ devotionis hanc Aram, quià in ipſa ſpes vitæ noſtræ, & virtutis eſt ſita. Nec dubium: Cùm & ipſa de hoc nobis fidem faciat *Eccli.* 24. *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Quæ verba Albertus Magnus lib. 6. de laudib. B. Mariæ c. 1. n. 3. in hunc modum interpretatur. *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis*. Omnis ſpes, inquit: quia ſpes omnis boni. Bonum duplex, quod eſt finis, ſcilicet vita, & quod eſt ad finem, ſcilicet virtus. Et ipſa ut *ſpes vitæ*, quià per ipſam ſperamus habere vitam: *& virtutis*, id eſt, conſtantiæ. Quaſi dicat: In me omnis ſpes vitæ habendæ, & continuandæ. In ipſa enim eſt ſpes noſtra, ſpes ſcilicet vitæ, & virtutis per fiduciam impetrandi: quià ipſa eſt arcus (*& ara*) in nubibus in ſignum juſtificationis. *Geneſ.* 9. Quià juſtificati per eam aſcendunt.

8 Aliter: *In me omnis ſpes*. In ea enim eſt omnis ſpes, & antiquorum, & noſtra. Vel *Omnis ſpes*: quià in alio non eſt ponenda ſpes, quàm in Chriſto, & Marià. *Maledictus homo qui confidit in homine. Ierem.* 17. Vitæ æternæ habendæ, & virtutis viæ, quà pugnatur contrà vitia. Vel *Omnis ſpes vitæ*. Antè nativitatem enim beatæ Mariæ regnabat mors in mundo, quæ à primis Parentibus introducta eſt, qui manibus, & verbis accerſierunt illam. *Sap.* 1. Per Mariam verò, quæ Chriſtum genuit, ſuffocata eſt mors. Undè Chriſtus dicit *Oſeæ* 11. *Ero mors tua ò mors.*

9 Aliter: Hæc verba verè potuit dicere Maria poſtquàm conceperat Salvatorem. Quaſi diceret. In me eſt ille per carnis aſſumptionem, à quo eſt omnis ſpes vitæ triplicis, vitæ naturæ, vitæ gratiæ, vitæ gloriæ, & virtutis. Quià ipſe eſt, qui dat laſſo virtutem *Eſa.* 40. Et his, qui non ſunt, fortitudinem, & robur multiplicat. Vel: *In me eſt ſpes omnis virtutis*: quià habuit in ſe omnem virtutem Theologicam, & Cardinalem. Quas etiam virtutes ſperantibus in ſe ſubminiſtrat ſuis orationibus, & exemplis. Debemus igitur beatæ Virgini ſpem: quià ſicut dicitur *Prov.* 29. *Qui ſperat in Domina*, id eſt, *Maria*, quæ Siriacè interpretatur *Domina*, *ſublevabitur*, id eſt, *ſurſum levabitur*: & hoc in præſenti, & in futuro. Surſum levabitur, id eſt, ſuprà

carnem, mundum, & diabolum per gratiam in præſenti, ſurſum levabitur per gloriam in futuro. Hactenus ille.

10 Verùm quid eſt quòd Virgo Beata appellatur *Araima*? Proprium hoc eius eſt humilitatis inſigne. Licet ſit Ara, ad quam omnes confugiunt, & non niſi beneficiis onuſti recedunt: licet ſit Ara, quæ precibus ſuis divinas temperat iras, & Omnipotentem fulminibus ſuis exarmat: licet ſit Ara Divini beneplaciti & quam vult propitiationem à Divinitatis tribunali prò ſibi devotis obtineat: licet ſit Ara in quà Dei filius in primo Mundi ingreſſu ad redemptionem humani generis eſt immolatus: denique licet Ara ſit Regum, ideſt, divinarum in Trinitate Perſonarum: nam Pater illam ſibi conſecravit in filiam, Filius in Matrem, & Spiritus Sanctus in Sponſam: tamen non ab altitudine dignitatis, ſed ab imo humilitatis denominari vult Ara.

11 Præceſſit aliqualis tantæ humilitatis figura in Eſther, quæ cum ad Regnum Aſſueri fuiſſet exaltata; tamen de ſe humiliter ſentiens, confitebatur Deo: *Tu ſcis Domine, quòd abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, & nunquam lætata ſum Ancilla tua niſi in te Domine Deus. Eſth.* 14. Quæ verba Iacobus de Voragine *ſerm.* 6. de B. Virgine ad Deiparæ præconium transfert. Commendabilis, inquit, fuit tanta humilitas, quæ cum eſſet Regina, tamen ſic erat humillima. Humilitas enim honorata multum eſt Deo grata. Iſtam humilitatem habuit Virgo beata, quę licet fuerit ab Angelo reverenter ſalutata; licet à Patre cœleſti, ab æterno fuerit electa, & præelecta; licet filio fuerit imprędnata: licet à Spiritu Sancto fuerit omni gratià repleta; licet à totà Trinitate in Reginam ſit electa, & aſſumpta: tamen recognoſcit ſe minimã Ancillam, dicens: *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Bernardus ſuper *Miſſus eſt.* Quę eſt hęc tam ſublimis humilitas, quæ honori cedere novit, inſoleſcere glorià neſcit? Dei mater eligitur, & Ancillam ſe nominat. Non eſt magnum eſſe humilem in abiectione. Magna verò prorſus, & rara virtus, humilitas honorata.

12 Sed ſi attendatur, quod Beata Virgo etiam dici poteſt *Altare*, ideſt, *alta Ara*, planè contradictio eſſe videtur, cum dixerimus non alio titulo Dei Matrem, quam *Aræ humillimæ* nomine gloriari. Eſt enim oppoſitio inter imum, & altum; inter humile, & magnum. Verùm & hoc eſt humilitatis myſterium. Inter virtutes ſiquidem non oppoſitio, vel contradictio, ſed perfectionis excellentia datur. Et ideò humilitas ima, & alta, humilis eſt, & excelſa; & non ſinè ratione *Altare* dicitur quaſi *alta Ara*; quià Altare ſignificat humilitatem. Ità Philippus de Greve *ſerm.* 250. in illud *Pſal.* 116. *Vſque ad cornu altaris.* Altare, inquit, eſt humilitas, quæ poſt omnia eſt ſervanda, & ita fit, *uſque ad Cornu altaris.* Ipſa meretur exaltationem. Undè *Eccli.* 11. *Erexit eum ab humilitate ſuà.* Altare, ut habetur *Exod.* 27. Erat de terrà, & concavum, quatuor cornua habens. De terrà erat: Et humilitas dicit. *Eccl.* 10. *Quid ſuperbis terra, & cinis.* Erat concavum: Et humilitas ſe reputat vacuam. Dicit enim *Eſa.* 3. *Non ſum medicus: nec eſt panis in domo meà: neque veſtimentum, &c.* Quaſi dicat: Nihil habeo. Quatuor cornua habens, & humilitas in quatuor conſiſtit, quæ ſunt: Spernere mundum: Spernere nullum: Spernere ſeſe: Spernere ſe ſperni. Cornu autem altiſſimum, eſt ſpernere ſe ſperni. Uſque ad Cornu altaris diem ſolemnem conſtituit, qui ad hunc gradum humilitatis pertingit.

13 Te igitur Deiparam Sacratiſſimam omnium Aram virtutum, omnium perfectionum veneramur Altare. Te colimus Aram propter humilitatem. Te veneramur Altare propter humilitatis excellentiam. Sis nobis Ara propitiationis. Sis nobis Altare protectionis, & defenſionis. Ex illo, quo ardes charitatis igne, nobis etiam Scintillam unam emitte: ex illo quo flagras dilectionis incendio, in nos igniculum vel ſaltem parvum immitte, ut ex arà, & noſtri cordis altari odorem Sanctarum virtutum Domino offeramus.

CAP. XXIV.

Maria

Anagramma 13.

Mi ara,

Hoc eſt. *Mihi arato.*

1 PEccarat Adam; & illi Deus jus dicit, ſententiamque miſericordià plenam affert. *Quià audiviſti vocem uxoris tuæ; & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi nè comederes: maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex eà omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de quà ſumptus es: quià pulvis es, & in pulverem reverteris.* Relego illa verba. *In ſudore vultus tui*, & Chriſtum eſſe hominum caput meminero, & admiror ſummam Dei iuſtitiam, ſummà clementià temperatam. Ergò in ſudore Chriſti, ò homo, veſceris pane; videlicet ſupereſſentiali; qui *Panis Angelorum* aliàs dicitur, & Cœlitibus datur. O quantum Chriſto, ò quantum Chriſti Matri debemus! Inſudat noſtræ ſaluti ille; vomere illa clementiæ in noſtris animis agni characterem exarat; implantat excellentes virtutes, & patrocinii vi tandem nos conducit ad gloriam.

CAP. XXV.

Maria

Anagramma 14.

Ramia.

1 DEcem ſunt Regna, quæ Ungaros Monarchas Coronant: *Hungaria, Dalmatia, Croatia, Sclavonia, Boſnia, Lodomeria, Galatia, Bulgaria,* & quas ultimo loco, ut exitus cæteras probet, enumerare volui, *Servia,* & *Ramia.*

2 Te, Ramiam afflictam, & invaſam conſpicio, & condoleo. Laboras Religione, & fide. A Mahomethanis, Calviniſtis, Lutheranis, Anabaptiſtis, & aliis hominum monſtris occuparis: nè tamen deſ-

pon-

ponde animo, nam *Mariæ* nomen potentiſſimum, & puriſſimum eſt, & *Maria* variato ordine characterum eſt *Ramia*. Non potes recordari tui, quin *Mariæ.* Ejus nomen thaumaturgum habes; confuge ad Virginem provinciali nomine ſignificatam. Congrega fideles paucos tuos, & præcipe, ut ad *Mariæ* genua provoluti, ſic orent. *Cunctas hæreſes ſola interemiſti*; & noſtra Patria ſola, veteres, juniores, cunctas habet: illas interime, illam tuere, & *Dei Genitrix intercede pro nobis.*

CAP. XXVI.

Maria

Anagramma 15.

A Rima.

1 HOminum alii navigant, alii iter agunt, alii denique volant. Vadunt de virtute in virtutem, & omnes ad Cœlum anhelant. Nant Seculares, navigant Religioſi, iter agunt ſtativi, & Contemplativi ſupervolant. Et quidem omni ſervata proprietate, Angelorum Regina eſt tutiſſimus navigantibus Portus, pervia iter agentibus Porta, & volantibus Feneſtra patula. Si navigemus, aut natemus, dicamus:

Ave Maris Stella,
Dei Mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Felix Cœli Porta;

Aut ſtando Maris, & Stellæ metaphoræ:

Felix Coeli Portus.

Si curramus, dicamus Mundæ:

Tu Regis alti Ianua,
Et Porta lucis fulgida:

Dicamus Mundo:

Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.

Si ſupervolemus, dicet Propheta: *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi Columbæ ad feneſtras ſuas:* hoc eſt, ad unicam Feneſtram, quæ tanta eſt, ut nomine plurali ſit digna. Et nos Deiparæ:

Quod Eva triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut Aſtra flebiles,
Cœli Feneſtra facta es.

2 Sed nos miſeros! Se nobis opponunt noſtræ culpæ: claudunt maria, portus, portas, feneſtras, januas. Et dum juſtitiam fuiſſe læſam inclamant, & nos reos mortis ſempiternæ pronunciant, Cœlum clauditur. An excluſi manebimus? An non aliqua rima intererit, per quam influere in Empyreum poſſimus? Intererit. Mariæ enim ex privilegio convenit eſſe Cœlorum Portam; & privilegia tolli poſſunt: & quæ non tolluntur, cum poſtulat æquitas, & ratio, ſuſpenduntur. At eſſe *Mariam*, aut eſſentiale, aut proprium eſt; & eſſentia, & proprietas rei convenit toti, ubique, & ſemper: *Maria à Rima* deducitur; ergò, quibus *Maria* adſit, etſi claudantur Cœli, aliqua ſaltem *Rima*, qua poſſint introduci, non deerit.

CAP. XXVII.

Maria

Anagramma 16.

A Mari.

1 A Mari eductam matrem turpis dilectionis fabulatur antiquitas, quam dixit Venerem, & tam immundam finxit, ut prudentiùs taceatur, quàm moraliter elucidetur. Undecunque illa Divinitas ficta, fuerit orta: *Mariam*, Matrem pulchræ dilectionis, à mari eductam, certum eſt.

2 Sed cur non à terra, ſed à mari? Quia nulla eſt Cœli, & terræ vicinitas: Summa maris, & Cœli cognatio. Cœlum enim oceanus eſt æthereus, & oceanus æther quidam marinus eſt. Aquis mare componitur, aquis ſupremum Cœlum: unde in Cantico non ſolùm ſublunares, ſed & aquæ, quæ ſuper Cœlos ſunt, jubentur benedicere Domino.

3 Terra corrũpi debet, & homo in iniquitatibus conceptus, terra eſt, & in terram ibit: at *Maria* aqua eſt, & in aquam ivit. Aqua eſt elementaris, à quà omnia, & per quam omnia impetrata nobis ſunt, & ſinè quà impetratum eſt nihil: ab aquis illa ivit ad aquas; à terreſtribus ad Cœleſtes, ab inferioribus, ad ſuperiores, & ab imis ad ſummas. Terra, Cœlumque differunt toto Cœlo: atque adeò nos, qui ſumus terra, maximis gratiæ machinis indigemus, ut ad Empyreum transferamur.

4 Terra innatà ſibi gravitate centrum poſtulat, & homo, quia terra eſt, habet corpus, quod corrumpatur, & aggravet animum, & originalis peccati innata gravitate ad centrum, ſeu infernum conferat. At *Maria*, Aqua myſtici Oceani conſubſtantialis aquæ Cœli, quaſi violentiam patitur, & ad Cœlum anhelat. Non habet originalem culpam, ob quam debeat potiùs turbari in terris, quàm in Cœlis requieſcere: & ideò *Màrìa*, à mari moraliter educta dicitur, quia forma eſt educta ex aquarum potentià, ipſas quoque aquas nobilitans, & terrenas Cœleſtibus ſua aſſumptione coniungens.

5 Tandem in Cœlis reſidens demonſtrat hæc duo nomina, *Aqua*, &, *Vnda*, appoſitiſſimè ſibi eſſe impoſita. *Aqua* vocatur, *à quà omnia*, & *Vnda*, *undè omnia*: & ſiquidem omnia dona, quæ cælitùs nobis infuſa, à *Mariæ* patrocinio proveniunt, ipſa eſt à quà favores immortales recipimus; & ipſa *undè*, quod receptos non perdamus, habemus.

CAP. XXVIII.

Maria

Dei Mater

Anagramma 17.

Diameter.

1 VLtimo hoc Anagrammate Caramuel (quod apud ipſum erat tertium, & ego extremo loco reſervavi) concludit Mariæ nominis glorias, & quidem excellentes, & ſingulares. Multa,

ta, inquit, in hoc Nomine Parthenio reperiunt, qui illud attentiùs diſcutiunt, & examinant. Divus Ambroſius ad Sanctum Idioma recurrit, & affirmat grande myſterium hoc Sancto Nomine ſignificari. Non interpretationem propugnandam, ſed ornandam, explicandamque aſſumo. Sic enim *lib. de Inſtit. Virg. c. 5.* Archiepiſcopus Mediolanenſis: Speciale *Maria* Domini hoc nomen invenit, quod ſignificat *Deus ex genere meo*. Eccè Nomen, quod eſt ſuper omne nomen; nàm ut optimè S. Bernardinus Senenſis *tom. 1. Serm. 52.* aſſerit: Maius eſt hoc donum, quod ſit *Mater Dei*, quàm quod ſit Domina Creaturarum. Et rationem apud Tertullianum in *Apolog.* reperio. Gratius eſt enim nomen pietatis, quàm poteſtatis.

2 Id breviter expoſiturus ſum; & quià Plato è gymnaſiis ſuis arcebat Ageometras; illos nimirum, qui neſciebant metiri Tellurem: Ego exeſſe jubebo à meis ſcholis omnes illos, qui Cœlos neſciunt menſurare. Sol Juſtitiæ, ut nos docet Eccleſia, eſt Chriſtus Dominus Deus noſter. Sed quanta eſt hujus ſolis Diameter? Reſpondebo, Anagramma myſticum conſiderando. Eſt, inquam Diameter, *Dei Mater*. Sed quomodo? An non lego in Prophetà: *Fœmina circundedit Virum*? An non audio ab Eccleſià: *Quem Cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti*? Maria igitur circulus eſt, & Chriſtus Radius: cùr ergò contrà anagrammiſtamus, Deique Matrem eſſe Diametrum volumus, & eſſe globum, aut Sphæram non volumus? Multa occurrunt, ſed aliquid ediſſeram breviter.

3 In Diametro tria præcipua ſunt puncta; primum, ultimum, medium. Primum, & ultimum ſunt apud circulum, & medium in circuli centro. Poſitionem recognoſco, & multa me diſcere video. Deus eſt ſphæra; *Maria* Diameter: in Ipſa tria inſtantia vitæ ſpeciali devotione contemplor; primum, ultimum, medium. In medio (hoc eſt, totà vità) fuit in corde Dei, quia Deum habuit in corde, multò altiùs, & ſublimiùs Davide, de quo Deus: *Inveni virum juxtà cor meum*. In primo (hoc eſt, in ipsà Conceptione) fuit apud Deum *Maria*: in ultimo (hoc eſt, in ipſo tranſitu, & aſſumptione) fuit apud Deū. Ideò ipſa concepta ſine labe peccati, & in obitu puriſſimam animam egit.

4 Dicat omnis mortalis, cùm conceptionem ſuā, vitæ primum punctum, recogitat: *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Pſal. 50.* Dicat cùm obitum, qui eſt punctum ultimum: *Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea. Quis autem mihi hoc tribuat, ut in Inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Iob c. 13. & c. 14.*

At Tu, *Diameter* optima, *Dei Mater* alma, primum vitæ tuæ reſpicis atomum, & ais: *In prærogativis, & virtutibus concepta ſum, & in gratia concepit me mater mea*. Reſpicis ultimum, & inquis: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animum: & meum, quia animum non gravat, non corrumpitur: & quia ſemper culpà carui, furorem divinum non timeo.*

5 Et ego tuam Conceptionem, tuam Vitam, tuā Aſſumptionem gratià plenas conſiderans, Sanctæ Annæ oblivi ſci non potero, & in gaudii lachrymas devotas ſuffuſus, ſic inquam. *Deus, qui Beatæ Annæ tantam gratiam donare dignatus es, ut Beatiſſimam Mariam Matrem tuam in ſuo utero glorioſo portare mereretur, da nobis quæſumus per interceſſionem Matris, & filiæ, tuæ protectionis abundantiam, ut quarum memoriam prò amore complectimur, earum meritis, & precibus ad Cœleſtem Ieruſalem pervenire mereamur*. Sic legunt Ciſtercienſes in officio Parthenio.

6 Vel dicamus hanc *Diametrum*, hanc *Dei Matrem*, eſſe Conceptam, Concipientemque, & ideò bina puncta contingere: quà concipitur, Annam: & quà concipit, Chriſtum. Annæ gratiam copioſam datam cœlitùs, ut *Mariam* mereretur concipere, Chorus Ciſtercienſis intonuit: Chriſtus, cum ſit Deus, gratià relativà non eguit: auderem tamen dicere; Sicut Annæ ob *Mariæ* merita infuſa fuit copioſior gratia, etiam infundendam fuiſſe Chriſto, ſi Deus non eſſet. Tanti enim gratià plenam Deus facit, ut omnes illos gratià donet, quos *Maria* immediatè contingit.

Hoc ipſum confidenter meditor; & ut me illa ſuo favore, & interceſſione contingat, inſtantiſſimè deprecor. Nullius enim cor tangere poteſt gratià plena, quod non donetur ſupernaturali gratià, quà poſſit, ſi velit, converti.

MYS-

MYSTICÆ ANATOMIÆ SACRATISSIMI NOMINIS DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ

LIBER SECVNDVS, IN QVO AGITVR De ejuſdem Nominis Interpretationibus.

CAPUT PRIMUM

Quantæ ſit dignitatis, & excellentiæ MARIÆ Nomen.

1 SI *Nomen* juxtà etymologiam dicitur quaſi *Notamen*, eò quòd perſonæ notitiam pariat: Sacratiſſimum profectò Mariæ Nomen, multarum quæ in ea ſunt, perfectionum Index, & Catalogus erit. De quibus primo in hoc capite diſſerendum: & quia à Caramuele etiam hac vice diſcedere non poſſum, qui plurimas in oratione Anagrammaticà tanti nominis excellentias collegit, ideò per diſtinctos paragraphos illas referam, ut tropus, & typus Myſticæ Anatomiæ recto ſemper ordine ubique ſervetur.

§. I. *Maria* *Nomen Immortale.*

2 HUmana ſunt, humana omnia; & quia humana, caſui, & occaſui expoſita.

Omnia debentur morti. Monumenta fatiſcunt,
Mors etiam ſaxis, marmoribuſque venit.

Saxis, & lapidibus fama perennior quidem eſt, ſed mortalis. Nam & Opinio, & Nominis æternitas moritur. Severinus Boetius.

Quod ſi putatis longiùs vitam trahi
Mortalis aurà Nominis,
Cùm ſera vobis rapiet hoc etiam dies:
Iàm vos ſecunda mors manet.

3 At omnia Divina ſunt æterna. Eſſentia, Potentia, Attributa, immò & ipſummet *Nomen Domini manet in æternum*. Hùc reſpexerunt Cabaliſtæ, cùm Deum *Aegla* vocarunt, hoc enim nomen juxtà artem reſolutum, novas dictiones generat; & exponitur: *Aetha Gebor Lholam Adonai: Tu es fortis in æternum Domine*. Vide P. Athanaſium Kircherum in Prodromo Copto c. 6. pag. 154.

Maria humanitatem Chriſto, Chriſtus Mariæ inter alia Nominis dignitatem, & æternitatem: quam ob rem *In Nominæ Mariæ omne genu flectetur, Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum:* quoniam tametſi alia mortalium pereant Nomina, *Nomen Dominæ manet in æternum*.

§. II. *Maria* *Nomen Omnipotens.*

4 FUit error Abailardi, ſi vera, quæ circunferuntur circà Dei dominium, & Perſo-

narum

narum poteſtatem. Prodigioſis vocabulis invexit in Gallias hæreſin prodigioſam. Sanctæ Triados Perſonas inæquales adſtruxit, & *Totipotentem* Patrem dixit, *Semipotentem* Filium, & *Nullipotentem* Spiritum Sanctum. Et ego Theologis mentem, & & linguam Abailardi diſcutiendas committens, ad *Mariæ* nomen converto oculos, & has tres proprietates reperio.

Hoc nomen *Maria*, in te fœmina laſciva, & levis, quæ impuritatis quæſtu ſingulas literas infamas: Hoc nomen *Maria*, in te, fœmina avara, quæ divitias congeris, & per illicitos tractus, & contractus, ſanguinem egenorum exugis: Hoc nomen *Maria*, in te ſuperba fœmina, quam ſeptem dæmonum legiones elationis pediſequæ inhabitant; in te, inquam, hoc Sanctiſſimum Nomen violentiam patitur, & *Nullipotens* eſt. Ad Magdalenam converte oculos, & interroga, cur eam non nominarit Lucas *c.* 7. cum dixit: *Ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix.* Et reſpondebo tantæ fuiſſe reverentiæ ipſi Evangeliſtæ *Mariæ* nomen, ut illo indignam peccatricem mulierem iudicarit.

5 In te, Caſta Matrona, prudens, & honeſta Virgo, quæ Parentibus reverentiam, Coniugi amorem, Filiis inſtructionem pendis, *Semipotens* hoc nomen eſt. Siquidem ob Nominis Parthenii reverentiam à culpis abſtines, & virtutibus adquirendis inſudas. Multum tu Nomini Auguſtiſſimo defers: multum tibi Nomen feliciſſimum affert.

At in Te, Cœlorum Imperatrix, Angelorum Princeps, omnium Creaturarum rationalium Regina, hoc ipſiſſimum *Mariæ* nomen Omnipotens eſt. Eſt veritas omnibus nota, & in Pſalterio expreſſa à Divo Bonaventurà, qui agens de te, Virgo Sereniſſima, ait; *Omnipotens poſt Deum nomen eius.*

6 Sed quis hanc nobis poterit Omnipotentiam demonſtrare? Idiota, nobilis, & eximius Theologus; & quicunque velit eruditè diſcurrere. Quoniam duo Demonſtrationum genera tradunt Peripatetici, qui alias à priori, & alias à poſteriori efformant. A priori procedit, qui à causà; & à poſteriori, qui ab effectu: & utrinque Mariani Nominis Omnipotentia demonſtratur. Quoniam ſi hæc Nomina, *Mater Dei*, *Deus ex me*, *Deus ex genere meo*, in Nomine *Mariæ* clauduntur, involvunturque; cum à Matre ad Filium, à causà ad effectum proceditur, videturque carere non poſſe Omnipotentiæ privilegio, qui genuit Deum eſſentialiter omnipotentem.

Quod ſi hæc nimis ſubtilia, & à ſenſibus dicantur aliena, à poſteriori argumentum deſumam, & *Mariæ* Nomini conceſſam divinitus Omnipotentiam demonſtrabo. Convertam ad miracula oculos, animum ad prodigia; & ſi miracula dicantur, quæ rara, audebo illa negare Virgineo Nomini, quod patret prodigia quotidiè. *Mariæ* enim Nomen, ait Idiota, ſuper omnia Sanctorum nomina reficit lapſos, ſanat languidos, illuminat cœcos, penetrat duros, recreat feſſos, ungit agoniſtas, & iugum diaboli extrudit. Conſonat Senenſis Bernardinus, & ait: Nomen *Mariæ* eſt, quod dat cœcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, ſermonem mutis. Proindè ſi qua infirmitas tibi, vel tuis occurrat, recurre ad invocationem nominis *Mariæ.* Ergò omnia efficit: & ſi omnia; eſſe omnipotens, negari non poteſt.

§. III.

Maria
Nomen Iuſtificans.

7 MUltæ cauſæ iuſtificantes dantur, & in eiſdem aſſignandis multi Hæreticorum errores. Materialis ut Animus: Formalis eſt habitualis Gratia: Efficiens eſt Chriſtus: Finalis eſt Dei gloria: Impetrans eſt Mariana Interventio. Sancta Brigitta *lib.* 1. *c.* 9. Nullus eſt tam frigidus ab amore Dei, niſi ſit damnatus, qui ſi invocaverit hoc Nomen Mariæ hac intentione, ut nunquam reverti velit ad opus ſolitum, quod non diſcedat ab eo diabolus ſtatim, & nunquam amplius revertatur ad eum, niſi reſumpſerit voluntatem peccandi mortaliter. Et Idiota *lib.* 2. de *Contempl.* Virginis. Tanta eſt virtus tui Sanctiſſimi Nominis, ò ſemper benedicta Virgo *Maria*, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiem cordis humani. Conſonat illis Franciſcus Venetus in harmon. Mundi *Cant.* 2. *Tom.* 2. & ait: Velint, nolint dæmones genua flectunt, quando nomen *Ieſu* pronunciatum eſt; quæ verba ad Deiparam transferre potuit: immò & S. Gerardus tranſtulit, cum dixit: Invitus Infernus invocato *Mariæ* nomine ululat, & procaciſſimi dæmones clamant. Et S. Bonaventura in *Specul.* *c.* 3. Non ſic timent hoſtes viſibiles caſtrorum aciem copioſam, ſicut aereæ poteſtates *Mariæ* vocabulum. Nam, & quotidianæ experientię teſtantur, dœmones, tametſi aſſuetos multa pati, Parthenium nomen tolerare non poſſe.

§. IV.

Maria
Nomen Beatificans.

8 BEatus Vir, inquit Divus Bonaventura in Speculo, qui diligit nomen tuum, *Maria Virgo*; animam eius irrigabit nomen tuum. Et rationem in Pſalterio ſuo exponit. Glorioſum, & admirabile eſt Nomen tuum, ait, qui illud retinent, non expaveſcunt in puncto mortis. Conſonat S. Brigitta *lib.* 1. *Revel.* *c.* 9. Omnes dęmones verentur, & timent, quia audientes hoc nomen *Maria*, ſtatim relinquunt animam. Dixerat de bonis Spiritibus: Angeli boni audito hoc Nomine, ſtatim appropinquant magis iuſtis, quibus dati ſunt ad cuſtodiam, & gaudent de profectu eorum.

§. V.

Maria
Nomen Supernaturale.

9 SUpra Naturę ordinem alia rerum ſeries ponitur, quam dicimus *Supernaturalem*; & ratio denominandi eſt, quod totum ſuprà naturam ſit. Et ut video, naturalia non ſunt omnium Sanctorum nomina. Aliqua enim Cœlitùs dari ſolent: quoniam Angelico Doctore in Epiſtolam ad Rom. lect. 1. aſſerente: Nomina divinitùs imponuntur quibuſdam à principio Nativitatis ad deſignandam gratiam, quam à principio conſequuntur. Hanc ob rem excipio à nominum naturalium ſerie illud, quod impoſitum hominum lapſorum Maximo, ſcilicet Joanni Baptiſtæ: illud quod datum Mulierum Maximæ, nunquam lapſæ, quoniam ſinè labe concepta culpam actualem non incurrit: & illud impoſitum Verbo Incarnato. Omnia tria fuerunt revelata divinitùs. Primam revelationem expoſuit nobis Zacharias: ſecundam Hieronymus Hiſtor. de ortu Deiparæ: tertiam Gabriel. De Joanne Chriſtus, *Luc.* 1. 20. *Inter Natos mulierum*, ait, *non ſurrexit major Ioanne Baptiſta.* De *Maria* Idiota: *Mariæ* nomen ſuprà omnia Sanctorum nomina reficit. Et de Chriſto Paulus: *Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omnem nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum.* Et Rupertus Abbas lib. 12. in Joan. cap. 16. Hujus Unigeniti filii Dei nomen, quod eſt *Ieſus*, neceſſarium omnis orationis eſt vehiculum, quo in Cœlum directo perlata curſu conſiſtat antè Patris conſpectum, ſalutemque de ſinu ejus, & gratiam ſugere valeat remiſſionis peccatorum.

10 Liceat & his nominibus addere Nomen Joſephi, ut pulchriùs evadat tetragrammaton, & habet quatuor animalia hoc orationis humilis, & contritæ vehiculum. Aut fallor, aut his quatuor vocabulis, *Ieſus*, *Maria*, *Ioſeph*, *Ioannes*, ſupernaturales iſtæ prærogativæ, *Fides*, *Spes*, *Charitas*, & *Gratia*, debent ſymbolizari; ità ut approprietur Chriſto Domino Fides, *Mariæ* Spes, Joanni Gratia, Joſepho Charitas. Porrò Fidem plantavit Chriſtus: Vita, dulcedo, & ſpes noſtra eſt Virgo. Joannes natus eſt Chriſti gratià, ut eum præcurreret, & viam prędicaturo prępararet. *Ioſeph* exponitur *Domini argumentum*; & ego Charitatem intelligo: qui enim augentur auro, argento, gemmis, gazis, divitiis, ſi Charitate careant, nihil cœlitùs ſunt, & ideò aucti à Deo non ſunt: & qui Charitate ſunt præditi, Deum, & in Deo omnia habent.

§. VI.

Maria
Nomen Fortiſſimum.

11 MAgnes, miraculoſum ſaxum eſt, & ferro armatum, ferrum potentiùs trahit. Et quidem, Deum eſſe hominum finem ultimum negare non potes, adeoque illum *intelligibilem*, & *myſticum Magnetem* nominare teneberis. Homines adtracturus; incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex *Maria* Virgine, & homo factus eſt: & armatus Humanitate, potentiſſimè homines traxit ad Deum, undè ait: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.*

Hinc lux veteris Teſtamenti myſteriis. Nomen Domini potentiſſimum fuit, nihilominùs nomine Abrahami armabatur, ut potentiùs influeret; quoniam Patriarchæ veteres experientià magiſtrà didicerant, plures favores, & gratias impetraturos fore, ſi Dei Nomini nomen Abrahami coniungerent. Ità Origenes lib. 5. contrà Celſum; & ex ipſo Iuniores.

Ergò, & nos Chriſti magneticum Nomen Mariano armemus, experiemurque vehementiorem influxum, & aſſiſtentiam potentiorem. Prçcipuè cùm S. Germanus Encom. de dormit. B. V. Mariæ nos concitet, & dicat: Præſidium eſt nomen *Virginis Mariæ*; neque tantum hauſto aere animæ noſtræ reſpirant, quantum nominis tui protectione confirmamur.

12 Rem notam ſuppono, non enarro. Armatur Magnes ferro, & centuplo fortiùs operatur. Si noſtra devotio, voluntariaque Paupertas ſit Magnes, Chriſti Domini Nomen erit ferrum, quo armabitur, & centuplò potentior erit, juxtà illud *Matth.* 19. *Omnis, qui reliquerit Domum, vel Fratrem, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Vxorem, aut Filios, aut agros propter Nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Conſidera Magneticæ Philoſophiæ vocabula; videlicet, illud *Reliquerit*, illud *Accipiet*, illud *Nomen*, illud *Centuplum*. Reliquere, & accipere ſunt contraria, & oppoſita, & tamen Magneti conveniunt; qui habet duos polos, ferrumque attrahit uno, reſpuit altero. Sic & homo. Produco in Scœnam Paulum, duos habentem polos; vel ut ipſe loquitur, duas leges inter ſe repugnantes. Concupiſcentia, & Gratia, ex diametro oppoſitæ, erant in ipſo poli duo, quibus agitabatur. Illa concatenato ordine voluptates, & peccata ab eiſdem pendentia ambiebat, illiciebat, tenebat; & renuebat virtutes: hęc contrà appetebat virtutes, divinaſque prærogativas, omnemque voluptatem fugiebat, & fugabat. At iſte Magnetis Apoſtolici polus, armatus Chriſti nomine, æternam vitam, quæ in Mentis Verbo centuplò nobiliore, in voluntatis pondere centuplò excellentiore conſiſtit, aut attrahit, aut adſequitur (immò adtrahit potiùs, quoniam *Adveniat Regnum tuum*, jubemus dicere; non verò, *Ad Regnum tuum veniamus*) & pœnam æternam evadit.

13 Sicut Natura humana, Chriſti Nomine armatur, ſic etiam Chriſti Nomen *Mariæ* Nomine, ut altiùs mentes elevet, & operetur efficaciùs. Occubuit Sebaſtianus, Luſitanorum Rex in Africà, & in ejus ſecretiſſimo ſcrinio repertum eſt ſolemne votum, quo jurabat ſe conceſſurum ſubditis, quidquid ob quinque Chriſti vulnera flagitarent. O ſi Luſitani hoc ſciviſſent! Dolebat Anglus Epigrammiſtes his verbis.

Qui petit, accipiet, Iacobus Apoſtolus inquit:
O ſi Iacobus Rex mihi dicat idem!

Quid non à Rege peteret, ſi formulam adjuratam ſciret, quà ille oratus nihil poſſet negare?

Nos ſumus egeni, & pauperes; Deus Rex; qui teneamur orare, ut debeamus audiri, jam cognoſcimus. Si vis Patrem orare, inſta per Nomen Filii; ſi Filium vis, inſta per Nomen Matris: quoniam binæ ſunt iſtæ orandi formulæ, quibus nihil renuitur. Primam Chriſtus *Ioan.* 15. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam:* Secundam experientia confirmat, quià cùm nos *Mariæ* Nomen, cùm ipſa ſuam authoritatem interponit, nihil peccatori negatur.

14 Quinque vulnerum nomine obſtringebatur Sebaſtianus; quoniam illa ſunt quinque noſtræ Redemptionis characteres, quibus , & lithrum noſtræ libertatis ſcriptum , & chirographum captivitatis noſtræ deletum eſt. Has quinque literas in pentagrammato Virginis Nomine invenimus: quoniam *Maria*, Nomen myſticum eſt, initialibus literis,

M, *maternitatem* .
A , *amorem* .
R , *redemptionem* . *Expendens.*
I , *iuſtificationem*, &
A , *adoptionem* .

Hæ ſunt quinque Chriſti literæ , quibus libellos ſupplices à mundo tranſmiſſos conſignat : hæc ſunt quinque vulnera, quibus Chriſti viſcera tranſverberantur.

Sudat enim ſanguine in horto , & quaſi in vitæ, & mortis ultimo agone conſtitutus, videtur dicere. *Doleo ; ah doleo, cùm recogito Matrem ! O quantum illa orata poterit ; & quàm parum à multis curatur , & oratur ! O innumerabilem hominum numerum, quos ſorbebit Infernus ! O quàm paucis proderit tota mea paſſio ! O mortales, ne in æternum moriamini , ad immortalitatem contendite ; quæ meæ deſunt paſſioni , adimplete . Me ſequiminor ; & ſi errare non vultis , à meà Matre ducamini . Quantum eius debetis Maternitati recognoſcite . Si mihi debetis omnia, omnia meæ Parenti debetis . Quæ mea eſt Mater, etiam eſt Mater veſtra , ſi mei velitis eſſe fratres . Vos amo, & amat; quos ego ſanguine, ipſa oratione à carceribus peccati redimit : juſtificationem ipſa impetrat , ego concedo : & quos ipſa adoptare dignatur in filios, omnes ego ſcribo in albo meorum fratrum . Si meæ Paſſioni accedat meæ Parentis protectio , nihil omninò deerit , ergo quæ deſunt meæ Paſſioni , adimplete ; ad Mariam confugite (eſt enim ſpes altera Mundi) ſub cuius Parthenii Nominis auſpiciis habebitis ſecuritatem.* Sic Chriſtus, ut Meditationis aure excepi : nihil addo .

§. *VII.*

Maria
Nomen Revelatum .

15 MAgna eſt Parentum , Filiorumque ſimilitudo , & inter Chriſtum Dominum , & *Mariam* Virginem puriſſimam ſumma . Ante felicem Incarnationis horam legatur Angelus Gabriel ad *Mariam* immaculatam Virginem, & inter alia ait: *Eccè concipies in utero, & paries filium , & vocabis nomen eius Emanuel* , quod omnes exponimus, Nobiſcum Deus . Et ante *Mariæ* conceptionem mittitur Angelus ad Ioachimum , & inter alia conſolatione, & myſterio plena verba apud S. Hieronymum de Ortu Deiparæ, ſic inquit: *Anna Vxor tua pariet tibi filiam , & vocabis nomen eius Mariam*; quod *lib. de Inſtit. Virg. c.* 5. exponit Ambroſius, *Deus ex genere meo.* Eccè Deus donare voluit immaculatam Virginem digno vocabulo , & notante Petro Damiano , ſtatim de theſauro Divinitatis *Mariæ* , nomen evoluitur. Verba ſingula conſideremus .

16 Numerat Deus in Eccleſià Catholicà multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat; omnes in libro vitæ ſcribit, cùm primùm luſtrali baptiſmi aquà homines convertuntur in ſidera . At quia hæc ipſa converſio non ſtatim accidit , ſed octavo, ut plurimum ab ipsà nativitate die, ideò nec ſtatim nomina vitæ animabus imponit, illaq; tabulæ Iuſtitiæ ſuę clementi inſcribit: at *Mariæ* Virgini ſtatim honorificum nomen indulget, quoniam ipſa ſtatim in primo Conceptionis inſtanti præventa gratià, ſtatim hoc honore prodigioſo fuit digna .

Sed cur, qui numerat multitudinem peccantium Deus (nemo enim eſt , qui neſcio Deo peccare poſſit) non omnibus eis nomina vocat ? Quia nomine carent peccatores . Peccarunt homines , & *Genes.* 6. non increpantur proprio nomine. Sed cur , *Corrupta eſt terra*, dicitur: & non dicitur , *Corrùpti ſunt homines ?* Reſpondet Chryſoſtomus *homil.* 24. *in Geneſ.* Quia peccatum facit , ut homines ſuo nomine vocari non ſint digni . Et eandem ob cauſam Maria Magdalena quandiu peccatrix fuit , nomine caruit; & quandiu iuſta, proprio nomine vocata eſt. Et quia brevitati ſtudeo, hæc duo loca *Luc.* 7. *Eccè mulier, quæ erat in Civitate peccatrix*. Et *Matth*. 26. *Veniunt ad monumentum Maria Magdalena, & altera Maria*, componenda relinquo .

17 Et quidem nominis Mariani pretium illa verba, *de Theſauris Divinitatis* prędicant: ſola enim pretioſa , & curioſa clenodia in Regum theſauris collocantur .

Sed cur evolvitur ? Quià fœmina circundabit Virum, Virgo Deum ; quæ ſi contemplationis manibus evolvatur , exponet oculis noſtris cor plenum Deo .

Præpara igitur, Orthodoxe Chriſtiane, mentem tuam, linguam tuam : & totam Cœleſtium Spirituum Principem contemplator . Eccè ſummæ prærogativę, & gratię tenebris involvuntur, eas evolvere neceſſe eſt . Multæ in ſingulis Virginis operationibus, multæ in ſingulis Virginis verbis, multæ ſingulis Parthenii nominis characteribus ſunt involutæ. Dic mente, dic labio : *Benedictum , & glorioſum ſit nomen , quod os Domini mirabiliter nominavit .*

§. *VIII.*

Maria
Altum Nomen .

18 CIrcunferuntur Incantationes militares ; & venefici, qui *alta*, quæ vocant, *Nomina* nundinantur . Illis abire juſſis , Sanctum Joannem Chryſoſtomum beneficum Doctorem advoco, & incantationes ſupernaturales exoro , & *alta Nomina* impetrare deſidero . At ipſe cordi meo *Mariæ* nomen inſcribit, altum , excelſum, thaumaturgum, & ait . Sunt nobis incantationes ſpirituales . Ipſum nomen *Mariæ* hujuſmodi incantatio eſt : & non ſolùm Draconem ab ſpeluncis abigit, atque ita in ignem conjicit , ſed & vulneribus quoque medetur . Hoc igitur nomine ornemur, ipſi hoc tanquam muro nos muniamur .

Et

Et ne antiqua revocare dicamur , quaſi à Chryſoſtomo ad nos nemo fuerit, qui *Mariæ* nomen eſſe *altum* dixerit, ſenſeritvè, ad heſterna bella, & victoriam Pragenſem toto orbe celebrem convertamus . Erant multo numero hæretici , culmina montium præoccupaverant , angulos univerſos muniverant, & tormentis maximis coronarant . Orthodoxi , ſi numerum, arma, & locum conſiderem, erant impares ; ut cauſæ æquitate, & armorum juſtitià ſuperiores . Adeſt Dominicus , Carmelitarum Excalceatorum gloria, ſanctiſſimus, & pientiſſimus Vir, & oratione habità ad milites, erga Reginam Cœli fortem devotionem inſtillat . *Gaude Maria Virgo* , intonat, *cunctas hæreſes ſola interemiſti, dum Virgo Deũ, & Hominem genuiſti, quæ Gabrielis Archangeli dictis credidiſti, Dei Genitrix intercede prò nobis* .

Verba ultima reſumit Maximilianus Sereniſſimus Bavariæ Dux ; totius Orthodoxæ militiæ Generalis . Reſumit eadem Orthodoxus exercitus ; & dum *Dei Genitrix intercede prò nobis* , terreni repetunt, audiuntur cœlitùs , & glorioſiſſimam victoriã impetrant .

Dedit nobis, quæ cunctas interimit hæreſes, victoriam celeberrimam, omneſque hæreticos Catholiciſſimi Ferdinandi II. poteſtati ſuppoſuit . Hanc Pragæ annua ſolemnitate celebramus, & cùm Heterodoxos triumphatos , & Catholicos triumphantes admiramur, ſummo jubilo dicimus . *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dominæ ſperavimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus. Domine ſalvum fac Ferdinandum Bohemiæ verum , & legitimum Regem ; & exaudi nos in die, quà invocaverimus te.*

§. *IX.*

Maria
Nomen Magnificum .

19 VOcat *Geneſeos* 12. Abrahamum Deus ; & ait : *Egredere de domo tua , & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi. Faciamque te in gentem magnam , & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum , eriſque benedictus . Benedicam benedicentibus tibi ; & maledicam maledicentibus tibi ; atque in te benedicentur univerſæ cognationes terræ* . Sed omnia futura aliquandò debent eſſe præſentia ; quandò ergò hujus Patriarchæ nomen de facto magnificatum fuit ?

Duas ego hic reperio Theologorum ſententias , quæ tametſi differentes appareant , componi facillimè poſſunt. Alii enim hanc promiſſionem impletam putant *Geneſeos* 17. alii 24.

20 Si ſtemus opinioni priori, recognoſcere debebimus Sacrum Contextum, *Geneſ*. 17. ubi dicitur . *Ego ſum, & pactum meum tecum; eriſque Pater multarum gentium. Nec ultrà vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham ; quià Patrem multarum gentium conſtitui te* . Et debebimus conſequenter aſſerere, magnificari nomen *Abram* , cum addito uno charactere videlicet *He* (*H*) tranſivit in *Abraham.* Sed non intelligo . Potuit unica ſola litera, Magnificum hoc nomen reddere ? Potuit : & rationem ſubjungo .

Tetragrammatō Nomē *Ieova*, conſtat ex quatuor myſticis characteribus. Primus ſignificat Dei ſubſtantiam propriam , & individualem : moris enim apud Hebræos eſt per *Iod* incipere nomina propria, & Principum magnorum præcipuè . Reliqui tres ſignificant divinas hypoſtaſes: nimirum *He* Patrem, & *He* Filium conſubſtantialem Patri; & *Vau* copulam, connexionem, ſeu amorem Patris, & Filii; videlicet Spiritum Sanctum . Communicato igitur unico divino nominis charactere , qui vocabatur *Abram* , vocatur *Abraham* , nomine Divinitatis characterem amplexo , atque adeò cælitùs magnificato .

Si ſtemus opinioni ſecundæ, reperio ſummæ eſſe Abraham gloriæ, quòd denominet Deum, qui *Geneſeos* 24. & ſæpè alibi , *Deus Abraham* nominatur Undè Rupertus lib. 5. in *Geneſ. c.* 5. Magnificatum eſt nomen Abrahæ; videlicet, cum nomine Dei magno, & tremendo; dum per orbem prædicatur talis definitio : *Deus Abraham* .

21 Et ad Auguſtiſſimum *Mariæ* Nomen tranſeundo , utramque ſententiam compono , & illud *Magnificum* eſſe perſuadeo . *Maria* enim *Magnifica* redditur , Verbo æterno in filium unigenitum dato . A filio habet, quòd magnificet animo ſuo Dominum : à filio, quod ſe magnificent omnes generationes: à filio, quod habeat nomen *Magnificum*, quod ſit ſuper omne nomen .

Si rem accuratiùs ſpeculor, Academicum eſt hoc vocabulum, & ſoli Rectori conveniens . Et colligo in rerum Univerſitate *Mariam* eſſe Rectricem , ſiquidem *Magnificæ* titulo condecoratur . Subſim igitur in Univerſitate iſtà Mundi, Virgini Rectrici Magnificæ, & ſub ejus auſpiciis *magnificet Anima mea Domino, & exultet ſpiritus meus in Deo ſalutari meo* .

§. *X.*

Maria
Nomen Eximium .

10 E*Ximiis* titulus Theologiæ Doctoribus debitus , fœminis univerſis negatus , Deiparæ debet concedi . *Maria* enim , teſte Idiota de laudib. Virg. Matr. cap. 3. & iterum cap. 5. *Doctrix, & Magiſtra maris* interpretatur . Cui expoſitioni conſtat ille , *Mariamque* vocat alibi , *Doctorum Doctricem , & Apoſtolorum Magiſtram* , quam ſæpè Eccleſia *Prudentiſſimam Virginem, & Sapientiæ Parentem* appellat .

Sed quandò ipſa , & quantà fuit ſolemnitate ad lauream Magiſterii promota ? Quot fuerunt diſputationes præmiſſæ ? Quæ in ipſis materiæ diſputatæ ?

23 Erat olim Zenonis Garenſis Stoicorum ſententia, *Motum non dari* . Dum in Scholaſtica arena ingenio decertaret , Tharæus *dari motum* aſſumpſit; negat aſſumptum Zeno : & Tharæus , Probo , inquit ; & deambulando potiùs , quàm loquendo , aſſumptum negatum demonſtravit . Nam dantur vocales actiones , quæ plus tacitæ dicunt , quàm valeant plurimæ linguæ recenſere . Chriſti infantis præconium , ut canit Eccleſia , Infantes

F 2 in-

innocentes non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt: nam imbuitur Martyrium ſublimiore Rhethoricà, & plus laudat Deum, qui tacitus pro Chriſto moritur, quàm qui noctu, diuque vociferatur.

Lachrymæ taciturnæ etiam ſunt Rhetores. Ambroſius ſuper Lucam lib. 9. Flevit amarè (nempè Petrus) ut lachrymæ lavarent delictum. Tu ſimiliter lachrymis dilue culpam, Non invenio, quid dixerit, ſed quod flevit. Lachrymas lego; ſatisfactionem non lego: ſed quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lavant lachrymæ delictum, quod voce pudor eſt dicere, vel confiteri. Lachrymæ veniam non poſtulant, ſed obtinent. Et Hieronymus in Epiſt. O lachryma humilis! Tua potentia! Tuum Regnum! Tribunal Iudicis non vereris. Amicorum tuorum accuſationibus ſilentium imponis.

24 Hæc dixero, ut oſtenderem, ſilente etiam voce efficaciſſima poſſe argumenta depromi, & graviſſimas quæſtiones concludi. Ad Mariam, Theologam eximiam, converto oculos, cujus vitam ſilentium perenne fuiſſe lego: tamen ter diſputavit, de originali culpa; de Peccatis, & Gratia; & de Virginitate fęcunda. Quærebatur: Annè aliquis culpa originali caruerit, aut carere poſſit? An detur creatura gratià plena? An aliqua Summa, & quæ in eminentiſſimo faſtigio ſit apud Deum? An competat, vel Maternitas Virgini, vel Virginitas Matri? Negant omnia omnes. At ſicut Tharæus movendo ſe, motus poſſibilitatem demonſtravit: ſic *Maria*, eccè adſum, ait; & merà ſuà præſentià omnes has quæſtiones reſolvit. Ipſa enim ſinè culpà concipitur, ab omni præſervatur peccato, invenit gratiam apud Deum, & concipit Virgo, quem capere Cœli non poſſunt.

25 Hæ fuerunt diſputationes noſtræ Divæ, quæ præceſſerunt Lauream. Hanc autem quandò accepit? In Incarnatione Dominicà. Audi Eccleſiam in Hymno.

Ieſu Corona Virginum, ait,
Quem Mater illa concipit,
Quæ ſola Virgo parturit,
Hæc vota clemens accipe.

Ecce Chriſtus Virginum Corona, & Laurea eſt, ſed primò coronavit illam, à quà Carnem ſuſcepit, cuius paſſione potuit fideles coronare. Viles ſunt hujus mundi Coronæ; immò deauratæ, & deornatæ mendaciis; & ſi eminentes viſę, eſt eis omnino

Ieſus Corona celſior,
Et veritas ſublimior,
Qui confiteenti ſervulo
Reddit perenne præmium.

Eſt enim, ut alibi canit Eccleſia, *Deus ſuorum militum ſors, & Corona, & præmium*.

26 Igitur Virgò Prudentiſſima, veræ Theologię Doctrix, Verbi infiniti Parens, Laureà donata es, ut *Eximia* diceteris, & eſſes. Sub Dei optimi Maximi auſpiciis (quod bonum, fauſtumque ſit) Promotore Gabriele Univerſitatis Cœleſtis Principe ad altiſſimam Magiſterii Lauream Angelitus evecta es. Promotionis fuit formula: *Aue Gratiâ plena, Dominus tecum*. Igitur Potentiſſima Princeps.

Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Alii Te orent divitias, dignitates, theſauros; hæc non ego. Unicam pacem oro. Habeo hoſtes internos, & externos, & ut quieſcere poſſim; illà indigeo, quam Mundus dare non poteſt, pace. Theologiæ Doctrix es, Doctor etiam ſum ego: at in Te ſublimes notitiæ pacem habent, & in me contrà tenebras militant, & ſæpiſſimè periclitantur. Deum concepiſti, illum concipio: ſed in Te relucet Conceptionis veritas; & in me tantum magni Nominis umbra. *Eximius* fortaſſe dicor, quod ex imo evectus, & elatus; ignorantiæ meæ immemor, dum aliquid me ſcire puto, ſuperbeſco. Tu in Academià Chriſtianà primariam moderaris Cathedram; à Chriſto docta doces reliquos. *Diſcite à me*, ais, *quia mitis ſum, & humilis corde*. Et quia Omnipotens Deus reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc Beatam, *Eximiamque* Te dicent omnes generationes. Et hæc eruditiſſimus Caramuel de Nomine Mariano.

CAP. II.

Quot, & quas habeat Mariæ Nomen Interpretationes.

1 PUlchrè quidem Caſſiodorus *Variar. lib. 6. epiſt. 7.* ſcripſit: Grata ſunt omnino Nomina, quæ deſignant protinùs actiones: quandò tota ambiguitas audienti tollitur, ubi in vocabulo concluditur, quid geratur. Sunt enim Nomina quædam faces Perſonarum illuſtratrices, & ſi dicere liceat dignitatum faſces, & rerum benè geſtarum, vel gerendarum Curules triumphales. Multum luminis addit Nominibus interpretatio, vel ipſa eſt lux, quæ totum Nomen illuſtrat: & quę in quodam quaſi receſſu abdita latebant, notitię ſuæ fulgore ad lucem trahit, & manifeſtat. Quandoquidem, ut tradit Buſtenſis *ſerm.* primo de Glorioſæ Matris Dei nominatione, dici ſolet quod magnum eſt privilegium vocari bono nomine. *l. 1. iuncta Gloſ. in verbo hanc, c. de ſummà Trinit. & ſi. ca.* Et nihil mali eſt honeſti hominis nomen aſſumere, *l. facta, §. ſi mandata, ff. ad Trebel.* Dicitur etiam, quod ex qualitate nominis proprii oſtenditur, & arguitur qualitas Perſonæ, ut ait *Gloſ. in rubr. ff. veteris, in verbo Iuſtinianus:* & *Gloſ. Proem. 6.* ubi ex nomine *Bonifacii* arguitur, quòd erat *bona faciens.* Propter hoc etiam Accurſius Florentinus Gloſſator eximius, multum gloriatur de nomine ſuo *in d. l. facta, §. in danda, ff. ad Trebel. in verbo Conditio*, dicens ſe habere honeſtum, & pulchrum Nomen: & quòd vocatur *Accurſius*, quia *occurrit*, & *ſuccurrit* contra tenebras Juris Civilis.

2 Quapropter ſi terrena mortalium Nomina hanc ſibi arrogant dignitatem: quid de Cœleſti *Mariæ* Nomine dicendum? Profectò ſi Divus Thomas 3. p. quæſt. 37. art. 2. docet Nomina debere proprietatibus rerum correſpondere: ut patet in nominibus generum, & ſpecierum 4. *Metaphyſicorum*: & ideò communiter dicitur:

No-

Nomina ſunt rebus conſona quæque ſuis;

Et hæc regula ſuum habet locum in nominibus quarumcunq; rerum; militabit multò magis, ſuumque ſortietur effectum in nominibus à Deo impoſitis, quæ ſignificant aliquod gratuitum donum tali nominato divinitùs datum. Quid tu Sacratiſſima Virgo, cui à Deo *Mariæ* nomen impoſitum eſt, ut ſuprà dixit Hieronymus, & Bartholomæus de Piſis lib. 1. de laudib. B. Mariæ fructu 8. affirmat? Involvantur ſilentio, nec apud nos nominentur nomina illa ventoſa, quæ Gentiles ſuis Heroibus ab eventu imponebant: nec celebrentur Aſiatici, & Africani Scipiones, ab Aſià, & Africà ſubjugatis, nomen præclarum conſecuti. Inani quoque perſtrepere ſonitu noſcuntur Macedonici, Metelli Numidii, Druſique Germanici, cæterique, qui à Patriis devictis cognomen ſumebant.

3 Periit memoria eorum cum ſonitu, & moribundus nominum illorum tinnitus tenues in auras diſperſus evanuit. Sed fama, & Parthenii Nominis excellentia nullis humanarum viciſſitudinum ſubjecta caſibus, firma ſtat, & perſeverat, de duratione cum æternitate concertans, ut legitimè de Deiparà dicatur, quod alibi improprié Virgilius *Eclog. 5.* ſcripſit:

Semper honor, Nomenque tuum, laudeſque manebunt.

Quandoquidem ut Marcus Vigerius lib. 1. Decachordi cap. 17. in illud *Luc. 1. Et nomen Virginis Maria*: Feliciſſimum eſt, inquit, inter benè moratos homines honeſtum ab initio nomen eſſe ſortitum. Audivi ego de Patre querelam texere nobilem, & grandævum Virum; quod illi nomen obſcurum dediſſet à principio: Et *Os porci* nomen in causà, ut ſcribitur, fuit, cur Romani Pontifices dum ad id muneris aſſumuntur, nomen novum accipiūt, illuſtris famæ Viri, dictuque concinnum: nè ſcilicet decus tanti officii indecoro, vel infauſto nomine deturpetur. Nomen igitur hanc Virginem prò ſuę profeſſionis dignitate, proque officii ſplendore honeſtiſſimum, & concinniſſimum ſortitam fuiſſe Evangeliſta declarat, dicens: *Et nomen Virginis Maria.* Nomina hominum decorem accipiunt ex ratione ſignificandi, rebus decoris accommodatà: & ex claritudine priſcorum hominum, quibus olim impoſita fuerunt.

4 Neque hoc mirum in Virgine, ut ejus Nomen titulos adimpleat dignitatis, ad quam à Deo Deipara eſt prælecta: dedit enim ei (teſte Alberto Magno lib. 1. de laudib. B Mariæ cap. 2.) tota Trinitas nomen, quod eſt ſuper omne nomen poſt Nomen filii ſui, ut in nomine ejus, ſcilicet *Mariæ*, omne genu flectatur, ſicut manifeſtè patet, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur hujus Sanctiſſimi Nominis gratiam, gloriam, & virtutem: non eſt enim in aliquo alio Nomen poſt Nomen filii tàm potens adjutorium, nec eſt aliquod Nomen ſub Cœlo datum hominibus poſt dulce Nomen Ieſu, ex quo tanta ſalus refundatur hominibus.

5 Cùm igitur ex interpretatione Nominis habeatur cognitio excellentiæ, & dignitatis individui perſonalis, meritò quærimus, quot & quas habeat *Mariæ* Nomen interpretationes. Ambroſius, ut vidimus, illud interpretatur, *Deus ex genere meo*. Ab Idiotà exponitur *Doctrix*, & *Magiſtra maris*. Ab Epiphanio, *Myrrha maris*. Et iterum inquit: *Maria* interpretatur *Spes*. Orat. de laudib. Virginis. Albertus Magnus lib. 1. de laudib. B. Mariæ cap. 3. plures alias affert hujus excelſi Nominis expoſitiones. Interpretatur enim *Maria, illuminata: vel illuminatrix:* vel *illuminans:* vel *illuminatrix mea:* vel *Stella Maris*, vel *Sminna maris*: vel ſecundùm quoſdam *maris Hyas:* vel *Mare amarum*: vel Syro Sermonę *Domina*. Habemus igitur varias interpretationes, de quibus ſigillatim eſt diſſerendum.

CAP. III.

Quàm magnum ſit, quòd Maria *interpretetur* Deus ex genere meo.

1 ABditiſſimam hanc interpretationē oportet elucidare. Quid eſt hoc: *Ex genere meo?* Si enim genus metaphyſicè conſideretur, Deus eſt ſuprà omne genus: nullis ſiquidem Divinitas concluditur generis, ac differentiæ terminis. Dic ergò nobis, Virgo beata, quomodo *Deus ex genere tuo?* Quantum ſapio, quantum capio, arbitror hic per genus, ſanguinis originem ſignificari: juxtà enim catholicam veritatem eſt indubitatum, Chriſtum Dei filium, ſecundùm humanam naturam, originem á Virgine traxiſſe, ut & ipſa quò ad humanitatem ſit principium filii, ſicut & eſſentia Patris eſt origo Verbi. Et quià ille homo, qui dicitur Chriſtus, eſt in hypoſtaſi Verbi ſubſiſtens, veruſque Dei filius, & hunc eundem ipſa Virgo Mater concepit, & peperit, non immeritò dicimus, quòd *Maria* interpretatur *Deus ex genere meo*.

2 Hujus autem myſterii ſolus Deus, qui illud peragere dignatus eſt, & ſola Virgo, quæ tanti miraculi fuit officina, perfectam, & plenam potuit potuit cognitionem habere. Neque alium hujus aſſertionis teſtem adhibeo, quàm Bernardum, qui homil. 4. ſuper Miſſus eſt, Angelum cum Deiparà ità loquentem inducit. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, Luc.* 1. Quid eſt, *& Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi?* Qui poteſt capere, capiat. Quis enim, exceptà fortaſſis illà, quæ hoc ſola in ſe feliciſsimè meruit experiri, intellectu capere, ratione diſcernere poſſit, qualiter Splendor ille inacceſsibilis virgineis ſeſe viſceribus infuderit, & ut illa inacceſsibilem accedere ad ſe ferre potuiſſet, de portiunculà ejuſdem corporis, cui ſe anima contemperavit, reliquæ maſſæ umbraculum fecerit? Et fortaſsè propter hoc maximè dictum eſt, *obumbrabit tibi*, quià res nimirùm in Sacramento erat, & quod ſola per ſe Trinitas in ſolà, & cum ſolà Virgine voluit operari: ſoli datum eſt noſſe, cui ſoli datum eſt experiri.

3 Dicatur *ergò: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, & qui utique ſua potentià fœcundabit te. *Et Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: hoc eſt, illum modum, quo de Spiritu Sancto concipies, Dei virtus, & Dei Sapientia Chriſtus, ſic in ſuo ſecretiſsimo conſilio obumbrando conteget, & occultabit, quatenus ſibi tantùm notus habeatur, & tibi. Ac ſi Angelus reſpondeat ad Virginem: Quid à me requiris, quod in te mox experieris?

Sciens

Sciens ſcies, & feliciter ſcies, ſed illo doctore, quo & auctore. Ego autem miſſus ſum nunciare virginalem conceptum, non creare. Nec poteſt doceri niſi à donante: nec poteſt addiſci niſi à ſuſcipiente. *Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*. Quod eſt dicere: Quoniam non eſt de homine, ſed de Spiritu Sancto quod concipies, concipies autem Altiſsimi Virtutem, hoc eſt, filium Dei: *ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*, id eſt, non ſolùm qui de ſinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, ſed etiam id quod de tuà ſubſtantià ſociabit ſibi, ex hoc jam vocabitur filius Dei, quemadmodum & is qui à Patre eſt antè ſecula genitus, tuus quoque amodò reputabitur filius. Sic autem & quod natum eſt ex Patre, erit tuus; & quod naſcetur ex te, erit ejus; ut tamen non ſint duo filii, ſed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo ſit, jam non tamen cujuſque ſuus, ſed unus utriuſque erit filius. Hactenùs mellifluus Bernardus.

4 Quæ cùm ità ſint, quis non videat pulcherrimum quoddam certamen inter Chriſti Patrem, & Matrem? In Cœlo Chriſtus generatur à Patre ſinè Matre: in terris à Matre concipitur ſinè Patre. Ibi Deus ex Deo: hìc homo Deus ex homine. Ibi in ſplendoribus Sanctorum ex utero Patris antè Luciferum genitus: hìc in ſplendoribus Sanctitatis editus in temporum plenitudine ex ſinu Matris. Ibi ex medullis divinitatis generatus: hìc ex meditullio natus Virginei cordis. Ibi per æternam generationem: hìc per temporalem naſcitur nativitatem. Ibi æternitatis faſciis involutus: hìc temporariis panniculis obvelatus. Ibi Pater generat, & eſt Virgo: hìc Mater generat, & flore redimitur virginitatis. Ibi fœcunditas ſinè corruptione: hìc incorrupta Virginitas cum fœcunditate. Ibi Verbum carnis expers producitur: hìc idem Verbum, ſed caro factum. Ibi Unigenitus dicitur, qui eſt in ſinu Patris: hìc Primogenitus vocatur, qui in ſinu Matris geſtatur. Ori ſuo manum imponat Neſtorius: Puer hic, Deus eſt. Quà Deus, à Deo Patre genitus ab æterno: quà Puer, ex Virgine Matre generatus in tempore. Ibi Gigas; hìc parvulus: ſic tamen ut in infantilibus parvuli membris Gigas eſſet.

5 Jure merito ergò *Maria* non ſolùm interpretatur, ſed etiam dicere poteſt: *Deus ex genere meo*. Quod quidem maximum Sacramentum ut magis innoteſcat, declarabimus duplicem in Chriſto nativitatem, æternam, & temporalem, ex iis, quæ habet Marcus Vigerius lib. 2. Decachordi c. 31. ubi exponens illud *Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti*, ad rem noſtram ſic loquitur. Vellem, inquit, ſi poſſem, hìc eloqui illam gloriam, quam paucis his verbis Evangeliſta declarat: ſed quo magis id annitor efficere, minus me perficere ſentio. Dicam tamen quod potero. Duas in Domino Ieſu Chriſto genituras Evangeliſta cognoverat, & iam conſcripſerat. Primam de Patre æternam. Secundam de Matre temporaneam. Utraque certè glorioſiſſima eſt. Uſque dum dicit: *in mundo erat*: gloriam refert generationis æternæ: deinceps temporaticæ: per epilogum poſteà colligit utramque, dicens: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti, &c.*

6 Secundùm genituram æternam, quà naſcitur de Patre Verbum; gloria nativitatis eius, gloria eſt Unigeniti. Unum enim, & unicum Verbum habet Deus Pater apud ſe, quod ſemper genitum fuit, & gignitur ſemper: erat enim Verbum in principio apud Deum: & erat Deus. Quare ſi per generationem eſt apud Deum, ſemper fuit genitum: quia ſemper apud Deum, & in Deo fuit. Et ſi eſt Deus, ſemper gignitur. Nihil enim Deo excidere poteſt, aut poterit. Quare poſt hoc Verbum, quod erat in principio apud Deum, nullum aliud verbum gigni, aut genitum eſſe potuit: cum illud idem ſemper gignatur. Vidimus ergò gloriam ejus Verbi, quod caro factum eſt. Ejus ipſius, quod habitavit in nobis, gloriã generationis æternæ, eſſe *quaſi*, ideſt, *verè* Unigeniti. Vidimus autem hoc non oculis carnis, ſed mente illuminatà per fidem: & per doctrinam tuam Sancte Joannes Evangeliſta, qui Deo magiſtro hæc didiciſti, & illo auctore nos docuiſti.

7 Adhuc ſecundùm hanc generationem, vidimus aliter gloriam eius, gloriam quaſi Unigeniti. Sed quomodò? Deus Pater iuſtus eſt, ſapientiſſimus eſt. Non eſt autem juſtus, non eſt ſapiens Paterfamilias habens plures filios, ſi uni dedit omnem poteſtatem, alterum quaſi inutilem deſtituit otioſum. Pater æternus omnem poteſtatem, omnem auctoritatem dedit Verbo illi, quod erat in principio; illi ipſi quod hodiè factum eſt caro. Quid ità? Quià omnia per ipſum facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil. Quarè prò auctoritatis magnitudine ratiocinantes ex tuà doctrinà Sancte Ioannes, vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti. Inſuper quoniam quod factum eſt in univerſo terrarum Orbe, in ipſo Verbo, per quod facta ſunt omnia, vita erat: Et vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti. Quando Pater ſapientiſſimus omnem lucis ornatum, omnem ornandi rationem ſic repoſuit in Verbo: ut jam non ſit lux ejus accidens, ſed ſubſtantia, ſed vita. Qui ſi certè alium habuiſſet filium, nõ ſinè ornatu lucis illum dimittere potuiſſet. Si verò alius filius lucem accepiſſet, alicubi lucere debuiſſet. Cùm verò hoc ipſum Verbum ſit lux omnium creaturarum: verè vidimus Ioannis beneficio gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti, æternà generatione, ſecundùm quam illi conveniunt, quæ ſcribit Evangeliſta, uſque dùm dicit: *In mundo erat*.

8 Eſt etiam ſecundùm temporaneam generationem Dominus Jeſus Virginis Matris Unigenitus glorioſus. Licèt enim Spiritus Sancti virtute, immò totius Trinitatis operatione ſit Virginis in utero formatus homo, cum quo Verbum caro factum habitavit in nobis: non tamen Spiritus Sanctus, vel tota Trinitas, illius hominis Pater fuit. Quoniam ille non ſemper eſt Pater, cujus virtute aliquid generatur. Generantur multa animalia, vel in ſuperficie, vel in viſceribus terræ, virtute Solis. Generantur metalla virtute caloris. Generantur herbæ, virgulta, arbores, beneficio agricolarum: & tamen neque Solem, neque calorem, neque agricolam, horum Patrem quis verè dixerit. Non enim de eorum ſubſtantia, non de aliqua eorum particulà, quaſi maris in fęminam agentis, hæc genita ſunt. Quæ verò ad Patris rationem in rebus corporeis requi-

runtur, prò noſtrà tenuitate enumerata ſunt eo Tractatu, quem de Compaternitate iam conſcripſimus; eum ſi quis inſpexerit, videbit apertè Deum Patrem, vel Spiritum Sanctum, immò ipſam Trinitatem, quæ incarnationem, & Chriſti nativitatem operata eſt, eius Patrem dici non poſſe. Videbit ſine omni Patre Dominum Ieſum Chriſtum conceptum, & natum de *Maria*: quæ quià non niſi ſemel Spiritu Sancto ſuperventa, & virtute Altiſſimi obrumbrata eſt, & hunc unicum filium concepit: gloria eius ſecundùm temporaneam nativitatem, gloria verè eſt Unigeniti.

9 Non eſt ò Cherinthe; non eſt ò Ebion, Dominus Jeſus Chriſtus homo phantaſticus: non fortuitus ut vos dicitis, ut fingunt Sabelliani, Virgo reperit parvulum: ſed decurſis novem menſibus peperit Chriſtum. Audite Evangeliſtam. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi*, ideſt *verè Vnigeniti*. Eſt certè hæc gloria ſpecialis, & propria Domino Jeſu Chriſto: nullis ex homine natis hactenus conceſſa. Ex viri ſemine concipiunt matres: hic de ſolo Matris ſanguine conceptus eſt. Virtutem genitivam accipit ſemen in aliis fœtibus à maſculo: Sanguis intemeratæ Virginis vim ſeminis accepit à Deo. Per varias tranſmutationes in aliis fœtibus integri corporis membra, & lineamenta conſurgunt: hìc ſimul uno momento facta ſunt omnia. Adiicitur maſculis fœtibus anima rationalis poſt quadraginta quinque dies à conceptu numeratos: huic primà die, primo momento conceptionis, Anima rationalis ſimul cum Verbi Perſona venit ad corpus. Sunt nè hæc parva gloriæ indicia? Nè mireris igitur, ſi dixit Evangeliſta gloriam eius nativitatis enarrans: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti*. Neque propterea denique mirandum ego ſubiungo, quod *Maria* non ſolum interpretetur, verùm etiam in ſenſu iam dicto dicere poſſit: *Deus ex genere meo*.

CAP. IV.

Quid ſit, quòd Maria *interpretatur* Doctrix, & Magiſtra maris.

1 PRò expoſitione ad myſticum ſenſum recurrere eſt neceſſe. Quid eſt hæc vita? Mare quoddam procelloſum, quod ſe tumultuum caſibus illidit, & multorum naufragiis infame. Eſt navigatio quædam plena diſcriminis, aleæ periculoſæ opus; nam, ut aiebat Seneca, omnes enavigamus hanc vitam. Navigantes igitur homines ſinè perito Navarchà rectè, & tutè cymbam ſuam regere, & ducere nequeunt. Plures in inſidiis ſcopuli latent, abundant Syrtes, Scyllæ, & Charybdes inſidiantur, Syrenes voluptatum uſque in exitium dulces, navigantes rapiunt, impellunt ad mortem. Et licèt in modum ſtagni fuſum, nulloque ventorum flatu criſpatum, arrideat æquor: tranquillitas iſta, tempeſtas eſt.

2 Propterea à Deo hominibus data, & tanquam Doctrix, & Magiſtra maris proviſa eſt Maria, navigationis ſcilicet humanæ vitæ: tenens namque præ manibus nauticam mappam, docet quà ſcopuli avaritię ſint evitandi, quà ſyrtes invidiæ ſint fugiendę, quà ventris, & gulæ charybdes ſint declinandæ, quà Syrenarum, id eſt, mortiferæ voluptatis illecebræ ſint eludendæ. Docet minimè fidendum, aut credendum æquoris huius tranquillitati, mundanæ videlicet proſperitati: aut enim ipſa tempeſtas eſt, aut naufragium minatur æternum. Sub hac ergo ductrice, ac doctrice, & Magiſtra maris, ſecuram poteris inſtituere navigationem in hoc mari magno, & ſpatioſo: ſed quia de hoc alibi erit ſermo, hìc ultrà nihil addo.

CAP. V.

Cur Mariæ *Nomen exponatur* Myrrha maris.

1 NUllos aromaticos frutices à mari ſcimus enaſci. Novimus quidem ſub eius aquis ramoſa coralliorum virere, fluitare virgulta, quæ ſi à natali elemento extrahantur ad aerem, in lapides ſtatim durata rubeſcunt. Et hoc modeſtiæ, pudicitiæque virginalis exemplum, quæ ſi in publicum prodeat, conſtantià pręferat lapidem, & verecundià. Verum arbuſculas aromaticas neque gignit, neque educat mare. Ut quid ergo *Myrrha maris* ab Epiphanio interpretatur *Maria*? Reſpondet Epiphanius *Orat. de laudib. Virg.* Rurſum nomen illud, *Maria*, interpretatur *Myrrha maris*. Myrrham verò dicet aliquis (quod ego etiam aio) de immortalitate, eo quod paritura eſſet gemmam immortalem in mari, hoc eſt, in mundo. Mare autem dicet univerſum mundum, cui Virgo ſerenitatem, & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Chriſtum. Hæc ille.

2 Et fortaſſe prò *myrrhà maris*, *corallium* intelligere poſſumus, ſi eius proprietates, & effectus ad Deiparam, ſuamque prolem transferamus. Sed prius Coralli naturam, atque virtutes à Franciſco Rueo *lib.* 2 de Gemmis c. 19. deſcriptas audiamus. *Corallium*, inquit, & *Lithodendrum* appellari invenio, quod *arboreus lapis* adpareat. In mari mollius primum creſcit, inde verò duratur. Cumque ſub aquà quidem vireat, ſtatim atque hanc ſuperavit, rubeſcit. Adſtruunt candidas illud intrà aquam proferre baccas, quæ extrà eam in ſanguineas degenerant: eaſque & formà, & magnitudine ad hæc, & colore corna ſativa repræſentare. Mirum, quòd tactum lapideſcit ſi vivit, proindè reſtibus, primum revellunt, aut ferramento acri præcidunt: quà de re *Curallium* Theophraſtus, à *radendo*, Græcæ voci alludens, illud appellavit. Porrò arboreum eſſe Corallium vel ipſius rami palam oſtenderint. Diverſam pręterea à ferro ignito naturam Corallium exhibet: illud nanque ut aquà, ità & hoc molliore aere illicò duratur.

Commendatiſſimum eſt quod rubicundiſſimum, vel albiſſimũ, ęquabili uſquequaq; concremento, formà fruticis, ac terenti facilè cedens. Quod autem in lapidis exactam duritiem coit, ſcrupuloſum, inane, lacunoſumque eſt, damnatur. In magnà antiquitus, apud Indos præſertim, fuiſſe autoritate Corallium in literis comperio. Hi nanque prò eo ſuos olim conſueviſſe Uniones permutare tradũtur. Nunc autem quod crebrius eſt, in magno adeò non eſt pretio.

3 Dœ-

3 Dœmones inſenſos arcere perhibetur. Ut & hinc ſuſpicandum ſit prudentem vetuſtatem, corallio per diverſas formas (non ſinè licèt faſtu quodam, aut illecebrà nunc uſurpetur) effigiato, & ex ordine infilato, preces Marianas docuiſſe numerare. Magnus illius in medicinà uſus percrebuit. Quandoquidem refrigerat, ſiccatque mediocriter: Ideoq; ſanguinis rejectionibus, & eruptionibus prodeſt. Albū verò coralliū à collo ſuſpenſum, ut ſtomachū, vel pectus contingat, è naribus conſuetum fluere ſanguinem raro compeſcere vidimus. Cor præterea, & ventriculum, vel ingeſtum, vel extrà, ut adhæreat admotum, roborat. Surculos ejus prò amuletis infantulorum collis appendunt: fulminibus, & marinis æſtibus, tempeſtatibuſque reſiſtere æſtimatur. Proindè Iovi, Phœboque ſacrum, putatum eſt. Religioſum prçtereà geſtamen eſſe amoliendis periculis comperio, ut decore, ac religione gaudeat.

4 Ad hæc & contrà veſicæ tormina, & calculi mala, in pulverem uſtos ſurculos, & ex aquà potos auxiliari fertur: item & lienem abſumi, ſi id medicamentum ſæpiùs potetur. Oculis deindè prodeſſe, ulcerum cava explere, cicatrices tenuare, denique & ſurculos ex vino potos, vel ex aquà (ſi febris urgeat) ſomnum conciliare, Plinius autor eſt. Nec deſunt qui affirment illius pollinem eroſis dentibus infarctum, ęgros dentes radicitùs eruere, demum & gingivas firmare. Commentitium omninò puto, quòd coralli pulvere fruges evadant uberiores. Quanquàm & coralli pulverem inveniam amaras aquas dulces efficere.

5 Quis igitur prohibet ſingulas coralli proprietates, effectus, & virtutes glorioſæ Virgini accomodare, quæ dicitur Myrrha maris? Nonne & corallium frutex, aut lapis arboreus maris eſt? Et ipſa Virgo arbuſcula quædam corallina in orbis mari fuit, flexibilis, & ramorum brachiis extenſa humilitatis ſub aquis, quippè quæ nunquam per ſuperbiam indomita, aut dura, neque cervicoſa per elationem. Mollis itaque humillimæ abjectionis in undis, ex alio capite tanquàm lapis induruit, eo quòd munerum ſupernorum munimine undequaque vallata, & in dono gratiæ confirmata, nullatenùs ad culpam potuit flecti. Candidiſſimas autem protulit baccas, cùm Dei filium qui eſt candor lucis æternæ, in utero ſuo concepit, quique mox ut noſtri mundi aerem attigit, ſanguineum colorem aſſumpſit, hoc eſt, in aſſūpta humanitate rubicūdus apparuit: ut non immeritò ſponſa de illo proclamet *Cant. 5. Dilectus meus, candidus, & rubicundus.* Candidus quidem quò ad Divinitatem: rubicundus verò quò ad humanitatem. Et hoc eſt Virginē glorioſam tanquàm arboreum lapidem maris de immortalitate gemmam peperiſſe immortalem, Chriſtum ſcilicet in utraque naturà, divinà, & humanà.

6 Quid de ejus dicam auctoritate? Quid de virtutibus? Quid de medicà vi? Tanta ejus autoritas eſt, ut tanquam Mater imperet filio, nec materna filius exequi dedignetur imperia. Tanta ejus virtus eſt, ut dœmonum legiones infenſas ſolà ſuà præſentià effugare comperiatur. Tanta ejus vis medica eſt, ut nullæ ſint ægritudines, quibus ipſa non medeatur. Quid ita cor hominis confortat, quam *Mariæ* nomen? Quid ità refrigerat ab æſtu concupiſcentię, fluxumque carnalium voluptatum compeſcit, quam meditata eius Virginitatis exempla? Nullum puto poſt Jeſu nomen efficacius amuletum Deiparę nomine contrà vitiorum faſcinationes. Ipſa divinæ fulmina vindictę ſuſpendit, mitigat iras, & Numinis ardentem ſedat furorem. Ipſa tribulationum tempeſtates tranquillat, & marinos cohibet perſecutionum ęſtus; ut meritò non Jovi, aut Phœbo, Numinibus fabuloſis, ſed verę Divinitati ſacra dicatur. Ex his, & aliis Coralli proprietatibus, quas tu facilè poteris adaptare gratioſis Deiparę influxibus, & effectibus, putaſnè *Mariam* poſſe dici *Myrrham maris*, an arboreum, & medicum potius *Corallium maris*.

CAP. VI.

Quà ratione Mariæ *nomen interpretetur* Spes:

1 QUod volucribus alę, hoc eſt homini ſpes. Dicitur enim *Spes* quaſi *pes*. Aves per alas in aerem ſublevantur: & per ſpem erigitur animus. Alę volucribus prę ſtant volatum: Spes homini motum impertit. Tolle pennas à volucre, & iam non volat: tolle ſpem ab homine, & iam ipſi deficit motus, ſivè pes progreſſivus ad bonum. Virgo autem Mater noſtra, eſt humani generis ſpes. Peperit enim Dominum, ait Epiphanius, qui eſt ſpes totius mundi, nempe Chriſtum. Eſt etiam Maria *Spes* noſtra, nobis quaſi *pes*, quia patrocinio dat magnam nobis fiduciam, ut pedibus animi, id eſt, piis affectionibus, in virtutum, & bonorum ſemità progrediamur.

2 Etenim inquit Iuſtinianus c. 5. de Spe in Ligno vitæ, concipienda eſt magna fiducia in Dei, & Domini noſtri Genitrice poſt ipſum Redemptorem noſtrum Dominum Jeſum. Hęc eſt dulcedo, & ſpes noſtra, quia eſt Mater pulchræ dilectionis, timoris, agnitionis, & ſanctæ ſpei. In ipſa omnis gratia viæ, & veritatis, & omnis ſpes vitæ, & virtutis. Quid Dei Matre nobilius? Quid *Maria* ſplendidiùs? Quam ſplendor gloriæ elegit, ut ex ipsà naturam noſtram aſſumeret: Hæc meritis copioſa, quia virtutibus plena. Ipſa fuit corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi Magiſtra, intenta operi, verecunda Sermone. Hæc namque novit Deum quærere, nullum lædere, omnibus benè velle, iactantiam fugere, rationem ſequi, virtutem amare. Quandò iſta faſtidivit humilem? Quando irriſit debilem? Quando vitavit inopem? Nihil in oculis torvum, in verbis procax, in actu incompoſitum. Non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior. Talis namque fuit, ut ipſa corporis ſpecies ſimulachrum mentis fieret, & probitatis exemplum. Ipſa denique eſt thronus gratiæ, de cuius plenitudine accipiunt univerſi, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angeli lætitiam, Filii Perſona humanæ carnis ſubſtantiam, denique tota Trinitas gloriam, ita ut non ſit qui ſe abſcondat à calore eius, &c.

3 Et paulò infrà ſubjungit. Hæc eſt, quæ dedit

dit Cœlis gloriam, terris Deum, pacemque refudit, fidem Gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, & moribus diſciplinam. Ad hunc fontem divinæ gratię, quæ emanat in *Marià*, ſitibunda properet anima noſtra. Ad hunc miſericordiæ cumulum expanſo, & dilatato animo erigatur ſpes noſtra, cui humili corde, & devotà ſupplicatione fiducialiter dicamus. O benedicta inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Domina Angelorum, rogamus te, ut per te acceſſum habeamus ad Filium tuum Dominum Jeſum. Per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis: excuſet apud ipſum integritas tua, culpam noſtræ corruptionis; & humilitas tua Deo grata, noſtræ veniam impetret vanitati; copioſa charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum; & fœcunditas tua, fœcunditatem nobis conferat meritorum. Hæc ille.

4 Propterea arbitror non ſinè ratione Dominum in Canticis Matrem ſuam lilio comparare voluiſſe: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*: ut optimum ſcilicet nobis hieroglyphicum ſpei daret. Quapropter ſciendum in primis, ut tradit Pierius lib. 55. hieroglyphicorum, unumquemque florem hieroglyphicum eſſe ſpei. Nam ſi ſpes, ut Speuſippus Platonicus finit, eſt expectatio boni: velut è converſo, metus, animi concuſſio in expectatione mali: Sique floribus inſpectis, uſum indè fructuum ſperare ſolemus, nulli dubium erit, quin flos ſit futuri boni prænuncius, & frugem paulò poſt ſuccreſcentem polliceatur. Nam & Themiſtius ait per florem, ubi prævius apparuerit, in frugis inde nos ſpem ſurrigi.

5 Sed quamvis ſit hæc florum omnium prærogativa, ut nos benè ſperare jubeant, unus tamen præcipuus, quippè lilium, uno omnium conſenſu hieroglyphici hujus primas obtinet. Hic in antiquorum monumentis cum inſcriptione *Spei*, lilii potiùs figuram, quàm alterius cujuſquam floris ſpeciem oſtentat. Nàm in nummo Imperatoris Alexandri Pii Auguſti ab alterà facie Dea lilium dexterà prætendit, cujus inſcriptio eſt: *Spes Publica*. Eadem inſcriptio cum lilio manu Deæ prætento in Imperatoris Æmiliani nummis habetur. Nuſquam verò frequentiùs, neque manifeſtiùs hæc lilii facies pro *Spe* ponitur, quàm in Imperatoris Claudii P. T. Auguſti nummis, quorum vis magna proximis annis in Bellunenſi agro effoſſa eſt, in quibus Dei ipſa pallam lævà ſuſtinet, dexterà lilium prætendit cum inſcriptione: *Spes Publica*. Et in Titi Claudii nummis eodem geſtu Dea, pallà ſublatà, lilioque dexterà porrecto, cum literis: *Spes Auguſta*. Eodem ſtatu, habituque in Adriani nummo Dea lilium prætendit, cum inſcriptione: *Spes Populi Romani*. Ac nè tædio ſit horum multiplicitas, & numerus: hieroglyphici huius non ignarus Maro noſter, cùm ſpem de Marcello conceptam ſignificare vellet, tacità quadam ad clariſſimum illum alluſione, eruditiùs ſanè quàm fronte primà polliceatur, hæc ſcripſit:

Nec puer Iliacà quiſquam de gente Latinos
In tantum ſpe tollet Avos, nec Romula quondam
Vllo ſe tantum tellus jactabit alumno:

Et quæ ſequuntur, uſque ad verſum illum:

Si quà fata aſpera rumpes,
Tu Marcellus eris: manibus, dat lilia plenis.

6 An igitur Domina noſtra lilio aſſimilata, immò & lilium virginitatis prætendens, hieroglyphicum ſpei eſt: neque tantùm hoc, verùm etiam *Spes Publica* totius mundi catholici. Ipſa Chriſtianorum *Spes Auguſta*: Ipſa verè *Spes* Populi Romani, atque Catholici, ad quam oculi omnium creaturarum rationalium reſpiciunt, & à quà auxilium, favorem, & patrociniū recipere ſperant. Ut non immeritò Bernardus ſerm. Panegyrico de Deiparà, ipſam in perſonà omnium filiorum Adæ compellat. Mentem, inquit, & oculos pariter cum manibus ad te Regina mundi attollimus, & coram tuæ Celſitudinis glorià genuflectimus, cervicem inclinamus, ac plenis ſuſpiriis ad te preces in Cœlum tranſmittimus. Tu Altitudo Cœli, beatos oculos tuos, quibus incomprehenſibilem gloriam illam lucis æternæ cum deſiderio ſemper intueris, ad tuos ſupplices in hanc mundi miſeriam projectos, de alto inclinare non deſpicias.

Et eccè coràm tremendo Judice peccatores aſſiſtimus, cujus manus terribilis gladium iræ ſuæ vibrat ſuper nos. Et quis avertat eam? Nemo Domina tam idoneus, ut gladio Domini manum prò nobis objiciat, ut tu Dei amantiſſima, per quam primùm in terris ſuſcepimus miſericordiam de manu Dei noſtri. Aperi itaque tu Mater miſericordiæ benigniſſimi cordis tui januam ſuſpirioſis precatibus filiorum Adam. Ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum confugimus à facie formidinis (aliàs fortitudinis) Dei.

7 Ad te Domina mea, ſtillant oculi noſtri: te devotionis clamore valido obſecramus: ut Filii tui Domini noſtri iram, quam gravirer peccando ſuccendimus, ergà nos mitiges: ejuſque gratiam à quà ingrati excidimus, nobis tua conciliet: cujus livore ſanati ſumus, ejus iterùm medelam depoſcimus; quià putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices noſtræ, & non eſt in nobis ſanitas. Attende Domina, & vide dolores vulnerum animarum noſtrarum, quià tibi revelamus cauſam noſtram cum fiducià. Te inæſtimabilis benignitatis fœminam, & venerandam Matrem eſſe cognoſcimus ex eo, quod tu mundum hunc immundum, & lubricum impolluto calle tranſiſti; & adhuc inter peccatores degens, tantà antè Deum Sanctitate fœcumdaris, ut tu ſola ſolio Regis æterni immediatè approximare meruerıs. Tu peccatorem quantumlibet fœtidum, non horres, non deſpicis; ſi ad te reſpiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum à deſperationis barathro pia manu retrahis, ſpei medicamine aſpiras, & toti mundo deſpectum materno affectu amplecteris, & foves, nec deſeris, quò uſque horrendo Iudici miſerum reconcilies.

8 Hæc nè, quæsò, ſunt *Spei Publicæ* argumenta? Fatebere utique, neque contentioſè negaveris *Mariam* conceſſam hominibus in *Spem Auguſtam*, ut hinc ad meliora ſperanda ſemper aſſurgant. Maria namque eſt portus naufragantium, miſerorum refugium, exulum patria, tutum peccatorum refugium, errantium via, hoſtium virga, ſalus omnium in ſe ſperantium. Undè Bernardus in quodam ſerm. Ad Beatam Virginem, inquit, ſicut ad medium, ſicut ad arcanum Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum, reſpiciunt qui in Cęlo ſunt, & qui in inferno habitant: & qui nos ſumus,

& qui ſequuntur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in Cęlo, ut reſtaurentur; & qui in Purgatorio ut eripiantur; & qui præceſſerunt; ut Prophetæ fideles inveniantur; & qui ſequuntur, ut glorificentur. Et iterum idem ait. Quis miſericordiæ tuæ, ò Benedicta, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, aut ſublimitatem valeat inveſtigare? Nam longitudo eius uſque ad noviſſimum diem invocantibus eam ſubvenit univerſis: latitudo eius replet orbem terrarum, ut tua miſericordià plena ſit omnis terra. Sic & ſublimitas ejus, Civitatis ſupernæ invenit reſtaurationem; & profundum eius, ſedentibus in tenebris, & in umbris mortis obtinet redemptionem. Denique ipſe Bernardus ſerm. 2. de Deiparà, *Spei Publicæ*, *Spei Auguſtæ* argumenta, quæ habemus in Marià, concludat, dicens: Filioli, hæc peccatorum Scala; hæc mea maxima fiducia eſt; hæc tota ratio Spei meæ.

CAP. VII.

Cur Maria *dicatur* Illuminata.

1 SI quis Solem diceret peritiſſimum Apellem, qui non alio penicillo, aut coloribus, quàm radiis ſuæ lucis lucidiſſimas pingeret tabulas in hoc aeris proſcœnio, illum pro dignà ſatis metaphora commendarem. Neque enim oculi noſtri pulchriora vident lineamenta, quàm quæ Sol fulgore ſuo ducit in aereis plagis. Ubi enim jubar illud illuminans reſpicit, protinùs clarum videtur, & illuminatum, quod à lumine ſuperfunditur. Varios cernas colores igneos, flammeos, aureos, niveos, croceos in vaporum materià variabiliter temperatos à radio. Quid ſi nubecula à Solis oculo feriatur? A penetratione lucis radiantis nitet, ſplendet, igneſcit, fulgurat ſuaviter, aurato circumdata lymbo. Sol ergo iſte viſibilis cùm lucet, pingit; cùm irradiat, colorat.

2 Sed aliter Maria illuminata. Zeuſis ſempiternus, luminum Pater, totius lucis fons, & origo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit, ſic ſibi complacuit Deiparam ſuà luce veſtire, ut illius dono tot in ſe luminaria, tot colores, quot virtutes, & perfectiones haberet. Et ita hoc nomen *Maria*, ei ſingulariter, & excellenter convenit, quia à Patre Luminum illuminata, præ omnibus poſt Filium plura dona habuit gratiarum. Illuminata per gratiam à Spiritu Sancto, vel in ipſo conceptionis inſtanti, cùm gratiæ dono præventa, candidiſſimo emicans lucis divinæ ſplendore, tenebras originales, quas patitur genus humanum, neſcivit. Iterum per privilegii ſingularitatem à Spiritu Sancto irradiata, cùm in eam ſuperveniente Spiritu Sancto, ſuper cœleſtibus clarificata fulgoribus, & virtute Altiſſimi obumbrata, ſic potuit fœcundari ad divinum fœtum concipiendum, ut integra, & illæſa virginitatis jura manerent. Illuminata à Filio Dei vero Juſtitiæ Sole in illius conceptione, quem totum in corde ſuſcepit; totum ſuſcepit, & portavit in ventre: nec potuit non eſſe illuminata, quę fontem luminis ſuſceperat in ſe totum. Et ecce nubes lucida, quam Sol divinus totam illuſtravit, & cœleſtium chariſmatum radiis coloravit.

3 Neque enim Epiphanius *Orat. de laudib. Virg.* eximias eius prærogativas ſilere poteſt, quin Deiparam prædicet ſpeciali modo à totà Triade illuminatam. Rurſum itaque ait, præclaræ puellæ *Mariæ* beatum nomen interpretatur *illuſtrata*; utpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos uſque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit. Sancta enim puella Virgo *Maria*, eſt Sponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis planè arcanus: cui Gabriel inquit: *Aue gratià plenà: Dominus tecum*, ſubiunxit Gabriel. Et Pater miſit arrhabonem de Cœlo Spiritum Sanctum, præparavit Virginem unigenito Filio, Cœleſti Sponſo; quam Pater dilexit; Filius inhabitavit; Spiritus Sanctus percupivit. Nota illud: *Virgo Maria eſt Sponſa Trinitatis*. Si enim Sponſæ iuxtà leges imperiales radiis maritorum coruſcant: quantum putas Virgini acceſſiſſe ſplendoris ex hoc cum Trinitate virginali connubio?

4 Exuperat ſanè omnem animi conceptum, atque intellectum hæc Virginis gloria, ut Maria dicatur à Trinitate irradiata, & tanquàm nubes ſole veſtita: ſi enim Bernardo fidem habemus, jam non nubes ipſa, ſed Sol quodammodò eſſe videtur. Hoc ille dixit expreſſivà verborum energià *Serm.* 1. ex verbis *Apocal.* 12. *Signum magnum apparuit in Cœlo: Mulier amicta Sole*, *&c.* & in illa muliere Virginem intelligens ſignificatam, inquit. Jure *Maria* Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam divinæ ſapientiæ ultra quam credi valeat penetravit abyſſum: ut quantum ſine perſonali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaceſſibili videatur immerſa. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longè verò aliter *Maria* meruit non velut ſummatim tangi, ſed operiri magis undique, & circunfundi, & tanquam ipſo igne concludi. Candidiſſimus ſanè, ſed & calidiſſimus hujus mulieris amictus: cuius omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, ut nihil in eà non dico tenebroſum, ſed obſcurum ſaltem, vel minùs lucidum, ſed nè tepidum quidem aliquid, aut non ferventiſſimum liceat ſuſpicari.

5 Denique & paulò infrà ſubiungit. *Mulier*, inquit, *amicta Sole:* planè amicta lumine tanquam veſtimento. Non percipit fortè carnalis, nimirum ſpirituale eſt, ſtultitia illi videtur. Non ſic videbatur Apoſtolo, qui dicebat: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum*. *Rom.* 13. Quam familiaris ei facta es Domina, quam proxima, immò quam intima fieri meruiſti, quantam inveniſti gratiam apud Deum? In te manet, & tu in eo: & veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloria ſuæ majeſtatis. Veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris. Novum enim fecit Dominus ſuper terram, ut mulier circumdaret virum, alium quàm Chriſtum, de quo dicitur: *Eccè Vir, Oriens nomen eius. Zachar. 6.* Novum quoque fecit in Cœlo, ut mulier Sole appareret amicta. Denique & coronavit eum, & viciſſim ab eo meruit coronari. Hæc ille Mellifluus.

6 Quatuor etiam aliis modis fuit Illuminata, juxtà Iacobum de Voragine, qui ſerm. 89. de Beata Virgine illos exponens, inquit. Qualiter autem illuminata ſit, oſtenditur *Apocal.* 12. ubi dicitur: *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim, & in utero habens.* Ubi oſtenditur Primò, quòd ipſa ſit illuminata à parte ſuperiori, quià habet in capite coronam duodecim ſtellarum. Stellæ duodecim ſunt novem ordines Angelorum, & tres ordines Beatorum, ſcilicet Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, qui omnes eam coronant, quia ipſam venerantur, & laudant.

Secundò eſt illuminata à parte inferiori, quod notatur, cum dicitur: *Luna ſub pedibus ejus*. Per Lunã intelligitur militans Eccleſia, quæ adhuc mutabilitati ſubiicitur, quam Virgo ſub pedibus habet, quia ipſam ſub una protectione, & defenſione tenet, donec ad æternam pacem ipſam reducat, & tunc omnem mutabilitatem auferet. *Pſalm.* 71. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna*. Gloſſa: ideſt, mutabilitas, quæ per Lunam deſignatur.

7 Tertiò fuit illuminata à parte interiori, quod notatur, cùm dicitur: *In utero habens*. Non dicitur quid haberet, ut oſtendatur, quòd illud eſt ineffabile. Habebat quidem ſplendorem divinum. *Hebr.* 2. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ ejus*. Habebat candorem niveum, habebat ſpeculum immaculatum. *Sap.* 7. *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſinè macula*.

Quartò eſt illuminata à parte exteriori, quod notatur, cùm dicitur: *Amicta Sole:* id eſt, immortali corpore. Radius enim ſolaris eſt clarus, eſt agilis, ità ut ab Oriente in Occidentem tranſeat ſubitò. Eſt ſubtilis, ità ut vitrum ſinè læſione ſubintret. Eſt impaſſibilis, ità ut nul a violentia lædi poſsit. Fuit ergò Virgo Beata *amicta ſole*, quia ejus corpus induit claritatem, agilitatem, ſubtilitatem, & impaſſibilitatem. Hactenùs Voragines. Et ex his vides, quam propriè *Maria* interpretetur *Illuminata*.

CAP. VIII.

Ratio, *cur* Maria *dicatur* Illuminatrix.

1 SI differentiam quæras inter iſta duo vocabula, *Illuminata*, & *Illuminatrix*: reſpondent Philoſophi in hoc eſſe ſitam, quod participium *Illuminata* denotat paſſibilitatem, & receptibilitatem in ſubjecto, quod illuminatur: verbum autem *Illuminatrix* ſignificat actionem, & efficientiam, per quam producitur, & communicatur lumen ad illuminandum. Igitur Virgo Beata primò fuit paſſivè, & receptivè *Illuminata:* deindè irradiata lumine, activè, & effectivè fuit *Illuminatrix*. Res enim quæ ex ſe privatur lumine, priùs illuminatur, & poſteà illuminat. Et quià omnis creatura tenebra eſt reſpectu luciditatis divinæ, ut lib. 1. de laudib. Virg. fructu 8. inquit Bartholomæus de Piſis, neceſſariò habuit Maria primùm à Deo illuminari, ſed gratiæ lumine accepto, fuit *Illuminatrix* activè, & effectivè.

2 Gratus quidem Sol, lucida fax Unverſi: nàm juxtà Ambroſium lib. 4. Hexam. cap. 1. procedit Sol, magno jubare diem, magno mundum complens lumine, vaporans calore. Oculus eſt enim mundi, jucunditas diei, Cœli pulchritudò, naturæ gratia, præſtantia creaturæ. Sed quid mihi cum Sole? Bonus quidem ſol carneis oculis: Sed melior oculis animæ Virginea lampas *Mariæ*. Ille exteriora, & viſibilia hæc ſuis illuminat radiis: Ipſa, interiora, & inviſibilia ſuæ fulgore lucis excellentis illuſtrat. Ille corpora: Ipſa calefacit mentes. Ille ſplendidà radiatione tenebras fugat: Ipſa, radioſà gratiæ illuminatione vitiorum noctem eliminat. Ille tantùm viſibilem mundum: Ipſa mundum utrumque viſibilem, & inviſibilem ſuo lumine complet.

3 Hinc ut Mariæ illuminationis activitas, atque efficientia innoteſcat, præclarè Bonaventura in Speculo Virginis cap. 3. in tres claſſes effectus provenientes à tali illuminatione activà, & effectivà partitur. His viſis, ait, conſiderandum eſt, quod *Maria* etiam interpretatur *Illuminata*, vel *Illuminatrix*. Hoc ſimiliter competit tantæ Virgini, quæ mirabiliter illuminata eſt per præſentiam Domini: juxtà illud *Apocal.* 18. *Vidi Angelum alium deſcendentem de Cœlo, habentem poteſtatem magnum: & terra illuminata eſt à gloria ejus*. Filius Dei eſt Angelus magni Conſilii: terra verò à gloria Dei illuminata eſt Maria, quæ ſicut illuminata fuit à gratia ejus in mundo, ita nunc illuminata eſt à gloria ejus in Cęlo: ut ſic *Illuminata* fieret *Illuminatrix* in mũdo, & in Cęlo. Propter quod conſiderandum eſt, quod *Maria Illuminata*, Illuminatrix eſt, per exempla, per beneficia, & per præmia: Illuminatrix per exempla vitæ ſuæ: Illuminatrix per beneficia miſericordiæ ſuæ: Illuminatrix eſt Maria per præmia gloriæ ſuæ.

4 Primò ergò conſidera chariſſime, quòd *Maria* eſt Illuminatrix plurimorum per exempla lucidiſſimæ vitæ ſuæ. Ipſa eſt, cujus vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. Ipſa enim eſt lucerna Eccleſiæ ad hoc illuminata à Deo, ut per ipſam contrà tenebras mundi illuminaretur Eccleſia. Oret ergò Eccleſia, oret fidelis anima, & dicat: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.* Pſal. 17. Hanc verè lucernam Dominus illuminavit pleniſſimè, & per hanc illuminationem tenebras animarum noſtrarum fugat, & fugavit. Hoc benè ſentiens Bernardus ait: O Maria, Tu virtutum tibi inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, ſicque noctem noſtram illuminas, qui enim vias tuas inſectatus fuerit, non ambulat in tenebris, ſed habet lucem vitæ. Vides modò quomodo *Maria* eſt Illuminatrix mundi per exempla lucidiſsimæ vitæ ſuæ.

5 Secundò conſidera, quòd *Maria* eſt Illuminatrix per beneficia lucidiſſimæ miſericordiæ ſuæ: per quam multi in nocte hujus ſæculi illuminati ſunt ſpiritualiter, ſicut quandoque filii Iſrael per columnam ignis illuminati fuerunt corporaliter. Iuxtà illud *Pſal.* 77. *Deduxit eos in nube*, &c. *Maria* nobis eſt columna nubis, quia tanquam nubes protegit ab æſtu Divinæ indignationis: protegit etiam ab æſtu diabolicæ tentationis; ſicut iterùm dicitur in *Pſal.* 101. *Expandit nubem in protectionem eorum.* Maria quoque columna ignis eſt, illuminans nos, immò illuminans mundum multis miſericordiæ ſuæ beneficiis. Quid nos miſeri, nos obtenebrati,

quid in nocte huius ſeculi faceremus, ſi tam lucidam lucernam, ſi tam luminoſam columnam non haberemus? Quid enim totus Mundus valeret, ſi Solem non haberet? Propter hoc benè beatus Bernardus ait. Tolle corpus hoc Solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle *Mariam* hanc maris Stellam, quid niſi caligo involvens, umbra mortis, ac denſiſſimæ tenebræ relinquuntur? Vides modò, quomodo *Maria* eſt *Illuminatrix*, per lucidiſſimam vitam: vides ſecundò, quomodo *Maria* eſt Illuminatrix per lucidiſſimam miſericordiam ſuam.

6 Tertiò conſidera chariſſime, quod *Maria* eſt etiam *Illuminatrix* per lucidiſſimam gloriam ſuam, quæ per omnia illuminat Cœlum, ſicut Sol Mundum. Iuxtà illud *Eccli.* 42. *Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloriâ Domini plenum eſt opus eius.* Sol illuminans eſt *Maria*, quæ eſt pulchra ut Luna, electa ut Sol: pulchra ut Luna per gratiam, electa ut Sol per gloriam. *Gloriâ* enim *Domini plenum eſt opus eius*. Opus enim excellentiſſimum eſt *Maria*. Hoc opus ſicut plenum fuit gratiâ Domini in mundo, ſic plenum eſt gloriâ Domini in Cœlo. Sic ergò illuminans Maria, in gloriâ ſuâ rutilans per omnia reſpicit, quia per omnes Angelos, & per omnes Sanctos gloriæ ſuæ illuminationem extendit. Quid mirum, ſi Mariæ præſentia totum illuminat Cœlum, quæ etiam totum illuſtrat orbem? Ait enim Bernardus: *Mariæ* præſentiâ totus illuſtratur Orbis, & ipſa iam Cœleſtis Patria clarius rutilat Virgineæ lampadis irradiata fulgore. Sic ergò vides, quomodò *Maria* illuminatrix eſt per vitam ſuam lucidiſſimam: quomodò illuminatrix per gloriam ſuam fulgidiſſimam eſt *Maria*. Ità Seraphicus Doctor.

7 Iuſtà autem Iacobum de Voragine ſerm. 89. de laudib. B. Virginis, dicitur *Illuminatrix* ex eo, quod nos multipliciter illuminat, iuxta illud *Eccli.* 24. *Penetrabo inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*. Vel nota, quod ipſa illuminat obſcuros, & calefacit frigidos. Ideò dicit: *Penetrabo inferiores partes terræ*. Pars enim terræ inferior eſt frigida, & obſcura, & ſignificat illos, qui ſunt ſinè calore amoris Dei, & qui ſunt in tenebroſitate peccati: Nam frigidos inflammat ad amorem Dei, & obſcuros illuminat, expellendo tenebras peccati. Ipſa etiam illuminat negligentes, & tepidos. Ideò ſubdit: *& inſpiciam omnes dormientes*. Tunc enim dormientes inſpicit, quandò tepidos, & negligentes, ferventes facit. Undè ſibi poteſt convenire, quod dicitur *Epheſ.* 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*; per merita ſcilicet Matris ſuæ. Ipſa etiam illuminat in Domino ſperantes, & ſibi devotos, conſervando eos in lucem gratiæ Dei. Ideò ſubdit: *& illuminabo omnes ſperantes in Domino*.

8 Denique Albertus Magnus lib. 1. de laudib. B. Mariæ c. 3. efficacitatem Marianæ illuminationis extendens ad plura ſic fatur. *Maria* interpretatur *Illuminatrix*. Ideo poſtquam dicta eſt pulchra ut Luna, dicitur electa ut Sol: quia ſicut Sol radiis ſuæ claritatis illuminat mundum; ſic ipſa ſuis virtutibus, & exemplis populum irradiat Chriſtianum. Undè dicit *Eccli.* 24. *Illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Alios nequaquam. Ipſa enim illuminat Eccleſiam militantem ſignatam per Arcam Noe, quam illuminabat feneſtra cryſtallina, quæ figurabat *Mariam*. Undè dicit *Eccli.* 24. *Ego feci, ut in Cœlis oriretur lumen indeficiens*: ideſt, Ego genui Chriſtum, qui eſt in Cœlis lumen indeficiens. Propterea hoc de ea canitur, quod vita eius inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias, id eſt, militantem, & triumphantem.

9 Ipſa etiam poſt filium eſt illa *vera lux*; *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ſupple, qui illuminatur. Unde dicit ei Pater *Eſa.* 12. *Dedi te in lucem gentium, &c.* Ad hoc etiam ſignificandum, media nocte peperit lucem veram, ut mediante partu ſuo illuminaret populum ſuum in tenebris ambulantem. Ipſa eſt etiam via illa, *per quam ſpargitur lux; & dividitur æſtus ſuper terram*. *Iob* 38. Contra hanc *Illuminatricem* rebellant hæretici, Judæi, Pagani, & blaſphemi. Unde *Iob.* 24. *Ipſi fuerunt rebelles lumini, &c.* Sed inimicos ejus perſequentur tenebræ, ſicut dicitur *Naum* 1.

10 Dicunt autem quidam, quòd interpretatur *Illuminatrix mea*. Ipſa enim *Illuminatrix* noſtra eſt Filio mediante, qui *Ioan.* 9. *fecit lutum ex ſputo*, quo illuminavit cœcum natum; in quo latet maximum Sacramentum. Saliva deſcendens de capite Jeſu, Dei Sapientia, quæ dicit *Eccli.* 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, &c.* Ex hac ſaliva, & terræ noſtrę natura confectum eſt collyrium, quo illuminatum eſt genus humanum, deſignatum per cœcum illum, per fidem ſcilicet Verbi incarnati. Unde quidam:

Eſt caro noſtra lutum, Verbi ſapientia ſputum.
Eſt genus humanum tali medicamine ſanum.

11 Eſt autem triplex oculus. Oculus contemplationis, quo videtur Deus, & quæ in Deo ſunt, qui per culpam Adæ omninò eſt extinctus. Eſt oculus rationis, qui videt animum, & quæ in eo ſunt, qui per illud peccatum lippus eſt effectus. Eſt oculus carnis, qui videt mundum, & quæ in eo ſunt, qui ad carnis concupiſcentiam eſt apertus. Unde dicitur de primis Parentibus *Geneſ.* 3. quòd guſtato fructu vetito, *ſtatim aperti ſunt oculi amborum*: id eſt, rivi concupiſcentiarum. Duo primi per fidem Incarnationis ſanantur, ſed tertius per hoc collyrium excœcatur.

12 Aliter duplex collyrium, Incarnatio, & Paſſio Salvatoris. In primò ſaliva, & pulvis: pulvis de terra pulvere facta caro; de ſaliva ut dictum eſt, hoc collyrium dicitur Chriſti, quo illuminavit oculos cæci nati *Ioan.* 9. id eſt, generis humani. Secundum collyrium dicitur *Raphael*, qui interpretatur *medicina Dei*, quod confecit de felle, & jecore piſcis aſſi, quo illuminatus eſt Tobias. Piſcis aſſus Chriſtus paſſus, qui in veru Crucis aſſatus, paſſus eſt, felle, & potatus aceto, ſicut dicit per Pſalmiſtam: cujus amaritudines ſi cum amaritudine recolantur, illuminant oculos ſpiritales.

13 *Illuminans*. Quidam dicunt *Illuminans eos*, id eſt, Chriſtianos, vel familiares ſuos: quia videlicet documentis ſuis, quæ habentur in Evangelio, docuit nos vivere Chriſtianè. In multis etiam docuit ipſos Apoſtolos Doctores Eccleſiæ. Edidit etiam nobis lucem veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Impetrat etiam jugiter gratiam peccatoribus tenebroſis, qui niſi

per

per gratiam non illuminantur. Sic ergò poſſumus effundere nomen *Mariæ* in nomina ſupradicta, ita tamen quod intelliguntur antonomaſticè, & cum articulo arctante communem appellationem ad propriam, & ſingularem Mariæ perſonam per appropriationem.

Cum ergo dicimus, *Ave Maria*, debemus humiliari coram ea tanquam ſervi coram Domina. Debemus etiam de peccatis conteri, reducentes ad memoriam ſuam, & filii paſſionem, cui ex peccatis noſtris dedimus cauſam. Debemus etiam memorare inter quæ verſamur pericula, & tenebras ignorantiæ noſtræ, ut ſic in corde contrito, & humiliato, quod nec ipſa, nec Filius ejus deſpicit, impetremus ab ea lumen gratiæ, & ducatum inter pericula.

CAP. IX.

Exponitur, quarè Maria *interpretetur* Stella.

1 CUm agimus de Deipara, præ oculis ſemper lucem habemus: Ipſa enim eſt lux, & tenebræ in ea non ſunt ullæ. Sed quàm pulcher, & decorus ſtellarum exercitus in luce ſua: ſpecies ſiquidem Cęli gloria ſtellarum; ut neque pulchrius, ac venuſtius oculi intueantur ſpectaculum, quam ſiderum choros, ſivè acies igneis lucis armis fulgurantes. Sivè potius gemmantes Oceani ætherei uniones æſtimare velis quas ſtellas vocamus, aut ſidereos, & ſtellantes Cœleſtis Viridarii flores, aut ſcintillantes, & ignitas faces: à veri ſimilitudine non diſſidebit oratio. Cum verò Beati omnes ſint tanquàm faculæ ardentes in Cœlo, & Stella in claritate differat à ſtella, non enim omnes ſunt æquales in gloria, ſed alius alio prò meritorum quantitate lucidior, & majori conſequenter beatitudinis præmio beatior; reliquum eſt, ut Virgo quæ Beatos omnes ſuperat in meritorum magnitudine, ipſos quoque antecedat in gloria, & micet velut inter ignes Luna minores. Verùm de hoc aliàs. Nunc quærendum, cur *Maria* vocetur *Stella*.

2 Cardinalis Petrus Damianus ſerm. de Epiphania Domini dum ſpeculatur novam ſtellam in Redemptoris nativitate fulgentem, & Solem juſtitiæ Chriſtum de alterà proceſſiſſe ſtellà: Stellam in aere, quæ Magos ducebat; Stellam in terrà, quæ ſolem pariebat: & Solem in præſepio genitum admiratur. Eccè, inquit, Sol de ſtella enituit, & Factor Virginis factus eſt in Virgine factura ſua. Homo enim, qui factus eſt in eà, ipſe fundavit eam Altiſſimus. Ortus eſt itaque Sol de ſtellà, ſanitas ex ægritudine, ex morticinio vità, lux ex tenebris, dulcedo ex amaritudine, ex ſpina roſà, Pater ex filia, Dominus ex Ancilla, & de exiguo rivulo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Oritur ergò ſol de ſtellà, & demonſtratur ſol per ſtellam.

3 Erat Stella in aere, Stella in terra, Sol in præſepio. Stella in aere, corpus illud lucidum: Stella in terra, Virgo *Maria*: Sol in præſepio, Chriſtus noſter. Stella in aere, de qua habuimus in Evangelio: *Vidimus ſtellā ejus in Oriente, & venimus adorare eū.* *Matth.* 2. Stella in terra, de qua Balaam prædixit in Prophetia ſua: *Oriretur ſtella ex Iacob, & confringet omnes alienigenas.* *Numer.* 24. Sol in præſepio, de quo reprobi, ſecundùm quod in libro Sapientiæ legitur, dicturi ſunt in futuro: *Erravimus à via veritatis, & Sol juſtitiæ non illuxit nobis*. *Sap.* 5. De quo Apoſtolus: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*. *Epheſ.* 5. An non ipſe eſt, qui in Sole poſuit tabernaculum ſuę carnis, quando fuit tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo?

4 In Stella, fratres, quatuor principaliter attenduntur. Stella enim igneæ naturæ eſt; Stella in ſe lucida eſt, & clara; Stella ex ſe radium emittit; Stella in nocte lucet. Hæc eadem in Stellà noſtrà, ideſt, in Virgine *Mariâ*, poſſumus invenire. Stella, ut diximus, igneæ naturæ eſt: & ipſa Virgo *Maria* igneæ naturæ fuit. Ipſa eſt enim rubus ille igneus, in quo apparuit Dominus Moyſi, qui videbatur quippè ardere, ſed non comburebatur: quia gravida quidem apparuit Virgo, ſed igne libidinis non eſt conſumpta. Ipſa in ſe ſplendida eſt, & clara, adeò ut de ea ſcriptum ſit in Canticis Canticorum: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur ſicut Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol*? *Cant.* 6. Ipſa ex ſe radium illum emiſit, qui penetrat uſque ad cordis ſecreta. Scrutatur enim corda, & renes; eò quòd vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ, & ſpiritus.

5 Unde & meritò congruit ei Nominis interpretatio. *Maria* nanque *Stella maris* interpretatur. Mare hic mundus eſt, ſicut ſcriptum eſt: *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus*. *Pſal.* 103. Meritò ergo Stella maris dicitur, quia ipſa tanquam ſidus ſingulare refulſit in mundo: & cuius ſplendor illuminat mundum, & ex ſe radium illum emiſit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et ſicut radius proceſſit à Stella, Stellà integrà permanente: ſic Filius ex Virgine, virginitate inviolabili perdurante, ſecundùm quod & Propheta Ezechiel inquit: *Porta, quam vides, ſemper erit clauſa, & nullus tranſibit per eam, ſed ſolus Dominus introibit per eam*. *Ezechiel.* 44. Stella lucet in nocte, & ipſa Virgo in nocte huius ſeculi ſingulariter fulſit, ſecundùm quod de eà ſcriptum eſt: *Quæ cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo*. Talis eſt Stella noſtra, fratres, talis eſt Virgo *Maria*, talis eſt Stella maris: & quia reliquit nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia eius, talis etiam debet eſſe anima noſtra.

6 Simus ergo, fratres, igneæ naturæ, ut ſit in nobis ille ignis, quem venit Dominus mittere in terrā: & ignis ille, qui erat flammigerans in oſſibus Jeremiæ, accendatur in conflatorio cordis noſtri, juxtà quem ſedet Dominus purgans, & mundans filios Levi. Simus etiam & nos clari, & fulgidi, ut aſpiret nobis dies, & inclinentur umbræ: & deponentes veterem hominem cum actibus ſuis, induamus novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt; ut ſi fuimus aliquandò tenebræ, nunc ſimus lux in Domino: & induti armis lucis, ambulemus honeſtè, ſicut decet ambulare in die. Emittamus etiam ex nobis, fratres, radium bonæ operationis, quia ſcriptum eſt: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*. *Luc.* 12. Lucernas quippè ardentes in manibus portamus, cùm proximis noſtris per

exem-

exempla bonæ operationis lucemus ; ut cortina cortinam trahat ; & qui audit,dicat, veni ; & ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videntes opera noſtra bona, glorificent Patrem , qui in Cęlis eſt ; & currant multi in odorem unguentorum noſtrorum.

Stella lucet etiam in nocte; & nos, fratres,in nocte hujus ſeculi luceamus , ſecundùm quod ſcriptum eſt : *Inter quos lucetis* , *quaſi luminaria fixa in firmamento. Philip.* 2. Contrà hæreticorum tenebras ſapientiæ lumine ſplendeamus , quia ſcriptum eſt *Cant.* 2. *Capite nobis vulpeculas* , *quæ demoliuntur vineam Domini*. Propter quod Dominus inquit:Eſtote prudentes ſicut ſerpentes , & ſimplices ſicut Columbæ. *Matth.* 10. Sic ergò, fratres, ad verum Solem poterimus pervenire, ſi Virginis ,& Stellæ noſtræ veſtigia fuerimus imitati. Hactenus Purpuratus Damianus.

7 Igitur interpretatio Stellæ Matri Virgini valdè convenienter aptatur. Ipſa namque,ut inquit Bernardus homil. 2. ſuper Miſſus eſt, aptiſsimè ſideri comparatur; quia ſicut ſinè ſui corruptione ſidus ſuum emittit radium , ſic abſque ſui læſione Virgo parturit filium . Nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini filius ſuam integritatem. Ipſa igitur eſt nobilis illa Stella ex Jacob orta; cuius radius univerſum orbem illuminat , cujus ſplendor & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans , & calefaciens magis mentes,quàm corpora : fovet virtutes , excoquit vitia. Ipſa,inquam,eſt pręclara, & eximia Stella ſuper hoc mare magnum , & ſpatioſum neceſſariò ſublevata,micans meritis , illuſtrans exemplis .

CAP. X.

Alia ratione probatur Mariam *convenienter dici* Stellam .

1 IAcobus de Voragine ſerm. 141. de B. Virgine rationes ponderat, propter quas Stellæ nomine poteſt honorari Deipara , & eas à quadruplici ſtellarum qualitate , ſcilicet à puritate , ab aſpectu, atque à motu deducit , & ab inter cætera corpora dignitate. Stella, ait,dicitur Virgo *Maria* , Chriſtus verò Sol. Hugo de Sancto Victore: Maria Stella , Chriſtus Sol . Ideò peccatores velut in nocte à Maria conſolantur . Juſti verò tanquàm in die à Chriſto Sole illuminantur. Ideò ſi pertimeſcis ad Chriſtum accedere, ad Mariam reſpice, genus tuum conſpicis, nihil illic quod timeas, invenis . Dicitur igitur *Maria* Stella juxtà illud *Numer.* 24. *Orietur Stella ex Iacob*, *&* *conſurget virga de Iſrael* . Et aſsimilatur hìc Stellæ, & virgæ . Stellæ, quia ſemper erat in Cœlo mente . Virgæ,quia habitabat in terra corpore . Stellæ, quia protulit radium , in quo eſt lux divinitatis . Virgæ, quia protulit fructum,in quo eſt caro terreſtris, &c.

2 Notandum eſt autem , quòd Stella in ſua eſſentia magnam habet puritatem: in apparentia parvitatem: in motu velocitatem : & in cætera corpora magnam dignitatem . Sic & Virgo puritatem maximam habuit quantùm ad illa tria , de quibus dicitur 1. *Theſs.* 5. *Integer ſpiritus veſter* , *anima*, *&* *corpus ſinè querela ſervetur in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti* . Habuit enim corpus puriſſimum, quia ſinè omni contagione . Undè poteſt eſſe verbum ſuum illud quod dicitur *Sap.*8. *Veni ad corpus incoinquinatum* . Habuit animam puriſſimam , quia ſine peccati admixtione . *Sap.* 8. *Sortitus ſum animam bonam* . Habuit ſpiritum puriſſimum , quia ſemper coniunctus fuit cum Deo per amorem; quia ſicut dicitur 1. *Corinth.* 6. *Qui adhæret Deo*,*unus Spiritus eſt cum eo* .

3 Secundò, Stellà in apparentia habet magnam parvitatē. Quamvis enim quęlibet Stella dicatur eſſe maior, quàm tota terra,tamen punctalis , & modica eſſe videtur . Eodem modo & *Maria* quamvis eſſet maxima, tamen de ſe ſentiebat humilia . Nam humilitatem habuit in animo , in verbo , in in facto, in ſigno .

Primò , in animo humilitatem habebat , quia nulli unquam ſe pręponebat , ſed alios ſibi , ſicut Ioſeph quem ſibi prępoſuit,dicens *Luc.* 2. *Pater tuus*, *&* *ego dolentes quærebamus te* . Nunquam ſe ingerebat, ſed omnibus locum dabat, qui ad filium ſuum ire volebant , quod notatur *Matth.* 12. ubi dicitur : *Ait quidam* : *Mater tua* , *&* *fratres tui foris ſtant* , *quærentes te*. Bernardus : Ubi *Maria* aliquando præſumptuoſa fuiſſe invenitur ? Foris ſtabat , quęrens loqui filio, nec auctoritate maternà aut ſermonem interrupit, aut habitationem , in quà filius erat , irrupit .

Secundò , habuit iſtam humilitatem in verbo, quia non vocavit ſe Matrem Dei , nec Dominam mundi , nec Reginam Cœli , ſed Ancillam Chriſti , cùm ſubdit : *Eccè Ancilla Domini*. Item . *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ* .

Tertiò, habuit iſtam humilitatem in ſigno. Magnum quidem ſignum humilitatis fuit , quia filio ſuo iam in Cœlum aſcendente , & ipsà in hoc mundo loco filii remanente, tamen in loco noviſsimo poni voluit, volens ſervare illud *Luc.*13. *Recumbe in noviſſimo loco* . Dicitur enim *Act.* 2. ubi enumeratis omnibus Apoſtolis,ſubditur: *Hi omnes erant unanimiter perſeverantes in oratione cum mulieribus* , *&* *Maria Matre Ieſu* . Sicut enim abſente Sole, inter ſidera Luna magis mundum illuminat,& tamen tenet infimum locum: ſic *Maria*, abſente Sole juſtitiæ,& in Cœlo regnante,inter mundi lumina magis mundum illuminavit, & locum noviſſimum tenuit .

Quartò,habuit iſtam humilitatem in facto: quia poſtquam jam erat Dei mater effecta, ancillam Eliſabet ſe fecit , cùm ei miniſtravit . Bernardus : In montana Virgo cum feſtinatione abiit,& Eliſabeth ſalutavit,& in ejus miniſterio quaſi menſibus tribus humilis ſtetit . Deindè ſubdit . Hic fuit Virginis aſcenſus, ut difficilè rumperetur triplex funiculus: fervebat ſiquidem in corde charitas , ſplendebat in carne virginitas , & in obſequio eminebat humilitas .

4 Tertiò , Stella habet in motu velocitatem . Nam à motu ſui ſuperioris, id eſt, firmamenti movetur citiſſimè , quia quotidie omnia loca luſtrat in circuitu . Motu verò proprio movetur lentiſſimè , quia per centum annos , ut dicunt , movetur per unum gradum . Eodem modo Virgo *Maria* non movebatur motu proprio, ſed motu ſui ſuperioris , id eſt , Spiritus Sancti. Nam ut mota fuit a Spiritu Sancto,ut virginitatem ſervaret,ſtatim votum emiſit . Mota fuit à Spiritu Sancto , ut conceptioni filii Dei aſſentiret,ſtatim acquievit . Mota fuit, ut ad ſerviendum Cognatæ pergeret,& mox ad montana conſcendit . Mota fuit, ut jam prægnans, & vicina partui in Bethleem pergeret,ſtatim perrexit . Mota fuit,ut rediret,ſtatim rediit . Eccè quomodò non movebatur à ſeipſa,ſed à Spiritu Sancto, qui erat in ea, ubi ſemper regebat ipſam .

5 Quartò , inter corpora cœleſtia Stella habet magnam dignitatem . Nam ſecundum Philoſophum in Stellis non cadit corruptio , nec caſus,nec error. Sic & in Ipſa Stella nulla fuit corruptio, nec in ſua nativitate, quia ſinè peccato nata fuit, nec in ſua conceptione, quia de Spiritu Sancto generavit , nec in ſua vita , quia nunquam aliquod peccatum commiſit , nec in ſua morte, quia nec mortis nexibus deprimi potuit .

Secundò, in ipsà non fuit aliquis caſus , quia cadere non potuit à gratià Dei , quià erat in gratià confirmata; nec à fide Dei,quia erat à Spiritu Sancto edocta; nec à charitate Dei , quia erat tota Deiformis effecta .

Tertiò , non fuit in ipſa aliquis error ; quia in ſuis affectionibus , vel operationibus nunquam errare potuit : quia Pater eam ſemper gubernavit : Filius eam ſemper duxit: Spiritus Sanctus tandem ipſam in Civitatem ſupernam introduxit . Undè propter iſta tria poteſt dicere cum Propheta : *Tenuiſti manum dexteram meam*, *&* *in voluntate tua deduxiſti me*,*&* *cum gloria ſuſcepiſti me* . *Pſal.* 72.

6 Vides,quàm ſint mira,quæ de VirgineaStella Voragines dixit. Sed quid prohibet,eaſdē proprietates amplificādo repetere,& addere novas,& ad earū imitationem,vel vitia præcavere,vel mores componere noſtros? Quærit ergò Albertus Magnus ſerm. 38. de Nativit. B. Mariæ : Quarè Virgo Stellæ comparetur ? Et reſpondet . Beata *Maria* Stellæ comparatur propter ſex Stellarum proprietates , quæ concurrunt in ipſa .

Primò igitur , ſicut per Stellas nox illuminatur, ità etiam per Beatam Virginem tota Eccleſia eſt illuſtrata. Undè quilibet Chriſtianus debet dicere de Beata Virgine hoc quod dicitur *Sap.* 7. *Super ſalutem*,*&* *ſpeciem dilexi eam*,id eſt,Mariam, *&* *propoſui prò luce habere illam* , *quoniam inextinguibile eſt lumen illius* . Multum diligenda eſt Beata Virgo à quolibet Chriſtiano; propter hoc, quod eſt inextinguibile lumen ejus . Nunquam enim aliquis in tantum peccat,ſi vult per veram pœnitentiam recurrere ad ipſam, quin ipſa ſit ſtatim quaſi lucerna pedibus ſuis,& reducat eum in viam ſalutis æternæ.

7 Secundò , in Stellarum natura magnæ eſſe Virgo munditiæ indicatur . Etenim Beata Virgo mundiſſimæ naturæ fuit, undè dicitur de ea *Sap.* 7. *Attingit ubique propter ſuam munditiam* . *Vapor eſt enim virtutis Dei* , *&* *eſt emanatio quædam claritatis divinæ ſincera*: *&* *ideò nihil coinquinatum in illam incurrit* . Verè dicitur, quòd munditia Beatæ Virginis attingit ubique . Attigit enim Patrem , & Filium,& Spiritum Sanctum. Patrem attigit , ex ſinu ſuo accipiens Filium ſuum unigenitum . Filium attigit,eundem recipiens in uterum ſuum. Attigit & Spiritum Sanctum, quem habuit in divinæ conceptionis adjutorium. Et verè Beata Virgo *Maria* munda fuit. Fuit enim claritatis omnipotentis Dei ſincera emanatio. Ipſa ab initio,& antè ſecula emanavit à Deo , quia ad hoc ut fieret Mater filii Dei, prædeſtinata fuit ab æterno : & ideò nihil coinquinatum potuit intrare in illam . Decuit enim,ut illa,quę futura erat Mater Dei,Sancta eſſet & immaculata. Quod autem Beata Virgo ab æterno præordinata fuerit in Matrem Dei,ipſa proteſtatur *Prov.* 8. ubi dicitur : *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequàm quicquam faceret à principio* . *Ab æterno ordinata ſum* .

8 Tertiò, quælibet Stella major eſt , quam eſſe videatur : ita etiam Beata Virgo, licet magni meriti eſſet apud Deum,per humilitatem tamen parva erat apud ſemetipſam . Undè legitur *Luc.* 1. quòd cùm Angelus dixiſſet : *Ave gratià plena* : *Dominus tecum* . Ipſa hæc audiens, ſuadente humilitate, *turbata eſt* . Quaſi diceret . Ego non ſum digna,quod ſim , vel dicar gratià plena , & quòd Dominus ſit mecum , & quia appeller inter mulieres benedicta. Hinc etiam cùm Angelus poſtmodum inſinuaret ei,quòd conceptura,& paritura eſſet Dei filium: ipſa tamen ab humilitate ſua non receſſit. Sed cum Angelus omnem legationem ſuam adimpleſſet, reſpondit : *Eccè Ancilla Domini* . Non dicit : Eccè Sponſa Patris : Eccè Mater Filii : Eccè Sacrarium Spiritus Sancti . Quod ſi dixiſſet , mentita non fuiſſet .

Debemus etiam & nos imitari humilitatem Beatæ *Mariæ*,ut videlicet per humilitatem parvi ſimus in oculis noſtris, & ſic magni erimus in oculis Dei. Undè dixit Samuel ad Saulem 1. *Reg.* 15. *Nonnè cùm parvulus eſſes in oculis tuis* , *caput in tribubus Iſrael factus es*, *unxitque te Deus in Regem ſuper Iſrael* . Quaſi diceret . Olim cùm parvulus eras in oculis tuis,magnus fuiſti in oculis Domini . Nunc autem cùm magnus es in oculis tuis , parvus es in oculis Domini: propter quod etiam ſubjungit : *Abiecit te Dominus*,*ne ſis Rex* .

9 Quartò , ex ordinato motu ſtellarum dulcis harmonia ſuſcitatur, licèt à nobis non audiatur. Ità etiam Beata Virgo dulcem harmoniam devotę laudis effudit in aures Domini , quandò gratias egit ei ſuper beneficiis ab eo ſuſceptis. Ait enim : *Magnificat anima mea Dominum.Et exultavit Spiritus meus*, &c. quæ ſequuntur . Similiter & nos prò ſingulis beneficiis à Deo ſuſceptis debemus ei referre magnificas laudes, & devotas gratiarum actiones , & ſic dulcem harmoniam ſuſcitabimus auribus ſuæ benignitatis . Sic enim provocabitur, quòd plura nobis miſericordiarum ſuarum munera largietur . Undè monet nos *Eccli.* 43. *Benedicentes Dominum* , *exaltate illum quantùm poteſtis* : *major eſt enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute.* Quaſi dicat. Si exaltaveritis eum, gratias ei referendo,amplioribus virtutum donis nos adimplebit. Hinc etiam dicit Bernardus . Diſce in agendo gratias non eſſe tardus , aut ſegnis : ingratitudo enim eſt ventus urens,exſiccans fontem miſericordiæ,& rorem pietatis .

10 Quintò, Stella in effuſione radiorum ſuorum non corrumpitur, aut violatur . Sic & Beata Virgo in Nativitate Dei Filii non eſt corrupta : ſed quem Virgo concepit , & quem Virgo in utero portavit,hunc etiam Virgo peperit,& poſt partum invio-

inviolata,ac ſemper Virgo permanſit. Undè cantatur in Sequentia, *Lætabundus* :

Sicut ſidus radium,
Profert Virgo Filium,
Pari formâ.
Neque Sidus radio,
Neque Mater filio,
Fit corrupta.

Nos etiam cavere debemus, nè diabolus fidem noſtram corrumpat. Undè dicit Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 11. *Timeo, nè ſicut ſerpens ſeduxit Evam aſtutià ſuà, ità corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate*, ſcilicet fide, *quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Multorum hodiè fides corrupta eſt, & maximè mulierum, in quibus per incantationes, & ſortilegia, & præſtigia, ac medicamina multifaria, in quibus confidunt, ſimplicitas, & puritas Chriſtianæ fidei, plus etiam quam dici poteſt, eſt corrupta. Ipſæ enim cum ſint filiæ Evæ, matrem ſuam imitantes, fidem ſuam per multa etiam incredibilia corrumpi permittunt. Ne etiam diabolus animas noſtras per peccata corrumpat, mandata Domini cuſtodire debemus. Undè dicitur *Sap.* 6. *Cuſtoditio legum, conſummatio eſt incorruptionis: incorruptio autem facit eſſe proximum Deo*.

11 Sextò, Stella Cœlo inſeparabiliter eſt infixa; nec ab eo ſeparatur: ſic etiam Beata Virgo in omnibus perſecutionibus,quæ advenerunt filio,non ſeparavit ſe ab ipſo.Ipſa quippè magnam paupertatem paſſa eſt cum filio apud Bethleem in diverſorio. Undè dicit *Lucas* 2. Quòd cũ eſſet in Bethleem cenſum ſui capitis ſolutura,*impleti ſunt dies eius, ut pareret: & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinavit in præſepio, quià non erat ei alius locus in diverſorio*. Ipſa etiam cum filio paſſa fuit exilium ſeptem annis in Ægypto. Undè dicitur *Matth.* 2. quòd *Ioſeph nocte conſurgens accepit puerum,& Matrem ejus, & ſeceſſit in Aegyptum, & erat ibi uſque ad mortem Herodis*. Nihilominùs Beata Virgo dolorem incomparabilem ſuſtinuit cũ filio, ſtans ſub Crucis patibulo. Undè Joannes qui hoc vidit,dicit *c.* 19. *Cùm vidiſſet Ieſus Matrem, dicit Matri ſuæ: Mulier, eccè filius tuus*. Quaſi diceret. Vide, attende, & conſidera, quanta tormenta patitur Filius tuus: & per hæc verba quodammodò dolores Matris augmentavit.

Nos etiam Redemptorem noſtrum diligere debemus,ipſique inſeparabiliter adhærere. Undè dicit Apoſtolus ad *Rom.* 8. *Quis ſeparabit nos à charitate Chriſti? tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An perſecutio? An periculum? An gladius?* Hæc ille. Ex quibus ſatis edocti ſumus, quàm valdè convenienter *Maria* noſtra appelletur *Stella*.

CAP. XI.

Beata Virgo ſumit denominationem à Stellà Matutinà.

1 ECcleſia in Litaniis Beatæ Virginis, vocat ipſam, & invocat: *Stella Matutina*. Et eà puto de causà, quia Stella matutina cùm primum rutilat, eſt venientis diei prænuncia, & univerſalis mundi lætitiæ Paranympha. Rogat ergò Eccleſia: *Stella Matutina*: ac ſi diceret:

Phoſphore redde diem: quid gaudia noſtra moraris?

Eſt enim *Maria* tanquam Stella matutina noſtræ lætitiæ cauſa;& ſicut illa Stella alio nomine *Lucifer* vocatur, Græcè autem Φοσφορος, à Φος, quod eſt *lux*; & ορος quod eſt *viſio*: ita & Virgo dicitur *Lucifer*,& *Phoſphorus*,eo quod, ferat lucem, & viſionem lucis; lucis inquam illius,quæ inoccidua eſt, & quam ipſa in utero ſuo menſibus novem portavit.

2 Age igitur,& matutinam Stellam laudemus. Pulchrè Iacobus de Voragine ſerm. 140 de Beata Virgine. Stella,inquit,*matutina* dicitur Virgo *Maria*,de qua dicitur *Eccli.* 51. *Quaſi Stella matutina in medio nebulæ*. In primo enim mundo erat triplex nebula, ſcilicet ſuperbiæ, avaritiæ, & carnalis immunditiæ. Ipſa igitur fulſit in medio nebulæ ſuperbiæ per humilitatem: in medio nebulæ avaritię per paupertatem: & in medio carnalis immunditiæ,per virginitatem. Aſſimilatur autem Virgo iſti Stellæ propter nomina; propter propria; & propter officia. Iſta autem Stella habet multa nomina.

3 Primò enim dicitur *Venus*, non quia ſit Dea amoris, ſicut fabulæ Poetarum fingunt, ſed quia illos, in quibus dominatur, diſponit ad amandum. Secundò dicitur *Stella matutina* ex eo, quod mane ſequens denunciat, & diem inchoat. Tertiò dicitur *Lucifer* ex eo, quod præ cæteris ſtellis, & Planetis maiorem habet lucem. Quartò dicitur *Heſperus*, inquantum ſcilicet noctem ſequentem reſpicit, & eam illuſtrat. Ita quatuor nomina poſſunt Virgini convenire iuxtà alia quatuor, quæ dicuntur *Eccli.* 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & Sanctæ ſpei*. Ipſa enim poteſt dici *Venus*, inquantum homines ad amorem Dei inflammat. Et quantum ad hoc ipſa eſt *Mater pulchræ dilectionis*. Secundò poteſt dici *Stella matutina*, inquantum ipſa eſt principium novæ vitæ. Sicut Stellà matutina eſt principium diei ſequentis. Et quantum ad hoc dicitur *Mater amoris*. Timor enim eſt principium gratiæ,& novæ vitæ, iuxtà illud *Pſalm.* 110. *Initium Sapientiæ eſt timor Domini*. Tertiò dicitur *Lucifer*, inquantum dat principium agnitionis divinæ. Et quantum ad hoc dicitur *Mater agnitionis*. Quartò dicitur *Heſperus*, inquantum reſpicit, & illuminat peccatores, qui ſunt in tenebris culpæ. Et quantum ad hoc dicitur *Mater Sanctæ ſpei*.

4 Secundò diciturStella matutina propter ipſius Stellę propria. Illa enim Stella multas habet proprietates: quia eſt calida, malitię Martis refrænativa, temperata, humida, & iucunda. Iſtæ autem proprietates non ſunt in ipſa Stella niſi quantum ad effectus. Eodem modo Beata Virgo habet in nobis iſtos effectus. Dat enim calorem dilectionis divinæ, refrænat furorem iracundiæ, dat temperantiam, ſivè temperamentum diſcretionis maturæ, iucunditatem conſcientiæ, humorem obedientiæ: humidum enim malè terminatur in termino proprio, ſed in termino alieno; quia verus obediens non debet duci ſenſu proprio, ſed alieno.

Iſta quinque notantur *Iacob.* 3. quæ ad Beatam Virginem, Matrem Sapientiæ, poſſunt applicari. *Sapientia*, inquit, *quæ de ſurſum eſt, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica*, ſivè modeſta, *ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis*.

Nam inquantum ipſa dat calorem divini amoris,ipſa eſt *pudica*,quià facit animum pudicum.Amor enim Dei omnem amorem illicitum extinguit,& omnem carnalitatem reſtringit.Inquantũ ipſa refrænat furorem iracundiæ, dicitur *pacifica*, quia facit animum pacificum. Inquantum dat temperamentum diſcretionis maturæ, dicitur *modeſta*, quia facit animum modeſtum,& maturum. Inquantum facit cor humidum per veram obedientiam, dicitur *ſuadibilis, & bonis conſentiens*. Inquantum dat jucunditatem conſcientiæ, dicitur *plena miſericordia,& fructibus bonis*: quia cõſciẽtia,quę eſt plena operibus bonis,multum eſt jucunda, juxtà illud *Pſ.* 111. *Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat*.

5 Tertiò aſſimilatur Stellæ matutinæ propter quædam ipſius ſtellę officia. Habet enim terrere fures,fugare lupos,relevare infirmos, excitare ad cantandum aves,& lætificare viatores. Similiter officium Beatæ *Mariæ*, terrere dœmones. *Iob* 23. *Si ſubitò apparuerit Aurora,arbitrantur umbram mortis*. *Pſal.* 103. *Ortus eſt ſol*, id eſt, lux ſolaris, id eſt Virgo Maria, *& congregati ſunt, & in cubilibus ſuis congregabuntur*. Secundò fugat hæreticos. Auguſtinus: Gaude *Maria* Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti. Tertiò conſolatur puſillanimes. Idẽ Aug. Sancta *Maria* ſuccurre miſeris, juva puſillanimes. Undè poteſt eſſe vox ſua illud *Baruch* 4. *Animæquiores filii eſtote, & clamate ad Deum*. Quartò excitat Angelos, & Sanctos ad laudandum Deum, quod ſignificatum eſt *Exod.* 25. Ubi dicitur, quod *Maria ſumpſit tympanum*. Quintò lætificat omnes Viatores, qui tendunt ad Patriam. Iſtud ſignificatum eſt *Matth.* 2. ubi dicitur, quòd *Magi videntes Stellam, gaviſi ſunt gaudio magno valdè*. Hactenus ille.

6 Franciſcus autem de Mayronis *ſerm. de Nativit. Virg.* breviori compendio quinque proprietates illius Stellę accommodat Deiparę,dicens. Mater Domini Stella matutina dicitur propter quinq; proprietates iſtius Stellæ,quę ei conveniunt.Quarũ Prima eſt,quod ſicut ortus iſtius Stellæ in Aurora diei præcedit ortũ Solis,ſic ortus Virginis præceſſit ortum Chriſti in Aurorà novi Teſtamenti, quæ dicitur fuiſſe in nativitate B. Virginis. Et ſicut illa hora incipiunt timere beſtiæ ſilveſtres, & homines eſſe ſecuri:ſic ortà Virgine cęperunt hoſtes timere, & ſancti confidere. Secũda, quia ſicut Stella iſta dicitur *Lucifer*, eò quòd excedit pulchritudinẽ omniũ aliarũ:Sic excedebat illã decorẽ omniũ Angelorum. Ità B. Virgo eſt pulchrior omniũ Sanctorũ. Tertia, quià ſicut ſtella illuminat terram nocte: ita Mater Domini in hujus ſeculi nocte præ cęteris Sanctis illuminat Eccleſiã virtute ſuę ſapientię Quarta,quia ſicut ſtella iſta habet virtutẽ,& influentiã ad generandã benevolentiã,& amicitiã,ſecundum Aſtronomos: ſic B. Virgo ad concordiã faciendã inter Deũ, & hominẽ,& verã amicitiã,valet gratià.Quinta,quia ſicut Stella iſta dicitur regnare in die *Veneris*,undè dicitur *Venus*: ità Mater Domini in illa die ſuum regnum accepit, quandò Angelo nunciante, ſuum benedictum filium concepit, & tunc facta fuit Regina mundi. Hæc ille.

7 O quã propitia luce nobis Lucifer Marianus pręlucet! Ejus igitur fulgidos pietatis,& miſericordiæ radios avidis oculis ebibamus, & in ejus ſuavi lumine jucundemur. Recreat, delectat, & prodeſt, pluries ejus repetere encomia:novà ſemper enim luce perfundimur,cũ de Maria loquimur: & quemadmodũ ſideri nunquam deficiũt radii, quibus illuminet; ità nec deſunt Stellæ Marianæ radii gratiarum,quibus cœleſtem animis invehat lucem.

Iterum ergò,ſed cum Alberto Magno *ſerm.* 38. *de Nativ. Virg.* Stellæ matutinæ proprietates in Dei Matre conſideremus. B. Virgo itaq; inquit Albertus,cõparatur Stellæ matutinæ: unde dicitur *Eccli.* 50. *Quaſi Stella matutina in medio nebulæ,ſic ipſa effulſit in templo Dei*.Diſſipavit enim B. Virgo in ortu ſuo nebulã triſtitię,quę obtexerat omnes fideles advẽtum Chriſti cũ magno deſiderio præſtolãtes.Omnes enim illi,quibus revelatum fuit in ſpiritu,quòd illa,quæ erat Mater Dei futura, jam eſſet nata, mirabiliter nimirùm poterant exultare. Undè etiam Eccleſia filios ſuos hodiè invitat ad gaudium, ità canens: *Cum jucunditate Nativitatem Beatæ Mariæ celebremus, ut ipſa prò nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum*.

8 Et nota, quòd Beata Virgo *Stellæ matutinæ*, quæ alio nomine *Venus*, vel *Lucifer* appellatur, propter quinque comparatur.

Primò enim,ſicut Lucifer diem,& ortũ Solis immediatè præcedit: ità & B. Virgo *Maria* Dei Filiũ, qui verus eſt dies, & Sol æternũ, corporali introitu præceſſit in mundum;imò & ipſa verum diem, & Solem æternum, ideſt, Dei Filium profligatis tenebris perduxit in mundum: propter quod cantamus de ea: *Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: quia ex te ortus eſt ſol juſtitiæ, Chriſtus Deus noſter*. De die etiam, quem hæc Stella produxit in orbem, dicitur in *Pſal.* 83. *Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia*. In atriis quippè militantis Eccleſiæ ſolus Chriſtus melior eſt,quàm ſint multa millia aliorum juſtorum. Undè & ſponſa *Cant.* 5. dicit,quòd *electus eſt ex millibus*.

9 Secundò, ſicut Stella matutina, id eſt, *Venus*, calida, & humida: ſic & Virgo Beata fideliter invocata confert calorem pulchræ dilectionis,& aquã gratiæ, & devotionis. De primo dicitur *Eccli.* 24. *Ego, inquit, Mater pulchræ dilectionis*. De ſecundo dicit ibidem: *Ego ſicut aquæductus exivi de Paradiſo. Dixi: Rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum*. Hortus plantationum eſt Sancta Eccleſia, in quà plantæ fidelium hominum ſunt plantatæ. Has autem plantas, ut eò meliùs proficiant, irrigat aquis gratiarum, quas excipiens à Chriſto tranſmittit omnibus fideliter ipſam invocantibus. Et etiam quandoque tam copiosè tranſmittit aquam devotionis in corda ſuorum amicorum, quòd inebriantur, ideſt, quòd omnium miſeriarum ſuarum ad tempus penitùs obliviſcuntur. Utinam illa pia Virgo ſic nos aliquandò inebriare dignetur.

10 Tertiò, ſicut *Lucifer* ſemper Solem comitatur, & tunc quandò Solem ſequitur, *Veſperus* appellatur: ità & Beata Virgo veſtigia Filii degentis in carne continuò ſequebatur: ipſum quoque non reliquit,cum aſcendiſſet in Cœlum. Unde dicit Hieronymus in quodam tractatu de Aſſumptione B. Mariæ. Si Chriſtus ab omnibus eſt amandus,& ex toto corde,& ex totà animà, atque ex tota virtute quærendus: maximè tamen ab ea ardentiùs,

tiùs,cujus & Dominus erat, & Filius. Fortaſsè ergò præ nimio amore in loco, quo ſepultus dicitur, interdum eam habitaſſe credimus, quatenùs amor piis paſceretur obrutibus. Sic namque locus habitationis ejus medius eſt hinc indè conſtitutus, ut adire poſſit aſcenſionis ejus veſtigia, & locum ſepulturæ,ac reſurrectionis,ſeu omnia,in quibus paſſus eſt,loca inviſere, non quòd jam viventem quæreret cum mortuis,ſed ut ſuis conſolaretur aſpectibus. Hoc quippè agit impatiens amor,ut quem deſiderat, ſemper invenire ſe credat.

11 Quartò, ſicut *Lucifer*, id eſt, Stella matutina, plùs fulget inter omnia ſidera: ſic etiã Beata Virgo *Maria* plùs rutilat in gloria, quã aliquis Angelus, vel etiam aliquis Sanctus, unde dicitur de ea *Sap.* 7. *Hæc eſt ſpecioſior Sole,& ſuper omnẽ Stellarum diſpoſitionẽ: luci comparata invenitur prior.* Solis igitur,& omnium aſtrorum ſubcœleſtium ſplendorem excedit claritas Virginis intemeratæ: immò dicit Bernardus, quod ipſa cœleſtis Patria clariùs rutilat Virgineæ lampadis irradiata fulgore. Ipſe etiam *Lucifer* in ſuo ſplendore colorem habet gaudentem: ità etiam Beata *Maria* omnes exhilarat, qui eam intueri merentur.

12 Quintò,ſicut in circulo *Veneris*,teſte Martiano,omnes dicuntur conſiſtere voluptates: ita etiam Beata *Maria* in circulo intemerati uteri ſui illum, qui eſt voluptas, & gaudium omnium Beatorum, novem menſibus continuit,& hoſpitata fuit. Undè cantatur in *Reg.*

Continet in gremio Cœlum, terramque regentem
Virgo Dei Genitrix.

In circulo etiam illo,in quem tranſlata eſt B. Virgo, conſiſtit ille,qui eſt fons omnium voluptatũ, & qui torrente voluptatis ſuę potat electos.Eſt enim Beata Virgo ſuper omnes Angelorum ordines exaltata,ſicut de ea confidenter canit Eccleſia;poſituſq; eſt thronus ejus juxtà thronũ Sereniſſimi Filii ſui Jeſu Chriſti. Unde dicit Hieronymus. Et ſi in domo Patris manſiones multę ſunt,credimus ſplendidiorem manſionem Matri Filium præſtitiſſe. Huc uſque Albertus ille Magnus.

13 Cur ergo nos,qui adhuc in tenebris ſumus,& in mœroribus tota die verſamur, Luciferum hunc fulgentiſſimum humili corde non precamur, ut nobis reddat juſtitię Solem,diemque patrocinii ſui,& impetret gratię lucem,qua diſcuſſis peccatorum tenebris,in divinæ benevolentiæ,& amicitiæ lumine reſpiremus.Dona Dei,quę animã reſtaurant,& meliorẽ faciunt,petentibus Virgo nõ negat,dummodò ſit fides,ſit devotio,ſit pietas in rogãdo. Tuis igitur genibus,piiſſima Virgo, Plebs fidelium provoluta, Te ſuum Phoſphorum fœliciſſimum deprecatur, ut quàm primũ advenias, vehaſque Filii tui Solem,& diem, tunc enim non erit nox, neque tenebra, ſed dies,& lux.Et ſi licet Martialis Epigramma 21. *lib.* 8. de Cęſare Domitiano ad *Luciferum* de profano ſacrum redidere,Te noſtram matutinam Stellam, ut quantociùs nobis oriaris,ſalutando deprecamur.

Phoſphore redde diem: quid gaudia noſtra moraris?
Virgine venturà, Phoſphore redde diem.
Terra rogat: placidi nunquid te pigra Bootæ
Plauſtra vehunt, lento quòd nimis igne venis?
Ledæo poteras adducere Cyllaron aſtro:
Ipſe ſuo cedet non tibi, Caſtor equo.
Quid cupidũ Titana tenes? Iam Xanthus,& Aethon
Fræna volunt: vigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidæ non cedunt ſidera luci.
Et cupit Aetheream Luna videre Ducem.
Iam Virgo, vel nocte veni: ſint aſtra licebit,
Non deerit nobis te veniente dies.

CAP. XII.

An Beata Virgo poſſit Regia Stella nominari.

1 RAtionem argumenti in hoc capite propoſiti reddit Bernardinus Buſtenſis *ſerm.*6. *de Nominat. Mariæ part.* 5. ex Franciſco de Mayronis, & ex propriis etiam ſpeculationibus,& inquit. Secundùm Magiſtrum Franciſcum de Mayronis in *ſerm. de Nativ. Virginis glorioſæ*: ipſa Dei Mater dicitur Stella Regia quadruplici ratione: ſed nos addemus quintam, & ſextam.

Primò dicitur Stella Regia: quia ſicut Stella illa,de qua habetur *Matth.* 2. direxit Magos in ſua itineratione, nè errarent, & perduxit ipſos Reges ad Chriſtum: ſic Mater Domini dirigit fideles per peregrinationem hujus mundi, nè errent à tramite virtutis. Undè ipſi Virgini dicit poteſt illud *Pſal.* 76. *Gentes in terrà dirigis.* Et ipſa cuilibet devoto ſuo inquit illud *Prov.* 4. *Ducam te per ſemitas æquitatis.* Sicut etiam Stella Magos duxit,& reduxit ad patriam ſuam incolumes: & ita Beata Virgo nos per viam hujus ſeculi rectam ducit, & finaliter reducit ad Patriam cœleſtem, ad Deum, qui creavit nos. Unde ipſa dicere poteſt de ſpiritu cujuſlibet devoti ſui illud *Tob.* 5. *Ego eum ducam ſanum, & reducam.*

2 Secundò, nominatur Stella Regia: quia ſicut Stella illa,quæ apparuit Magis, & eos direxit, erat multum vicina hominibus: & erat in aere, ſecundùm quod dicit Gloſſa ſuper *Matth.* 2. Beata Virgo eſt nobis propinquior, & vicinior omnibus Sanctis ad ſuccurrendum in omnibus neceſſitatibus noſtris ſicut inquit Bernardus. Undè ipſa dicere poteſt illud *Ier.* 3. *A vicino ego ſum.* De illa quoque dici poteſt illud,quod de Deo dicitur per *Pſ.*144. *Propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.* Non ergò eſt de illis, qui dicuntur vicini, eò quod ſunt ſolum diſtãtes per centum milliaria. Non etiam eſt de illis,qui dicuntur vicini: quià nõ diſtant ab invicẽ ultrà duas dietas legales. Sed eſt de illis, qui dicuntur vicini,eò quod vocẽ clamãtis audire poſſunt.

Ipſa enim Virgo benedicta ità eſt nobis vicina, quòd quęcumq; clamorẽ noſtrũ audit, & exaudit ſi ad eam cordis devotione clamemus.Eſt etiã de illis, qui dicuntur vicini; quia ſunt in eodem territorio: Licèt enim ſit in Cœlo corpore,& animà; eſt tamẽ nobiſcum ſemper per continuam ſui patrocinii pręſentiam. Item eſt de illis,qui dicuntur vicini: quià ſunt conſortes alicujus rei. Ipſa enim eſt conſors naturę noſtrę, & faciet nos cõſortes felicitatis ſuę. O igitur vicina noſtra chariſſima;cùm vicinus pręſumatur ſcire facta vicini ſui: Profecto Tu, quæ es nobis intima, & viciniſſima ſcis optimè facta noſtra. Unde de te poteſt dici illud *Sap.* 9. *Scit omnia, & intelligit.* Et ideò Virgo benedicta, quan-

quando aliquis tuus devotus ad te recurrit, & tibi vult tribulationes ſuas intimare: Tu ei dicere potes illud *Geneſ.* 48. *Scio, fili mi, ſcio:* & ſatim ſalutare ei auxilium affers.

3 Tertiò,appellatur Stella Regia: quià ſicut illa Stella ſe occultavit, ut dicit Chryſoſtomus ſuper Matthæum, quandò fuit propè Civitatem Jeruſalem: quod inter alias cauſas egit, quia Herodes crudeliter,& ſcribæ,ac Phariſæi quærentes occidere Chriſtum,non merebantur illam videre:Sic Beata Virgo illis ſolis ſe occultat, & auxilium miſericordiæ ſuæ denegat, qui ſunt crudeles, & impii. Quià ut ſcriptum eſt *Iacob.* 2. *Iudicium ſinè miſericordià fiet ei, qui non fecerit miſericordiam.* E contrà verò piis, & juſtis, atque eam devotè quærentibus,ſicut faciebant Magi, libenter ſe oſtendit. Undè de illa dicitur *Eccli.* 6. *Inveſtiga illam, & manifeſtabitur tibi.*

4 Quartò dicitur Stella Regia: quia ſicut illa Stella orta eſt in Oriente, ſicut dicit Chryſoſtomus: Ità Beata Virgo orta eſt in Oriente juſtitiæ originalis,& innocentię:& non in Occidente originalis culpę.Et hoc ſpiritualiter ſignificarunt Magi, quandò dixerunt: *Vidimus Stellam ejus in Oriente. Matth.* 2. Hoc eſt. Vidimus Stellam ejus in Oriente gratiæ, & nunquàm in occaſu indignationis divinæ. Et ideò Franciſcus de Mayronis ut ſuprà dicit, quòd Beata Virgo appellatur Stella ſplendida. Quià ſicut corpus ſplendidum, ſicut aurum, de ſe opacum eſt, niſi illuminetur à corpore luminoſo: Sic Mater Domini de ſe quandò fuit creata, ejus anima obſcuritatem peccati originalis contraxiſſet, niſi lumine Spiritus Sancti præventa fuiſſet. Item ſicut Stellæ quàm citò fuerunt creatæ, tam citò fuerunt à Sole illuminatæ: Sic anima Virginis in primo inſtanti ſuæ Conceptionis fuit illuminata,& juſtificata. Item quià ſicut ſplendor Stellæ in ſe nunquàm variatur, aut obſcuratur: Sic Virginis Sanctificatio nunquàm fuit obſcurata aliquà maculà obſcuritatis.

5 Quintò dicitur Stella Regia: quia ſicut illa Stella,licèt aliquantulũ ſe abſconderit Magis, quod inter alias cauſas egit, ut ipſi Magi ardentiori deſiderio accenderentur videndi eam;tamen poſteà citò eis apparuit, & illos uſque ad Chriſtum videndum perduxit. Undè dicitur *Matth.* 2 *Et eccè Stella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, quo uſque dum veniens ſtaret ſuprà ubi erat puer.* Sic Beata Virgo licèt aliquandò ſe abſcondat ad modicum tempus devotis ſuis, ſubtrahendo illis ſolitas conſolationes; tamen poſteà eis ſe demonſtrat,& conſolationibus replet; ac finaliter ad videndum, & perpetuò contemplandum filium ſuum in cœleſti palatio perducit. Undè ipſa dicere poteſt ſuo devoto illud *Eſa.* 54. *In modico dereliqui te,& in magnis miſerationibus congregabo te. Abſcondi faciem meam pauliſper, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.* Ideo Sancta Mater Eccleſia rogat hanc Stellam Regiam, dicens: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.*

6 Sextò dicitur Stella Regia, quià ſicut quandò Magi viderunt illam Stellam, lætitià ineffabili repleti ſunt:undè dicitur *Matth.* 2. *Videntes Stellam gaviſi ſunt gaudio magno valdè.* Ità quando in morte devotorum ſuorum, apparet eis Beata Virgo, quam tantis deſideriis affectaverant in vita videre, illos indicibili exultatione perfundens, facit gaudere gaudio magno valdè, ideſt, tota anima, toto corde, tota mente, & totis viribus ſuis ſpiritualibus, & corporalibus. Fac igitur, ò Stella fulgentiſſima,ut ea quæ nunc legimus, & audimus de tua formoſitate,& gratioſitate oculo ad oculum intueri valeamus ſaltem poſt hanc vitam,ut cantare valeamus cũ Propheta *Pſ.*47. *Sicut audivimus,ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri: Deus fundavit eam in æternum.* Fac ut verificetur de me illud *Eſa.* 60. *Tunc videbis*, ſcilicet iſtam Stellam clariſſimam, *& afflues*, ſcilicet conſolationibus: *& mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Quod tuis meritis mihi concedere dignetur piiſſimus Filius tuus,qui eſt benedictus in ſecula.

7 Sed denique hanc Regiam Stellam novo, & excellentiori radiorum diademate coronet Albertus Magnus lib. 1. de laudib. B. Mariæ cap. 3. dicens. Hæc eſt Stella,quæ apparuit Magis, quæ non in firmamento, ſed ſubter firmamentum, quaſi inclinatà Stellarum naturà, in inferiori ſpatio aeris decurrebat. Ac ſi diceret cùm Pſalmiſta: *Inclinavit Cœlos, & deſcendit. Pſal.* 17. Nova erat Stella illa, illam ſcilicet nuncians novitatem,de qua *Ierem.* 31. *Creavit Dominus novum ſuper terram. Fœmina circundabit virum.* Hoc unum fuit, & inauditum ſuper terram, quòd fœmina habuit in utero parvulum quidem tempore, ſed tamen Virum omni perfectione virtutum. Stella hæc cum Sole lucebat contrà naturam Stellarum omnium: Luna enim,& Stellæ ſuperveniente Solis lumine non apparent, ſed abſorbentur à ſplendoribus Solis. Hæc autem Stella lucebat cum Sole, nec ad lumen Solis propriam claritatem amittebat, ut illius Stellæ, quæ peperit Solem,privilegium demonſtraret.

Beata enim Virgo, quæ verum peperit Solem, lucet cum Filio: & quantò majori dignitate rutilat Filius, tantò majori dignitate ſplendet & Mater, quæ licèt longè ſit minor Filio, ſicut Stella minor Sole,hoc tamen gaudet privilegio, quod omnis anima Deo comparata, ſuam reprimit claritatem. Sed quià honor Filii honor eſt Matris, in excellentià Filii lucet excellentia Matris,quę tantum Filium meruit generare. Quod deſignatur in hoc, quod Stella illa lucebat de die.

CAP. XIII.

Exponitur, cùr Maria *interpretetur* Stella Maris.

1 MUlta diximus in communi de Stellis: multa dicenda ſunt in particulari de *Stella maris*, quæ eſt nominis *Mariæ* interpretatio. Quarè Jacobus de Voragine ſerm. 139. de Beata Virgine ſic ait. *Stella maris*, quæ vulgariter dicitur *Tramontana*, ſignat Virginem Beatam multis rationibus. Primò, ratione nominis. Iſtud enim nomen, ſcilicet *Stella maris*, non convenit Chriſto, nec alicui Sancto viro, nec alicui Sanctæ fœminæ,ſed tantùm Virgini Mariæ. Quod autem convenit Chriſto propriè, patet; quia ipſe eſt fons,

totius luminis, & ideò ſibi magis competit eſſe Solem, quam Stellam. Nec competit etiam alicui Viro Sancto; quia ipſa Stella maris ità dirigit navem, quod ipſa non dirigatur à nave. Navis enim eſt Eccleſia. Apoſtoli igitur, & cæteri Sancti, ità dirigebant Eccleſiam ſuis doctrinis, quod ipſi nihilominus indigebant dirigi ab Eccleſià, Sanctorum meritis, & devotis orationibus: undè & Apoſtolus ſæpè petebat orari prò ſe. Beata autem Virgo navem Eccleſiæ ità dirigebat ſuis doctrinis, & exemplis, quod ipſa non indigebat dirigi aliquorum meritis, quia in ipſa erat plenitudo omnium meritorum.

2 Nec etiam competit alicui Sanctæ fœminę dici *Stella maris*, nec coniugatæ, nec viduæ, nec virgini, nec pœnitenti. Stella enim maris univerſaliter dirigit omnes navigantes. *Et Maria* omnes navigantes dirigit ſuis exemplis. Coniugatæ quidem, ſicut fuit Eliſabeth, informant tantum coniugatas, ut Dei mandata cuſtodiant: unde dicitur *Luc.* 1. de ipſis coniugatis: *Erant juſti ambo pariter antè Deum.* Viduæ verò, ſicut fuit Anna, informant tantùm viduas, ut jejuniis, & orationibus inſiſtant. Undè dicitur *Luc.* 2. de Anna vidua, quod *non diſcedebat de templo, &c.* Virgines verò informant tantum alias Virgines, ut impudicos viſus virorum fugiant. Undè dicitur *Geneſ.* 14. quod *puella Rebecca cum vidiſſet Iſaac, tulit pallium ſuum, & operuit ſe.* Similiter pœnitentes, ſicut fuit Magdalena, informant tantùm pœnitentes, ut ſcilicet habeant opera miſericordiæ, & pœnitentiæ.

3 Beata autem Maria omnes ſuis exemplis illuminat, & informat. Nam informat coniugatas, ut viris ſuis obediant, ſicut ipſa ſemper obediens fuit Ioſeph. Informat viduas, ut poſt mortem viri, alios non accipiant, ſed in viduitate permaneant, ſicut ipſa vidua manſit poſt mortem Ioſeph. Informat virgines, ut hominum conſortia fugiant, ſicut & ipſa faciebat, & in thalamo ſuo clauſa manebat. Informat pœnitentes, ut opera pœnitentiæ faciant, ſicut & ipſa faciebat: quamvis enim pœnitens nunquam fuerit, quia nunquam fecit illud, quod debuerit pœnitere; tamen ſic opera pœnitentiæ faciebat, ac ſi feciſſet, undè deberet pœnitere. Quia igitur Virgo Beata per mare hujus mundi navigantibus radios exemplorum emittit: ideò *Stella* Maris vocari debuit.

4 Secundò, dicitur *Stella maris* ratione attractivæ virtutis. Sicut iſta Stella ferrum ad ſe trahit: ſic *Maria* ad ſe ſæpe mentes ferreas trahit, & convertit. Ferrum autem eſt durum, frigidum, & ponderoſum, & ſic ſignat peccatores, qui ſunt frigidi ad amandum Deum, duri ad convertendum, ponderoſi propter amorem terrenorum, quia ſemper ſtant in imis, & nunquam ſe ad ſuprema ſublevant: ſicut patet in Theophilo, qui priùs erat frigidus, & durus, & ponderoſus, quem Beata Virgo inflammavit, & convertit, & ad Cœleſtia ſublevavit.

5 Tertiò, dicitur *Stella Maris* ratione ſtationis: quia hæc Stella eſt quaſi ſinè motu, & à ſuo puncto non diſcedit. Sic Beata Virgo à puncto non diſcedit, id eſt, à Filio, ſed ſemper pro nobis iugiter intercedit, & orat, & nos cuſtodit. Sicut enim dicitur de Filio ſuo: *Eccè non dormitabit, neque dormiet*: Sic nec ipſa dormitat, ſed ſemper prò nobis orat, intercedit, & vigilat; undè poteſt eſſe verbum ſuum illud quod dicitur *Eſa.* 21. *Super ſpeculam Domini ego ſum vigilans iugiter, & ſtans per diem; & ſuper cuſtodiam Domini ego ſum ſtans totis noctibus.* Ipſa eſt enim virga de radice Jeſſe, de quà dicitur *Ierem.* 1. *Virgam vigilantem ego video.*

6 Quartò, dicitur *Stella maris* ratione illuminationis. Hæc autem Stella ſemper ad nos lumen ſuum emittit, ità quod nec occidit, nec occumbit. Aliæ ſtellæ, id eſt, Apoſtoli in Chriſti paſſione occubuerunt, quia lumen fidei amiſerunt. Ipſa autem nunquam occubuit, quia lumen fidei ſemper ſervavit. Sæpè autem contingit, quod aliqui Sancti aliquibus peccatoribus occidunt, quia ſuffragia eis ſæpè ſubtrahunt, quia indigni ſunt. *Ioel.* 2. *Stellæ ſplendorem ſuum retraxerunt.* Beata autem Virgo nunquam occidit, ſed omnibus lumen ſuæ gratiæ emittit. Undè ipſa dicit *Eccli.* 24. *Vſque ad futurum ſeculum non deſinam*, ſcilicet alicui in neceſſitatibus conſtituto.

7 Quintò, dicitur *Stella maris* ratione directionis, quia navigantes in mari hujus mundi dirigit, & ad portum ſalutis deducit. Nam in mari hujus mundi ſunt multi fluctus perſecutionum, multi venti tribulationum, multi ſcopuli adverſitatum, multæ tenebræ ignorantiarum. Et ideò iſta *Stella maris* omnes tales dirigit, & ad portum deducit. Fulbertus: Oportet hanc Stellam ſemper attendere, quod qui fecerit, non inanis gloriæ vento iactabitur, nec ſcopulis adverſorum frangetur, nec abſorbebitur voluptatum voragine, ſed proſperè perveniet ad portum quietis.

8 Sextò, dicitur Stella ratione girationis. Illa enim Stella eſt ſicut cardo, vel axis firmamenti. Sicut enim oſtium volvitur, ſivè verſatur in cardine, & rota in axe, ſic firmamentum contrà ipſam. Eodem modo tota Curia Cœleſtis circà Beatam Virginem ſe volvit, & girat: quia eam tanquam Dominam, ac Reginam circundat, iuxtà illud quod cantat Eccleſia: *Sicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia Convallium*; ideſt, ordo Confeſſorum, & Virginum. Ideò dicit Propheta: *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate, Pſal.* 44. Sancti enim ſunt quędam veſtis Beatæ Virginis, ipſam tanquam Dominam, & Reginam adornantes. Quæ quidem veſtis eſt multiplici varietate contexta. Nam Apoſtoli ibi ponunt colorem aureum. Martyres colorem rubeum. Confeſſores colorem viridem. Virgines, & Angeli colorem candidum.

9 Septimò dicitur *Stella maris* ratione ſituationis. Eſt enim hæc Stella ſita in ſummo poli reſpectu omnium aliarum, & eſt ſita contrà Aquilonem. Sic Beata Virgo exaltata eſt ſuper choros Angelorum, undè cantat Eccleſia: *Exaltata eſt Sancta Dei Genetrix ſuper choros Angelorum ad Cœleſtia regna.* Eſt etiam ſita ad Aquilonem, quia radios gratiæ ſuæ ſemper dirigit ad peccatores. Undè etiam ipſa dicitur Luna: quia ſicut Luna dat lucem ſuam noctibus; ſic Beata Virgo gratiam ſuam peccatoribus.

10 Pulchrè autem Bartholomæus de Piſis *lib.* 1.

de

de laudib. Beatæ Virginis Fruct. 8. ſimilitudinem *Stellæ maris* accommodat Deiparæ duplici de cauſà: & ſub qualibet cauſa decem capita, ſinè hieroglyphica comprehendit, quibus Dei Mater ritè, & rectè *Stella Maris* appellatur. Sed, inquit, licèt Beata Maria dicatur, & dici poſſit Stella in generali, in ſpeciali tamen ipſa, non quælibet dicitur, ſed *Stella maris*, id eſt, mundi, duplici de cauſa: Primò, ratione proprietatis: Secundò, ratione virtutis.

11 *Maria* ergò primo modo eſt *Stella Maris*: quia hæc Stella in ſitu habet ſtabilitatem; alię tranſeunt de loco ad locum, circulariter peragrando: iſta ſtat fixa, undè & cardo Cœli dicitur. *Maria* in mundo iſto ſtans, & degens ſanctificata fuit, & in gratia confirmata. In Patria nunc eſt perfectà gloria quietata.

Secundò, habet in ſuo circuitu volubilitatem, volvitur enim intrà ambitum ſuum. *Maria* licet ſit perfectè quietata, & immobiliter, ex magnitudine ſuæ clementiæ ad quamlibet partem ſe movet, cùm fuerit invocata.

Tertiò, in ſuo conſpectu habet ſempiternitatem. Aliquæ Stellæ ſemper apparent, aliquæ ſemper nobis occultantur. Iſta, nocte, & omni hora apparet. Sancti aliqui ſunt, qui ſemper apparent, quorum notitia factis eorum gratioſis à mundo habetur: ſed aliqui ſunt, qui ſoli Deo ſunt cogniti, qui, etſi inviſibiliter, nobis apparent per interventionem, & merita continuò, ipſorum tamen notitiam non habemus. Beata autem *Maria* ſemper apparet in ſe, & Filio: ſed quomodo? Certè quia ſumus Filii ejus ſanguine pretioſo redempti.

Quartò, habet in ſuo exceſſu ſublimitatem, & ſecundum noſtrum aſpectum altiſſima eſt Stellarum. Maria in Patria ſecundùm Hieronymum, & Eccleſiam eſt ſuper omnes gloria exaltata:

Quintò, in ſuo ſitu habet medietatem: eſt enim ſita in medio noſtri Hemiſphærii, ſicut punctus in medio circuli. Chriſtus in medio eſt Paradiſi, ut videatur ab omnibus, juxtà illud *Apocal. ult. Lignum vitæ in medio Paradiſi.* Sic & *Maria*, quia ipſa ſtat juxtà eum.

12 Sextò, in ſuo gradu, maximitatem, & parvitatem habet. Eſt enim minima quantum ad noſtrum aſpectum, cùm in ſe ſit maxima. Beata *Maria* licèt ſemper maxima eſſet apud Deum, tamen in virtutibus ſemper tenuit, & habuit humilitatem, quà ad gradum maximum Maternitatis fuit electa.

Septimò, habet in ſuo conſpectu inviſibilitatem: undè communiter non videtur, ſed ejus circulus, quem deſcribit, ſivè polus. *Maria* ſecundùm Ambroſium ſolitaria ab Angelo, & in penetralibus, quandò fuit nunciata, inventa eſt. Et nè videretur, cum feſtinatione ad Eliſabeth cognatam perrexit.

Octavò, in ſuo reſpectu habet rectitudinem, & non obliquitatem. Et licèt ſit aliquibus obliqua, & quibuſdam recta: illis tamen eſt ſemper recta, qui caput rectum habent ad ipſam. Qui habent caput animæ rectum per devotionem, id eſt, mentem rectam ad *Mariam*, illis hæc Stella eſt recta, quia recto itinere gradiuntur ad Cœlum ejus meritis; quia talibus eſt via recta, dum ejus precibus ſalvantur.

Nonò, in ſui contuitu emittit ſcintillam, & in hoc habet aliarum proprietatem: ſcintillat enim, ut aliæ ſtellæ, propter altitudinem earum à viſu. *Mariæ* gratiæ, ſicut & incarnatio Chriſti, tantæ ſunt altitudinis, quòd noſter oculus intueri non ſufficit.

Decimò, in ſuo habitu habet ſeptuplicitatem; circa ipſam enim ſeptem Stellæ volvuntur. *Maria* in hac vita ſeptem dona Spiritus Sancti habuit, & poſſedit, quantùm ad habitum, etſi non ad cujuslibet doni uſum. Quibus apparet, quod Beata Maria ratione proprietatis hujus Stellæ maris, Stella vocatur.

13 Dicitur etiam ipſa Dei Genitrix *Stella maris*, ratione virtutis. Stella enim hæc maris habet, Primò fortitudinem in ſuo attractu. Terra enim ab ipſa attrahitur ab uno polo, nè deſcendat: ab alio, nè elevetur, & aſcendat. *Maria* trahit peccatores, nè deſcendant in infernum: juſtos, nè aſcendant per ſuperbiam.

Secundò, habet dominium ſuper rem duriſſimam, ſcilicet magnetem, cui dat virtutem ferrum attrahendi. *Maria* duriſſima peccatorum corda ad Deum trahit.

Tertiò, ferrum trahens, ut patet ad ſenſum, magnes ad iſtum polum dirigit. *Maria* ſicut traxit ſumma ad ima, videlicet Deum ad homines; ſic gratia filii corda noſtra ad terram prona, juxta dictum Chriſti: *Exaltatus à terra*, ad ſe trahit.

Quartò, habet frigiditatem in ſuo influxu; quia ventus aquilonaris eſt frigidus. Maria frigida tempore virginitatis. Eſt etiam frigida, cauſando ſuis meritis in aliis puritatem, flammam extinguendo libidinis.

Quintò, habet ſerenitatem in ſuo afflatu, ventus ab hac parte Stellæ procedens flando, Cœlum à nubibus Serenatur. Marià, Cœlum, id eſt, Sancta Trinitas noſtris peccatis, velut nubibus, provocata ſerenatur. Undè ſi quando, peccamus, ad ipſam eſt recurrendum, quià Deum placat.

14 Sextò, habet ſanitatem in ſuo effectu. Aer enim in tali regione proveniens eſt ſuaviſſimus, ſicut & ventus. *Maria* illum genuit, qui veram ſanitatem ſpiritualem nobis confert, & contulit.

Septimò, habet puritatem in ſuo defluxu. Ventus iſte eſt puriſſimus, & mundiſſimus, fœtores aſportat, qui virtute hujus Stellæ cauſatur. Homines etiam, ubi habet hæc Stella prædominium, ſunt præ aliis pulchriores, & fortiores. *Maria* dum hic eſſet, non ſolùm in ſe habuit puritatem, ſed etiam aliis ingenerabat, extinguendo cogitationes pravas, dum aſpiceretur, ut dicit Alexander de Aleſ. Inſuper circà ſe habitantes per devotionem, & imitationem puros facit, & fortes ad reſiſtendum diabolicis tentationibus.

Octavò, habet regulationem in terrarum proceſſu. Ipsà ſciuntur regionum diſtantiæ, altitudines terrarum, & ſtellarum, & ſic etiam de mari. Sic re vera qui ſcit *Mariam*, ſcit regionem Chriſti Orientis; mundi Occidentis; Auſtri, id eſt, gratiæ influentis; & Aquilonis gloriam continentis.

Nonò, habet ſpecialem directionem in maris ducatu. Per hanc Nautæ diriguntur ad portum per magnetem, licet ipſi Stellam non videant. *Maria* aſſiduà ſuà interceſſione Eccleſiam, & fideles dirigit, ut tandem ad portum perveniamus optatæ ſalutis.

De-

Decimò, etſi in toto Cœlo ſit Dei Civitas: iuxtà dicta, *Ponam ſedem meam in lateribus Aquilonis*, eſt quædam prærogativa ex ſtabilitate talis poli, & altitudine ipſius Stellæ ad alias Stellas. Sic Beata Maria cum ſit ſuper omnia Angelorum merita ad Celſitudinem ſublimata, in ipſà præ aliis Sanctis beatitudo refulget divinæ eſſentiæ. Prædictis igitur ex cauſis, aliiſque pluribus Beata Maria non ſolùm eſt Stella, ſed *Stella maris* vocatur.

CAP. XIV.

Iterum probatur, aptiſſimè Mariam *interpretari* Stellam maris.

1 NOvum ſemper aliquid pariunt ingenia, & ea maximè, quæ devotionis cote acuuntur ad laudes Virginis explicandas. Summam hanc ingenii nactus fœcunditatem devotiſſimus, & Mariæ deditiſſimus Albertus Magnus, ſibi peculiarem hanc vendicat probationem, propter duplicem rationem, quam *ſerm.* 38. *de Nativit.* Virginis aſſignat. Dicitur etiam, inquit, Beata *Maria*, *Stella marina*: hoc teſtatur univerſa Eccleſia, quæ ſic canit in quadam ſequentià: *Ave præclara maris Stellà*, *in luce*, *&c.* Canit etiam in hymno: *Ave maris Stella*. Comparatur autem Stellæ maris ad minùs propter duo. Primò, quià per eam omnis Nauta dirigitur. Secundò, quia acui in tempeſtatibus mirabiliter invenitur ſimilis.

2 Primò enim, ſicut verſus Stellam illam, quæ Stella maris vocatur, ſemper Nautæ portum, & viam conſiderant navigandi: ſic etiam Beata Virgo nobis in mari hujus mūdi conſtitutis oſtendit viam navigandi, & portum Cœli. Undè & ipſa dicit in *Eccli.* 24. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Hæc Stella invitat nos ad bonum hoſpitium: promittit enim nobis, quod nos per generationem ſuam, ideſt, per dilectum Filium Ieſum Chriſtum, omni gaudio implebit. Oſtendit nobis etiam hæc Stella viam, quæ ducit ad portam Paradiſi, ità dicens in *Pſal.* 33. *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos*. Quaſi dicat. Hæc eſt via ad portam Paradiſi, timor Domini. Undè dicit *Eccl.* 1. *Timor delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudine dierum. Timenti Dominum benè erit in extremis.*

3 Secundò nota quod legitur de *Stella maris*, quod videlicet in tempeſtate, quandò Cœlum nubibus eſt obvolutum, & non poteſt videri Stella maris; tunc Nautæ acum accipientes proiiciunt in pelvim, in quà eſt aqua; accipiunt etiam magnetem, per quem acus iacens in pelvi circunducitur, & circumagitatur. Acu verò ſic circunductà ſubtrahunt magnetem, & tunc acus acumine ſuo dirigit ſe contrà ſtellam maris, & ſic Nautę propendunt, quorſum ſita ſit Stellà maris, & ſequuntur eam. Hæc optimè poſſunt exponi de Virgine Marià.

4 Nota igitur, quod tunc veriſſimè tempeſtas eſt in animà, & tunc Cœlum nubibus obducitur, cum per peccata, & Dei, & Beatæ Virginis gratia, à miſeris peccatoribus amittitur. Quid autem faciendum eſt peccatoribus, ut recuperent gratiam Matris miſericordiæ? Certè neceſſe eſt, ut accipiant acum, per quam pœnitentia figuratur: quia per pœnitentiam, ſicut per acum, veſtis innocentiæ quæ per peccatum dirupta eſt, reſuitur, & reparatur. Hæc autem acus, videlicet contritio, vel pœnitentia, debet in corde per magnetem circunduci.

5 Per magnetem verò timor æternæ damnationis, & divinæ ſeveritatis intelligitur. Iſte enim timor trahit ad ſe ferrum, ideſt, ferreos peccatores. Subducto verò hoc lapide, ideſt, alleviato timore per ſpem veniæ, convertit ſe acus, ideſt, pœnitentia ad Matrem miſericordiæ: ideſt, peccator fiducialiter incipit pœnitentiam agere, prò eo quod credit, & ſperat *Mariam* Matrem miſericordiæ pęnitentem non abjicere: immò paratam eſſe prò reis ſemper intercedere. Pœnitentiam igitur agentes ductu hujus Stellæ, ideſt, ducatu Virginis propitiæ perveniunt ad portas ſalutis æternæ.

Rogemus ergò chariſſimi hanc glorioſam Stellam, ut nobis in præſentis exilii peregrinatione conſtitutis, ſic radios ſuæ pietatis tranſmittat, ut radiorum ipſius ducatu quilibet noſtrum in patriam perpetuæ felicitatis perveniat. Hactenus ille.

6 Vos autem fulgidiſſima firmamenti ſidera, & ſtellantia Cœli lumina, choros ducite veſtros, & choreas inſtruite, ad *Mariæ* Coronam. Multum ipſi debetis, quia propter illam in ipſius typo creatæ. Muneribus perfungite veſtris, & tanquam ancillæ obſequentes tantæ famulate Reginæ. Illam ornamentis veſtris decenter ornate. Sed quid adiicere putabitis eius decori? Nihil prorsùs. Illa potiùs vos ornat, quam ornetur a vobis. Eſtote tamen famulatrices, quia ſic decet luminoſas faces, luminum Reginæ ſervire.

CAP. XV.

Quam aptè Maria *dicatur* Mare.

1 EXiguà immenſum Oceanum ingredimur cymbà, ubi nihil aliud quam Cœlum, & aqua ſpectatur, quò fit ut & animoſiores terreantur ſpatii excurrendi immenſitate. Sed quid Virgo cum mari? Cum Cœlo potius, cujus ſimilitudinem habet: immò & ipſa Cœlum eſt animatum. Verum cum mari, nullam video proportionem. Mare enim, ut ſupra diximus, vitiorum potiùs, quam virtutum hieroglyphicum eſſe videtur. Cœlum autem non niſi perfectionis typus habetur. Quà ratione ergò *Mare* dicetur *Maria*?

2 Utique, & laudabile eſt mare, cujus encomia, & ſymbola ſic placuerunt Ambroſio, ut illa ad laudes ipſius *lib.* 3. *Hexamer. c.* 5. referre voluerit. Vidit, inquit, ergò Deus quia bonum mare. Et ſi pulchra ſit ſpecies eius elementi, vel cum ſurgentibus albeſcit cumulis, ac verticibus undarum, & cautes nivea rorat aſpergine, vel cum ęquore criſpanti clementiorbus auris, & blando ſerenę tranquillitatis purpuraſcentem pręfert colorem, qui eminùs ſpectantibus frequenter offunditur, quandò non violentis fluctibus vicina tundit litora, ſed velut pacificis ambit, & ſalutat amplexibus, quàm dulcis ſonus, quam jucundus fragor, quam grata, & conſona reſultatio! Ego tamen non oculis æſtimatum creaturæ decorem arbitror, ſed ſecundùm rationem operationis iudicio operatoris convenire, & congruere definitum.

3 Bonum igitur mare; primùm, quia terras neceſſario ſuffulcit humore, quibus per venas quaſdam occultè ſuecum quendam haud inutilem ſubminiſtrat. Bonum mare, tanquam hoſpitium fluviorum, fons imbrium, derivatio alluvionum, invectio commeatuum: quo ſibi diſtantes populi copulantur, quo præliorum removentur pericula, quo barbaricus furor clauditur; ſubſidium in neceſſitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, ſalubritas valetudinis, ſeparatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, ſubſidium vectigalium, ſterilitatis alimentum.

4 Ex hoc pluvia in terras transfunditur. Siquidem de mari aqua radiis Solis hauritur, & quod ſubtile eius eſt rapitur: deinde quantò altiùs elevatur, tantò magis etiam nubium obumbratione frigeſcit, & imber fit, qui non ſolùm terrenam temperat ſiccitatem, ſed etiam jejuna arva fœcundat. Quid enumerem Inſulas, quas velut monilia plerunque præ texit, in quibus ii, qui ſe abdicant intemperantiæ ſecularis illecebris, fido continentiæ propoſito eligunt mundum latere, & declinare vitæ hujus dubios anfractus?

5 Mare ergò eſt ſecretum temperantiæ, exercitium continentiæ, gravitatis ſeceſſus, portus ſecuritatis, tranquillitas ſeculi, mundi hujus ſobrietas: tùm fidelibus viris, atque devotis incentivum devotionis, ut cum undarum leniter alluentium ſono certent cantus pſallentium, plaudant inſulæ tranquillo fluctuum, Sanctorum chori hymnis perſonent. Undè mihi, ut omnem pelagi pulchritudinem comprehendam, quam vidit operator? Et quid plura? Ecquid aliud ille concentus undarum, niſi quidam concentus eſt plebis? Undè benè mari plerunque comparatur Eccleſia, quæ primo ingredientis populi agmine totis veſtibulis undas vomit; deinde in oratione totius plebis tanquàm undis refluentibus ſtridet; tùm reſponſoriis pſalmorum, cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum, conſonus undarum fragor reſultat.

6 Nam illud quid dicam, quod unda peccatum abluit, Sancti Spiritus aura ſalutaris aſpirat? Det nobis Dominus illa ſeceſſuum flumina proſpero ligno currere, tuto portu conſiſtere, nequitiæ ſpiritalis graviora quàm ferre poſſimus tentamenta neſcire, fidei ignorare naufragia, habere pacem profundam; & ſi quandò aliquid ſit, quod gravis nobis ſeculi hujus excitet fluctus, evigilantem prò nobis habere gubernatorem Dominum Jeſum, qui verbo imperet, & tempeſtatem mitiget, tranquillitatem maris refundat.

7 Quid argutiùs ad laudem maris dicere poterat Ambroſius? Quid ſuaviùs ad illam fluctuum tranquillorum harmoniam exprimendam, ut cum pacifico pſallentium choro certare videatur? Quid gratiùs, quam ut purpuram leniter fluctuantem colore tranquillum præferat mare, cum ſereno Cœlo mollioribus Zephiri auris ſuperficies elementi criſpatur? Quid utiliùs denique mari, à quo tot habemus vitæ, animique ſubſidia? Bonum igitur mare, & eo meliùs, quò laudatur ab Artifice: nam iuxtà Hebræorum lectionem, ut idem refert Ambroſius, habetur: *Et vidit Deus mare, quod eſſet bonum*. Quod ſi ità eſt, quid mari laudabilius evenire poteſt, quam quod in nomine cum Dei Matre conveniat? Neque etiam *Mariæ* quid aptiùs accidere poterat, quàm *Mare* vocari?

8 Singulas percurramus Ambroſii ſententias, & nominis proprietatem inveniemus cum mari. Bonum mare, quia laudatum à Deo. *Maria* melior, quia dilecta, & prædilecta à Deo. Pulchra ſpecies maris, cum tranquilli fluctus arrident. Venuſtior *Mariæ* ſpecies nullis unquam tempeſtatibus offuſcata. Purpuraſcentem in ſereno tranquillitatis colorem præfert mare. Purpura regalis eſt *Maria*, de cuius vellere purpureum divina Sapientia ſibi indumentum aſſumpſit. Vicina litora, cum mare tranquillum eſt, velut pacificis ambit, & ſalutat amplexibus. Et nullus eſt vel abiectus, & deſpectus, qui à materno planè non foveatur *Mariæ* complexu. Mare terræ viſcera occulto irrigat humore. *Maria* gratiæ ſucco corda perfundit.

9 Mare hoſpitium fluviorum. *Maria* contubernium gratiarum. Mare refugium in periculis. *Maria* in anguſtiis aſylum. Mare diſtantes copulat commercio nationes. Cœli, terræque commercia interventu ſuo *Maria* conjungit. Mare compendiū itineris. *Maria* ad Cœlum compendiaria via. Mare invehit commeatus. *Maria* ſpiritalem alimoniam præſtat. A Mari oriuntur imbres. A *Maria* miſericordiarum nymbi. Quid denique Dei Mater, niſi temperantiæ ſecretum, continentiæ exercitium, gravitatis ſeceſſus, ſecuritatis portus, ſeculi tranquillitas, ſobrietas huius mundi, & devotionis incentivum?

10 Alia etiam ratione *Maria* dicitur *Mare* juxta S. Bonaventuram in *Speculo Virg. cap.* 3. ſcilicet propter affluentiam, & copiam gratiarum. Unde ſcriptum eſt in *Eccli.* 1. *Omnia flumina intrant in mare*. Flumina ſunt Chariſmata Spiritus Sancti. Unde Joannes dicit: *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. c.*7. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia chariſmata Sanctorum intrant in Mariam. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratiæ Virginum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Martyrum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Confeſſorum intrat in Mariam. *Omnia flumina intrant in mare*: ideſt, omnes gratiæ in Mariam. Unde ipſa optimè dicere poteſt illud *Eccli.* 24. *In me omnis gratia viæ, & veritatis; in me omnis ſpes vitæ, & virtutis*. Quid mirùm ſi omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? Ait enim beatus Auguſtinus: Gratià es plena Maria, quam apud Dominum inveniſti, & hanc per totum mundum effundere meruiſti.

11 Aliter Albertus Magnus *lib.* 1. *de laudib.* B. Mariæ *c.* 3. Dei Matrem appellat mare. Quia, inquit, ſicut mare non poteſt exhauriri: omnes enim aquas recipit, & omnes aquas emittit, & ſem-

ſemper plenum remanet, & ideò recipit, ut emittat. Sic *Maria* à Deo omnes aquas gratiarum, omnem plenitudinem univerſorum bonorum, ut ea nobis diſtribuat ſinè diminutione plenitudinis ſuæ. Et ideò *ad locum undè exeunt flumina* beneficiorum, *revertuntur*, ideſt reverti debent per gratiarum actionem: *ut iterùm fluant* ad nos. *Eccli.* 1.

12 Item, ſicut nec maris profunditas, ſic nec *Mariæ* liberalitas poteſt exhauriri: indefeſſè enim, & ſufficienter dat gratiam univerſis, niſi per eos ſteterit, quam facillimè invenit apud Deum. Et ipſa eſt ſicut vellus, vel ſpongia, undè deſcendit ſicut pluvia in vellus, quæ multum de facili trahunt aquam, & in magnà quantitate, & eam facillimà compreſſione refundunt. Sic & *Maria* gratiam, quam invenit apud Deum.

Quia guttæ eius non poſſunt dinumerari: & gratiæ, vel miſericordiæ *Mariæ* innumerabiles ſunt. *Eccli.* 1. *Arenam maris, & guttas pluviæ quis dinumerat?* Et hoc maximè ex quò Filius Dei ſicut pluvia in vellus deſcendit in eam. Hactenùs ille.

13 Pulchrè etiam Incognitus in *Pſal.* 71. exponens verſ. *Et dominabitur à mari uſque ad mare, &c.* per mare interpretatur *Mariam*, dicens. Per mare in Scriptura aliquandò intelligitur Virgo Maria. Undè ipſa à *mari Maria* nuncupatur. Nec mirum, quoniam ipſa ad modum maris eſt magnæ puritatis, capacitatis, & utilitatis. Patet primũ, quia nihil immundum retinere poteſt: ſic nec Virgo aliquam peccati contraxit immunditiam. Undè de ipſa dicitur *Apocal.* 4. *In conſpectu ſedis*, ſcilicet Dei, *tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo.* Cryſtallus enim, & vitrum habent claritatem, & frigiditatem, quæ puritati cungruunt Virginis Mariæ.

Secundum patet: quia omnia flumina intrat in mare. Sic in Beatà Virgine omnes gratiæ congregatæ fuerunt. Undè Hieronymus. Cęteris gratia per partes præſtatur, Mariæ autem ſe tota gratiæ plenitudo infundit, &c. Undè *Geneſ.* 1. *Congregationes aquarum appellavit Maria.*

Tertium patet; quia non eſt terra ità ſterilis, quæ ſuper mare ſituata, non abundet omnibus bonis. Sic & Beata Virgo omnibus peccatoribus iuxtà ipſam per devotionem poſitis gratiarum copiam confert.

14 Denique Joannes Raulinus Cluniacenſis *ſerm.* 3. *de Annuntiat.* Domini ediſſerens quam iucundum, & gratum ſit Mariæ nomen, novo quodam acumine concludit, quam propriè *maris* nomen *Mariæ* conveniat. Quod autem, inquit, ſit nomen amoroſum, & gratioſum, patet: quia nomen illud eſt omnium gratiarum collectivum. *Geneſ.* 1. *Congregationes aquarum appellavit Maria.* Gratiarum in uno loco, ſcilicet in utero Virgineo congregatio, appellatur *Maria*, ſed tamen medià productà: quia gratia illa non tranſitoria eſt, ſed æterna. *Luc.* 10. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eà in æternum. *Congregationes* verò *aquarum*, ideſt, deliciarum, & divitiarum hujus ſeculi, *appellavit Maria*, medià correptà; quia tranſitoria, juxtà illud. *Apocal.* 20. *Et mare iam non eſt.*

Nec inconvenienter *mari* adaptatur Maria, quæ in conceptione Dei tria nobis avantagia fecit, quæ ſolet impartiri mare vicinæ ragioni. Primò à regione vicinà fugat inopiam propter merces, quas ibi deportat. Secundò parat nautis viam mercibus, quas ad partes remotas tranſportant. Tertiò purgat immunditias propter fœces, quas indè ad litora reiicit.

Sic *Maria* à noſtra regione fugauit inopiam, & ſterilitatem; & fertilitatem adduxit, aſportando nobis Chriſtum, qui ſolus propter abundantiam gratiæ ſuæ ditare poteſt regionem noſtram, & fugare mentis inopiam; ſicut quandò aliquis mercator magnus cum multiplicibus opibus, & mercibus applicat per mare alicubi, totam illam regionem implet, & ditat. 2. *Corinth.* 9. *Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Mercator enim juxta dictum Apoſtoli *Epheſ.* 2. oſtendet in ſeculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ.

Secundò viam illam nobis oſtendit, per quam bonorum operum merces in regionem longinquam Cœli deportantur: illum ſcilicet, qui dicit: *Ego ſum via.* Tertiò fœces operum noſtrorum, dùm eas Domino repræſentat, ſuà munditia, & benignitate expurgat.

CAP. XVI.

Cur Maria *dicatur* amarum Mare.

1 ALbertus Magnus *lib.* 1. *de laudib. B. Mariæ c.* 3. reddit rationem hujus interpretationis. Nam inquit, *Mare* eſt generalis aquarum collectio, & propriè ſic appellatur, quia aquæ eius *amaræ* ſunt, ut dicit Iſidorus. *Maria* enim *amarum* mare interpretatur, & quaſi quodam præſagio ſic nuncupata eſt, & ſi non propter amarum pœnitentiæ gemitum, quem non habuit quæ non peccavit, propter vehementiam tamen doloris, quem habuit in filii paſſione, ſortita eſt nomen *amaritudinis*: dicitur enim competenter *mare amarum* ratione ſui ſtatus in Filii paſſione, ideſt, *valdè amara*, ut hæc duo *mare*, & *amarum* referantur ad duplicem amaritudinem: quaſi enim *mare*, ideſt, *tota amara* fuit prò dolore Filii, & amara valdè prò excæcatione populi ſui. Undè Apoſtolus *Rom.* 9. *Continuus mihi dolor, &c.* Sed de hoc fuſius infrà: & modò proſequemur dicere cum Alberto ſimilitudines ex amaritudine maris deductas.

2 Eà igitur de causà *Maria* vocatur *amarum* mare: quia maris aquæ ſalſæ ſunt, & potatæ magis ſitim accendunt. Aquæ iſtæ gratiæ ſunt, quas diſtribuit *Maria*, quæ guſtatæ magis accendunt deſiderium. Undè ipsa dicit *Eccli.* 24. *Qui bibunt me, adhuc ſitient.* Nec mirum ſi ſitim tanquam Sal accendat, cum ipſa ſit illud vas, de quo dixit Eliſæus 4. *Reg.* 2. *Afferte mihi vas novum, & mittite in illud ſal.* Sal in novo vaſe, Sapientia Dei in utero virginali. Non mirum ergò ſi quæ tale Sal accepit, tota ſalſa eſt tanquam mare: & ideò ſemel experti eius dulcedinem, quantò ampliùs bibunt, tantò ampliùs concupiſcunt.

3 Dicitur etiam *Maria*, *mare amarum*, ſicut dicit Beda: eò quod mare, ideſt, mundum per gratiam ſuam nobis amaricat, & per exemplum;

& univerſas mundi delicias convertit in amaritudinem de ſe fideliter cogitanti, & mundanas amaritudines ſuis imitatoribus dulces facit reputari, *Deuter.* 33. *Inundationes maris* quaſi lac ſugent, ſcilicet, imitatores *Mariæ*. Proprius enim alveus hujus maris, *Mariæ* ſanctitas eſt: & ſi tantum ad Sanctos reſpiceret, quaſi in ſuo alveo clauderetur, ſed ſupervenit in eam Spiritus Sanctus, ut eam faceret inundare. Inundat autem quaſi proprium excedẽs alveum, cùm ipſa licet ſinè peccato, nihilominùs tamen peccatoribus condeſcendit, qua inundatione tanquàm lacte ſuos paſcit. Et hæ inundationes, illæ ſunt *emiſsiones Paradiſi*, de quibus agitur *Cant.* 5.

4 Dicitur nihilominus *mare amarum*: quia mundus fuit ei amarus. Undè & per virgam nuceam intelligitur *Ierem.* 1. In nuce enim nucleus dulcedinem, teſta ſoliditatem, cortex habet amaritudinẽ. Nucleus hujus nucis ſpiritus Marię ſuper mel dulcis; teſta ſolida, corpus integrum nullis unquam deliciis conquaſſatum; cortex exterior, mundus; cujus divitias, ſpinas reputabat, exemplo Filii ſui magis diligens paupertatem.

5 Ipſa eſt mare rubrum: quia per compaſſionem rubricata eſt in Filii paſſione. Undè dicitur *Sunamitis*, ideſt, *Coccinea. Cant.* 6. In ipsà enim, & per ipſam ſpiritualis Pharao, id eſt, diabolus ſuffocatur, quia in manu fœminæ tradidit Dominus Siſaram Iudic. 5. cum toto exercitu vitiorum: & ejus meritis, & orationibus, & exemplis tranſeunt veri Iſraelitæ ab Ægypto hujus mundi, primò in deſertum pœnitentię, ipſa eis infundente gratiam pœnitendi, & in terram promiſsionis per *Iordanem*, qui interpretatur *humilis deſcenſus*, ideſt, per ipſam *Mariam*, in quam deſcendit Filius Dei merito humilitatis ejus.

6 Denique Maria deſignatur per mare fuſile, de quo legitur 3. *Reg* 7. & 2. *Paral.* 4. quod in ædificatione templi poſitũ eſt in latere dextro contrà Oriẽtem ad meridiem, ut lavarẽtur in eo intrantes templum, nec pręſumerent intrare templum polluti. Per hoc mare ſignatur *Maria*, quæ fuſilis eſt per pietatem; liquefacta per dilectionem; ænea, ideſt, imputribilis per peccati immunitatem; ſonora per divinam laudem, & orationum aſſiduitatem. Quæ ſpeciali affectu miſericordiæ volentibus intrare Eccleſiam prima omnium Sanctorum occurrit, ipſis gratiam interioris amaritudinis, & contritionis, & ſonum verę confeſſionis infundit: ad verum Orientem, id eſt, Chriſtum Filium ſuum deducit: charitatis fervore, quæ per Meridiem deſignatur, accendit; & tandem ad dexteram æternæ beatitudinis introducit. Uſque huc Albertus.

CAP. XVII.

Declaratur per quam peculiarem rationem Maria *interpretatur* Mare amarum.

1 PRimas in hoc, & omnes partes damus Bernardino Senenſi: nullus enim nec copioſius, nec diſtinctiùs, nec devotiùs reddidit cauſas, propter quas *Maria* dicitur *amarum mare.* Quapropter ſermonem ejus integrum, qui eſt ſecundus de glorioſo Nomine Mariæ tranſcribemus, niſi quod ubi ipſe ponit *articulum*, nos dicemus *caput*: & ubi ipſe *caput*, nos ponemus paragraphum, ut ſic eorum quæ dicenda ſunt, diſtinctio teneatur.

2 Inquit ergò. *Nomen Virginis Maria.* Iterum *Luc.* 1. & in Evangelio hodierno. Non eſt facultatis humanæ dilectiſsimi fratres, quãdiu in hoc mortali corpore vivitur, plenè pertingere ad laudẽ glorioſę Virginis Matris Dei, quę omnium hominum, & voces excellit, & ſuperat intellectum. Quis enim mortalium niſi divino illuſtratus oraculo, de unica Dei, & hominis Genitrice quicquam modicum, ſeu grande præſumat edicere: immò non timeat hanc pollutis labiis nominare, quam Pater miſericordiarum, & antè ſecula Deus, perpetuam prædeſtinavit in Virginem digniſsimam, Filius prælegit in Matrem, Spiritus Sanctus novæ gratiæ domicilium pręparavit? Quibus laudibus ſervitus hominũ Reginam efferet Angelorum? Quæ præconia dilatet mortalis anguſtia, vel officia ſubminiſtret, cui cœleſtia parent, & famulãtur obſequia? Qui dignã honoribus plauſus hominũ acclamabit in terris, quã Spirituum agmina beatorũ jugiter venerãtur in Cęlis.

3 Sed quià illam, ut meretur, non poſſumus laudare, ſaltem nomẽ ejus extollere procuremus. Diximus in præcedenti ſermone, quòd Nomen *Mariæ Stella maris* interpretatur. Iam ergò ſubjungamus, quarè interpretetur *amarum mare*. Maris quippè amaritudo ad literam eſt per ſolis fervidam in ipſo incidentiam partes ſubtiliores ſublevantis, & extrahentis: Nec non & partes terreſtres relictas adurentis, & per conſequens amaricantis.

Proindè in amaritudine maris tria notari poſsũt. Primum, dulcis ab amaro ſeparatio: Secundũ, partiũ relictarum aduſtio: Tertium, aduſtarum adinvicem permixtio. Profectò B. Virgo fuit in Paſſione Filii ſui amarum mare: quia ibi fuit dulciſſimi Filii ſubtractio: relictæ partis aduſtio: omnium amaritudinum admixtio.

CAP. XVIII.

Quod quadruplici ratione amariſsimum fuit B. Virgini tempore paſsionis ſeparatio Filii ſui.

1 PRimò ſiquidem in mari eſt dulcis ab amaro ſeparatio. Sic in paſſione Domini fuit B. Virgini dulciſſimi elongatio, & ſeparatio: quoniã fuit ei dilectiſſimi Filii ſubtractio, & hoc illi amariſſimum fuit quadruplici ratione. Primò, ratione conditionis. Secundò, ratione cognitionis. Tertiò, ratione dilectionis. Quartò, ratione delectationis. Hæc gradatim ſibi invicem connectuntur, & ſubſequuntur.

§. *I.*

Quod amarum fuit Beatæ Virgini tempore paſsionis ſeparatio Filii ſui, conſiderata eius conditione.

2 PRimò enim in paſſione Domini fuit amarum B. Virgini dulciſſimi Filii ſepara-

tio,& ſubtractio: & hoc ratione ſuæ conditionis,ſcilicet Filii ſui . Quid mirum, ſi in ea fuit amaritudo maxima , cum filius ejus totus eſſet dulcis, atque totus deſiderabilis ? ut dicitur *Cant.* 5. Et iterum Propheta inquit: *Dulcis,& rectus Dominus. Pſal.*24. Inſuper propter hanc ſubtractionem idem Propheta in Perſona Virginis ait : *Cor meum conturbatum eſt in me , dereliquit me virtus mea , & lumen oculorum meorum,& ipſum non eſt mecum.Pſ.*37. Vel ſecundum aliam tranſlationem apertiùs inquit . *Cor meum fluctuavit,dereliquit me fortitudo mea, & lumen oculorum meorum.* Equidem filius ejus virtus illi erat, & fortitudo in omnibus adverſitatibus. Lumẽ oculorum, & lætificatio cordis in omnibus proſperitatibus .

3 Talis ſiquidem dolor fuit in ea maximus. Intenſivè, extenſivè, & oſtenſivè. Primò enim fuit maximus intenſivè, quia uſque ad animum penetravit, ſicut ei prædixerat Simeon , *Luc.*2. *pertranſibit gladius.* Quod verbum antrorſum , & retrorſum conſideratum , illarum duarum animarum, ſcilicet Chriſti , & Virginis, miram doloris indicat participationem, & transformationem . Ut ſi dicatur: *ipſius animam tuam : aut tuam ipſius animam pertranſibit gladius .*

Secundò fuit maximus extenſivè , quia per quatuor dies continuos ſe extendit . Nam maximè incœpit dolor ejus ferià quartà,quia tunc mors Chriſti fuit tractata, & confirmata . Continuatus autem fuit ferià quintà, eò quòd in nocte captus fuit, colaphizatus,atque deluſus. Augmentatus fuit uſque ad feriam ſextam, quia tunc filius ejus crucifixus eſt . Dilatatus verò fuit uſque ad diem Sabbati , quia tunc filius ſuus in ſepulchro clauſus fuit .

Tertiò fuit maximus oſtenſivè , eò quòd dolorem ſuum oſtendebat , & demonſtrabat cordis ſingultu , abunduntià lachrymarum , &c. Profectò maxima fuit in eà amaritudo , eò quòd per turpiſſimam mortem facta eſt ei talis ſubtractio Filii ſui .

§. II.

Quòd propter cognitionem Filii ſui , amariſſima fuit & ſeparatio eius .

4 SEcundò fuit Beatæ Virgini amarum dulciſſimi Filii ſui ſeparatio , ratione cognitionis . Tria ſiquidem faciunt ad compaſſionem ex parte compatientis ad illum, cui compatimur . Primum, paſſionis vehementia . Secundum, ipſius vehementiæ in compatiente notitia. Tertium, ipſius ad compatientem amor, & amicitia . Primum , inquam, paſſionis vehementia . Quanta fuit acerbitas paſſionis Chriſti,inexplicabile eſt omni linguæ Angelicæ , vel humanæ . Superat enim omnis puræ creaturæ capacitatem , quod *Thren.* 1.*c.* per Jeremiam Dominus inſinuat, dicens : *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte , ſi eſt dolor, ſicut dolor meus* . Secundum ; hujus paſſionis apud Matrem piam maxima fuit notitia:quia aſtabat filio ſuo morienti,quem noverat eſſe filium Dei.Proindè Joannes 19.*c.* ait: *Stabat juxta Crucem Ieſu Mater ejus.* Tertium, eſt ipſius ad compatientem amor, & amicitia : quia ſecundum intenſionem amoris, intenſio eſt doloris, ſicut infrà dicetur .

4 Propterea ſummè compaſſa eſt , quia ſummè eum dilexit . Non tantum quippè afflicta fuiſſet, ſi illius cruciatus non vidiſſet . Sed cum , ut dicit Anſelmus , prolatam ſuæ mortis ſententiam audiret ; cum Crucem, cum qua ſuſpendi debebat , humeris ad locum paſſionis ſubvehere gemebunda aſpiceret: immò cum jam lividum, verberatum, vulneratum , cruentum , in cruce pendentem videret . Eſt nè precor quis , qui percipere poſſet qualitatem doloris pectoris ejus ?

Unde dicere poterat . *Quid , dilecte mi ? Quid , dilecte votorum meorum ? Quid , dilecte uteri mei ? Quid , dilecte mi , amicam , filiam , Matrem tuam tibi aſſiſtentem , jam , jamque ex mœſtitia corruentem , & patientem non attendis ? Quid , dilecte uteri mei , Matrem tuam lachrymantem , & dolentem , jam , jamque anguſtià deficientem non reſpicis ? Quid , dilecte uteri mei , famulam tuam , miniſtram tuam , te ad Crucem ſequentem, ac gemitus, ſuſpiria, lachrymas amariſſimas producentem, jam , jamque ex triſtitia expirantem non advertis ; ut permittas te impiiſſimis manibus ſic trahi , in patibulo elevari , omnibus membris extendi , totis viſceribus patefieri , ut ſic animam meam pertranſeat gladius ?* Verè igitur *amarum mare Maria:* ut de ea meritò dici poſsit illud *Thren.* 1. *Et ipſa oppreſſa amaritudine* , ſcilicet fuit .

§. III.

Quòd maximè propter quinque diligebat B.Virgo Ieſum, ex quibus ſeparatio eius , ſibi amariſsima fuit .

6 TErtiò verò ipſi Virgini Mariæ fuit amara dulciſſimi Filii ſeparatio ratione dilectionis . Sicut enim ſuperiùs tactum eſt , ſecundùm intenſionem amoris , intenſio eſt doloris . Proinde *Ioan.* 11. *c.* Iudæi comprehenderunt ergà Lazarum amorem Chriſti ex dolore,& fletu : undè & dixerunt de illo : *Eccè quomodò amabat eum* . Sed Chriſtus à Matre ſua ſummè fuit dilectus : igitur ſubtractio ſua, ſumma fuit ei amaritudo . Similitudo quippè , dilectionis cauſa eſt . Propterea *Eccli.* 13. *c.* inquit : *Omne animal diligit ſimile ſibi , ſic & omnis homo proximum ſuum* . Chriſtus enim Beatæ Virgini ſimillimus fuit , quia totus de ſubſtantia Matris genitus eſt . Propterea ab ea fuit ſummè dilectus .

7 Profectò in eo fuerunt omnes conditiones , propter quas Mater diligit filium , & habuit eas in ſummo . Erat quippè Dominus Ieſus Chriſtus præ cæteris omnibus potentior, ſapientior , generoſior , formoſior,atque melior . Iſta ſunt,propter quæ Matres maximè diligant filios ſuos .

Primò quidem erat cęteris potentior 2. *Machab.* 15. *Eſt Dominus unus, ipſe eſt in Cœlo potens.* Et propheta etiam inquit : *Dominus fortis, & potens. Pſal.* 23. Et *Ioſue* 24. *c.* ſcriptum eſt : *Dominus enim ſtans, & fortis æmulator eſt* .

Secundò erat cæteris ſapientior . Ipſe eſt,qui *ſedet in Cathedrà* David myſticè , id eſt, in cruce *ſapientiſsimus*,ut dicitur 2. *Reg.* 23.

Ter-

Tertiò erat cæteris generoſior ; quia ut dicitur *Eſa.* 53. *Generationem ejus quis enarrabit ?*

Quartò erat cæteris formoſior : quia ſicut Propheta ait ; *Specioſus forma præ filiis hominum. Pſal.* 44.

Quintò erat cæteris melior : quia ut dicitur *Sap.* 7. *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus* .

8 Propter hæc omnia,& conſimilia, fuit Matris ad Filium dilectio ſumma, & per conſequens ſumma doloris amaritudo.Undè Anſelmus præmittens ejus dilectionem, ait : Tantam igitur dilectionem perpendat,qui poteſt : quibus doloribus, quibus gemitibus, quibus ſuſpiriis cruciabatur, quandò eum à ſe crudelium manibus avelli , quandò ad condemnandum trahi,quandò ad mortem ſubeundam judicio Judicis iniqui,tribunali conſiſtere vidit .

§. IV.

Quòd propter delectationem , quam Virgo de Chriſto habebat, amariſsima erat ei ſeparatio eius .

9 QUartò inſuper Beatæ Virgini fuit amarum dilecti Filii ſui ſeparatio, ratione delectationis . Nam quò maius eſt gaudium de alicujus præſentià , eò major eſt dolor de ejus abſentià.Sed conſtat,quòd Chriſti pręſentia Matri ſuæ fuit ſummè gaudioſa. Dicit enim Anſelmus de ortu Virginis . Quanto gaudio replebatur anima ejus: quandò eum , quem toto corde diligebat: quem Creatorem, & Dominatorem eſſe omniũ rerum ſciebat,ſecum edentem ; ſecundum,quod volebat , dulci affatu docentem habebat , quis capiet ? Propterea ejus ſubtractio ſummè amara, & doloroſa fuit , ut dicere poſſit illud *Ruth.* 1. *Nè vocetis me Noemi* , ideſt , pulchra, *ſed vocate me Mara*,hoc eſt, amara ; *quia valde amaritudine replevit me Omnipotens* .

CAP. XIX.

De quatuor affectibus , ſeu paſsionibus , ſecundùm quas Beata Virgo ſummam amaritudinem paſsa eſt propter mortem Filii ſui .

1 SEcundò in mari eſt partium relictarum aduſtio.Solis quidem aduſtio ſignat urentem, & æſtuantem perfectionem,vel tribulationem, juxtà illud Prophetæ: *Per diem Sol non uret te . Pſal.* 120. In Beata autem Virgine præter illam amaritudinem,quę fuit per Filii ſui ſubtractionem, fuit maxima amaritudo, propter affectionum , ſeu paſſionum ſuarum aduſtionem. Videns enim ſuum unicum Filium, atque Dei unigenitum, tot, & tanta indignè pati , vehementi tribulationis æſtu interiùs percuſſa eſt, ac per conſequens multum aduſta,& ſic in immenſum amaricata .

Sed ut hoc apertiùs capiatur , affectus doloris , qui ſunt de morte amici, conſideremus . Siquidem quatuor affectiones , ſeu paſſiones ſunt , quæ mortem amici ſequuntur , ſecundùm quod exemplo ſui tradit Auguſtinus lib. 4. Confeſſionum . Prima eſt cordis contenebratio . Secunda , mortis repræſentatio . Tertia , affligentium animadverſio, ſeu conſideratio . Quarta , inter mortem , & vitam vacillatio . Et hæc quatuor convenienter aptantur Beatæ Virgini in Filii ſui morte , & paſſione.

§. I.

Quòd cor Virginis in morte Filii ſui miro modo contenebratum , & per conſequens amaricatum eſt .

2 PRima affectio , ſeu paſſio de morte amici, eſt cordis contenebratio, ſicut ait Auguſtinus , de ſocio ſuo mortuo . *Contenebratum eſt cor meum* . Si igitur hoc fuit in amore ſociali, quantò magis in amore maternali, naturali , gratuito, & ſociali . Siquidem Beata Virgo Filio ſuo per maternalem amorem unita fuit ; per naturalem amorem ei copulata fuit : per amorem gratuitum ſummè conjuncta fuit : per amorem ſocialem , ei per triginta annos ſociata fuit.

Quandò igitur proſpexit eum inter latrones ſuſpenſum, tot plagis laniatum , & perforatum , & jam morti vicinum , nunquid cor ejus non fuit obtenebratum ? Unde meritò dicere potuit illud propheticum : *Cor meum conturbatum eſt in me* . *Pſal.* 37. Sicut ſuprà dictum eſt . Proindè ubi fuit tanta cordis obtenebratio , maxima fuit amaritudo : ut meritò dicere poſſet illud *Thren.* 1. *ſubverſum eſt cor meum in memetipſa* , *quoniam amaritudine plena ſum* .

§. II.

Quòd de omnibus , quæ circa mortem Chriſti Beata Virgo videbat , ſummam amaritudinem ſentiebat .

3 SEcunda affectio , ſeu paſſio ſequens ex amici morte , eſt mortis repræſentatio : quicquid enim aſpicit circà morientem , & cauſam mortis ejus , qui de morte amici dolet , mors ſibi videtur , ſecundum Auguſtinum . In 4. Confeſſionum ait enim : *Quicquid enim aſpiciebam, mors erat* . Si igitur inter amicos , ubi tantum convictus communicatio eſt , ex hoc tanta eſt impreſſa mortis ſimilitudo : quantò magis fuit in Virgine benedicta , & dilecto ſuo Filio ; inter quos tanta individua , & quò ad ortum, & educatum, & famulatum, & amorem tenerrimum, amicitia convincitur extitiſſe : ut videlicet ſumma mortis impreſſio eſſet in ipsà ex his, quæ circà morientem cernebat ; ac per conſequens maxima cordis amaritudo : ut verè conveniat illi præcipuè lamentabilis vox *Eccli.* 41. *O mors , quàm amara eſt memoria tua !* Et illud 1. *Reg.* 15. *Siccinè ſeparat amara mors* .

§. III.

§. III.

Quod viſio, conſideratio, & recordatio eorum, quæ affligebant Chriſtum, in Virgine Maria maximam amaritudinem cauſabant.

4 TErtia paſſio, eſt affligentium inventio, ſeu conſideratio, aut recordatio. Quicquid enim meminerit, illi afflictio eſt. Undè Auguſtinus ubi ſuprà, ait: *Et erat mihi patria ſupplicium, & paterna domus mira infelicitas: & quicquid cum illo comederam, ſinè illo in cruciatum vertebatur.* Quod ſi in dilectione puri hominis hoc fuit: quantò magis in dilectione Dei, & hominis: & non tantùm ſocii, ſed unigeniti hoc fuit? Nam quicquid occurrebat conſpectui glorioſæ Virginis, afflictio, & cruciatus fuit, & maximè quandò tam amicum filium mortuum tantà crudelitate conſpexit. Si enim *Rachel plorans filios ſuos noluit conſolari*, ut dicitur *Matth.* 2. quantò magis nec Maria Vigo. Unde Chriſto aſcendente in Crucem, dici poterat ei illud *Ierem.* 6. *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.*

§. IV.

Quòd tantus erat amor Beatæ Virginis ad Filium, quòd infinitiès prò eo mori voluiſſet.

5 QUarta paſſio, eſt inter mortem, & vitam vacillatio: ait enim Auguſtinus in eodem 4. Confeſſionum. *Neſcio, an vellem prò illo, ſicut de Oreſte, & Pilade traditur: vel vellem prò invicem, vel ſimul mori; quia morte peius erat non ſimul vivere.* Iſte quidem modus amantium eſt velle prò invicem mori. Nec dubium hoc erat amoris in Virgine benedicta, ut infinitiès ſi fieri potuiſſet, ſe morti prò Filio tradidiſſet. Si enim hoc voluit David prò filio ſuo: quantò magis hæc prò ſuo: ut magis conveniat ei vox illa 2. *Reg.* 18. *Quis mihi det, ut ego moriar prò te, fili mi?* Quippè quaſi animam ſuam diligebat eum.

6 Quæſtio. Cur ergò non eſt mortua Beata Virgo, ſi tanto dolore repleta fuit? Siquidem hoc audivimus de uxore Phinees 1. *Reg.* 4. quòd in captione Arcæ, & viri ſui morte, præ dolore mortua eſt. Ad hoc reſpondet Anſelmus, quòd mortua fuiſſet, ſi Spiritus Sanctus eam non confortaſſet. Undè ait. Pia Domina, non crediderim te ullo puncto potuiſſe ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere: niſi ipſe Spiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, Spiritus dulcedinis filii tui, prò quo moriente tantopere torquebaris, te confortaret, te conſolaretur, te intus doceret non eſſe mortem eum aſſumentem, ſed magis triumphum, omnia ei ſubiicientem, quod in ipſo fieri coram te moribunda videbas. Patet igitur, quantos affectus mors Filii in Maria habebat, quæ tot amaritudinibus eam replebat. Vnde figurata eſt per Sunamitem 4. *Reg.* 4. de qua mortuo filio Eliſæus dicit: *Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine eſt.*

CAP. XX.

De quatuor, quæ invicem miſcebantur, ex quibus in Virgine cauſabatur maxima amaritudo.

1 TErtiò, in mari eſt aduſtarum partium adinvicem permixtio. Sic & in paſſione Domini ex permixtione cauſarum doloris in Beata Virgine amaritudo maxima cauſabatur. Quatuor fuerunt, ex quibus quaſi quadam permixtione cauſabatur in Beata Virgine maxima amaritudo, vel immenſa.

Primò ea, quæ vidit in Filio.

Secundò ea, quæ vidit circà Filium in amicis fugientibus.

Tertiò ea, quæ vidit circà Filium in inimicis perſequentibus.

Quartò ea, quæ conſiderabat in occurrentibus, quaſi fuerunt in ea aſpectus commixti.

Primus, reſpectu Filii: Secundus, reſpectu amici: Tertius, reſpectu inimici: Quartus, reſpectu ſui.

§. I.

Multa ſtupenda, quæ videbat in Filio, cauſa fuerunt in Virgine amaritudinis ſummæ.

2 PRimò quidem fuerunt cauſa amaritudinis, & doloris in Virgine ea, quæ vidit in Filio. Vidit quippè in eo pretium mundi, pretio vili diſtractum: Fortitudinem Sanctorum in agonià factam: Specioſum formà prę filiis hominum, ſudorē ſanguineum profundētem: Dominum Mundi ut latronem comprehenſum. Virtutem Cœlorum arctioribus vinculis conſtrictam: Columnas cœli contremiſcere facientem, ad columnam vinctum: orbis Conditorem, ictibus lividum: in cujus manu vita, & mors, flagellis diruptum, & laniatum: Judicem ſeculi coram impiis, ut judicetur, adductum. In Cœlis glorificatum, & honoratum, à ſceleſtiſſimis ſpretum: Cœlorum Regem à ſceleratis illuſum: Caput omnium Principum, ac Poteſtatum arundine percuſſum, & ſic rivulis ſanguineis cruentatum, ſpinis coronatum: & tandem injuſto judicio morti adjudicatum.

3 Vidit ſummam altitudinem abiectam vilitate, ſummas delicias afflictas pœnalitate, ſummam opulentiam circumdatam paupertate, ſummam lucem obſcuratam tenebris: ſummum honorem confuſum opprobriis: ſummum Amabile afflictum improperiis. Vidit inſuper, quòd candet nudatum pectus: rubet cruentatum latus. Quòd tenſa arent viſcera: quòd decora languent lumina: quòd regia pallent ora: quòd procera rigent brachia: quòd crura pendent marmorea: quòd rigat terebratos pedes beati ſanguinis unda. Verè igitur in amaritudine erat anima Mariæ ſpectans hæc, & contemplans omnia, ut dicere poſſit illud *Thren.* 3. *Replevit me amaritudinibus, & inebriavit me abſinthio.*

§. II.

Quòd magnam amaritudinem præſtiterunt Beatæ Virgini ea, quæ vidit in diſcipulis, & amicis Chriſti, tempore paſſionis eius.

4 SEcundò quidem fuerunt cauſa doloris, & amaritudinis in Virgine ea, quæ vidit circà Filium ſuum in amicis fugientibus, quando ſcilicet diſcipuli, Petrus, & alii in Apoſtolatum electi, ſecretorum eius conſcii, atque familiares in cunctis effecti, inſtante paſſionis horà fugam iniecerunt: & eum, pro quo paulò ante ſe mori ſpoponderant, ſolum cum Matre ſolà reliquerunt. Proindè inducit eam Anſelmus ſic loquentem. *Vadis Propitiator ad immolandum pro omnibus: non tibi occurrit Petrus, qui dixit: Pro te moriar: relinquit Thomas, qui ait: Cum eo omnes moriamur: & nullus ex his, niſi tu ſolus duceris, qui me caſtam conſervaſti, Filius meus.*

5 Sed dices: quòd ei magnum ſolatium fuit, quòd Joannes recepit eam in matrem. Sed quæ in hoc conſolatio, ubi æterni pro temporali eſt commutatio? O commutatio deploranda! Pro æterno, & incommutabili Deo, purum, & corruptibilem hominem: pro naturali, & unico Filio, alium accepit in filium. O Domina; qui, precor, cogitatus in te ſuccedebant, quando tam ineffabilem commutationem ab ipſo, quem ſuper omnia diligebas, tibi fieri audiebas? Verè pertranſivit animam tuam gladius tanti doloris. Cogita ergo, quanta fuit amaritudo in corde Virginis benedictæ.

§. III.

Quòd magnam amaritudinem Beatæ Virgini præſtiterunt ea, quæ vidit fieri à perſequentibus Chriſtum.

6 TErtiò verò cauſa fuerunt amaritudinis, & doloris in Virgine ea, quæ vidit circà Filium in inimicis perſequentibus. Magna profectò fuit in Virgine amaritudo, quando impios Judæos vidit malignis minis unicum Filium ſuum impetentes, nefandiſſimis contumeliis afficientes, in quem deſiderant Angeli proſpicere, alapis cedentes, immundiſſimis ſordibus conſpuentes, ligantes, flagellantes, beatos oculos velantes, & impiiſſimis verbis illudentes, ſpineà coronà coronantes, crucifigentes, manus, & pedes perforantes, inter latrones ſuſpendentes; & hoc in ſolemni die, in regià Civitate, in communi frequentià populorum, & in loco damnatorum. Intuebatur, quod erat inter eiulatus vicinorum, quod inter lamenta propinquorum, quod inter opprobria exprobrantium, quod inter inſultationes invidentium, quod inter irriſiones illudentium, quod inter oblocutiones maledicentium.

§. IV.

Quòd quià Beata Virgo paſſioni Filii præſens erat, nec illum poterat adjuvare, aut ei modo aliquo ſubvenire, ideò maximè cruciabatur.

7 QUartò inſuper fuerunt cauſa amaritudinis, & doloris in Virgine ea, quæ conſiderabat in occurrentibus, ſcilicet in paſſione. Tria profectò in tunc occurrentibus maximè conſiderabat, quæ ſibi augmentabant amaritudinem, & dolorem. Primum erat præſentia. Secundum, impotentia. Tertium erat neſcientia.

8 Primum erat præſentia: quia ſcilicet erat præſens ad videndum; eò quod ſub oculis eius Filium ſuum crucifigi, & lacerari videbat. Multum ſiquidem dolet Mater, quandò audit morte horribili filium ſuum mori: ſed maximè cruciatur, quandò antè oculos ſuos videt filium ſuum vulnerari, atque occidi. Quanto ergò dolore Virgo benedicta cruciabatur, quandò videbat Filium ſuum mortuum, tantà confuſione, & cruciatu, & antè oculos ſuos.

9 Secundum erat impotentia, quia ſcilicet impotens erat ad adjuvandum. Magna conſolatio eſt Matri, quandò aſſiſtit filio morienti, & in aliquo poteſt ſubvenire illi. Sed Virgo Beata in nullo poterat ſubvenire Filio ſuo. Audiebat illum ſitire, nec poterat ei porrigere potum. Videbat corpus eius vulneribus laceratum, nec poterat vulnera eius alligare, & aliquod remedium adhibere. Cernebat corpus illius cruentatum, nec poterat linteo abſtergere, & providere. Conſiderabat ipſum malè tenere caput, & illud non poterat ſuſtentare. Conſpiciebat eum in Cruce flentem, & lacrymas eius tergere non valebat. Proſpiciebat ſanguinem eius in terram fluentem, & illum recolligere non poterat. Contemplatur ipſum animam expirantem, & illum non poterat oſculari, & amplexari. Proindè dicere poterat illud, quod dicitur 1. *Reg.* 1. *Mulier infelix nimis ego ſum.*

10 Tertium erat neſcientia: quia ſcilicet inſcia erat ad auxilium, vel conſilium poſtulandum. Omnes quippè diſcipuli fugerant, nullumque in tanta tribulatione, ipſa, & Filius ejus, auxiliatorem invenit. Unde in perſona Domini, vel Virginis, Eccleſiaſticus 51. *c.* ait: *Reſpiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat.* Nullumque habuit compatientem: & de hoc etiam in perſonà Domini, Propheta ait: *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit. Pſal.* 68. Et quod admirabiliùs eſt, nullum habuit conſolantem. Ideò ſequitur: *Et qui conſolaretur, & non inveni.* Nullum inſuper habuit aſſociantem. Undè Job. 19. *c.* in perſonà inquit: *Dereliquerunt me propinqui mei, & qui noverunt me, obliti ſunt mei.* Et iterum Propheta etiam in perſonà ſtupentis Chriſti ad Patrem ait *Pſal.* 87. *Elongaſti*, ideſt, elongari permiſiſti, ò Pater, *à me amicum, & proximum, & notos meos à miſeria*: ut ſit interiectio dolentis, vel admirantis; vel *à miſerià*, ſcilicet amicus, & proximus elongati ſunt à me.

11 Quandò igitur Beata Virgo Maria hæc

omnia

omnia perſpexit, & apud ſe de omnibus iſtis contulit, nunquid non ſummam amaritudinem habuit? Verè igitur *amarum mare Maria*, in quo tot fluctus, & flumina amariſſima intraverunt. Singula quidem circunſtantia paſſionis quaſi flumen ſingulum eſt doloris, & per conſequens amaritudinis. Propterea ad eam meritò dici poteſt illud *Thren. 2. Magna velut mare contritio tua*. Et hoc mare per impatientiam non redundabat, ſed omnia iſta flumina in ſe per ſuſtinentiam abſorbebat, ſicut *Eccli.* 1. myſticè ſcriptum eſt. *Omnia flumina intrant in mare*, ideſt, in *Mariam*: *& mare non redundat*, ſcilicet per impatientiam: redundat tamen in nos per eam mare largitatis divinæ, quia de plenitudine eius accepimus omnes in præſenti gratiam, & gloriam in futuro, quam nobis miſericorditer largiatur dulciſſimus, & dilectiſſimus Filius eius, qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto gloria eſt omnium beatorum, per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

12 Senenſis Seraphim ſermonem de Paſſione Matris, & Filii conſcripſi, & utriuſque dolorum Iliadem, duplex nimirum afflictionis, & amaritudinis amariſſimum mare, ut ſi quandò has paginas aliquem legere contingat, occaſionem habeat, undè de ſuis peccatis amaricetur, cùm viderit innocentiſſimas Filii, & Matris animas, in quibus nullus dolus, neque error peccati inventus eſt, tot pœnarum acerbitates prò alienis ſuſtinuiſſe peccatis. An ille, cujus viſcera contritione ſuper hæc non moverentur, potiùs lapis, aut marpeſia cautes, quam homo dicendus eſſet? Lapideum profectò in pectore cor, vel fortè duriùs ſaxo, probaretur habere, qui poſt tot divini Amoris argumenta, ad pœnitentiam non molleſceret, nec vel unam ſaltem doloris, & compaſſionis lachrymam acerbiſſimo mari paſſionis Chriſti deferret. Animæ autem Contemplativæ habere poſſunt, undè dulci, & amaricato paſſionum Chriſti melle tanquam piæ paſcantur apes, vel de amaritudinibus illis melleum, & ſuaviſſimum condant in alveario cordis devotionis favum.

CAP. XXI.

Quid ſit, quod Maria *interpretatur* Domina.

1 AD ultimam Parthenii Nominis interpretationem pervenimus, quæ quandam dominii denotat excellentiam. Eſt tamen ratio interpretationis inveſtiganda, quam paucis verbis, ejuſque derivationem eruditiſſimus Caramuel in oratione Anagrammaticà de *Mariæ* Nomine, perſtringit ex Grammaticæ Hębraicæ fonte petitam. Inquit ergò: quod *Maria* eſt Nomen *Dominans*. Sed, quare? Reſpondet. Quia eandem vocalem quam Hebræi vocant *Cametz*, ab aliis profertur ut *A*, & ab aliis ut *O*, quod etiam Syri obſervant: Orientalioribus enim clarior prolatio placet, & Occidentalioribus obſcurior. Ab ipſis igitur ſcribitur; legitur *Morio*, vel *Maria*, & exponitur *Dominans*. Hinc jam intelligi poterit S. Petrus Chryſologus, qui ait: *Maria* Latinè *Domina* nuncupatur, vocat ergò Angelus *Dominam*, ut *Dominatoris* Genitricem trepidatio deſerat ſervitutis.

Ad morale deindè ſubiungit eruditionem, & dicit. An dominari volam, qui poterò Mariæ ſubeſſe? Immò gliſcit animus utrunque facere: nam *Mariæ* ſervire, regnare eſt; ipſa enim nihil aliud nobis, ſervis ſuis præcipit, quam quod ſimus actuum noſtrorum Domini; nolimus ſervire, & obedire peccato; & paſſionibus omnibus, ab iraſcibili, & concupiſcibili ſubortis, dominemur. Hæc ille.

2 Verùm altiori adhuc indagine perſcrutandum eſt: Cur *Maria*, *Dominans*, vel *Domina* interpretatur. Profundam ſanè radicem Dominationis, ſivè Dominii à *Mariæ* Nomine in *Mariam* derivati detexit Albertus Magnus *lib.* 1. *de laudib.* B. Mariæ *c.* 3. cum quæreret, quarè *Maria* Sermone Syriaco *Domina* interpretetur. Nam inquit: *Domina* propriè in Filii oblatione, quandò ipſum præſentavit in templo, ubi totus conveniebat mundus, quaſi totum mundum volens de ipſo mittere in ſeipſam. Quod adhuc etiam deſignat eius Imago Filium tenens, quaſi ad dandum illum. Item *Domina*, ſicut dicit Damaſcenus *lib.* 4. *c.* 15. *Anna* genuit *Mariam*: ideſt, *Gratià*, *Dominam*. *Maria* enim omnium Creaturarum facta eſt *Domina*, Creatoris omnium Mater exiſtens.

3 Inventà igitur radice, meritò ratione Dominii *Maria* dicitur *Dominatrix*, vel *Domina*. Undè videamus Patrum amplificationes, quas de hoc Virginis Beatæ dominio faciunt, quæ licet circà eandem materiam verſentur, tamen in modo explicandi eas ſunt varii, & diverſi; & ideò abſque timore circulum committendi vitioſum, illas referemus. Bartholomæus itaque de Piſis *lib.* 1. *de laudib.* B. Virginis fructu 8. *Domina*, inquit, dicitur iuxtà ſui nominis interpretationem, *Maria*. Et meritò: quia Domina mundi; vicit enim ipſum, abhorrendo, relinquendo, deſpiciendo, & contemnendo; quarè & Domina eius. Eſt etiam Domina Angelorum, quos puritate, meritis excellit, & gratià. Quos obſequentes habet, in cunctis reverentes, ſuà glorià gaudentes, miſeratione ad homines, & ipſorum ab ea illuminatione. Eſt Domina Apoſtolorum, Chriſti imitatione pręcipuà, & perfectà. Eſt Domina Martyrum. Ipſi in carne paſſi; Marià, quia in mente paſſa iuxtà dictum Simeonis, ideò pluſquam Martyr, ut dicit Hieronymus, dici poteſt. Eſt Domina Confeſſorum, vitæ auſteritate, paupertate, & Sanctitate, quibus præ omnibus refulſit. Eſt Domina Doctorum, verba Chriſti præ cunctis conſervando corde, & ore prædicando. Eſt Domina Sanctarum Virginum, quia Virgo fuit, & Mater, quod nulla alia unquam fuit. Eſt Domina hominum, quorum oculi ſunt ad ipſam, ut ancillæ ad Dominam. Ipſa enim omnes homines excellit gratià, meritis, acceptatione, altitudine, & glorià. Eſt Domina dæmonum, quos ſuis vicit virtutibus, ſuppeditat potentià, arctat, & cogit virtute, confundit, & deſtruit, eorum reprimendo malitiam, & ab eorum manibus animas fidelium potenter eripiendo, & liberando: Et ſic Beata *Maria* ſuarum ratione virtutum, & meritorum, gratiæ, & gloriæ, Cœli, & terræ Domina poteſt

teſt veraciter nuncupari. Hactenus ille.

4 Quid Iacobus de Voragine? Audiatur *ſerm.* 89. de B. Virgine. *Maria*, inquit, dicitur *Domina*. Eius autem dominium tantum eſt, quod illud quod dicitur de Filio, poteſt dici de Matre. *Philip.* 2. *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Nam flectunt ſibi genua ipſi Angeli, qui ipſam venerantur, & adorant. Ipſe etiam Filius veneratur eam, & laudat. *Prov.* 31. *Surrexerunt filii*, ideſt, omnes Angeli, & omnes Beati, *& Beatam prædicaverunt eam*, *& vir eius*, ideſt, Chriſtus *laudavit eam*. Secundò, flectunt ſibi genua omnia terreſtria, ideſt, omnes generationes, & quæ præceſſerunt, & quæ venturæ ſunt. *Luc.* 1. *Eccè enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Tertiò, flectunt ſibi genua infernalia, ideſt dęmones, qui velint, nolint, eam adorant, & ad eius nominationem pavent, & tremunt. Nam ſicut dicitur *Cant.* 6. Ipſa eſt *terribilis* eis, *ut caſtrorum acies ordinata*. Undè dicit Sanctus Gerardus Epiſcopus, & Martyr. Invitè quoque Infernus Beatæ Mariæ ululat, & procaciſſimi dæmonis clamant.

5 Pulcherrimè quoque Bonaventura in ſpeculo Virginis *c.* 3. eius deſcribit Dominium, dicens. Conſiderandum eſt quod *Maria* interpretatur *Domina*. Hoc quoque optimè competit tantæ Imperatrici, quæ revera Domina eſt cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Domina, inquam, Angelorum, Domina hominum, Domina dæmonum, Domina utriuſque in Cœlo, Domina in mundo, Domina in inferno.

Primò conſidera chariſſime, quod *Maria* eſt Domina Angelorum: ipſa enim ſignata eſt in Domina Eſther Reginà, de quà legitur, quod *ſuper unam famulam ſuam deliciosè innitebatur*, *altera autem famularum ſequebatur Dominam*, *defluentia in humum veſtimenta ſuſtentans*. *Eſther* 15. Per Dominam Eſther Reginam intellige Mariam Reginam: duæ famulæ, quarum Domina eſt Regina *Mariæ*, ſunt Angelica, & humana Creatura. O quantum gaudendum eſt nobis miſeris hominibus, quod Angeli Dominum, & Dominam habent ex hominibus. Veriſſimè enim Angelorum Domina eſt *Maria*. Undè Auguſtinus ipſam alloquens, ait. Si te Cœlum vocem, altior es, ſi Matrem gentium dicam, præcedis: ſi Dominam Angelorum nominem, per omnia te eſſe comprobaris: ſi formam Dei appellem, digna exiſtis.

6 Anima verò humana eſt famula, quæ ſequitur Dominam ſuam *Mariam* in mundo. Sequitur certè, colligens veſtimenta Dominæ: ſcilicet colligens virtutes, & exempla *Mariæ*. Intelligentia verò Angelica, eſt famula, ſuper quam Domina ſua *Maria* innititur in Cœlo. Innititur certè, tanquàm familiariſſima ſe Angelis ſociando innititur etiam, tanquam delicatiſſima in Angelis deliciando: innititur quoque tanquam pleniſſima, ſe cum ſuà plenitudine Angelis communicando: innititur inſuper, tanquàm potentiſſima Angelis imperando. Omnibus enim Angelis Maria innititur ſuo imperio. Undè Auguſtinus ait. Michael Dux, & Princeps militiæ cœleſtis cum omnibus Spiritibus adminiſtratoriis, tuis Virgo paret præceptis, in defendendis in corpore, & in ſuſcipiendis de corpore animabus fidelium, ſpecialiter tibi, Domina, & die, ac nocte ſe tibi commendantium. Vides modò, quomodò *Maria* eſt Domina Angelorum in Cœlo.

7 Secundò conſidera chariſſime, quod *Maria* eſt Domina hominum in mundo. De hac Domina in *Pſal.* 122. dicitur: *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, &c.* Ancilla Dominæ *Mariæ* eſt quęlibet anima fidelis, immò etiam Eccleſia univerſalis. Oculi hujus ancillæ in manibus Domine ſuę ſemper debent eſſe: quia oculi Eccleſiæ, oculi omnium noſtrum ad manus Mariæ ſemper debent reſpicere, ut per manus eius aliquid boni accipiamus, & per manus eius quicquid boni agimus, Domino offeramus. Per manus enim hujus Dominæ habemus, quicquid boni poſſidemus, teſte beato Bernardo, qui ait: Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret. Per manus quoque hujus Dominæ offerre Deo debemus, quicquid boni egerimus, quemadmodum beatus Bernardus hortatur, dicens: Modicum illud, quod offerre deſideras, gratiſſimis illis, & omni acceptione digniſſimis *Mariæ* manibus tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam.

8 Benè nobis, chariſſimi, benè nobis, quod talem Dominam habemus, quę manus tam liberales habet ad nos, & tàm prępotens eſt apud Filium ſuper nos, ut ſecuri ad ipſam confugere poſſimus omnes nos. Undè devotiſſimus Anſelmus ait. Domina magna, cui gratias agit concio lęta iuſtorum, ad quam territa fugit turba reorum: ad te, præpotens, & miſericors Domina, ego peccator anxius confugio. Vides modò, quomodò *Maria* eſt Domina Angelorum in Cœlo: vides ſecundò, quomodo *Maria* eſt Domina hominum in mundo.

9 Tertiò conſidera chariſſime, quomodò *Maria* eſt Domina dęmonum in inferno, tàm potenter eis dominans etiam, ut de ipſa accipi poſſit illud *Pſal.* 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus, &c.* Virga virtutis eſt Virgo *Maria*. Ipſa eſt virga Aaron, florida per virginitatem, & fructifera per fœcunditatem. Ipſa quoque eſt virga, de quà dicitur *Eſa.* 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe.* Hęc virga Virgo *Maria*, virga virtutis eſt contrà inimicos infernales, quibus magnà virtute dominatur: & ideò Domina tam magna, tam magnæ virtutis, meritò à nobis amatur, meritò à nobis laudatur, & meritò à nobis exoratur, ut nos contra inimicos iſtos tueatur. Exemplum dat nobis Anſelmus, qui tantam Dominam alloquens, ait. Te, Domina magna, & valdè magna, Te vult cor meum amare. Te cupit os meum laudare: Te deſiderat venerari mens mea. Te affectat exorare anima mea; quia tuitioni Tuę ſe commendat tota ſubſtantia mea. Sic ergò vides, quomodò Maria eſt Domina Angelorum in Cœlo, Domina hominum in mundo, & Domina dęmonum in inferno.

10 Prę cęteris autem meo iudicio Bernardus Senenſis *Serm.* de Nomine *Mariæ* excellit in deſcriptione dominii, quod habet Beata Virgo: & hoc ex duplici capite: Primò quidem ex magnitudine, & amplitudine, ad quam extenditur dominium Virginis: & Secundò ex multitudine ſervorum, qui eius dominio ſubijciuntur. De extenſione igitur do-

dominii Beatæ Virginis inquit Senenſis. Conſideremus dominii Virginis magnitudinem. Siquidem tantò maior eſt Dominus, quantò maiùs dominium habet. De magnitudine dominii illius in Perſona eius *Eccleſiaſticus* 24. *c.* ait. *Gyrum Cœli circuivi ſola, & profundum abyſſi penetravi, & in fluctibus maris ambulavi, & in omni terrà ſteti, & in omni populo, & in omni Gente primatum habui.* In quibus verbis exprimit magnitudinem dominii ſui; videlicet quia dominatur in quatuor regnis, Primò in Cœlo. Secundò in inferno. Tertiò in Purgatorio. Quartò in Mundo.

11 Primò enim inquit, quod dominatur in regno Cœli, propreà dicit: *Gyrum Cœli circuivi ſola.* Ipſa quippe tanquàm Domina Cœlorum, Cœlum circuivit, & ubique principatum eius accepit: vel dicitur circuire gyrum Cœli, quia omnes Sanctos circuit, atque gyrat, & ſuperat in gloria ſempiternà: eſt enim Mater Dei. Maius eſt enim, quod ipſa ſit Mater Dei, quam quod ſit Domina creaturarum Dei. Hoc enim dependet ab illo, ſicut ramus à radice ſuà.

Proindè certitudinaliter tenendum eſt, quod ipſa ſit ſuper omnem puram creaturam in glorià exaltata, tanquam per ſe implens, & continens unum integrum, & totalem ſtatum, cui ſecundùm rectam rationem altera perſona congruè non poteſt addi, quia ipſe ſtatus ex ſui ratione propter dignitatem incommunicabilem exigit unitatem. Sicut enim nullatenùs decet plures eſſe Chriſtos, nec Deum plures homines eſſe: ſic nullatenùs decet Dei Filium, niſi unam ſolam Matrem naturalem habere. Sed ratio naturalis ex gratuita lege apertè oſtendit, atque directè dictat, quod Mater Regis omnium eſt in ſede regià ſuper omnes miniſtrorum ordines collocanda.

12 Proindè quia eſt electa in matrem, eſt electa ad dignitatem tranſcendentem omnem dignitatem miniſtrorum, & famulorũ: quia ratio materni amoris eius, qui fertur in Deum, ut in Filium ſuum realem, à nullo alio affectu cujuſcumque, qui non eſt realiter Mater Dei præter quàm ab illà unquam participari poteſt. Prætereà anima Chriſti, & Chriſtus inquantùm homo, tranſcendit omnem ordinem naturæ creatæ. Gradus enim Matris conformis eſt ipſi homini Chriſto: cujus humanatio intantùm tranſcendit totum ordinem primæ conditionis, quod omninò eſt extra, & ſupra integritatem ordinis Univerſi: propterea non potuit contineri ab Univerſo.

Sed dignitas Maternitatis Dei ſic operi Incarnationis connexa eſt, quod omninò aliter non potuit dari. Undè Eccleſia ad Virginem ait: *Quia quem Cœli capere non poterant*, tuo gremio contuliſti. Meritò ergò ait Beata Virgo: *Gyrum Cœli circuivi ſola.* Ex hoc enim Bernardus in quodam ſermone exclamans, ait. O venter capacior Cœlis, diffuſior terris, latior elementis, qui illum continere valuit, quem totus mundus comprehendere non potuit: & qui *tribus digitis molem terræ appendit. Eſa.*40. Magnum eſt ergò dominium eius, ut meritò per antonomaſiam *Domina* nominetur.

13 Secundò dicit, quod dominatur in regno inferni: propterea inquit: *Et profundum abyſſi penetravi.* Non enim tantùm dominatur dæmonibus, qui ſunt in ſuperficie ipſius inferni, nec inſuper tantùm mediocribus, qui quaſi ſunt in medio: ſed inſuper, & maximè qui ſunt quaſi in profundo; propterea non ait: *Penetravi ſuperficiem, ſeu medium, ſed profundum abyſſi.* Meritò ergò competit ei etymologia hujus nominis; ſecundùm enim Catholicon, & Papiam, *Dominus*, vel *Domina* dicitur quaſi *Domans manus*: quia ipſa domat dæmonum manus, & poteſtates.

Proindè *Geneſ.* 3. *c.* myſticè dæmoni dictum eſt: *Ipſa conteret caput tuum.* Et ipſa *Eccli.* 24. *c.* ait: *Omnium excellentium, & humilium*, alias *ſublimium*, colle *propria virtute calcavi.* Sicut enim ſerpens vicit humanum genus mediante peccato Evæ inclinante Adam ad vetitum cibum; Conſummatio verò fuit in eſu Adæ: Sic per meritum Virginis inclinantis ſe ad Deum, ut aſſumeret carnem noſtram inchoata eſt conculcatio Satanæ, & reparatio noſtra: & per Deum incarnatum conſummata eſt.

Proindè myſticè *Apocal.* 12. *c.* dicitur, *Mulier amicta Sole*, ideſt, veritate ſolari, ſapientia, & charitate Chriſti: *habens ſub pedibus Lunam*, ideſt, temporalia, & creata: *& ſtans in Cœlo*, ideſt, in ſupercœleſtibus mente, & contemplatione ſtabiliter fixa: *habens in utero*, ideſt, in viſcerali, & maternali affectu Filium Dei, & totum myſticum Chriſtum: hoc eſt, caput cum toto corpore electorum. Atque triumphat de dracone rufo habente capita ſeptem, & cornua decem: ideſt triumphat de diabolo, qui principium eſt omnis virulentæ malitiæ. Nam omnia capitalia vitia, & univerſa prævaricatio præceptorum Dei ex eo initium ſumpſit.

14 Tertiò ſubdit, quod in regno Purgatorii dominium tenet; propterea inquit: *Et in fluctibus maris ambulavi.* Pœna ſiquidem Purgatorii, ideò dicitur *fluctus*, quia tranſitoria eſt: ſed additur *maris*, quia nimiùm eſt amara. Undè 25. *diſt. c. Qui in aliud ſeculum diſtulit fructum converſionis, priùs purgabitur igne purgationis.* Hic ignis, *& ſi non ſit æternus, miro tamen modo gravis eſt. Superat enim omnem pœnam, quam unquam paſſus eſt aliquis in hac vità, vel pati poteſt.* Idem quoque ponitur *de pœniten. diſt. ult. in fine*, ubi etiam ſubinfertur. *Nunquàm in carne inventa eſt tanta pœna: licet mirabilia Martyres paſſi ſint tormenta*, & multi nequam quanta ſæpe ſuſtinuerunt ſupplicia. Et ab iis tormentis liberat Beata Virgo, maximè devotos ſuos. Et hoc eſt, quod ait: E*t in fluctibus maris ambulavi*, ſcilicet viſitans, & ſubveniens neceſſitatibus, & tormentis devotorum meorum: immò, & omnium, qui ibi exiſtunt, quia filii eius ſunt, cum ſint filii gratiæ, & in gratia confirmati, atque de gloria certificati.

15 Quartò ſubdit, quod dominatur in regno mundi. Et de hoc inquit: *In omni terrà ſteti, & in omni populo, & in omni Gente primatum habui.* Tria genera hominum in regno mundi reperiuntur. Primi ſunt carnales: Secundi ſunt ſpirituales: Tertii ſunt animales. Seu primi ſunt timentes: ſecundi ferventes: tertii negligentes. Seu quidam ſunt mali: quidam tepidi.

Primò dominatur malis, & terrenis, qui terrena ſapiunt, eos ad pœnitentiam reducendo; ideò in-

inquit: *In omni terra ſteti*: quia inter peccatores, qui terra, ſeu terreni ſunt, non jacet, neque ſedet, ſed erecta ſtat, ipſos adjuvando, protegendo, & à vitiis retrahendo, &c.

Secundò dominatur bonis, eos in gratia multiplicando, & conſervando. Propterea ſubdit: *Et in omni populo. Populus* enim dicitur à *Polis*, quod eſt *Civitas. Eſt* enim ſecundum Catholicon, *populus, humanæ multitudinis cœtus, jure, conſenſu, & concordi communione ſociatus.* Et ſignificat bonos, in quibus eſt unio voluntatum. In iis Beata Virgo primatum tenet, atque eos in Dei gratia fovet.

Tertiò dominatur tepidis, eos in charitatis fervore proficere faciendo: propterea ſubdit: *Et in omni Gente primatum habui. Gens* dicitur *à gigno gignis*: quia ſunt, ſicut geniti extiterunt: per baptiſmum ſiquidem generatur homo. Undè 1. *Corinth.* 4. Apoſtolus Corinthiis ait: *In Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui.* Sunt profectò homines quidam, qui in nullo bono proficiunt, & nullam virtutem apprehendunt: ſed ſicut geniti ſunt, non in innocentia, ſed in negligentià, & deſidia vivunt. Tali enim *Apocal.* 3. *c.* Domino dictum eſt: *Vtinam calidus eſſes, aut frigidus: calidus*, ſcilicet per amorem: *aut frigidus*, ſcilicet per timorem: *ſed quia tepidus es*, id eſt, à bono opere torpens, neque calidus, neque frigidus, id eſt, neque diligens, neque timens, ſcilicet tanquam infans nuper baptizatus, *incipiam te evomere ex ore meo*: quia tales divino judicio abominabiles fiunt Deo, & mundo. In talibus B. Virgo primatum habet, quia eos ad amorem, aut ad timorem ſolicitat, & inducit.

16 De multiplicatione autem dominii, quod reſultat ex multitudine, & numero ſervorum, famulorum, ſubditorum, quod habet ampliſſimum B. Virgo, ſic loquitur Senenſis. Cõſideremus dominii Virginis multitudinem. Quippè quò major eſt ſervorũ multiplicatio, eò excellentior eſt dominatio. Multos equidem *Maria* habet ſubditos, quibus magnificè dominatur. Et hi in quatuor genera diſtingui poſſunt. Primi ſunt ſervi. Secundi, ſunt amici. Tertii ſunt filii. Quarti verò ſunt inimici. Prò quo *Cant.* 6. myſticè ſcriptum eſt. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.*

17 Primò dominatur ſervis, id eſt, ad Dominum de novo converſis: & in hoc eſt quaſi *Aurora cõſurgens*, effugans, atque expellens ab eis omnes tenebras præteritę culpę, & afferens lucem gratificantis gratiæ. Proindè *Cant.* 4. in die Aſſumptionis B. Virginis, à Domino dictum eſt ei: *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, & de montibus Pardorum.* Ait enim: *Veni de Libano. Libanus* enim *candidatio* interpretatur: & ſignificat mundum, propter candorem vanitatis ſuę. Unde *Eſa.* 10. de mundi vanitate inquit: *Libanus cum excelſis cadet.* Et *Nahum.* 1. *Flos Libani elanguit.*

18 Et gloriam de converſione peccatorum ei promittens, nominat diverſos Paleſtinę montes, per quos converſi de ſceleribus merito B. Virginis ſignificantur. Undè ait: *Coronaberis de capite Amana*, &c. *Amana* enim interpretatur *coanguſtatio opprimens*: & ſignificat per violentiam animorum oppreſſores. *Sanir* interpretatur *nocturna avis*: & ſignificat per ignorantiam offendere. *Hermon* interpretatur *anathema mœroris*, vel *triſtitiæ*: & ſignificat omnes offendentes per proſperitatem, atque delicias. Per cubilia Leonum intelliguntur raptores, atque violenti. Per montes verò Pardorum, deceptores, proditores, & fraudulenti ſignificantur. Pardus enim maculoſum animal eſt, habens multas maculas varii coloris in pelle ſua. Proindè meritò antedicti ſignificantur.

19 Secundò dominatur amicis, id eſt, ſpiritualibus, & devotis: & in hoc eſt *pulchra ut Luna*: quià diſpenſat eis divinæ ſapientiæ lucem, & cœleſtis gratiæ rorem. Undè Bernardus ait: Nulla gratia venit de Cœlo ad terram, niſi tranſeat per manus *Mariæ.* Hinc Hieronymus in ſerm. de Aſſumptione ait: In Chriſto fuit plenitudo gratiæ, ſicut in capite influente; in *Maria* verò ſicut in collo transfundente. Propterea *Cant.* 7. de Virgine ad Chriſtum Salomon inquit: *Collum tuum ſicut turris eburnea.* Nam ſicut per collum ſpiritus vitales à capite diffunduntur per corpus: ſic per Virginem à capite Chriſto vitales gratiæ in ejus myſticum corpus, & ſpecialiùs in amicos, atque devotos continuè transfunduntur.

Undè iſte hierarchicus ordo, & defluxus Cœleſtium gratiarum, ut priùs à Deo defluat in Chriſti animam benedictam: quia ut dicitur *Iacob.* 1. *Omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Deindè defluat in animam Virginis; indè in Seraphin, deindè in Cherubin: & ſic ſucceſſivè in alios ordines Angelorum, atque Sanctorum: demum in Eccleſiam militantem, & maximè in amicos Dei, & Virginis glorioſæ.

20 Tertiò dominatur filiis, ideſt, Angelis. Et in hoc eſt *electa ut Sol*, ſcilicet ad irradiandam totam multitudinem ſpirituum beatorum. Cùm autem Beata Virgo Regina ſit Cœli, & Mater Filii Dei, tantum habet ſervorum numerum, quantum Filii ſui implent myſterium. Sed ſecundum Hugonem de S. Victore ſuper 9. *cap.* de Angelica hierarchia: Sola Divina ſcientia, quæ omnia novit, ſcit numerum ſupernarum Virtutum, & ſola diſcernit eas, & plenè cognoſcit. Undè ſecundùm quoſdam, ſolus numerus Angelorum ſuperat atomos in aere volitantes.

21 Si igitur tantus eſt numerus Angelorum, quantus erit aliorum ſpirituum ſupernorum? Cùm ſecundum quoſdam prò quolibet Angelo ſint decem Archangeli: prò quolibet Archangelo ſint decem Principatus: & ſic de ſingulis aſcendendo. Hujus quidem opinionis ratio eſt, quia ſecundum Apoſtolum 1. *c. ad Rom. Inviſibilia Dei à creaturà per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Sed ſecundum naturales, aqua in decuplo major eſt, quam terra: & aer in decuplo major eſt, quàm aqua: & ignis in decuplo major eſt, quàm aer. Et ſecundum quoſdam, de ſingulis rectè eſt uſque ad Empyreum Cœlum. Ex his igitur viſibilibus ſecundum regulam Apoſtolicam trahi poteſt, quod in decuplo ſunt plures Archangeli, quàm Angeli: Principatus, quàm Archangeli, & ſic de aliis cunctis.

22 Omnes igitur Angelici ſpiritus ſunt hujus glo-

glorioſæ Virginis miniſtri, atque Servi. Quomodò enim non eſſent ſervi illius, per quam eorum quantum ad numeri integritatem reparatio facta eſt, per cujus Filium eorundem facta eſt purgatio, illuminatio, & conſummatio, ideſt, gloriæ conſummatæ perfectio. Verè igitur *Domina* dici poteſt, atque meritò habent de illà omnes cœleſtes Spiritus confiteri, & dicere illud 4. *Reg.* 10. *Servi tui ſumus, quæque iuſſeris faciemus*. Meritò ergò competit ei nominis etymologia: quia ſecundùm Papiam, *Dominus* vel *Domina* dicitur, eo quod *domui præſit*. Ipſa quippè præeſt domui Dei, ideſt, Empyreo Cœlo, Eccleſiaſtico teſte, qui 26. *c.* de Ipſa ait: *Sicut Sol oriens mundo in altiſſimis* Dei; *ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamento domus ſuæ*.

23 Quartò dominatur adverſariis, & inimicis. Dicitur enim *Dominus*, vel *Domina*, quaſi *dans minas*, ſecundùm Papiam, & etymologia eſt. Ipſa enim inimico humani generis dominatur, & minas infert: propterea Salomon ſubdit: *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*. Noverunt illi, quorum uſus eſt in rebus bellicis exerceri, armatas acies, & in prælium ordinatas, quanti ſit decoris pariter, & timoris, aſpicere, quantùm apparatus delectet, & exterreat armatura. Cum videas in campis patentibus digeſta per ordinem hinc indè fortium agmina bellatorum, vexilla fulgentia, ſcuta diverſi generis, & coloris, rutilas caſſides, & ferri ſpecies animatas, pugnantes eminùs haſtas, & longè minantia tela: acutos gladios & imbui cruore paratos: armorum ſtrepitus, hinnitus equorum, eventum belli, ſaltu, fremituque monſtrantium: paveſcere ſingulos, & tamen virtutis ſigna prætendere. Alios impetum facere, alios obſtare currentibus, alios turmas inſtruere, alios in cumulum cogere diſgregatos. Omnes ſignum Ducis, & vultum attendere indifferenter, utrunque victoriam, mortemque ſperare. Quis hæc ſinè delectatione pervideat, ſinè terrore pertranſeat?

24 Sic & Virgo *Maria* gratiarum nomine plena, variiſque virtutibus metuenda, domeſticos fidei mulcet ſpe pietatis, & hoſtes iure poteſtatis exterret. Prima enim vitiis bellum indixit, prima contrà carnis inſultus, virtutum acies ordinavit; dum & virginitatem elegit, & eam humilitatis cuſtodià communivit, per quod & diabolo terrorem incuſſit, & Sanctis Sponſa facta eſt, & ſuavis. Cùm enim fortis armatus ſuum cuſtodiret atrium in quiete, hominemque peccatis obnoxium iure tyrannico poſſideret, ubi ſolutis vitiis novà ſenſit virtute reſiſti, ſubitò conſternatus,

Bella mihi video, bella parantur, ait.

Indeque cœpit hoſtis expaveſcere: undè fidelibus datum eſt exultare. Et ſic una ſimul, & eadem prò diverſis effectibus apparuit *terribilis, & decora*: quando & illis fortem in prçlio, & nobis Ducem pacificum parturivit. Hinc *Specioſa* dicta eſt, *& ſuavis*: quia dum merito caſtitatis excelleret univerſas, ut pareret in formà Servi Dominum maieſtatis, humilitatem ſpiritus ſummà curavit diligentià cuſtodire, nè quo faſtu ſuprà hominem raperetur, quæ ſuſceptura erat ab Angelis minoratum.

25 Intelleximus igitur dominii Virginis proprietatem, magnitudinem, & multitudinem. Oremus igitur dilectiſſimi fratres, *Dominam* noſtram Virginem benedictam, ut quæ Mater eſſe meruit Judicis ſeculorum, prò reatibus noſtris, Filio ſatisfaciat Advocata. Quid enim in causà poteſt eſſe periculi, ubi cauſas hominum Illa perorat, quæ habet, undè apud Deum prò filiis hominum orare præſumat, quià Mater eſt Dei: habet & ille undè clementer homini ignoſcat, quia Filius hominis eſt. Ambo certatim cauſas miſerantur humanas. Mater excuſando mortales, nè pereant: Filius ignoſcendo peccantibus, ut reſurgant.

Omnes igitur Genitrici eius devotiſſimè ſupplicantes, vitam noſtram emendemus, & mores, communi voto, pari deſiderio, ardenti affectu poſtulantes, ut Eccleſiam ſuam exaltet, miniſterium noſtrum acceptet, patriam tueatur, protegat Civitatem, fideles multiplicet, abigat hoſtes, domeſticos foveat: & omnes qui triumphale nomen *Ieſu*, ac Matris eius *Mariæ* invocant, & adorant, dirigat ſemper, & conſervet in Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat, &c.

MYSTICÆ ANATOMIÆ SACRATISSIMI NOMINIS DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM

Quòd Beata Virgo eſt omnium perfectionum, atque Creaturarum Compendium.

1 EO' uſque creſcit Virginis Beatæ faſtigium, ut nullis neque Angelicis, neque linguis humanis dignè laudari queat. Nam Deum ſolum dignum ſui laudatorem habere poteſt; quam prò ſuo arbitrio, ut ei placuit, ipſe condidit, ipſe ornavit, ipſe perfecit. Quid mirum igitur, ſi eam perfectionum omnium, & creaturarum compendium appellemus, quam Deus voluit eſſe Matrem ſuam? Verùm ut ad ea, quæ ſingulatim dicenda ſunt, generalem quandam ſternamus viam, ænigmata, typos; & figuras, quibus de Virgine *Maria* in eloquio ſacro notitia traditur, in hoc capite proponemus, ut qui ejus ſanctitatem, gradum, & perfectionem, & cujuſvis creaturæ dotes, & excellentias in eà oculis corporeis cernere non valemus, diverſis manuducti typicis exemplis, Virgini applicatis, obtutu mentali licèt imperfectè conſpiciamus.

2 Quantùm igitur prò præſenti ſpectat ad univerſalitatem, ſequemur Bartholomæum de Piſis, qui lib. 1. de laudib. Beatæ *Mariæ* fructu 2. de omnibus his ediſſerit eruditè, & inquit. Excelſæ Genitricis Dei *Mariæ* prærogativa etſi ex multis conſurgat (prout in ſequentibus latiùs patebit) præcipuè tamen ex hoc comprehenditur, quòd ipſa Beata Virgo in veteri Teſtamento pluribus typicis modis, & figuris extitit deſignata, hoc dicente B. Hieronymo in ſerm. de Aſſumptione, qui incipit: *Hodiè*. Ubi ipſe doctor inquit: Quidquid humanis poteſt dici verbis, minùs eſt ad laudem ejus. Rationẽ aſſignat, dicens: Quià divinis, & Angelicis eſt excellentius prædicata, & laudata præconiis. A Prophetis quidem prænunciata; à Patriarchis, figuris, & ænigmatibus præfigurata; ab Evangeliſtis exhibita, & monſtrata; ab Angelo venerabiliter, & officioſiſſimè ſalutata. Beato Ambroſio in ſerm. de Nativit. Virginis hoc aſſerente. Beata *Maria* priuſquam naſceretur, erat prænunciata, & deſignata oraculis. Devoto inquiente Bernardo in ſerm. de Nativit. Virg. Longè, inquit, antè Sanctis Patribus cœlitus repromiſſa, quòd myſticis præfigurata miraculis, quod oraculis prænunciata divinis. Idem dicit ſuper Miſſus eſt. Ioanne Damaſceno affirmante, 4. lib. ſententiar. ſuarum. Beata, inquit, Dei Genitrix prææterno, & prævisivo Dei conſilio prædeterminate, & diverſis imaginibus, & ſermonibus Prophetarum per Spiritum Sanctum præimaginata, & prædicata, id eſt, prædeterminato tempore ex Davidica ſtirpe generata eſt.

3 Hujus igitur prçfigurationis cauſa, etſi occulta ſit; ex hoc tamen valet potiſſimè intueri, quod quia humanum ingenium inſufficiens reperitur omnium ad Virginis magnalia indaganda, & contemplanda: Sapientia hoc præordinavit divina, ut diverſis çnigmatibus monſtratis, & figuris ſub certis modis Virgini applicatis, ad excellentiæ ejuſdem aliqualem notitiam veniremus. Hoc factum eſſe in aliis (Sacrà Scriptura referente) didicimus, ut daret de David ſimulato amore. 2. *Reg.* 24. De Nathan adipi. De Elia faculæ ignitæ. De Simone Onia Stellæ matutinæ: & ſic de pluribus aliis,

ut habetur à *cap.* 44. *Eccli.* uſque ad 50. Et licèt ſic non poſſit fieri ad plenum ſufficienter, non eſt tamen negandum ipſam ſub diverſis typis, & ſacris ſymbolis declaratam extitiſſe hominibus & Prophetis, ut aſſerunt doctores præfati. Figuræ igitur veteris Teſtamenti, etſi non plenè, aut clarè Beatam Virginem quo ad perfectionem oſtendant, non ſunt tamen abiiciendæ: quia manuductivæ ſunt prò parte, ad oſtendendum quid, qualiſvè fuerit Virgo *Maria*.

4 Fructus igitur iſte ſecundus, ſcilicet *Maria figuratur*, circà hoc principaliter verſatur, ut non ſolùm ex figuratione Virginis excellentiam declaret, ſed quid ſit, aliqualiter explicet, & demonſtret. Ut ergò hoc lucidiùs videatur in propoſito, duplex modus procedendi reperitur. Primus modus eſt, ut inſpiciatur per quas figuras fuerit deſignata, qualis forma expoſitionis habeatur ipſarum, deindè quomodò applicentur eidem. Secundus modus erit, ut vitæ Virginis per actus diverſos diſtinctæ figuræ congruentes debitæ adjungantur.

5 Prò evidentia primi modi ſciendum eſt, quòd ut B. Gregorius teſtatur in Homil. Aſcenſ. Omnis creaturæ nomine homo intelligitur. Habet enim eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, & intelligere cum Spiritibus. Quo verbo ſequitur, quòd aſſumptione humanæ naturæ à Verbo, omnia creata ſunt nobilitata. Marià ergò cùm talis nobilitationis, per fructum ventris ſui, principium fuerit, & cauſa; ſicut omnis Creatura eidem regratiari tenetur, ſic per omnem creaturam licet imperfectè per verbum naturale habet laudari, & poteſt figurari.

6 Creaturæ autem ſunt in multiplici differentia. Sunt enim quædam intellectuales, & ſupercœleſtes, ut Angeli, Archangeli, Throni, & Dominationes, & ſic de aliis ordinibus. Quædam ſunt Cœleſtes, ut Cœlum, Stellæ, Sol, Luna, cum aliis Planetis. Quædam ſubcœleſtes, & iſtarum creaturarum quædam ſunt elementa, ut ignis, aer, aqua, & terra. Quædam ſunt elementata, & iſtorum elementatorum, quædam ſunt in aere producta, ut nubes, arcus, & hujuſmodi. Quædam in terra, & iſta ſunt in multiplici differentià. Quædam ſunt inſenſata omninò, omni animà carentia: ut montes, petræ, valles, & hujuſmodi. Quædam ſunt anima vegetativa animata: ut herbæ, plantæ, arbores, & hujuſmodi. Quædam habent animam ſenſitivam; ut ſunt volatilia, & alia animalia, ut columba, ovis, & ſimilia. Quædam ſunt animà intellectivà adornata, ut homo: etiam quia quædam homo operatur propter ſua commoda, ut domum, aulam, & hujuſmodi. Quędam propter Dei cultum, ut templum, & altare. Sunt etiam quædam creaturæ ex terrà egredientes, ut fontes, & flumina: quædam intrà terræ viſcera ſunt generata, ut aurum, argentum, & ſic de aliis metallis. Quædam ſunt juxtà terram, ut mare, & quæ in eo ſunt, ut piſces, margaritæ, & hujuſmodi.

CAP. II.

Creaturarum Scala, per quas Beata Virgo figuratur.

1 PEr has ergò tam varias, & multiplices creaturas Beata *Maria* habet, & poteſt figurari. Ratio generalis eſt: quia ſicut apparet in naturalibus, quòd ſpecies Superior continet perfectionaliter inferiorem, & ſuperaddit: & homo ſuperior ſit omnibus aliis ab Angelo, quarè & perfectiones continet aliarum. Beata Maria, quia homo, poteſt meritò per ipſas creaturas deſignari: poteſt etiam per Angelos. Ratio: quia, ut cantat Eccleſia, Beata *Maria* ſuper omnes ordines Angelorum exaltata reſedit, quò ad gratiam, & gloriam, omnes excellens. Quarè & omnium habens perfectiones, poteſt meritò per illa, quæ eis attribuuntur, typicè figurari. Videndum eſt igitur nunc, per quas figuras Beata *Maria* in ſacro eloquio fuit figurata, & ut confuſio intellectus in talibus evitetur, juxtà diſtinctiones duodecim præfatæ creaturarum figuræ ad propoſitum deducentur. Verum quia à nobiliori eſt inchoandum, ab Angelo ſumam exordium.

2 Primò, Beata Maria poteſt figurari per Seraphin, Cherubin, Thronos, Principatus, Poteſtates, Dominationes, Virtutes, Archangelos, & Angelos, ratione prædicta: & qualiter deſignetur, dicetur inferiùs.

Secundò, eſt figurata per homines. Et quia eſt in duplici ſexu, maſculino, & fœminino, qualiter per homines maſculini ſexus figuretur, ſuo loco dicetur. Sed prò præſenti ſufficit oſtendere, quomodò in ſacro eloquio per mulieres, & per quas figuretur. Maria eſt figurata per Evam omnium primam Matrem. Per uxorem Noe. Per Saram. Per Rebeccam. Per Rachelem, & Liam. Per Mariam Sororem Moyſi. Per Eliſabet uxorem Aaron. Per Raab. Per Delboram, & Iahel. Per mulierem Sichimitam. Per Matrem Samſonis. Per Ruth, & Noemi. Per Annam Matrem Samuelis. Per Michol. Per Abigail. Per Berſabee. Per Abiſac Sunamitem. Per mulierem Tecuitem. Per Thamar ſpecioſam. Per Ioſabeth uxorem Ioiadæ. Per Ado Propheтiſſam. Per Annam, & Saram. Per Eſther. Per Iudith. Per Suſannam. Per Matrem ſeptem fratrum: & ſic de aliis mulieribus in veteri Teſtamento vulgatis.

Et non ſolùm per mulieres antedictas, & conſimiles, Beata *Maria* eſt figurata, ſed per nomina mulieribus correſpondentia eſt veraciter declarata. Dicitur enim Virago. *Hæc vocabitur Virago. Geneſ.* 3.

Mater Pſal. 86. *Mater Sion*, dicetur homo *Domina*, ſic *Maria* interpretatur. *Sedet in triſtitia Domina Gentium. Thren.* 1.

Filia *Pſal.* 44. *Audi Filia, & vide.*

Regina. *Pſal.* 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis.*

Una. *Vna eſt Genitricis ſuæ. Cant.* 6.

Perfecta. Ibidem. *Vna eſt perfecta mea.*

Electa. Ibidem. *Electa ut Sol.*

Soror. *Cant.* 7. *Soror mea parvula eſt.*

Spon-

Sponſa. Canticorum per totum.

Ancilla. *Luc.* 1. *Ecce Ancilla Domini.*

Nutrix. *Rut.h* 3. *Suſcepit Noemi puerum.*

Mulier gratioſa. *Prov.* 2. *Mulier gratioſa inveniet gloriam.*

Advocata noſtra. 9. *Reg.* 2. *Ego loquar prò te Regi.*

Amica. *Cant.* 1. *Surge amica mea, & veni.* Et *Cant.* 4. *Tota pulchra es amica mea.*

3 Tertiò modo eſt figurata Maria per Creaturas Cœleſtes.

Per Cœlum Empyreum. *Geneſ.* 1. *In principio Creavit Deus Cœlum, & terram.*

Per Cœlum. *Geneſ.* 15. *Suſpice Cœlum, & numera ſtellas.*

Per firmamentum. *Geneſ.* 1. *Vocavit Deus firmamentum Cœlum.* Et ibidem. *Diviſit aquas, quæ erant ſub firmamento.*

Per Stellam. *Numer.* 24. *Orietur Stella ex Iacob.*

Per Stellam matutinam. *Eccli.* 24. *Quaſi Stella matutina.*

Per Sidus. *Amos* 5. *Sidus Dei noſtri.*

Per Aſtrum. *Deuter.* 5. *Multiplicabit te Deus, ſicut aſtra Cœli.*

Per Polum.. *Iob.* 22. *Circà Cardines Cœli Dominus perambulat.*

Per Solem. *Pſal.* 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.*

Per Lunam in Canticis. *Pulchra ut Luna. Cant.* 6.

Per lucem. *Geneſ.* 1. *Diviſit lucem à tenebris.*

Per Diem. *Iob. ult. Primogenitam vocavit diem.*

Per Noctem. *Pſal.* 118. *Nox illuminatio mea.*

Per Auroram. *Cant.* 6. *Quaſi Aurora conſurgens.*

Per Meridiem. *Cant.* 1. *Indica mihi ubi cubes in meridie.*

4 Quartò modo eſt figurata per elementa.

Per Ignem. *Exod.* 13. *Per noctem in columnà ignis.*

Per Terram. *Geneſ.* 1. *Producat terra herbam virentem.*

Per Aquam. *Levit.* 5. *Aquam ſanctam in vaſe fictili.*

Per Aerem. *Sap.* 7. *Communem aerem accepi.*

Quintò, Maria figurata eſt per creaturas in aere generatas; ſcilicet:

Per Arcum. *Eccli.* 43. *Vide arcum, & benedic.*

Per Nubem. *Eccli.* 24. *Thronus meus in Columnà nubis.*

Per Nebulam. 3. *Reg.* 8. *Dominus dixit, ut habitaret in nebulà.*

Per Nivem. *Iob.* 38. *Nunquid ingreſſus es theſauros nivis.*

Per Rorem. *Eccli.* 43. *Obvians ros ab ardore venienti humilem efficit.*

5 Sextò, *Maria* eſt figurata per creaturas omni animà carentes, ſcilicet.

Per Montem. *Pſal.* 67. *Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.*

Per Petram. *Eſa.* 16. *Emitte Agnum de petrà deſerti.*

Per Solitudinem. *Eſa.* 35. *Exultabit ſolitudo.*

Per Convallem. *Cant.* 6. *Deſcendam in hortum, ut colligam poma Convallium.*

Per Vallem. *Geneſ* 34. *Vallis benedictionis.*

6 Septimò, *Maria* eſt figurata per Vegetabilia.

Per Arborem. *Daniel.* 3. Arbor in medio terræ.

Per Radicem. *Eſa.* 2. *Egredietur virga de radice Ieſse.*

Per Virgam. *Pſal.* 109. *Virgam virtutis tuæ.* Et *Numer.* 18. *Virga Aaron floruit.*

Per Cedrum. *Eccli.* 24. *Sicut Cedrus exaltata ſum.*

Per Cypreſſum. Ibidem. *Sicut Cypreſſus in monte Sion.*

Per Palmam. Ibidem *Quaſi Palma.*

Per Roſam. *Eccli* 50. *Quaſi flos roſarum.*

Per Olivam. *Eccli.* 24. *Quaſi Oliva ſpecioſa.*

Per Platanum. Ibidem. *Quaſi Platanus.*

Per Ficulneam. *Oſeæ* 9. *Quaſi prima poma ficulneæ.*

Per Vitem. *Eccli.* 24 *Ego quaſi vitis fructificavi.*

Per Terebinthum. Ibidem. *Ego quaſi Terebinthus.*

Per abietem. *Eſa.* 60. *Pro ſaliuncà*, ideſt, Evà, *aſcendet abies*, ideſt, *Maria*.

Per Sethim lignum. *Exod.* 25. *Arcam de lignis Sethim.*

Per Amygdalam. *Eccli.* 15. *Florebit amygdalus.*

Per Rubum. *Exod.* 3. *Videbat, quod rubus ardebat.*

Per Nemus. *Geneſ.* 21. *Plantavit autem Abraham nemus in Berſabee.*

Per Balſamum, Cinnamomum, & Myrrham. *Eccli.* 24. *Sicut Cinnamomum, & balſamum, &c.*

Per Storacem, Galbanum, & Guttam. Ibidem.

Per Libanum, ideſt, thus, erumpet radix eius.

Per Nardum *Cant.* 1. *Nardus mea dedit odorem*

Per Florem. *Cant.* 2. *Ego flos campi.*

Per Lilium. *Cant.* 2. *Sicut lilium inter ſpinas.*

7 Octavò, eſt figurata Beata Maria per Creaturas habentes animam ſenſitivam.

Per Turturem. *Cant.* 1. *Vox Turturis audita eſt.*

Per Apem. *Eccli.* 13. *Brevis in volatilibus apis.*

Per Columbam. *Geneſ.* 8. *Emiſit Columbam de Arcà.*

Per Cervam. *Prov.* 5. *Cerva chariſſima.*

Per Oviculam. 2. *Reg.* 12. *Habebat oviculam*

Per Vellus. *Pſ.* 71. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus.*

Per Collum. *Cant.* 4. *Collum tuum ſicut turris David.*

Per Cor. *Cant.* 4. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

8 Nonò, eſt figurata Beata Maria per ea, quæ ſunt ad Dei cultum ordinata.

Per Domum Dei. 2. *Reg. ult. Hæc eſt Domus Dei*, & 1. *Paral.* 22.

Per Aulam. *Pſal. Adorate Dominum in aulà ſanctà eius.*

Per Civitatem Dei. *Pſal.* 86. *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei.*

Per Arcam fæderis Domini. *Exod.* 37. *Fecit Beſeleel arcam.*

Per Templum Domini. *Pſal.* 64. *Sanctum eſt templum tuum.*

Per Oraculum, ſivè Sancta Sanctorum. *Exod.*..

In

Intulerunt arcam Sacerdotes in Sancta Sanctorum.

Per Propitiatorium. *Exod.* 25. *Facies propitiatorium de auro.*

Per Altare aureum, ſivè thymiamatis. *Exod.* 38. *Fecit altare holocauſti.*

Per Velum. *Exod.* 25. *Facies velum de hyacintho.*

Per Atrium. *Pſal.* 28. *Adorate Dominum in atrio Sancto eius.*

Per Candelabrum. *Eccli.* 26. *Lucerna ſplendida ſuper Candelabrum. Et candelabrum ductile de auro.*

9 Decimò, eſt Maria figurata per opera humana humano uſui deputata, ſcilicet:

Per Exemplar *Exod.* 25. *Fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.*

Per Librum vitæ. *Eccli.* 24. *Hæc omne liber vitæ.*

Per Speculum. *Pſal.* 83. *Videbitur Deus Deorum in Sion*, ideſt *in Speculo.*

Per Vas novum. 4. *Reg.* 2. *Miſit Eliſæus Sal, &c.*

Per Vas aureum. *Eccli.* 24. *Quaſi vas auri ſolidum.*

Per Civitatem David. 3. *Reg.* *Hæc eſt civitas David.*

Per Murum. *Cant.* 8. *Ego murus, & ubera mea ſicut turris.*

Per Turrim. *Cant.* 4. *Sicut turris David, quæ ædificata eſt, &c.*

Per Portam. *Ezechiel.* 44. *Porta hæc clauſa erit.*

Per Aquæductum. *Eccli.* 24. *Sicut aquæductus de Paradiſo exivi.*

Per Paradiſum. *Geneſ.* 2. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum.*

Per Agrum. *Geneſ.* 15. *Eccè odor, ſicut odor agri pleni.*

Per Feneſtram. *Geneſ.* 6. *Feneſtram in arcà facies.*

Per Thalamum. *Pſal.* 18. *Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.*

Per Thronum. 3. *Reg.* 10. *Fecit Rex Salomon thronum.*

Per Ferculum. *Cant.* 3. *Ferculum fecit Rex Salomon.*

Per Lectulum. *Cant.* 3. *Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, &c.* Et *Cant.* 1. *Lectulus noſter floridus.*

Per Horreum Pharaonis. *Geneſ.* 43.

Per Portum *Pſal.* 106. *Deduxit eos in portum.*

Per Cellarium. *Cant.* 1. *Introduxit me Rex in Cellam vinariam.*

Per Clibanum. *Geneſ.* 15. *Apparuit clibanus fumans.*

Per fornacem. *Daniel.* 2. *Fornax ſuccenſa erat ſeptuplum.*

Per Navim. *Prov.* 31. *Facta eſt quaſi navis Inſtitoris.*

Per Scalam. *Geneſ.* 28. *Vidit Iacob Scalam.*

Per Arcam Noe. *Geneſ.* 6. *Fac tibi arcam de lignis levigatis.*

Per Tabernaculum. *Eccli.* 24. *Requievit in tabernaculo meo.* De quo Tabernaculo eſt figura *Geneſ.* 31. *Iacob extenderat in monte tabernaculum.*

Per Columnam. *Exod.* 13. *In columnà nubis præcedebat eos.*

10 Undecimò eſt figurata Beata Maria per ea, quæ à terrà egrediuntur.

Per Fluvium. *Geneſ.* 2. *Fluvius egrediebatur.*

Per Fontem. Ibidem. *Fons aſcendebat è terrà.*

Per Puteum. *Cant.* 4. *Puteus aquarum viventium.*

Per Tigrim, Euphratem, Doricem, & Iordanem, & per Phyſon.

Per Mare. *Eccli.* 1. *Omnia flumina intrant in mare.*

Duodecimò, & ultimo eſt figurata Beata Maria per illa, quæ fiunt ſub terrà, ſcilicet:

Per Aurum. *Geneſ.* 2. *Aurum terræ illius optimum eſt.* Et *Apocal.* 21. *Civitas aurum.*

Per Gemmam carbunculi.

Per Lapides pretioſos, ut de Sardio, & Topazio.

CAP. III.

De Regulis, quibus convenienter omnium perfectiones Creaturarum in Beatà Virgine exprimuntur.

1 Aliæ ſunt figuræ in ſacro eloquio, quæ poſſunt ad aliquem præfatorum modorum reduci. Et prædicenda de prædictis poterunt ad Virginem applicari; ſed quia magis eſſet prolixum omnia, & ſingula prædicta diffusè exponere: ideò prò evidentià dictorum dicendorum eſt ſciendum, quod omnes creaturæ, tàm Cœleſtes, quàm terreſtres, per hæc duo, comprehendendo omnia creata, diſtinguuntur.

Primò, penes cauſas, tàm materialem, formalem, efficientem, quam finalem, ut patet intuenti.

Secunda diſtinctio. Aliquæ ſemper moventur; aliquæ ſemper quieſcunt; aliæ aliquandò ſic; aliæ aliquandò non, aliæ moventur ſursùm, alię deorsùm: aliquæ antè, aliquę retrò. Deorsùm, & ſursùm, dextrorsùm, & ſiniſtrorsùm.

Tertia diſtinctio. Aliquę diſtinguuntur penes ſitum, & locationem. Aliquæ locantur ſuper Cœlum. Alię in Cœlo. Alię in aere. Alię in aqua. Alię in terrà. Alię ſub terra.

Quartò diſtinguuntur penès figurationem. Aliquę ſunt figurę triangulares; aliquę quadrangulares; alię ſunt pentagonę; alię ſexagonę, & ſic de aliis figuris.

Quintò diſtinguuntur penès naturas diverſas. Per naturam differt herba ab arbore, & arbor ab animali, & ſic de aliis.

Sextò, diſtinguntur penès diverſos effectus. Alius eſt effectus nardi, alius piperis: alius roſæ, alius adamantis; & ſic de aliis.

2 Septimò, diſtinguuntur quantitate, & dimenſione. Alia ſunt magna, alia parva, alia longa, alia oblonga, alia rotunda; & ſic de conſimilibus.

Octavò, diſtinguuntur colore. Aliqua habent colorem album, alia nigrum; aliqua croceum, alia rubeum; & ſic de aliis.

Nonò, diſtinguuntur ſapore. Aliqua enim habent ſaporem dulcem, alia amarum; aliqua inſipidum, alia acetoſum; & ſic de aliis.

Decimò diſtinguntur odore, aliqua ſunt odoris ſuavis, alia oppoſiti; & ſic de aliis.

Undecimò, diſtinguntur ſono. Omnia enim, quæ pertinent ad auditum; aut ſunt voces; & tunc ſunt,

vel

vel ſunt graves, aut acutæ, aut ſuperacutæ. Aut ſunt inanimata, ut ſunt cithara, pſalterium, cymbalum, nablum, ſiſtrum, organum, fiſtula, ſambuca, ſymphonia, cornu, chorus, tympanum, buccina, tybia, lyra; & ſic de aliis: & iſta differunt, quia ſonum faciunt flatu, aut tactu.

Duodecimò, diſtinguuntur tactu. Aliqua enim ſunt aſpera, aliqua plana, alia calida, alia frigida; & ſic de conſimilibus.

Tertiodecimò diſtinguuntur penès potentias animæ, ſcilicet vegetativæ, ſenſitivæ, & intellectivæ. Aliqua enim habent ſolam vegetativam; aliqua vegetativam, & ſenſitivam; & aliqua omnes tres ſimul.

Quartodecimò, & ultimò, diſtinguuntur penès diverſas artes. Alia arte fit domus; alia veſtis, & ad alium finem; & ſic de aliis. Alia ſunt operata à Natura; & alia ab Arte; & ſic de conſimilibus.

3 His prælibatis, proportionaliter, & conformiter ſunt ponendæ quatuordecim regulæ, figuras omnes jam dictas, & poſſibiles, exponentes, & declarantes.

Prima Regula eſt iſta. Si figura applicanda Virgini eſt materiata, id eſt, habet cauſam materialem. Si materia eſt incorrupta, Mariæ oſtendit puritatem, & ſui perfectam quò ad carnem ſanctificationem, & Filio integræ, & mundę miniſtratam carnis ſubſtantiam, ità quòd nec in ſe, nec in Filio caro peccato aliquandò fuit obnoxia. Si materia eſt nobilis, *Mariæ* oſtendit generoſitatem quò ad carnis propagationem. Orta eſt enim de tribu Juda nobiliſſima. Si materia ſit vilis, Mariæ oſtendit profundam humilitatem ſub omnibus, & præ omnibus: ſe etenim humiliavit, quarè ſuper omnia exaltata. Si materia eſt corruptibilis, Mariæ oſtendit patientiam, quæ licèt immunis eſſet à peccato, tamen quaſdam peccati pœnas habuit, ſcilicet, famem, ſitim, & ſic de aliis, & ultimò mortem, quæ omnia patienter portavit, factaque ſunt ei ad cumulum meritorum.

Si habeat cauſam formalem, vel ipſa ſit forma, cùm forma det eſſe completum rei, & pulchritudinem, oſtendit *Mariæ* quò ad gratiam, & virtutes, perfectionem, pulchritudinem inſuper animæ, quia *pulchra ut Sol*, id eſt Chriſtus, fuit per inhabitantem gratiæ plenitudinem. Similiter & pulchritudinem corporis oſtendit, quia elegantis fuit formæ.

4 Si applicanda figura habeat cauſam effectivam; privilegium, & ſingularitatem dilectionis Dei ad Mariam oſtendit, & declarat, ut ſicut à Deo ab æterno prælecta, ſic Parentibus à Deo donata. Poteſt etiam ad Dei Verbum referri in ipsà incarnatum, non virtute humana, ſed divina, quia qui eam creavit, in ejus tabernaculo requievit. *Eccli.* 24. Si actionem etiam habet increatam, poteſt etiam Mariæ aptari, quia *Maria* Ancilla fuit Dei, & Deo ſemper voluntate fuit conformis: quidquid boni operis, & virtutis fiebat in ea, ipſo Deo, & ſuà gratia inſpirante, juvante, & perficiente fiebat, juxtà illud: *Opera noſtra operatus es Domina.* Si actionem etiam habeat creatam, poteſt intelligi per talem actionem creatam, quod nunc ſpiritualiter agit Beata Maria circà ſuos fideles.

Si figura applicanda habeat, & facta eſt ad finem, vel ad finem ultimum conſequendum, *Mariæ* prodit efficaciam, quæ primum conjunxit ultimo, & ſupremum infimo, Deum ſcilicet, & hominem, quem videre, audire, alloqui, & ultimò ad ipſum venire poſſemus. Vel ad finem, propter hominis utilitatem ſingularem: & tunc tale *Mariæ* influentiam, quæ facta ad omnium hominum ſalutem, & utilitatem, oſtendit. Omnibus enim omnia facta eſt, teſte Bernardo. Vel propter fines hominis particulares, ut patet de navi, & domo, & ſic de conſimilibus. Navis enim ſignificat *Mariam*, ſecundum illud *Prov.* 31. *Facta eſt quaſi navis Inſtitoris.* Similiter domus *Geneſ.* 28. *Hæc eſt domus Dei, & Porta Cœli.* Et qualiter hæc ſint applicanda, in regula quartadecima dicetur.

5 Secunda Regula. Si applicanda ad Virginem denotent motum, & quietem, ſi talia ſint in continuo motu, ſicut eſt Cœlum, *Mariæ* motum ad divinum amorem demonſtrant. Amor enim ergà amatum ſemper tendit, juxtà illud *Cant.* 4. *Nunciate Dilecto meo, quia amore langueo.* Et ſic ex motu aſſiduo, magnitudo, & vehementia divini amoris oſtenditur. Poteſt etiam per motum continuum pietas *Mariæ* intelligi. *Pſal.* 18. *A ſummo Cœlo*, per pietatem *egreſſio eius*, ad miſeros ſublevandos: *& occurſus eius* eſt nihilominùs *uſque ad ſummum eius*, ideſt, Deum, per amorem, & contemplationem ipſius.

Si talia in continua quiete, ut eſt centrum terræ: quies talium ad plura ſe extendit, & applicari poſſunt *Mariæ* ad perfectum carnis dominium. Secundum Apoſtolum inter carnem, & ſpiritum, continuum verſatur diſſidium: Quies ergò in Virgine poteſt ejus ſpiritus ſuper carnem denotare dominium; ad ſtatum enim innocentiæ *Mariam* fuiſſe deductam, in quo nulli inquietanti homo fuiſſet ſubjectus, declarat talis quies. Ad gravitatem etiam morum poteſt referri *Mariæ*; quia virtuoſus, & prudens æqualiter manet, nec exaltatur proſperis, aut deiicitur *adverſis*. Ad plenitudinem etiam gratiarum Mariæ referri poteſt, dicente Hieronymo: Cæteris per partes præſtatur gratia, *Mariæ* autem tota ſe infudit plenitudo gratiæ. Ad ſtabilitatem pariter, & beatitudinis plenam adeptionem, eſt etiam ultimatè quietata quò ad corpus, & animam.

Si verò talia aſcendant ſurſum, contemplationem in *Maria* fuiſſe aſſiduè oſtendunt. Si deorſum: Mariæ intellige exercitium; laborabat enim manibus, cuncta pauperibus tribuendo, teſte Hieronymo. Si verò talia moveantur ad omnem differentiam poſitionis: *Mariæ* intellige indagationem. Aſcendebat ſurſum, rimando Cœleſtia: deſcendebat deorſum, calamitatem conſiderando humanam: ibat antè, cogitando promiſſiones Patribus factas: revertebatur retrorſum, immanitatem videndo criminum Deum ad iram contrà homines provocantium; convertebatur ad dexteram, latitudinem charitatis divinæ amplectendo ad hominem: reſpiciebat ad ſiniſtram, juſtitiam Dei in retribuendo ſecundum merita, & opera intelligendo.

Si talia aliquandò moventur, & aliquandò quieſcunt, prudentiam arguunt in Marià. Quievit enim primò, dictum Angeli cogitando: mota eſt deindè, interrogando, & reſpondendo. Ad vitam etiam *Mariæ* poteſt applicari: laborabat manibus, quieſcebat

bat

bat orationibus. Motus ad activam, quia Martha laborat; ſed quies ad contemplativam, quà Maria ad audiendum verbum Dei quieſcit, refertur.

7 Tertia Regula. Si applicanda Virgini, ſitu, & locatione ſint differentia: ſi in Cœlo collocantur, ut Stella, & ſic de aliis: ratione altitudinis ſitus, *Mariæ* puritatem, gradum, principatum, perfectionem, cognitionem, & contemplationem prætendunt. Si in Aere. Aut ſupremo, quod igni appropinquat, ut eſt impreſſio, quæ dicitur ignis perpendicularis: in *Maria* operationem, meditationem, ſpeculationem, & cogitationem immediatas dicunt ad Deum. Si verò talia ſint in medio aeris interſtitio, ut pluvia, & hujuſmodi: miſericordiam pandunt *Mariæ*, quæ noſtris precibus calefacta ſtatim nobis pluviam auxilii immittit.

Si verò in aere generaliter commorentur, ut volatilia: in Marià dicunt ſublevationem à terrenis, deſiderium ad æterna, ſequeſtrationem à peccatis, meditationem, & contuitionem additorum à Deo. Si talia ſtent in terrà, ut herbæ, animalia, & hujuſmodi: in *Maria* ponunt varietatem virtutum, & operationum, impetrationem gratiæ Sanctis ſignificatis per herbas humiles, arboreſque fructiferas; & peccatoribus ſignificatis per lateres, ſaxa, ligna, & hujuſmodi. Si ſub terrà talia ſtent: converſationem ſecretam dicunt *Mariæ*, quæ velut aurum optimum Deo fuit accepta. Si in aquà morantur, ut piſces, & hujuſmodi: devotionis dulcedinem in animà fuiſſe Mariæ declarant, & pietatem.

8 Quarta Regula. Si talia applicanda ſint diverſarum figurarum. Si triangularis: ad Trinitatis perfectam imaginem, memoriam, intellectum, & voluntatem, exiſtentem in Marià. Sivè ad tres virtutes Theologicas in *Maria* in præſenti pleniſſimè manentes, Fidem veraciſſimam, Spem ſolidiſſimam, & Charitatem ardentiſſimam. Vel ad tres Virtutes, paupertatis ſingularis, puritatis integralis, & obedientiæ exemplaris, quæ fuerunt in *Maria*, habent referri. Si talia ſint figuræ quadratæ, vel quadrangularis: ad quatuor, quæ *Mariam*, ſolidarunt in bono, quæ ſunt, Amor divinalis, contemptus mundialis, à fomite Præſervatio, & in bono Confirmatio, habent referri. Ad quatuor etiam virtutes Cardinales, quæ in ipſa fuerunt, ſcilicet, Prudentia in verbis, Temperantia in cibis, Fortitudo in tribulationibus, Iuſtitia in operationibus. Si talia ſint figuræ pentagonæ: ad dolorem habitum poſſunt aptari quinque vulnerum Chriſti: ad cuſtodiam quinque ſenſuum, & virgineam integritatem, ſeu exercitationem ad opera virtutis: videlicet Guſtus ad Temperantiam: Tactus ad Fortitudinem: Oculi ad Prudentiam; Auditus ad Juſtitiam: Olfactus ad Diſcretionem; ſeu ad delectationem perfectam in Patrià Beatorum.

9 Si talia ſint figuræ ſexagonę, ideſt, ſex angulorum: referri poſſunt ad opera miſericordiæ, Chriſto per *Mariam* ſecundum Bernardum exibita. Ipſum enim Ieſum Chriſtum ventris ſui hoſpitio recepit, carne veſtivit, pavit eſurientem, ſitientem lactavit, in infantià portavit in brachiis, & viſitavit exiſtentem in carcere uteri virginalis. Ad alia pariter miſericordiæ opera; quæ continuò operatur. Ignorantes enim continuò inſtruit, errantes dirigit, fert opem oppreſſis, conſolatur afflictos, operantes bonum adiuvat, & prò omnibus exorat. Ad ſex etiam poſſunt referri, quæ caſtitatem ſervant, quæ veraciter fuere in *Maria*: ſcilicet, inhibitio ſenſuum, ſobrietas, operatio, aſperitas cultus, Sermonis raritas, vitatio perſonæ, opportunitas loci, & temporis.

10 Si talia ſunt figuræ, vel numeri ſeptenarii: ad ſeptem dona Spiritus Sancti, quę in Marià quieverunt, poſſunt applicari. Ad plenitudinem etiam virtutum Cardinalium, & Theologicarum, ſcilicet Fidei, Spei, & Charitatis: Temperantiæ, Fortitudinis, Iuſtitię, & Prudentiæ. Ad ſeptem etiam beatitudines, Tres animæ, ſcilicet, viſionis, tentionis, & fruitionis: Et Quatuor corporis, ſcilicet, claritatis, impaſſibilitatis, agilitatis, & ſubtilitatis. Et ſic de conſimilibus ſeptenariis.

Si talia ſint figurę octangulorum, ad octo beatitudines vitę, quę habentur *Matth.* 5. quę fuerunt in *Marià*, habent referri. Inſuper ad excellentiam Beatæ *Mariæ* ſuper omnes alias mulieres, in operibus puritatis, fœcunditatis, in gratià ſuperventionis Spiritus Sancti, incarnationis Filii Dei, parturitionis clauſurà, lactationis ubere de Cœlo pleno, ſanctificationis perfectæ, animę, & corporis, & triplicis irradiationis divinę gratię quò ad Prophetiam.

Si talia ſint figurę novem angulorum, ſivè novenarii numeri, ad novem gratias conformes novem ordinibus Angelorum, quas Maria habuit, ut dicitur, referuntur.

11 Si talia ſint figurę decem angulorum: ad plenam obſervantiam decem pręceptorum exhibitam per Mariam, poſſunt referri. Seu ad decimam drachmam, ideſt, ad decimum ſtatum, per ipſam in vità Beatà ſuper novem ordines angelorum inventum, quem poſſidet.

Si applicanda ſint figurę duodecim angulorum, ſivè duodenarii numeri applicari poſſunt ad gaudia, quę Ipſa habuit in pręſenti, quę ſunt duodecim: ſcilicet, Gaudium annunciationis, nativitatis Filii, adorationis Magorum, pręſentationis in templum, reductionis Filii de Ægypto, inventionis Filii poteſt triduum, operationis miraculorum, reſurrectionis Chriſti, aſcenſionis Chriſti, miſſionis Spiritus Sancti; Sivè felicis dormitionis, & nunc ſuper omnia exaltationis.

Poſſunt etiam ad duodecim virtutes, quę fuerunt in *Marià*, referri; videlicet: Fuit in ea continentia puriſſima, caſtitas illibatiſſima, puritas innocentiſſima, miſericordia viſceroſiſſima, humilitas profundiſſima, obedientia promptiſſima, patientia invictiſſima, paupertas veriſſima, iuſtiſſima, perfectiſſima, fides firmiſſima, auſteritas in vivendo, & veritas in docendo. Quę dicta ſunt de figura triangulari, & quadrangulari, & ſic de aliis, poſſunt ad numerum ternarium, & quaternarium debitè applicari.

12 Quinta Regula. Si talia applicanda ſint diverſarum naturarum, ut animal, herba, arbor, & ſic de aliis; apprehendo ex talibus diſtinctionem, & multiplicitatem virtutum in Marià. Sicut eſt ille auctoritas *Cant.* 4. *Cypri cum nardo, nardus cum croco*, &c. Vel illa de thymiamate, quod ex multis conficiebatur: ad diverſas virtutes poſſunt aptari Mariæ. In nardo, humilitas. In croco, auſteritas, & ſic de conſimilibus. Similiter in arbore. In cortice, honeſtas. In ſtipite, recta intentio. In ramis virtutũ varietas. In humore, gratia. In folio, devotio. In fructibus, opus, vel opera virtuoſa. Vel ſi adducãtur diverſa animalia; ut Columba, in qua innocẽtia; Aquila, in qua perſpicitas in cernẽdo divina; Ovis in qua manſuetudo declaratur *Mariæ*: & ſic de conſimilibus.

Sexta Regula. Si talia aptanda, ſunt effectu diſtincta: alius enim eſt effectus unius lapidis, & herbæ, alius alterius. Talia dùm ad *Mariam* applicãtur, varietatẽ munerũ, & gratiarũ à *Maria* procedentium declarant. Aliud enim donũ tribuit carceratis, aliud ſurdis, aliud infirmis; & ſic de conſimilibus.

Septima Regula. Si talia applicanda ſint diverſarum quantitatum, & dimenſionum. Magnitudo refertur ad ſtatũ miſericordiarũ, & ſingulas in ſe virtutes *Mariæ*. Parvitas ad noſtrũ intuitum, ingeniũ, poſſeſſionẽ ipſarum virtutum per nos reſpectu *Mariæ*, parviſſimam habet referre: ſi ſint capaciſſima, ad ſuſceptionem Verbi Dei debent referri. Quod enim Cœli capere non poterant, ipſa gremio ſuo cõtulit. Parvitas etiam ad humilitatem affectuum; & perceptionem arctiſſimam terrenorum debet reduci. Proceritas in talibus, ut eſt in arboribus, ad *Mariæ* aptatur ſublevationem; ad miſericordiæ longitudinẽ, & altitudinem; quia ad Cœlos, & ad omnes alios ſe extendit. Brevitas ad benignitatem: quemadmodum arbor brevis manu attingitur, & faciliter fructus ex ea capiuntur; ſic à *Maria* facillimè omnia donorum, & gratiarum accipiuntur, & indifferenter à quolibet eam exorante.

13 Octava Regula. Si talia applicanda ſint diverſorum colorum; poſſunt ad diſtinctos actus vitæ Virginis applicari. Si enim ſint apparentia, tranſparentia, & luminoſa, ut argentum, claritatem oſtendunt ſignorum *Mariæ*, & exemplorum in converſatione. Si obſcura, fugam mundanorum. Si candida, & alba, puritatem dicunt in Conceptione, & Nativitate, quia munda. Si rubea, Spiritus ſuperventionem in Incarnatione. Si viridia, operationem virtuoſam. Si crocea, auſteritatem. Si nigra, dolorem paſſionis Chriſti. Si clara, vitæ ſanctitatem. Si Cœleſtia, devotionem *Mariæ* declarant. Et ſic per colorem album poteſt puritas intelligi Mariæ. Per rubeum, charitas. Per croceum, auſteritas. Per viridem, vivacitas in operãdo. Per clarũ, exemplaritas. Per nigrũ, compaſſio. Per cœleſtem, devotio. Et ſic de aliis coloribus, qui ad actus Virginis vitæ poſſunt applicari.

14 Nona Regula. Si applicanda ſint diverſorum ſaporum: hoc eſt, aliqua dulcia, alia verò amara; & ſic de aliis ſaporibus ad Virginis opera, quam ſint diſtincta, poſſunt applicari. Eſt enim *Maria*, dulcis devotis. *Vox tua dulcis*. *Cant.* 2. *Et fructus ejus dulcis gutturi meo*. *Cant.* 2. Amara dæmonibus. Eſt ſapor virtuoſis, & pinguis cœleſtibus: ſalſus mundi amatoribus, qui ipſam non ſequuntur, quò ad pęnitentiæ, & vitæ operationem. Acutus intelligẽtibus, acetoſus hypocritis, ponticus hęreticis, ſtypticus divitibus, & inſipidus vitioſis, & carnalibus. Vel ſapor, quia guſtu diſcernitur, poſſunt dici ſapores ad imitãtes *Mariam*. Dulcis quò ad perfectos, amarus quò ad delicioſos, qui licet eam diligant, amarum eis videtur eam ſequi. Salſus quò ad pœnitentes, pinguis quò ad inhærentes, acutus quò ad magnalia Mariæ indagantes, acetoſus quò ad peccatores, ſtypticus quòd ad Virgines; inſipidus quò ad ipſam ſimul, & vitam præſentem tenere volentes.

Vel aliter Dulcedo ſaporis poteſt referri ad converſationẽ humilem. Amaritudo ad mundi contemptum. *Mariæ* enim omnia mundana fuerunt amara. Salſedo ad pœnitentiam, & vitam auſteram. Acuties ſaporis ad intellectus ipſius radiationem, quà incerta divinæ ſapientiæ pandebantur ſibi. Pinguedo ad contemplationem, quà deguſtabat Cœleſtia. Acredo, ut ſic loquar, in conſideratione illatorum Filio. Stypticitas, quæ ex frigiditate, & caliditate immoderata generatur, ad vitam Virginis poteſt referri, quæ frigida ex puritate, & calida ex charitate. Ex prima cum Virginibus plùs quàm Virgo. Ex ſecunda Chriſti amatoribus fuit admirabilis. Inſipiditas ad gloriæ mundi declinationem. Et ſi Mater fuit talis Filii, tàm mira facientis, & Doctoris, non in gloria unquam eſt elata humana, ſed talis gloria ſibi ſemper fuit inſipida, quia aſſueta deguſtare divina.

15 Decima Regula. Si talia applicanda ſint diſtincta in odore: quia odor ad famam refertur, juxtà illud *Corinth.* 2. *Bonus odor ſumus in Chriſto*. Et alia Scriptura dicit: *In odorem curremus unguentorum tuorum*. *Cant.* 1. Suavitas odoris in *Maria* ad virtutum exempla habet referri, ſecundùm illud *Eccli.* 24. *Quaſi myrrha electa dedi ſuavitatẽ odoris.* Referri etiam poteſt ad ipſius dedicationẽ perfectã Domino, juxtà illud *Geneſ.* 6. *Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis*. Ad converſationem pacificam, & & honeſtam. *Geneſ.* 27. *Eccè odor filii mei, ſicut odor agri pleni*. Et *Ioan.* 12. *Et domus impleta eſt ex odore unguenti*: ideſt, tota Eccleſia, quæ eſt domus Dei ex converſatione Sancta *Mariæ*. Fortitudo odoris, ad patientiam *Mariæ*, quam habuit in illatis, refertur; vel paſſionis Filii. Unde ipſa poterat dicere illud: *Hoc recipiam, ultrà odorem ſuavitatis*.

Undecima Regula. Si talia applicanda ſint diverſorum ſonorum. Si talis ſonus ſit gravis, ad prudentiam applicatur *Mariæ*, quæ verbo gravis, & ponderoſa fuit. Acutus ſonus, ad orationis Mariæ à Deo acceptationem refertur. Statim enim ut Dei intrat aulas, exauditur. Superacutus, verborum *Mariæ* efficaciam dic participare. Hoc enim dicto verbo: *Eccè Ancilla Domini*: Statim Verbum ſuperacutum carnem ſuſcepit de ipſa. Vox gaudioſa, ſeu ſonus; ad jubilum internum reduc *Mariæ*. Auditis enim *Mariæ* Eliſabeth verbis, illud mirificum prodit Canticum: *Magnificat anima mea Dominum*. Vox lachrymoſa, & doloroſa, ſeu ſonus, ad conſiderationem Filii nos inducit, quò ad paſſionem. Soni tactu cauſati, *Mariæ* oſtendunt in verbis quò ad mentem operationem diverſam. Si tangunt peccatoris mentem, auditur ſtatim ſonus doloris, buccinæ, nabli, tybiæ, & cymbali. Si juſti, ſonus reſonat pſalterii, chori, cytharæ. Si flatu Spiritus Sancti, mens tangitur ejus meritis, tunc fit ſonus ſymphoniæ, & omnis generis muſicorum.

17 Duodecima Regula. Si talia applicanda, ſint diſtincta tactu: ſi ſunt calida, Mariæ amorem ad Deum, & nos oſtendunt. Si frigida extinctio-

tionem omnis incentivi ad malum in *Maria*, & puritatem declarant. Si ſicca, partum Virginis cum integritate referunt. Si humida, fructuoſitatem obtinent, & gratiæ copioſitatem in *Maria* arguunt. Si plana, ejus humilitatem commendant. Si aſpera, rigiditatem conſulunt, & abſtinentiam. Si mollia, *Mariæ* præferunt clementiam. Si dura, poteſtatem indicant in dæmones. Si levia, citivolum docent *Mariæ* volatum ad Deum. Si gravia, maturitatem prætendunt in geſtu, & motu *Mariæ*.

18 Tertiadecima Regula. Si talia applicanda ſint diſtincta penès animæ vires. Vegetativum dum ad Mariam applicatur, acceptum opus, fructum vivum, motum continuum dicunt. Senſitivum, reſurrectionem à vitiis *Mariam* facere in devotis operatione vivifica; lingua, os, & membra ad Dei voluntatem parata. Ratiocinativum, actus, & operationes, rationi congruas, ſurſum ſubtollere mentem, Deum laudare, gubernare ſeipſum ratione, & de hujuſmodi notitiam perfectam feciſſe *Mariam*, & facere quò ad ſibi devotos oſtendunt. Memoriam, ſi talia dicunt, aut ad ipſam ſpectant, gratitudinem oſtendunt in Maria, reſpectu beneficiorum ſibi à Deo exhibitorum, & collatorum devotis erga ipsã. Si intellectum, cognitionem de Deo ſuper omnes declarant eam habere. Si voluntatem, ad amorem perfectũ, & conjunctionem cum Deo habẽt referri.

Quartadecima Regula, & ultima. Si talia applicanda ſint artificialia ad uſus particulares operata: *Mariam* à Deo ordinatam propter noſtra commoda declarant, & pandunt. Sicut domus, noſtrum refugium eam eſſe dicunt; Civitas, noſtrum præſidium; Navis, noſtrum vehiculum, qua de terra ad Cœli ducimur portum; & ſic de conſimilibus.

CAP. IV.

Exponitur iuxtà Regulas prædictas, quòd Beata Virgo eſt omnium creaturarum, ac perfectionum compendium.

1 His igitur Regulis prælibatis, ad expoſitionem breviſſimam dictarum figurarũ ſuperiùs poſitarum eſt accedendum. Sed gratià exempli expono unam, ut qualiter prolixè aliæ habeant exponi, videatur. Et ſit illa, quæ in principio ponitur Scripturę. *In principio creavit Deus Cœlum, & terram. Geneſ.* 1. Dicatur ſic ſecundùm beatum Auguſtinum in lib. Quæſt. novi, & veteris Teſtamenti. Orbis conditor, Orbiſque Redemptor unus eſt Deus; & ideo conditionis, & reparationis opera ſunt penè ſimilia, eò quòd unius Opificis. Modò ad propoſitum. Sicut in principio creationis Mundi, cõdidit Cœlum, terram, & alia: Sic reverà in principio reparationis condidit Cęlum, ſcilicet *Mariam*; Terram, ſcilicet Sanctam Eccleſiam; Stellas, fideles Sanctos, & ſpecialiter Apoſtolos, qui fuerunt Stellę. Sed quod *Maria* in generali ſit, & poſſit dici Cœlum, patet. Cœlum enim, ut apparet ſenſui, eſt incorruptibile quò ad materiam, & quò ad formam; ſphęricum, & rotundum; quò ad ſitum, altum; quò ad colorem, lucidum; quò ad effectum, virtuoſum; quò ad permanentiam, perpetuum. Sic revera incorruptibilitas Cęli quò ad materiam, Virginis *Mariæ* exprimit puritatem, quia tota ſinè macula. *Cant.* 4. Forma, & figura ſphęrica, & rotunda, gloriam abyſſalem dicit *Mariæ*, quia tota immerſa Deo, in Deo, & per Deum rotundatur, & ſphæricatur. Situs altitudo, elevationẽ mentis clamat *Mariæ*. Perpetuitas, inceſſabilem proclamat ſubventionem *Mariæ* ad miſeros. *Suſpice* ergò *Cœlum*, ideſt, *Mariam*, *& numera ſtellas*, ideſt, gratias, miſericordias, & dona *Mariæ* in ſe, & in aliis. *Geneſ.* 18. Adducuntur concordantiæ de Cœlo, & Sanctorũ conditiones *Mariæ* declarãtes.

2 Non ſolùm *Maria* dicitur Cęlum in generali, ſed in ſpeciali dicitur Cęlum Empyreum, de quo dicitur: *In principio fecit Deus Cœlum, & terrã*. Quod, ut dicit Iſidorus lib. etymologiar. dicitur igneum, non à calore, ſed à ſplendore. Et ſecundum Baſilium in Examerone, eſt corpus primum, natura ſimpliciſſimum, de corpulentia habens minimum, eò quòd ſubtiliſſimum. primum Mundi firmamentum, quantitate maximum, qualitate lucidum, figuratione ſphæricum, locali ſitu ſupremum, à centro terræ remotum, amplitudine latiſſimum, ſpirituum, & corporum, viſibilium, & inviſibilium contentivum, Dei Summi habitaculum, immobile, & quietum. Iſtud Cœlum, ut Magiſter dicit 2. diſt. 1. Eſt illud, De quo ſcriptum eſt: *In principio creavit Deus Cœlum, & terram. Geneſ.* 1.

3 Hujus Cœli Empyrei deſcriptione duodecim ponuntur conditiones, quæ ſpiritualiter applicando ad *Mariam*, ipſam oſtendunt eſſe Cęlum tale, & per ipſum figuratam. Nam primitas ad prædeſtinationem antè alios puros homines refertur. Simplicitas ad noſtram intentionem. Subtilitas ad mundi deſpectionem. Firmitas ad boni, & in bono confirmationem. Magnitudo ad virtutis efficaciam. Forma ſphærica ad perfectionem in gloria, & quietationem. Altitudo ad gradum, quem tenet. Remotio à terrenis ad reſurrectionem jam plenam in Virgine. Latitudo ad capacitatem uteri Virginalis in ſuſcipiendo Dei Filium. Habitatio ad Dei gratitudinem, & dilectionem ad ipſam. Immobilitas ad conformitatem voluntatis perfectam. Luciditas ad vitæ ipſius perfectionem refertur.

4 Prò dictorũ concordia, gratià exempli adduco verba Scripturę. Prò primò, verbũ ſcilicet prælibatum: *In principio creavit Deus Cœlum, & terrã. Geneſ.* 1. Pro Secundo, illud *Ioſ.* 10. *Sol ſtetit in medio Cœli.* Pariter illud *Geneſ.* 1. *Vocavit Deus firmamentum Cœlum.* Amplius 2. *Machab.* 1. *De Cœlo habentes adjutorium.* Et alibi *Geneſ.* 26. *In rore Cœli deſuper erit benedictio tua.* Similiter illud *Luc.* 19. *Pax in Cœlo.* Ulterius *Eccl.* 1. *Altitudinem Cœli quis dimẽſus eſt.* Inſuper *Eccli.* 44. *Species Coeli gloria Stellarũ.* Deinde *Eccl.* 1. *Deus in Coelo eſt.* Et alibi *Ierem.* 13. *Coelũ ego impleo.* Demùm illud *Luc. ult. Ieſus ferebatur in Coelum.* Tandem *Eſa.* 66. *Coelum ſedes mea eſt.* Poſtremò, *Iacob.* 5. *Coelum dedit pluviam.* Poſſunt etiam adduci alia dicta Sanctorum, & Scripturæ, & qualiter, patet ex dictis.

5 Sciendum ulteriùs, quod una, & eadem figura numero tanget in uno membro quædam pertinentia ad primam diſtinctionem præmiſſam, de ſupercœleſtibus, & per conſequens talia, quomodò ſint exponenda, prima regula docet. In alio membro tanget aliqua de ſecunda diſtinctione, & tertià, & ſic de aliis, & talia debent exponi ſecundùm ſecundam regulam, vel tertiam, & ſic de aliis. Autoritates prò con-

concordià poſſunt adduci vocales, ut eſt illa figura, vel illud, prò quo adducitur principaliter figura, ut jam dixi de Cœlo. Vel concordiæ, quæ etſi non ſint vocales, ſint tamen reales; quià etſi non toti figuræ, vel cui figura principaliter applicatur, reſpondent ſaltem partibus figuræ. Hoc enim ſolùm habet figura, quandò diſtinctas partes, & diviſiones, ſeu diſtinctiones habet. Expoſitione dictæ figuræ poſita, accedendum eſt nunc ſuccinctè ad figuras propoſitas.

6 Quæ dicuntur de ſupercœleſtibus, poſſunt applicari *Mariæ*. Ipſa enim eſt

Seraph, ratione charitatis.
Cherub, ratione Sapientiæ.
Deo cohærendo eſt Thronus.
Quia diabolũ ab homine fugat, eſt ordo Poteſtatis.
Quia Imperatrix, eſt ordo Principatus.
Quia miracula plura exercet, eſt ordo Virtutum.
Cuſtodit Chriſti fideles, igitur eſt ordo Dominationum. Revelat ſacris inſpirationibus Dei magnalia ſuis devotis, eſt ordo Archangelorum.
Protegit ab hoſtium inſidiis ſuos fideles, eſt ordo Angelorum. Plura poſſent dici de iſtis, ſed hæc ad præſens dicta ſufficiant.

7 Quæ dicuntur de rationalibus, puta de mulieribus, poſſunt ad *Mariam* applicari. Ipſa enim Beata Virgo eſt

Eva, Mater omnium per gratiam.
Uxor Noe, per obedientiam.
Sara, per contemptum peccatorum.
Rebecca, per dilectionem.
Lia, in filiorum ſpiritualium multiplicatione.
Rachel, in exceſſu.
Maria Soror Moyſi, in laudatione.
Eliſabeth, in dedicatione.
Debbora, in judicio.
Iahel, in vigore.
Raab, in defenſione.
Ruth, in paupertate.
Noemi, in afflictione.
Anna Samuelis, in oratione.
Mulier Sichimita, in diaboli proſtratione.
Mater Samſonis, in filii Dei parturitione.
Abigail, in humilitate.
Michol, in prudentia.
Bethſabee, in ſublimatione.
Abiſag, in Chriſti educatione.
Mulier Thecuites in obſecratione.
Ioſabeth, per diſcretionem.
Mulier Sunamitis, per pietatem.
Addon, per prophetiam.
Thamar, in elegantia.
Suſanna, in honeſtate.
Sara Tobiæ, in exercitio.
Eſther in populi liberatione.
Iudith, in auſteritate.
Et Mater ſeptem fratrum, in conſtantia.

8 Per hæc, de ſimilibus poteſt faciliter judicari, quia non ſolùm *Maria* dictis mulieribus ſic ſimilatur; verùm etiam nominibus eis competentibus nuncupatur. Dicitur enim *Maria*,

Virago ratione fortitudinis.
Mater, per miſericordiam.
Una, & perfecta, per excellentiam.
Electa, per ſingularitatem Sanctitatis.
Regina, per Solium.
Domina, per venerationem.
Filia, per complacentiam.
Soror, per charitatem.
Sponſa, per virtutem.
Nutrix, per dulcedinem,
Mulier, per compaſſionem.
Tympaniſtria, per obſervantiam.
Ancilla, per obſequium.
Advocata, per ſubſidium, quod præſtat invocantibus; & ſic de conſimilibus.

9 Cœleſtia ad Virginem ſic applicantur. *Maria* eſt Cęlũ Empyreũ, ratione ſuſceptionis Verbi divinalis.

Firmamentum, ratione ſtabilitatis in bono.
Stella, per virginitatem.
Matutina, per directionem.
Sidus, ideſt, plures Stellæ ſimul, per juſtitiam.
Aſtrum, per influentiam.
Polus, per ſecuritatem.
Sol, per vitam exemplarem.
Luna, per ſui deſpectionem.
Lux, per integritatem.
Lumen, per ſuſceptionem radiationis divinæ.
Dies, per ſapientiam.
Nox, per abſconſionem.
Meridies, per favorem.
Aurora, per illuminationem.

10 Si elementa, & talium figuræ ad Virginem applicantur.

Ignis eſt *Maria*, per Dei orationem.
Terra, per operis virorem.
Aqua per dulcorem, ſed
Aer, per ſui ad preces aliorum inclinationem.

Si in aere generata applicentur. *Maria* eſt

Arcus, per peccatorum pacem, quam impetrat.
Nubes, per gratiæ infuſionem.
Nebula, per carnis ſuæ Deo adminiſtrationem.
Nix, per pudicitiam.
Ros, per inſpirationem.
Aura, contra diaboli ignitam tentationem.

11 Per creaturas animà carentes, *Maria* eſt figurata. Eſt enim

Mons, per Sanctitatem
Petra, per ſubſidium.
Solitudo, per fugam.
Vallis, per humilitatem.

Per ſententia eſt *Maria* figurata. Eſt enim

Turtur, per devotionem.
Columba, per operationem.
Ovis, per mititatem.
Vellus, per miſericordiam.
Cerva, per cœleſtium deguſtationem.
Collum, per ſupportationem.
Cor, per dilectionem.

12 Figuratur per vegetantia *Maria*. Ipſa enim eſt

Arbor miſericordiæ.
Radix clementiæ.
Virga directionis.
Cedrus contemplationis.
Cypreſſus converſationis.
Palma victoriæ.
Roſa continentiæ.
Oliva fiduciæ.
Platanus juſti.
Ficulnea dulcedinis.
Vitis Sanctitudinis.

Terebinthus contrà dæmones.
Abies paupertatis.
Sethim ſtabilitatis.
Amygdalus maturitatis.
Rubus contrà hæreticos.
Nemus virtuoſorum.
Cinnamomum patientiæ.
Balſamus conſcientiæ.
Myrrha incorruptionis.
Storax, & Galbanus ædificationis.
Thus, & Libanus mortificationis.
Nardus obedientiæ.
Flos omnis innocentiæ.

13 *Maria* per loca Deo dicata figuratur. Ipſa enim eſt

Domus Dei, in qua novem menſibus requievit.
Aula Dei, per mentis dedicationem.
Civitas Dei, per aſſiduam Dei in ipsà ſpecialem habitationem.
Arca fœderis præceptorum impletione.
Templum Dei, per orationem.
Oraculum, & Sancta Sanctorum, per ſui totam Deo exhibitionem.
Propitiatorium, per veniæ peccatoribus impetrationem.
Altare aureum, per incendium, & cordis Deo adhæſionem.
Velum, per protectionem.
Atrium in ſuſceptione.
Cœnaculum, per requiem.
Et Candelabrum, per cœleſtis Curiæ illuminationem.

14 Per operata ab homine, prò ejus utilitate eſt Beata Maria figurata. Eſt enim

Exemplar, & liber perfectorum.
Speculum exemplorum.
Vas donorum.
Civitas miſerorum.
Murus refugiorum.
Turris Sanctorum.
Porta Cœli Cœlorum.
Aquæductus gratiarum.
Paradiſus afflictorum.
Ager benedictionis.
Feneſtra deſperatorum.
Thalamus devotorum.
Thronus ſperandorum.
Ferculum, id eſt, ſedes meritorum.
Horrreum contemplativorum.
Cellarium præmiorum.
Fornax, & clibanus mundanorum.
Navis, & Portus naufragorum.
Scala Cœlum adeuntium.
Arca laborantium.
Tabernaculum agonizantium, &
Columna in ea ſperantium.

15 Per ea, quæ ex terra progrediuntur, eſt Maria figurata, ſcilicet per fluvium, puteum, fontem, & ſic de conſimilibus, ratione redundantiæ gratiarum. Eſt figurata per gemmam, ratione ſplendoris operis virtuoſi. Per argentum, ratione informationis; per aurum, ratione valoris præ omnibus; per electrum, ratione excitationis. Ex dictis apparet generaliter, qualiter dictæ figuræ debent ad Virginem applicari. Inſuper claret, quomodò figuræ ſacræ Scripturæ, quas hic omiſi, habent exponi. Et ſic patet primus modus exponendi figuras, quæ ad Virginem applicantur. Reſtat ergò videre de ſecundo modo.

16 Secundus modus eſt, ut ad ſingulos actus vitæ Virginis figuras applicemus, non omnes, ſed aliquas, ut quid de conſimilibus, ſit dicendum, videatur. Ad quod videndum, non ſingulos actus, ſed principaliores referendo, ſit actus in ordine primus.

De primo actu vitæ Virginis, videlicet, de ipſius ante omnes prædeſtinatione. De hoc habetur figura de Cœlo antè omnes creato. Et de ſapientia antè omnia creata, & condita. *Dominus poſſedit me. Ab æterno ordinata ſum. Prov.* 6.

De ſecundo actu, ſcilicet ipſius prænunciatione, ſub figura, de Stella per Balaam, quæ oriri deberet ex Jacob. De virga in radice Jeſſe. De muliere, quę circundaret virum.

De tertio actu, videlicet de puriſſima Virginis conceptione, eſt figura de ſeparatione lucis à tenebris: de Amica Sponſi totà ſinè maculà.

De quarto actu, ſcilicet nominatione Virginis, eſt figura de Eva, quam ſic Adam, & Deus vocavit; eò quod eſſet Mater omnium viventium.

De quinto actu, ſcilicet ſanctificatione Beatæ *Mariæ*, eſt figura de Nube, quæ texit tabernaculum fœderis.

De actu Nativitatis, & in mundum educatione, eſt figura de Sole orto ſuper terram, & de luce Iudæis orta.

De plebis ob Nativitatem Beatæ Mariæ gratulatione, eſt figura de filiis Iſrael, qui videntes Arcam gaviſi ſunt: & de lætitia facta in Templi dedicatione.

17 De *Mariæ* in templo locatione, eſt figura de Arca Dei locata in Civitate David, & locata in Sancta Sanctorum, & in tabernaculo fœderis.

De *Mariæ* cibatione de Cœlo, eſt figura de Sorore Moyſi, quæ unà cum aliis panem de Cœlo comedit.

De figuratione, & conſecratione, eſt figura de tabernaculo Domino conſecrato, & de Templo conſecrato.

De *Mariæ* deſponſatione, eſt figura de Rebecca deſponſata Iſaac, de Abigail David, de Sara Tobiæ.

De dilectione Dei ad *Mariam* eſt figura de Rebecca dilecta ab Iſaac, de muliere à Samſone, de Rachel dilecta à Iacob.

De *Mariæ* fœcundatione, eſt figura de virga Aaron florente illicò, & fructum faciente; ſed quod de Spiritu Sancto, eſt figura de gloria Domini, quæ implevit tabernaculum, & templum.

De viſitatione Eliſabeth per *Mariam*, pariter & miniſtratione, eſt figura de Noemi, quæ filium Ruth ſuſcepit, & nutrivit.

18 De contemplatione, & *Mariæ* exceſſu, eſt figura de Arca, quam aquæ, ideſt, dona gratiarum, elevaverunt in ſublime. De nube elevata. De tabernaculo. De cantico edito à Sorore Moyſi, & Anna.

De parturitione *Mariæ* Filii, ſinè corruptione, eſt figura de lapide abſciſſo de monte ſinè manibus; & de Porta clauſa.

De perfectione Mariæ, & principatu ſuper omnes mulieres, eſt figura de Iudith, & de muliere forti.

De *Mariæ* in gratia repletione, eſt figura de fonte, qui quatuor flumina emittit: quia *Maria* ad quatuor orbis partes ſua dona gratiarum tranſmittit.

De operatione, & converſatione Beatæ Virginis, eſt figurà de Ruth multæ virtutis: & de Judith, de quà nullus loquebatur verbum malum.

De nutritione Ieſu, quam habuit Virgo Beata, eſt figura de muliere, quæ nutrivit Moyſem de Noemi, quæ nutrivit Obeel: & de Annà, quæ Samuelem.

De *Mariæ* dolore in paſſione ſui Filii, eſt figura & de Anna uxore Tobiæ, quæ irremediabilibus lachrymis filium lugebat.

De *Mariæ* lætitià habita in Ieſu Filii ſui reſurrectione, & apparitione eidem, eſt figura de Anna filio habito; & de Anna Tobiæ filio viſo.

19 De Apoſtolorum per *Mariam* informatione, eſt figura de Debbora, ad quam ibant filii Iſrael: & de Adon Prophetiſſa.

De vocatione Beatæ *Mariæ*, eſt figura de vocatione Rebeccæ: & mulieris Sunamitis per Eliſæum: & de Bethſabee ad David.

De ſuſcitatione *Mariæ* ſemper Virginis, eſt figura de Sunamite vocata, quæ ſtetit coram Eliſæo: de Sponſa: de Aurora ſurgente: de nube à mari.

De deductione Beatę *Mariæ* ad Superos, eſt figura deductionis Arcę cum gaudio à David, & filiis Iſrael.

De ſublimatione Beatę Virginis, eſt figura de Bethſabęe collocata in throno ad dexteram Regis Salomonis.

De *Mariæ* ſuper omnes in glorià elevatione, eſt figura de Regina Eſther introducta ad cubiculum Aſſueri, & quam ſuper omnes mulieres Rex amavit, & poſuit diadema regni ſuper caput.

De Cœli, & gloria *Mariæ* illuminatione, eſt figura de luminari maiori, *ut præeſſet diei*, ideſt, toti cœleſti Curiæ.

20 De Sanctorum ad *Mariam* veneratione, eſt figura de Salomone, qui ivit obviam Matri, & adoravit eam.

De irradiatione *Mariæ* à Deo eſt figura de Regina Saba, cui fecit perſpicuum Salomon omnia, quæ habebat in corde.

De Dei ad *Mariam* condeſcenſione, eſt figura de Bethſabee, cui dixit Salomon, ut peteret, quod vellet: & de Eſther.

De diaboli ſub *Marià* ſubtractione, & ſubiectione, eſt figura de Judith, quæ Holophernem occidit: de Iahel, quæ Siſaram interfecit: de muliere Sichimità, quæ Abimelech oppreſſit.

De *Mariæ* circa nos protectione, eſt figura de Raab, quæ viros à morte liberavit: & de muliere abſcondente Achinaas, & Ionathan, & de Iudith.

De Mariæ dominio, miſericordia, & gratià ipſius, eſt figura de Bethſabee, cui Rex Salomon omnia, quæ petiit, tribuit: de arbore magna, ſub qua, & in qua degebant omnia animalia, & volatilia.

CAP. V.

Quod Mariæ *Nomen eſt theſaurus excellentiarum ipſius Virginis* Mariæ.

1 QUid enim ſequitur ex iis, quæ diximus hùc uſque, niſi quod Sacratiſſimum *Mariæ* Nomen eſt theſaurus excellentiarum, quæ de omnibus creaturis collectæ in ipsà reperiuntur? Ab ipſis literis Parthenii Nominis non diſcedo, ſi enim ſingulas conſidero, ſingulæ ſunt theſauri, & omnes indicant theſauros multos. Verùm quia ſunt in Virgine excellentiæ quædam, ut ita dicam, individuales, & perſonales; & aliæ ſunt per appropriationem: quæ tamen omnes ſimul ditiſſimum gratiarum omnium, & dotium in Virgine conficiunt theſaurum: ideò prius eſt dicendum de primis, deindè de reliquis iuxtà ſcalam, & ordinem rerum creatarum, ſivè naturalium, ſivè artificialium.

2 Et primò quidem Albertus Magnus, Myſticæ Anatomiæ *Mariæ* Nominis inventor, excellentias Deiparæ individuales ex literis ejuſdem Nominis eduxit, ut meritò ipſe in hoc genere tulerit primatum. Nam *Serm.* 32. *de Aſſumpt.* Beatę Marię, qui habet prò themate: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? Cant.* 6. Nota, inquit, quod hęc verba per admirationem dicuntur de admirabili Matre mirabilis Dei noſtri. Undè quinque principaliter ſunt hìc notanda.

1. Quarè Beata Virgo progredi dicatur?
2. Quę ſit cauſa, quod Aurora vocatur?
3. Quę ſit ratio, quod pulchra ut Luna nuncupatur?
4. Propter quid electa ut Sol aſſeratur?
5. Cur etiam terribilis ut caſtrorum acies aſtruatur?

3 Igitur ſciendum eſt, quod hęc quinque quaſi ex ipſo Nomine glorioſę Virginis innuuntur. Ipſa enim *Maria* vocatur. Hoc nomen conſiſtit ex quinque literis, videlicet. M, A, R, I, A. Ponamus ergò.

Prò M, mediatrix.
Prò A, alleviatrix.
Prò R, reparatrix.
Prò I, illuminatrix.
Prò A, auxiliatrix.

Et invenimus, quare de Beatà Virgine dicatur, quod *Progreditur*: Et *quaſi Aurora conſurgit*: Et quod *pulchra eſt ut Luna*: Et *electa ut Sol*: Ac terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

Et nota, quod univerſum Genus humanum propter peccata primorum Parentum, videlicet Adę, & Evę, & etiam propter proprios exceſſus, quinque mala inciderat, ſcilicet: Dei Patris offenſionem: interni languoris vexationem: Spiritualium virium defectionem: mentis, ac cordis obtenebrationem:

Et

Et crudelium hoſtium infeſtationem. Sed propter hęc quinque mala tollenda facta eſt Dei Genitrix.

Mediatrix.
Alleviatrix.
Reparatrix.
Illuminatrix. Et
Auxiliatrix.

§. I.

Maria *eſt Mediatrix.*

4 DE primo nota. Gloſſa. Dei Genitrice inter dulces amplexus Sereniſſimi Filii ad Cœlos aſcendente, omnes Angelici ſpiritus, & univerſæ animæ electorum in laudem Beatæ *Mariæ* prorumpentes, dicunt: *Quæ eſt iſta?* Ideſt, quam bona, quam pia, quam laudabilis, & quam admirabilis, piè *progreditur*, ideſt, prò reis graditur, velut *Mediatrix*. Recognoverunt enim, quòd ipſa Ieſum genuerat, qui mundum Deo Patri per proprium cruorem reconciliaverat: unde dicit 2. *ad Corinth.* 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*. Unde & quotidie cantamus in Miſſa: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, &c.* Recognoverunt etiam omnes Angelici Cives, quòd propterea Beata Virgo ſuper omnes Angelorum choros elevabatur, ut pro peccatoribus quaſi pia *Mediatrix* jugiter intercedat. Undè & dicit ſecreta Oratio. *Munera noſtra apud clementiam tuam Deus, Genitricis commendet oratio, quam idcircò de præſenti ſeculo tranſtuliſti, ut pro peccatis noſtris, apud te fiducialiter intercedat.* Hinc etiam verus Salomon, ideſt, Dei Filius, dicit ad matrem ſuam 3. *Reg.* 2. *Pete Mater mea, neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam.*

5 Ut autem Filius apud Patrem, & Mater apud Filium prò nobis efficacius intercedat, bonum eſt, nè aliquis noſtrum, vel Filium, vel Matrem offendat. Ille Filium, & Matrem offendit, qui in diebus Dominicis Reſurrectioni Filii conſecratis, & in ſolemnitatibus Beatę Virginis choreas frequentat, ac tabernas, & qui tunc ludis, in quibus multa iuramenta proferuntur, vacat, & luxuriis. Certè Beata Virgo nunquam luſit. Undè, & ipſa dicit *Tob.* 3. *Nunquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his, qui in levitate ambulāt, participem me præbui.*

§. II.

Maria *eſt Alleviatrix.*

6 SEquitur de ſecundo: *Quaſi Aurora conſurgens.* Hic recognoſcunt Angeli, & ſanctæ animæ, quod Beata Virgo eſt ægrotantium *Alleviatrix*. In ortu ſiquidem Auroræ ægrotantes lenius conſueverunt habere. Legitur etiam in Geneſi, quod Angelus Iacob in ortu Auroræ benedixit. Et nota, quod *Aurora* dicitur quaſi *aurea hora*. Tempus enim Auroræ præ aliis horis, ægrotis eſt chariſſimum. Et verè Beata Virgo præ omnibus aliis Sanctis, infirmis peccatoribus chariſſima eſt, atque gratiſſima. Ipſa quippè Dei Filium, qui eſt medicina omnium infirmitatum, protulit toti Mundo. Undè *Eccli.* 38. *Altiſſimus de Terrà creavit medicinam, & Vir prudens non abhorrebit eam.*

7 Itaque Beata Virgo eſt illa benedicta terra, de qua Altiſſimus, ideſt, Deus Pater, medicinam fidelium, ideſt, Ieſum Chriſtum ſecundum corpus creavit, & animam: ſecundum divinitatem quippè ſemper extitit increatus. Et verè prudens qui fuerit, non abhorrebit hanc medicinam. Hæc autem medicina quotidiè nobis exhibetur in venerabili Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Undè & in quadam Complendà Oramus: *Sit nobis, quæſumus Domine, medicina mentis, & Corporis, quod de ſancti altaris tui benedictione accipimus, &c.* Multi mulierem fornicariam, vel pecuniam, vel aliam rem malè acquiſitam huic medicinę pręponunt. Malunt enim carere Chriſti corpore, quam amaſiam dimittere, vel pecuniam, ſeu aliam rem iniuſtè conquiſitam reſtituere.

§. III.

Maria *eſt Reparatrix.*

8 SEquitur de tertiò: *Pulchra ut Luna*. Hic teſtatur omnis familia Regis ęterni, quod Beata Virgo eſt debilium *Reparatrix*. Sicut enim Luna in ſuo incremento corporibus humores recuperat: Sic & Beata Virgo Deum Iſrael concepit, & peperit, *qui dat virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ*, ut dicitur in *Pſal.* 67. De hac Lunà dicitur *Eccli.* 43. *Luna creſcens admirabiliter in conſummatione.* Beata nempè *Maria* crevit ut Luna, non autem decrevit. Ibat enim de virtute in virtutem, donec fieret Luna perfecta in ęternum.

9 Ità & nos, chariſſimi, in virtutibus, & bonis operibus de die in diem creſcere debemus. Hinc eſt, quod dixit Dominus in Geneſi Noe, & filiis eius: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Per Noe intelliguntur divites, & Pręlati: per filios eius notātur pauperes, & ſubditi. His omnibus dicit Dominus: *Creſcite* in virtute, & *multiplicamini* in bonis operibus; ſic enim replebitis terram viventium. Quidam autem è converſò quotidiè deficiunt, & peiores efficiuntur.

§. IV.

Maria *eſt Illuminatrix.*

10 SEquitur de quartò: *Electa ut Sol*. Hìc proclamat Cœleſtis exercitus, quod Beata Virgo Cœli, & terrę eſt *Illuminatrix*. Sicut enim Sol illuſtrat tenebras hujus mundi; ità & Ipſa ęterno Soli preparavit tabernaculum ſuum, qui ortus eſt ex eà, & illuminavit his, qui in tenebris ſunt, & umbrà mortis. Ortum hujus Solis predixerat *Malachias* 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ: & ſanitas in pennis eius.* Chriſtus igitur eſt *Sol juſtitiæ*, qui mundum iſtum vità pręclariſſima, & doctrinà rectiſſima illuſtravit. Qui etiam in iudicio exceſſus impiorum declarabit. Et verè *Sanitas in pennis eius*. Ad quemcunque enim Sol iſte tunc volaverit, ideſt, cujus corpus, & animam

tunc

tunc glorificaverit, ſanitatem ei largietur æternam.

11 Dicitur etiam *Eccli.* 42. de Filio Dei, & Matre eius: *Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius.* Hæc verba ſic intellige: quod duplex eſt Sol Cœli, videlicet Dei Filius, & Mater eius. Hi ergo Soles per omnia reſpiciunt, ideſt, cuilibet de omni ſervitio, quod ipſis impenſum fuerit, ſpeciales ſcutellas æternæ retributionis tranſmittent, ſicut Principes facere conſueverunt.

§. V.

Maria *eſt Auxiliatrix.*

12 SEquitur de quinto *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Hìc innuitur, quod Beata Virgo fidelium, contrà dæmones, & ſeptiformem turmam vitiorum dimicantium eſt fortis *Auxiliatrix*: undè de ipsà dicitur *Cant.* 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eà, omnis armatura fortium.* Nota, quod per collum intelligitur Beata Virgo, per ipſam enim quaſi Excellentiſſimam totum corpus Eccleſiæ unitur capiti Chriſto. Hæc eſt *ſicut turris David*, ideſt, *manu fortis*: quia fideles in eà forte refugium inveniunt. Et hæc eſt *ædificata cum propugnaculis*, ideſt, adjutorium habet à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. *Mille* etiam *clypei*, ideſt, omium Angelorum præſidia, *pendent ex eà*, ad defenſionem ipſorum, qui confugerunt ad ipsā *Omnis* etiam *armatura fortium* pendet ex ipsà, quià omnes electi eum, quem ipſa adiuvare voluerit, adiuvabunt.

Bonum eſt ergò, chariſſimi, quod per veram pœnitentiā ſic modo ad iſtam fortem *Auxiliatricem* confugiamus, ut per Ipſam protectionem in die iudicii contrà omnes noſtros adverſarios habeamus.

CAP. VI.

In quinque literis Parthenii Nominis aliæ quinque Virginis excellentiæ comprehenduntur.

1 QUod rarum, hoc pretioſum. Quod ſingulare, hoc excelſum, & mirum. Phœnix quia rarus, immò de ſingularitate famoſus, ideò pretioſus, & mirus. Parthenium Nomen planè pretioſum, & mirum, ſingulare, & excelſum, inclytum, rarum, omnique excellentià præditum, donorum, & gratiarum copiis, atque divitiis ità fœcundum, ut iure merito bonorum omnium theſaurus poſſit appellari. Ex hac ergò uberrimà theſaurorum fodina, quinque eruimus Dei Matris excellentias, quæ literis ſui nominis ſignificantur, & *Mariæ* Nomen componunt; quarum prima, quam ſuperius breviter tetigimus, hìc fuſius explicanda, ſcilicet eſt.

1. *Mediatrix.*
2. *Amica.*
3. *Recta.*
4. *Innocens.*
5. *Admirabilis.*

Singulæ autem ſingulis paragraphis exponendæ, ut dicendorum ratio faciliùs teneatur; quod & in reliquis obſervandum.

§. I.

Maria *eſt* Mediatrix.

2 IAcobus de Voragine *ſerm.* 96. De Beatà Virgine. *Mediatrix noſtra*, inquit, eſt Virgo *Maria*. Undè dicit Bernardus. *Mediatrix* eſt *Maria* inter Solem, & Lunam, ideſt, Chriſtum, & Eccleſiam. Vel inter Solem, & nubem. *Mulier amicta Sole*. *Apocal.* 12. Nam veſtit Solem nube, ideſt. Subſtantià carnis, & veſtitur ab eo, ſplendore, ideſt glorià maieſtatis. Dicitur autem *Mediatrix* quantum ad ſex modos.

Primò enim eſt *Mediatrix* noſtræ ſalutis, & quantum ad hoc vocatur medium terræ. *Pſal.* 73. *Deus autem Rex noſter antè ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ*, ideſt, in utero Matris *Mariæ*. De iſto medio terræ ſic dicit Bernardus. Ad ipſam ſicut ad medium, ſicut ad cauſam rerum omnium, ſicut ad negotium ſeculorum reſpiciunt, & qui habitant in Cœlo, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui nos ſequentur; & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Qui in Cœlo ſunt, ut reſtaurentur, qui in inferno, ideſt, Patres antiqui, ut eripiantur, qui præceſſerunt Prophetæ, ut fideles inveniantur, & qui ſequuntur, ut glorificentur.

3 Secundò eſt Mediatrix noſtræ coniunctionis, & unionis: quia nos disjunctos & diviſos à Deo, tanquam Mediatrix coniungit, & unit. Bernardus in *ſerm.* de Aſſumptione. Pretioſum munus terra noſtra duxit in Cœlum, ut dando, & accipiendo, amicitiarum felici fœdere copulentur humana divinis, terrena cœleſtibus, ima ſummis. Et quantùm ad hoc dicitur Sol. *Cant.* 6. *Pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Sicut enim Sol habet ſupra ſe tres Planetas ſuperiores, & infra ſe tres alios inferiores, & ipſe eſt in medio coſtitutus: ſic Beata *Maria* habet ſupra ſe tres in Trinitate Perſonas, infrà ſe verò habet tres ſtatus ſalvandorum, ſcilicet Virgines, Continentes, & Coniugatos; & ipſa eſt in medio conſtituta, còniungens, & uniens illos tres ſtatus beatiſſimæ Trinitati.

4 Iſtam autem coniunctionem non poteſt aliquis facere, niſi Deus, vel ipſa. Undè dictum fuit Sancto *Iob.* 38. *Nunquid coniungere valebis micantes Stellas Pleiades?* Illæ Stellæ dicuntur Pleiades à pluralitate, quia ſunt ſeptem ſecundùm Gregorium: quia ſeptima latet, & ſex tantum apparent. Tres igitur ſunt Stellæ ſuperiores, ſcilicet tres in Trinitate Perſonæ; & tres ſunt inferiores, ſcilicet tres ſtatus ſalvandorum: & ſic iſtas tres ſtellas nemo poteſt coniungere; quia tres ſtatus ſalvan-

van-

vandorum Beatæ Trinitati nemo poteſt unire niſi Deus, & Virgo Beata. Septima autem Stella, quæ latet, ſignificat congregationem omnium malorum, quæ quidem latet, & ignoratur, quia malorum congregatio in numero electorum non computatur, & à Deo penitùs ignoratur, iuxtà illud *Matth. 25. Amen dico vobis, neſcio vos*.

5 Tertiò eſt Mediatrix noſtræ iuſtificationis. Dæmones igitur noſtrã iuſtificationem impediunt, vel ſuis tentationibus nos ſæpè infeſtando, vel in bonis operibus nos impediendo, vel à finali perſeverantia nos retrahendo. Sed Virgo Beata omnia iſta impedimenta expellit, & ideò noſtram inſtructionem perficit, & quantum ad hoc vocatur Aurora. *Pſal. 103. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt & in cubilibus ſuis collocabuntur*, ſcilicet catuli leonum, & beſtiæ ſilvæ. De quibus Pſalmiſta dixit: *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſam pertranſibunt omnes beſtiæ ſilvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant, &c.* Deinde ſubdit: *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt.* Ortus eſt igitur Sol, ideſt, lux Solis, ſcilicet Aurora, ideſt, Virgo *Maria*. Et eius ortus tria bona fecit.

6 Primò expulit omnem dæmonum tentationem. Et ideò dicit. *Et congregati ſunt*, ſcilicet leones, ideſt, dæmones ad fugiendum: *& in cubilibus ſuis collocabuntur*; ideſt, in inferno abſcondentur.

Secundò reddit hominem expeditum ad bonam operationem; ideò ſubdit: *Exibit homo ad opus ſuum*: ideſt, liberè, & expedite faciet opera meritoria.

Tertiò conſervat hominem benè operantem, uſque ad finalem conſummationem; ideò ſubdit: *Et ad operationem ſuam uſque ad veſperam.* Sunt quidam, qui operantur in mane, qui ſcilicet benè incipiunt: alii operantur uſque ad meridiem, ſcilicet qui benè incæperunt, & benè proſecuti ſunt, vel fuerunt, ſed tamen poſtmodùm defecerunt. Alii operantur uſque ad veſperam, qui ſcilicet benè incipiunt, melius proſequuntur, & optimè finiunt.

7 Quartò eſt *Mediatrix* noſtræ reconciliationis. Peccator enim inimicus Dei eſt, propter peccatum carnalis concupiſcentiæ vel ſuperbię, vel avaritiæ. Iſta autem *Mediatrix* iſtos Dei inimicos ſæpè reconciliat, dùm eos ad pœnitentiam revocat: ideò vocatur Luna. *Cant. 6. Pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Luna quidem immutat aerem, eſt vicina terræ, & dominatur ſupra mare. Sìc & Beata Virgo aerem mutat, quandò ſuperbos, & elatos ad humilitatem revocat. Eſt vicina terræ, quia parata eſt in avaris extinguere avaritiam cupiditatis terrenæ. Dominatur ſupra mare; quia extinguit, & exſiccat aquas carnalis concupiſcentiæ. Aqua maris eſt lucida, ſed amara: ſic & carnalis concupiſcentia videtur habere dulcedinem, ſed generat amaritudinem. *Prov. 5. Favus diſtillans labia meretricis, & nitidiùs oleo guttur eius.* Eccè aqua clara. *Noviſſima autem illius amara quaſi abſinthium.* Eccè aqua amara.

8 Propter illa tria de ipsà Virgine *Maria* tria dicuntur *Eccli. 24.* Quod ſuper mare ambulabat. *In fluctibus*; inquit, *maris ambulavi*. Quod colla Superborum calcat. Ideò ſubdit: *Et omnium excellentium, & ſublimium colla propriâ virtute calcavi.* Quod ipſa inferiores partes terræ penetrat. Undè dicitur ibidem: *Penetrabo inferiores partes terræ.* Tunc igitur ſuper mare ambulat, quandò carnalem concupiſcentiam in nobis ſuppeditat. Tunc ſuperborum colla calcat, & domat, quandò ſuperbos ad humilitatem revocat. Item inferiores partes terræ penetrat, quandò profundatos in amorem terrenorum, gratià ſuæ viſitationis ab omni terrenà cupiditate immutat.

9 Quintò eſt *Mediatrix* noſtræ advocationis. Ipſa enim tanquam noſtra *Mediatrix* prò nobis advocat antè Deum. Qualiter autem ipſa ſit *Mediatrix* noſtræ advocationis, in quadam viſione oſtenditur. Erat enim quidam gravis peccator, qui in viſione ductus eſt ad iudicium antè Deum. Tunc diabolus per quatuor allegationes voluit probare illum eſſe ſuum.

Primò, jure inſtrumenti, quod Deus dictavit, quandò dixit: *Quacunque horà comederitis, morte moriemini. Geneſ. 2.* Cùm ergò iſte ſit de eius progenie jure inſtrumenti publici, morte perpetuà debet mori. Ad quod *Mediatrix* noſtra reſpondit: Illud inſtrumentum dęmon falſificaſti, quandò ibi *nequaquam* appoſuiſti. Et ideò tanquam falſarius es repellendus.

Secundò, dixit eſſe ſuum iure præſcriptionis, quia multis annis eum in ſervum poſſederat. Ad quod illa reſpondit. Illa præſcriptio ſæpè fuit interrupta; quia ratio eius ſemper murmurabat, & contradicebat, quod tam crudeli Domino ſerviebat.

Tertiò dixit ipſum eſſe ſuum, & in infernum demergendum ratione proprietatis ipſius peccati. Nam proprium peccati eſt eſſe ponderoſum, & trahere ad locum infimum, & ideò demergi in profundum inferni. Sed Virgo ad hæc reſpondit: quod Paſſio, & pœna Filii ſui omnibus peccatis ampliùs ponderavit.

Quartò dicebat ipſum eſſe ſuum, quia plura ſunt eius mala, quam bona. Tunc ad præceptum Iudicis allata eſt ſtatera: & dùm pars Stateræ, in qua erant mala, multum ponderaret, & alia parum: Mater miſericordiæ ſuper illam partem ſtateræ, in qua erant eius bona, manum appoſuit, & ad terram traxit. Tunc diabolus confuſus aufugit: Vir autem ille evigilans vitam ſuam correxit, & in meliùs mutavit.

10 Sextò, eſt Mediatrix ratione communicationis: quia adhuc cùm eſſet in mundo, adhuc communicabat cum Sanctis, qui ſunt in vià, & cum illis, qui ſunt in Patrià. Et quantùm ad hoc poteſt appellari firmamentum, quod eſt in medio aquarum, quæ ſunt ſuper Cœlos, & illarum, quæ ſunt infrà Cœlos. *Geneſ. 1. Fecit Deus firmamentum in medio aquarum*: ideſt, Sanctorum, qui ſunt in vià, & qui ſunt in Patria. Ipſa enim tanquam media communicat cum utriſque. Nam cum Superioribus qui ſunt in Patrià, habuit omnimodam virtutum perfectionem. Cum inferioribus, qui ſunt in mundo habuit merendi conditionem. Cum ſuperioribus habuit ſecuritatem contrà Caſum. Cum inferioribus poſſibilitatem ad meritum. Cum ſuperioribus exultationem. Cum inferioribus cordis compaſſionem. Hæc Voragines. Et verè Deipara dùm viveret in terris, inter comprehenſores, &

Viatores *Mediatrix*, ſive *Media* fuit. Nam, ut dicit Philoſophus, medium participat naturam extremorum.

§. II.

Beata Virgo eſt Amica *Dei*.

11 IOannes Raulinus Cluniacenſis *ſerm. 1. de Virginis Aſſumpt.* exponens in perſona Deiparæ illud *Cant. 5. Filiæ Ieruſalem nunciate Dilecto meo, quia amore langueo*, curioſam excitat quæſtionem: nimirum qua ratione B. Virgo ſe dicat Amicam Dei. Quæritur, inquit, quomodo *Maria* ſe præſumit dicere *Amicam* Dei; cùm nemo ſciat, an amore, vel odio dignus ſit; quomodò igitur dicit: *Nunciate Dilecto?* Reſpondetur, quòd illud, quod ſe dicit priùs Ancillam Dei, fuit ex humilitate: quòd nunc ſe *Amicam* vocat, & ipſum Dilectum, hoc fit ex amore. Antequam enim eſſet Mater Dei, humilitas tunc ſceptrum tenebat, & in ea omnia dirigebat. Poſtquam verò Mater effecta eſt Dei, tunc crevit dignitas, crevit familiaritas, crevit meritum, crevit amor. Ideò tunc amor omnia regebat: ideò nonniſi amoris verba pronunciare poterat, appellans ipſum Dilectum. Prætereà quis neſciat id eſſe commune Matrum ſuós natos appellare dilectos? Cur igitur *Maria* natum ſuum Dilectum non appellabit?

12 Prætereà ex Scriptura Sacra ſeptem modis quis convincitur eſſe amicus Dei. Primò propter fidem, ut patuit in Abraham, juxtà illud *Geneſ. 20. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*: & amicus Dei appellatus eſt, ut ita Deus familiariter loqueretur cum eo. Secundò propter manſuetudinem, ut Moyſes, qui mitiſſimus fuit omnium hominum, qui erant in terra. Ideò amicus Dei appellatus eſt, cum quo loquebatur Deus facie ad faciem, ſicut ſolet homo loqui cum amico ſuo. *Numer. 12.* Tertiò propter humilitatem, ut David, quem propter hoc invenit Dominus ſecundum cor ſuum. Quartò propter virginitatem, ut Ioannes Evangeliſta, quem ſpecialis prærogativa caſtitatis ſpeciali dilectione fecerat dignum. Quintò propter hoſpitalitatem. Ideò *Ioann. 11. Diligebat autem Ieſus Mariam, Martham, & Lazarum.* Sextò propter miſericordiam. Ideò beatus Nicolaus *amicus Dei* appellatus eſt. Septimò propter martyrium. Indè Eccleſia canit: *Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti ſunt.*

13 Sed Maria in iſtis omnes prædictos excelluit. Si enim dilexit Abraham propter fidem, quia credidit de vetula, & vetulo filium naſciturum: vel quia credidit filium moriturum, & reſuſcitari, & reſurgere poſſe: multò fortiùs diligebat Mariam propter hoc, quòd credidit ſe Virginem Deum parituram, & Virginem permanſuram. Prætereà ſi dilexit Moyſen propter manſuetudinem, David propter humilitatem; quantò magis iſtam, quæ, ut dicit Auguſtinus, nunquàm ſuper choros Angelorum exaltata fuiſſet, niſi fuiſſet humillima. Si Ioannem propter virginitatem: hæc plùs Ioanne, quæ eſt Virgo virginum. Si Martham propter hoſpitalitatem: hæc Chriſtum in utero ſuo hoſpitata eſt, carne veſtivit, & poſteà lacte cibavit, quod Martha non fecit. Si Martyres propter martyrium: hæc plùs quàm Martyr fuit, cujus idem gladius tranſverberavit animam, qui cor Domini penetraverat, ut uno, eodemque ictu eſſet, & cor Domini ſuffoſſum, & anima Mariæ tranſverberata. Si Nicolaum dilexit propter miſericordiam, quia vir miſericordiæ: hæc autem Regina eſt miſericordiæ. Ideò non eſt mirum, ſi ſit *Amica* Dei, & ſi ſibi vendicet hoc nomen, dicens: *Filiæ Ieruſalem nunciate dilecto*, &c.

§. III.

Beata Virgo dicitur Recta.

14 TErtia Virginis excellentia eſt rectitudo in ipſa. Quàm recta autem fuerit B. Virgo, patebit ex variis deſcriptionibus *Recti*. Primò enim Albertus Magnus in *Abacuc c. 2.* exponens illud, quod dicit Propheta: *Eccè qui incredulus eſt, non erit recta anima ejus*; deſcribens quid ſit *Rectum*, ait. Plato dicit, quòd *rectum propriè eſt, quod applicatum recto, undique tangit, & tangitur.* Deus autem rectus eſt, quem anima recta undique tangit, & tangitur: & quod non eſt rectum, incurvatur ab ipſo. *Pſal. 72. Quàm bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde. Cant. 1. Recti diligunt te. Eſa. 26. Semita juſti recta eſt, & rectus callis ad ambulandum.*

Ex hac deſcriptione innoteſcit, quàm recta fuerit Dei Mater. Quis enim unquàm, ſicut Ipſa, nullam habuit peccati obliquitatem? Immò neque magna Angelorum pars de hoc gloriari poteſt; cum ſcriptum ſit: *Et in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Anima igitur Virginis Deo applicata, qui eſt primum Rectum, undique tetigit ipſum, & ab ipſo fuit tacta, quia nulla in ipſa unquam extitit curvitas culpæ, per quam declinaret à rectitudine Dei.

15 Aliter idem Albertus Magnus ſerm. 19. Dom. 3. poſt Epiph. exponens illud *Pſal. 7. Qui ſalvos facit rectos corde*: deſcribit rectum, dicens. Nota, quod cor noſtrum debet eſſe rectum per lineam aſcendentem, & deſcendentem, & per lineam tranſverſalem. Tunc eſt cor noſtrum rectum per lineam aſcendentem, cùm in Deum extenditur per intimam dilectionem. Tunc eſt rectum per lineam deſcendentem, cùm ſe extendit homo ad filiorum ſuorum correctionem. Tunc autem cor noſtrum rectum eſt per lineam tranſverſalem, cùm extendimus, & expandimus nos ad eleemoſynarum erogationem. Ad dexteram quippè, & ad ſiniſtram pauperes habemus, quibus ſubvenire debemus.

Et verè in Deipara tres lineas has, aſcendentem, deſcendentem, & tranſverſalem invenies, adeò rectas, ut nulla unquam à debito rectitudinis ordine exorbitarit. Quam recta è cordis ejus centro intimæ dilectionis in Deum linea exivit, & ſic rectè aſcendens, ut de ipſa videatur Propheta dixiſſe: *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Pſal. 83.* Recta ſiquidem amoris linea tendebat,

& aſcendebat ad Deum, & ſicut ſagitta ab arcu charitatis emiſſa recto itinere ſurſum agebatur in Deum. Per lineam autem deſcendentem quàm recta, cum ad proximi inſtructionem ſe verbis, & exemplis extendit. Per lineam verò tranſverſalem quanta ſe diffuderit rectitudine ad pauperes, & inopes, & quotidiè ſe expandat, patet ex multis operibus ejus, & factis; cùm manu liberali fidelibus gratiarum ſuarum eleemoſynas elargitur.

16 Sit igitur etiam in nobis hæc rectitudo charitatis in Deum, & tunc erit rectum cor noſtrum cum Deo: nè ſi aliter ſit, de nobis dictum Prophetæ verificetur: *Cor autem eorum non erat rectum cum eo. Pſal.* 76. Quem verſic. exponens Incognitus. Notandum, inquit, quòd cor dicitur rectum cum Deo, quandò ſcilicet ſervit Deo propter ipſum Deum: ſed non eſt rectum cum Deo, ſed curvum, quandò quærit Deum propter terrena, vel propter ſeipſum; quia tunc non ad Deum reſpicit, ſed ad ſe ipſum, vel ad mundum. Statim enim ac cor noſtrum per peccatum ab amore Dei receſſit, non rectum, ſed curvum ad terrena, & fluxibile fuit, terrenis illaqueatum deſideriis, propter quod dicitur *Eccl.* 11. *Sicut Perdix inducitur in caveam, & ut Capra in laqueum, ſic & cor ſuperborum*. Sic igitur, quia iſti cor non habebant ad ipſum Deum propter Deum, ſed ſolùm propter terrena ab ipſo recipienda, ideò cor eorum non erat rectum cum Deo, quia non Deum propter Deum quærebant.

17 Et quia moralem locum habemus ad homines informandos, ut caveant ab obliquitate culpæ, quæ curvas potentias animæ facit, ideò breviter cum Divo Thoma lect. 3. in *c.* 12. *ad Hebræos* exponimus illud Apoſtoli: *Greſſus rectos facite pedibus veſtris, ut non claudicans quis erret*, &c. Ait enim Angelicus Præceptor. Cùm dicit: *Et greſſus rectos*: Improbat peccatum tranſgreſſionis. Iſtud autem peccatum eſt obliquitas quædam, & curvitas. *Rectum enim dicitur, cujus medium non exit ab extremis*: id eſt, cujus operatio non recedit ab intentione, & fine debito. Triplex autem eſt obliquitas, ſcilicet in affectu, in operatione, & intellectu. Iſtas tres monet declinare. Ex affectione autem iniqua ſequitur obliquitas in intellectu, & depravatio in affectu. Et ideò quantum ad primum, quod eſt aliorum radix, dicit: *Facite greſſus rectos pedibus veſtris*: ideſt, rectas affectiones. Sicut enim pedes portant corpus, ità mentem portant affectiones. Recti ergò pedes ſunt affectiones rectæ. *Ezechiel.* 1. *Pedes eorum, pedes recti*. Rectificate ergò affectiones, quibus totum corpus portatur ſpiritualiter. *Eſa.* 40. *Rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei veſtri*. Hoc eſt, quantùm in vobis eſt, date operam ad hoc. Sed propriè rectificare eſt ſolius Dei. *Pſal.* 20. *Dirige greſſus meos in ſemitis tuis*.

18 Quantùm ad ſecundũ dicit: *Vt non claudicans quis*, quantùm ad actionem exteriorem. Sicut enim tibia dicitur clauda, quando non ſequitur regulam potentiæ greſſivæ: ità operatio claudicat, quandò ſivè ad dexteram, ideſt, in proſperis, ſivè ad ſiniſtram, ideſt, in adverſis, non ſequitur regulam legis divinæ. *Eſa.* 30. *Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. Vel claudicat, qui ceremonialia obſervat cum Evangelio. Quantum ad obliquitatem intellectus, dicit: *Erret*. Malam enim operationem ſequitur error intellectus. *Prov.* 14. *Errant omnes, qui operantur malum. Sap.* 2. *Hoc cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim eos malitia eorum*. Qui vult ergò illas duas curvitates cavere, habeat pedes, & affectiones rectas. Et ideò dicit: *magis autem ſanetur*. Sicut enim ſanitas corporis conſiſtit in contemperatione humorum, ita ſanitas ſpiritualis in ordinatione affectuum. *Ierem.* 17. *Sana me Domine, & ſanabor*.

§. IV.

Maria *eſt* Innocens.

19 INnocentiam hic ſumo prò quodam animi immaculati candore, ac puritate, quã nulla unquam macula peccati deturpavit, nulla unquã vitiorum fuligo denigravit. Hæc autem innocentiæ puritas in Deipara noſtra ſingulari quodam privilegio reſplẽdet. Quandoquidem excepta Virgine, ut dicit Berchorius verbo *Innocẽtia* in ſuo Dictionario. Nemo propriè ſe poteſt dicere innocentem; cũ omnis humana natura pluribus obnoxia ſit peccatis. *Iob.* 9. *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me; ſi innocentem oſtendere, pravum me comprobabit: etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea*. Quantus autem, & quam purus in Sacratiſſima Virgine fuerit innocentiæ candor, teſtatus eſt Anſelmus cum dixit: Decuit Virginem ea puritate nitere, qua ſub Deo major nequit intelligi.

20 Non mihi candida lilia ſe prodant, byſſo operta nivali: non mihi nives intactæ ſe ſe offerant fulgido rutilantes candore: non ipſa albedo in abſtracto, & à concretione materiæ ſeparata: non ipſæ denique Stellæ, quæ puriſſimæ lucis radios ſcintillare videntur: nàm ad comparationem Virginei, & illibati candoris, *ſtellæ*, ut dicitur *Iob.* 25. *non ſunt mundæ in conſpectu eius*: lilia nigreſcunt, fuſcæ nives apparent, & ipſa albedo in abſtracto potiùs eſt dicenda nigredo. De ipſa ore pleno dicatur, quod dixit Propheta: *Innocens manibus, & mundo corde. Pſal.* 23. Denique & ipſi competunt quadam excellentiæ participatione verba illa, quæ de Sapientia divina dicuntur: *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſinè macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius. Sap.* 7. Nam juxtà Ambroſium lib. 2. de Virginib. Quid nobilius Dei Matre? Quid ſplendidiùs ea, quam Splendor elegit? Quid caſtiùs ea, quæ corpus ſinè corporis contagione generavit?

§. V.

Beata Virgo eſt Admirabilis.

21 NIhil in Virgine Beata, quod non ſit admirabile. Planè tota eſt mira, & admiranda. Sed quia nimis longũ eſſet omnia ejus mirabilia recenſere, ſex tantùm enumerabimus, quæ tangit Io: Raulinus Cluniacenſis *ſerm.* 3. *de Nativ. Virgin.* Unde in 2.*p.ſerm.* proſequẽs thematis expoſitionem, quod erat: *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei. Pſal.* 86. Prò ſecunda parte, inquit, dicendum eſt

de mirabilibus, quæ facta fuerunt in fundatione hujus civitatis, ideſt, Nativitate Virginis. Fuerunt autem ſex:

Quorum Primum eſt, quòd de terrà ſterili proceſſit optimus fructus, & maximè utilis. Tunc enim poſuit Dominus deſertũ gratię in ſtagna aquarũ, & terrã ſine aqua in exitus aquarum. Nam anteà terra naturæ humanæ ſic erat ſterilis, quod non producebat niſi ſpinas, & tribulos peccati originalis; nunc autem produxit optimum fructum, illo vitio non maculatum, & maximè utilem: quia ex eo proceſſit Salvator mundi, qui eſt flos ſecundùm illud *Eſa.* 11. *Flos de radice ejus aſcendet*: ſed nobis flos eſt, fructus autem Beatis, juxtà verbum Pſalmiſtæ: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, eccè hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris. Pſal.* 126.

22 Nos quidem in odorem ejus currimus, ſicut braquetus parvus in odorem beſtię, & hoc uſque ad montẽ Dei: ſed Beati guſtant ipſum ſicut fructum. Flos autem rectè dicitur: quia ſicut in flore eſt ſpes fructus, ſic in Chriſto ſpes noſtrę ſalutis: & ſicut flos ad calorẽ Solis, & infuſionẽ roris producitur abſque læſione arboris: ſic B. Virgo operatione Spiritus Sãcti, qui eſt Amor, filiũ ſuum cõcepit, abſq; detrimẽto virginitatis. Fructus verò eſt Beatis, quia eos reficit, ſecundum illud *Io.* 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*.

23 Maledicta certè erat terra noſtra, non ſolùm quã calcamus, ſed etiã quam portamus, ſed nunc fuit benedicta ab eo, qui non obliviſcitur miſereri, nec continet in ira ſua miſericordias ſuas. Si eſſet aliqua terra, quæ talem fructum portaret homini, quòd per eum ſibi ſufficienter miniſtraretur victus cum aliis vitæ neceſſariis, & cum hoc liberaretur ab omnibus debitis, nunquam eam venderet. Terra Mariæ protulit nobis fructum, qui nos ab obligatione æternæ maledictionis liberat, inſuper & nobis confert vitam æternam: Nonnè ergò debemus eam maximè appretiari, & laudare?

24 Secundum miraculum, vel mirabile fuit, quòd res parviſſima viſa eſt à longè, cùm tamen ſolæ res magnæ videri ſoleant à longè. Beata Virgo erat parviſſima humilitate, ſed à longè viſa eſt à Patriarchis, & Prophetis, qui eam longo tempore præceſſerant, ſic tamen à longè, quòd etiam de propè. In hoc enim differentia eſt inter videre Dei, & mundi: quia Deus videt humiles de propè, & de longè, ſuperbos verò à longè, quaſi eos non cognoſcens, ſecundum illud *Pſal.* 112. *Deus humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit*. Mundus autem videt ſolùm magnos, ideſt, ſuperbos de propè, eos honorando, & exaltando; humiles autem quaſi de longè, eos dedignando, & ſpernendo. Humiles enim ſe exinaniunt, ut faciant locum Deo, & indè Deum alliciunt, ut ſit propè eis, & cum eis; ſuperbi autem ſe ingroſſant quantum poſſunt, nec faciunt Deo locum in ſua conſcientia, ideo non eſt mirum, ſi longè recedat ab eis. Dicitur communiter, quòd duo groſſi non poſſunt eſſe in eodem loco. Deus eſt groſſus per potentiam, & excellentiam; illi verò per ſuperbiæ tumorem: propterea ſi ſimul ſtare non poſſunt, nullus mirari debet.

21 Tertium miraculum fuit adeò novum, & ſtupendum, quòd ſi nunc aliquis Mimus, vel Hiſtrio tale faceret, omnes undequaque currerent: quia ſcilicet hodiè formatum eſt, ſecundum illud *Eccli.* 43. *Vas admirabile, opus Excelſi*. Admirabile quidem propter tria.

Primò, quia mirabile eſſet vas, quod majus ſeipſo contineret. Hoc enim eſt contrà totam experientiam naturæ, & contrà illud Ariſtotelis 4. *Phyſi.* ubi dicitur, quod *locus debet eſſe æqualis locato*. Nihilominus Virgo Beata per opus Artificis naturæ continebat in ventre majus ſeipſa, ſecundum dictum Eccleſiæ: *Quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo*. Et alibi. *Quem Cœli capere non poterant tuo gremio contuliſti*. Sic & anima tua ſi dilexerit Deum, & mandata ejus cuſtodierit, majus ſeipſa ſpiritualiter continebit, ſcilicet ipſum Deum: quia ipſe promiſit, dicens *Ioan.* 14. *Si quis diligit me*, &c. *ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Et hoc modo anima tua erit civitas Dei ſolius, à qua omnia diaboli inſignia, & imagines peccatorum propulſabuntur, ſicut dicit Pſalmiſta Domino: *In Civitate tua imagines ipſorum*, ſcilicet peccatorum, *ad nihilum rediges. Pſal...*

Secundò, mirabile eſſet, ſi vinum, & aqua ſimul ponerentur in eodem vaſe, & tamen non commiſcerentur. Sed hic ſimul ſteterunt aqua, & vinum ſinè commixtione, & cum conjunctione: vinum ſcilicet Deitatis, & aqua Humanitatis, ſine confuſione naturarum, vel proprietatum. Et hoc canit Eccleſia, dicens: *Mirabile myſterium declaratur hodiè*: & ſequitur: *non commixtionem paſſus, neque diviſionem*.

Tertiò, mirabile eſſet vas, quod manens clauſum effunderet. Sed iſtud vas manens clauſum, quod continet effundit; clauſum virginitate, effundit gratiarum abundantiam. Non oportet niſi modicum trudere, ſeu pulſare, ideſt, ſalutare vas iſtud Virgineum, & ſtatim effundet ſuper nos de gratiis ſuis, & nihilominùs manebit ſemper plenum. O ſi eſſet tale vas plenum optimo vino Aurelianenſi, aut Bernenſi, vel muſcadeto, quòd non oportet niſi trudere ad extrahendum de eo vinum, & tamen ſemper maneret plenum, quale miraculum diceretur eſſe, & quis non illuc curreret? Hæc ſunt miracula maxima, quæ fecit Virgo hic vivens, quæ majora ſunt quàm miracula Sanctorum, quibus illuminabant cœcos, & ſuſcitabant mortuos. Licèt poſt mortem ſimilia Sanctis, immò & ampliora miracula fecerit, & faciat quotidiè, ſed & uſque ad futurum ſeculum non deſinet facere, ſubveniendo pauperibus peccatoribus & ſpiritualiter, & corporaliter.

26 Quartum miraculum fuit, quia licèt ſpinæ, & runciæ non portent bonos fructus, hodiè tamen portaverunt. Et hoc eſt, quod Eccleſia canit:

Sicut ſpina Roſam genuit Iudæa Mariam.

Si nunc runcia produceret alicubi uvas, omnes illuc currerent. Cur ergò non curritur ad tàm nobilem uvam, quam ex ſe Iudæa incredula produxit? Verè nobilis, & perfecta valdè Maria, quæ omnes creaturarum perfectiones complevit, & in ſua ultima perfectione cõſummavit. Licet enim Deus in creatione mundi omnia produxerit perfecta, ſicut eorum exigebat natura, ultimę tamẽ perfectionis conſummatio uſque ad Virginis partũ reſervabatur. Omnia entia unũ ens nobiliſſimum appetebant, vivẽtia unum nobiliſſimum vivens, ſentientia unũ nobiliſſi-

mum ſentiens, conceptiones unum nobiliſſimum conceptum. Nativitates optimum naſcibile, rationalia ſingulariſſimum rationale, & ſpiritualia excellentiſſimum ſpirituale, & ſic ſingulares Creaturæ appetebant ſingulæ unum optimum creatum. Quibus omnibus exiſtentibus imperfectis proviſum eſt mundo de una fœmina ſuper omnes benedicta, quæ unico ſuo partu, omnibus generibus rerum, ſummam, & ultimam perfectionem adduxit; & ſic poteſt quilibet dicere nunc: *Omnis conſummationis vidi finem*. *Pſal.* 118. Verè mirabilis operatio dexterę excelſi, ex radice tam imperfecta tantam nobis perfectionem attuliſſe.

27 Quintum miraculum, quòd licet ex abortivo nihil producatur, nihilominùs ex abortivis natus eſt fœtus optimus. Omnes ſunt abortivi, quia nati in peccato originali, immò leproſi illa lepra ſpirituali originalis, & ſi tunc morerentur, mittentur ad leproſariam Paradiſi, quæ eſt limbus, in qua perpetuò manerent, nec unquam intrarent in civitatem ipſam Paradiſi. Sed iſte fœtus non fuit abortivus, immò maximè vivus vita gratiæ, quià plenus gratia ab inſtanti ſuæ conceptionis, nec leproſus lepra peccati originalis: quia ſine peccato originali concepta eſt Virgo glorioſa, nec habuit lepram cujuſcumque actualis, ſcilicet nec venialis, nec mortalis. Indè comparatur luci propter ſuam puritatem, per quam ſicut Sol firmamentum,ità cunctas illuſtrat Eccleſias. Ita ut meritò dicatur feneſtra illa Arcæ Noe, quam Hebræi dicunt fuiſſe cryſtallinam, quæ Arcam ipſam, ideſt, Eccleſiam militantem illuminat, ſicut in perſona ejus promiſerat ſapientia increata, dicens *Eccli.* 28. *Ego illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Quę etiam Eccleſiam triumphantem illuſtrat, ut verè dicat illud *Eccli.* 28. *Ego feci in Cœlo, ut oriretur lumen indeficiens.* Quod ſi de qualibet alia muliere bona poteſt dici illud *Eccli.* 26. *Sicut Sol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamento domus ſuæ*: multò magis de iſta, quę fuit, & eſt optima. Veniant igitur omnes ad lucem iſtã puriſſimam, veniant ſingulariter puellæ ad fontem hunc puritatis. Libenter enim puellæ vadunt ad fontem. Puras enim creaturas quærit Dominus, & ſimiliter Beata Virgo.

28 Sextum miraculum eſt, quòd hodiè Cœli fuerunt penetrati, & tamen *Iob* 37. dicitur, quòd *Cœli ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt*. Mittebant enim Sancti Patriarchæ, & Prophetæ orationes ſuas ad Deum, ut veniret illa, quæ conceptura erat Redemptorem mundi, ut tandem ex ea natus Redemptor operaretur ſalutem humani generis, ſed uſque hodiè non fuerunt Cœli penetrati, nec deſcendit miſericordia, quam quærebant. Si enim in aliquo dolio benè obſtructo eſſet vinum, eſto quòd eſſet in alto loco, adhuc non caderet, niſi fieret apertura. In Cœlo erat miſericordia, quæ eſt ponderoſa, & gravis, ſecundum illud *Matth.* 23. quod improperabat Dominus Legiſperitis Judæorum, dicens: *Væ vobis Legiſperitis, qui relinquitis graviora legis, miſericordiam, & judicium*: ſed quia Cœli non fuerunt penetrati, ideò non cecidit ſuper nos uſquè hodiè, cum nata eſt Beata Virgo *Maria*. Sed non ſufficit nobis illa miſericordia generalis, quam conſecuti ſumus, dum naſceretur, niſi adſit & miſericordia ſpecialis nos conſervans, & dirigens, quæ quærenda eſt à Domino, cum Pſalmiſta dicendo: *Veſpertina oratio aſcendat ad te Domine, & deſcendat ſuper nos miſericordia tua*. *Pſal.* .... Maximè autem habebitur medio Virginis, quæ regit ad nutum Patrem miſericordiarum.

CAP. VII.

Quinque aliæ novæ prærogativæ in B. Virgine conſiderantur.

1 CReſcunt dignitatum Tituli, cum loquimur de Matre Dei, quippè quæ nunquam decrevit in bono, ſed per ſingula momenta abundabat, excellebat in gratiis. Augentur in numero prærogativæ, & perfectiones, immò & ultrà numerum: cùm nullus plenè, atque perfectè, præter Deum, examinare poſſit ponderis immenſitatem, ut ità dicam, dignitatis Matris Dei. Quod autem mirum videtur, eſt quod tot, ac tantarum perfectionum, excepto Deo, nulla invenitur adæquata menſura, niſi ipſum *Mariæ* Nomẽ, quod in ſuis literis eſt omnium prærogativarum perfectiſſimum aggregatum. Imprę́ſentiarum igitur ex elementis Parthenii Nominis quinque excellentiſſimas Mariæ dotes habemus, nimirum quod ſit.

1. *Mater*.
2. *Advocata*.
3. *Regina*.
4. *Imperatrix*.
5. *Auguſta*.

Eſt autem Mater Chriſti. Mater humani generis. Mater miſericordiæ. Advocata totius Orbis. Regina Cœlorum. Imperatrix Cœli, & terræ. Auguſta Univerſi. Et jam de ſingulis diſſeramus.

§ *I.*

Maria eſt Chriſti Mater.

2 ALexandri Mater gloriabatur ſe habere filium de ſummo Numine conceptum. Fabuloſum commentum, quo Gnatum Spurium fecit, & ſeipſam declaravit adulteram. Verum non fabula, ſed Evangelica veritas, quod de Deo Deorum, ideſt, de Spiritu Sancto Virgo concepit, & Chriſtum peperit Dei Filium, inſolito, & ſtupendo prodigio, quòd creatura pareret Creatorem, & Mater ſimul eſſet, & Virgo. Fuit autem *Maria* Virgo Beata Chriſti Mater quatuor rationibus, quas ponderat Jacobus de Voragine *ſerm.* 93. *de B. Virgine*, nimirum quia Primò, fuit vera Mater: Secundò, quia tota Mater: Tertiò; quia pia Mater; Quartò, quia ſtudioſa Mater.

3 Primò namque, inquit, fuit vera Mater, quod patet ex eo, quòd charius ſibi ſubſtantiam miniſtravit, quòd convenientem locum, & conveniens ſibi nutrimentum exhibuit, quòd novem menſibus ipſum in utero portavit, & fovit. *Sap.* 7. *In ventre Matris meæ configuratus*: Eccè locus conveniens. *Decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine*: Eccè quia in eius utero novem menſibus ſtetit; ità quod ſicut dicit Auguſtinus, aliquid de decimo attigit. Poſtea ſequitur: *Ex ſemine hominis*: Eccè materia miniſtrata. Et dicit *hominis, & non hominum*. Cæteri enim nati ſunt ex ſemine hominum, Chriſtus autem *ex ſemine hominis*, ideſt, Virginis. Vndè Chriſtus non vocat ſe, *filium hominum*, *ſed filium hominis*. Et vocatur ibi *ſemen*, *ſanguis Virgineus* à Spiritu Sancto totaliter depuratus. Deindè ſubditur: *Et delectamento ſomni conveniente*. Eccè conveniens nutrimentum. Damaſcenus: Novem menſibus completis, & decimum ſuperaſcendens naſcitur lege conceptionis. Ipſa eſt vera Mater, quæ ipſum peperit, pannis involvit, & ſuo lacte nutrivit. Unde cantat Eccleſia:

Membra pannis involuta.
Virgo Mater alligat, &c.

Item: *Ipſum Regem Angelorum ſola Virgo lactabat ubere de Cœlo pleno*. Ideò quando ipſa vult nobis filium ſuum placare, poteſt dicere: *Miſerere mei Fili, quem in utero novem menſibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem iſtam perduxi*. 2. *Machab.* 7.

3 Secundò; Ipſa fuit tota Mater, quia totam ſubſtantiam miniſtravit, ita quod nullus Pater aliquid dedit ibi. Ideò dicitur *Ierem.* 31. *Novum faciet Dominus ſuper terram: fœmina circundabit virum.* Solet homo circundare quod ſuum eſt proprium, non quod alienum. Nulla alia mulier puerum circundedit, quia caro pueri ſua tota non fuit, ſed Pater ibi partem habuit. Virgo autem Filium ſuum in utero circundedit, quia ibi de alieno nihil fuit. In circundatione eſt etiam figura, quæ ſecundum Auguſtinum ex tribus lineis perficitur. Figura autem circularis unà lineà clauditur. Corpus aliorum puerorum formatum eſt duabus lineis, ideſt, ſemine utriuſque Parentis. Corpus autem Chriſti eſt formatum tantum una lineà, ideſt, ſola carne Virgineà. Illud etiam, quod eſt circundatum, ex omni parte eſt clauſum. Nam ſi aliqua apertura ibi fuerit, circundatum non erit. Nulla igitur mulier in utero puerum circundedit, quia nulla clauſa, ſed aperta fuit. Sola autem Virgo circundedit, quia ex omni parte clauſa fuit, & antè partum, & in partu, & poſt partum: & ideò *hortus concluſus*, *& fons ſignatus* dicitur. *Cant.* 4.

4 Tertiò, fuit ipſa pia Mater. Nam pietatem habuit in animo, oſtendit in verbo, & exibuit in facto. Fuit enim pia Mater in animo ex eo, quod novem menſibus in eius viſceribus divina Pietas habitavit. Bernardus in *ſerm. de Annunciat.* Quid mirũ ſi pietatem exhibent viſcera pietatis. Nonnè qui pomum tenuerit in manu ſuà dimidia die, reliqua diei parte ſervabit odorem. Quantum ergo illa viſcera virtus pietatis affecit, in quibus novem menſibus pietas requievit? Nam & antè replevit mentem, quam ventrem, & cùm proceſſit ex utero, non receſſit ab animo.

Secundò, iſtam pietatem oſtendit in verbo, quandò dixit *Ioan.* 2. *Vinum non habent*. Ubi inſinuavit indigentiam, petivit miſericordiam, & conſuluit obedientiam, quæ omnia ſuam indicant pietatem. Indigentiam quidem inſinuavit, cum dixit: *Vinum non habent*: & inſinuando indigentiam, petiit gratiam. Nam amicorum ſimplices inſinuationes ſunt affectuoſæ petitiones, undè dicitur *Io.* 11 quòd ſorores Lazari miſerunt ad Jeſũ, dicentes: *Domine, eccè quem amas, infirmatur*. Illa enim talis inſinuatio erat quædam devota poſtulatio, tanquam ſi dicerent: Veni, & ſalva eum. Eodem modo quàndò Maria inſinuavit indigentiam, devotè poſtulavit gratiam, dicens: *Vinum non habent*: tanquam ſi diceret: Rogo te, Fili, ut facias, quòd ipſi habeant. Oſtendit etiam pietatem in verbo, quando dixit miniſtris: *Quodcumque dixerit vobis, facite*.

Tertiò, pietatem exhibuit in facto, & hoc quando Eliſabet grandævę, & vetulę, & gravidæ ipſa iuvencula miniſtravit. Beda ſuper Lucam. Feſtinanter Maria in montana abiit, & Zacharię domum intravit, ut prægnanti grandævę iuvencula miniſtraret.

5 Quintò, fuit ſtudioſa Mater, quia ipſum ſtudioſè, & ſolicitè educavit, & omnia opera miſericordiæ in eum ſolicitè excercuit, ſicut oſtendit Bernardus in *ſerm. de Aſſumpt.* dicens. Ut breviter ſex illa opera miſericordiæ percurram: Beata Virgo non quemlibet ex minimis, ſed Filium Dei in utero ſuſcepit, nudum in carne vel etiam pannis operuit, & eſurientem pavit, ſitientem lacte potavit, infirmum per infantiam non ſolum viſitavit, ſed etiam fovendo, leniendo, geſtando frequenter, & omnia humana exhibuit. Ipſum etiam in carcere poſitum, in Crucis patibulo alligatum viſitavit, dùm iuxtà Crucem eius ſtetit. Eius quoque ſepulturæ interfuit. Et ideò benè ſtudioſa Mater fuit, quæ omnia opera miſericordiæ erga filium exhibere voluit.

§. *II.*

Maria eſt humani generis Mater.

6 HUius paragraphi Interpres Albertus Magnus adeſt *quæſt.* 145. ſuper *Miſſus eſt*. Et magna quidem non minùs ſubtilitate, quam doctrina, non ſolùm humani generis, ſed etiam Angelorum, & omnium Creaturarum probat eſſe Matrem, adducens in contrarium rationes, & ſolvens: undè inquit. Nunc reſtat videre de illo privilegio, ſecundùm quod Beatiſſima Virgo dicitur Mater omnium. Quęritur, utrum illud ei conveniat? Et videtur, quod non. Filii enim tempore non præcedunt Matrem: ſed multi tempore præcedebant Virginem *Mariam*: Ergò non eſt Mater omnium.

Item: Cum generatio ſit ingreſſus in eſſe, & cum tantum triplex ſit eſſe, ſcilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ; Beata Virgo non eſt Mater omnium ſecundùm eſſe naturæ: quia plurimi præceſſerunt eam ſecundùm eſſe naturæ. Item nec ſecundum eſſe gratiæ: quia multi habuerunt gratiam, antequam ipſa. Item, eadem ratione nec ſecundum eſſe gloriæ: quia multi Angeli, & homines habuerunt eſſe gloriæ, antequam ipſa. Item, ſi ipſa eſt Mater per fidem: ſed ſunt multi, qui nunquam habuerunt, vel habebunt fidem: ergo non Mater omnium hominum.

Item: videtur, quòd non ſit mater corporalium: quia corporalia non habent eſſe gratiæ: ergo non po-

poteſt eſſe Mater illorum in eſſe gratiæ. Et ſic conſtat, quod nec in eſſe gratiæ, gloriæ, vel naturæ. Item animatum non propriè generat inanimatum. Item corporalia non habent fidem: ergò non eſt Mater omnium iſtorum.

Item videtur, quod nec Mater omnium Angelorum: illi enim ſemper fuerunt in gloria: ergò nihil receperunt ab ipsà. Item Angeli non ſunt recreati: Ipſa autem eſt Mater per recreationem: ergò non eſt Mater eorum. Item Ipſa eſt Mater per fidem: ſed in Angelis non eſt fides: ergò non eſt Mater Angelorum. Item quorumcunque Ipſa eſt Mater, illorum Chriſtus eſt frater: ſed Angelorum Chriſtus non eſt frater: ergò ipſa non eſt Angelorum Mater.

7 In contrarium obiicitur, quod ſit Mater omnium: nàm *Luc.* 2. *Peperit filium ſuum primogenitum*. Ergò habuit ſecundò genitum: & conſtat, quod non corporaliter: ergò ſpiritualiter. Sed generatio ſpiritualis una eſt omnium: ergò ipſa eſt Mater omnium ſpiritualiter.

Item, ad *Hebr.* 2. Filius eius non confunditur eos vocare *fratres*, ſicut dicitur ad *Rom.* 8. *Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Caro enim & frater noſter eſt. Geneſ.* 37. Sed ipſa eſt Mater omnium ſuorum fratrum. Ergò ipſa eſt Mater omnium hominum.

Item. *Eſa. ult. Nunquid pariet terra unâ die, aut parietur Gens ſimul?* Conſtat autem, quod non quærit de terrà ſecundum literam: quia ſtulta eſſet quæſtio: ergò intelligitur de terrà ſecundum figuram. Sed terra ſecundum figuram eſt Beatiſſima Virgo: ergò Ipſa pariet ſimul omnem gentem. Ergò Ipſa eſt Mater omnium.

Item, *Marc.* 11. *Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant Hoſanna filio David.* Dicit Auguſtinus *lib. de corrept. & gratiâ c.* 7. quòd omnes ſivè præcederent, ſivè ſequerentur incarnationem, ſalvabantur per fidem mediatoris Dei, & hominum: ſed ad illam fidem neceſſariò exigitur explicitè, vel implicitè credere Deum incarnatum de Virgine: ergò per hoc regeneratio univerſalis: ergò fides incarnati de Virgine eſt, per quod eſt regeneratio facta in eſſe gloriæ omnium hominum.

Item, quod ipſa ſit Mater corporalium ſic probatur. Ipſa eſt Mater innovationis corporalium, iuxta illud *Rom.* 8. *Omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc, expectans revelationem filiorum Dei.* Ergò ipſa eſt Mater in eſſe innovationis omnium corporalium: quoniam omnis creatura renovabitur per ipſam, & liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem filiorum.

8 Item, quod ſit Mater omnium, videtur: quoniam *omnium bonorum Mater eſt. Sap.* 7.

Item, Ipſa eſt Mater gratiæ: ſed per gratiam datur eſſe gratuitum, & gratioſum: ergò Ipſa eſt Mater omnium bonorum bonitate gratiæ, & gloriæ.

Item: De ipſa appropriatè legitur: *Cum ipſo eram omnia componens. Et tunc Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. Prov.* 8. Item *Eccli.* 24. *Primogenita ante omnem creaturam.* Ex his videtur, quod ipſa eſt Mater omnium, & prior omnibus, & origo omnium.

Item Bernardus. Meritò, ò Domina, in te reſpiciunt oculi univerſæ creaturæ, in quà, & ex quà benigniſſima manus Dei quidquid creavit, recreavit.

9 Item. Ipſa eſt Mater omnium, & Deus Pater eſt origo omnium: quidquid autem per ſe origo, & cauſa cauſæ eſt, per ſe eſt origo, & cauſa cauſati: ſed ipſa eſt Mater eius, qui eſt cauſa, & origo omnium: ergò ipſa per ſe eſt Mater omnium.

Item. Angeli accipiunt à Domino Ieſu illuminationem, perfectionem, beatitudinem: Ipſe enim eſt, *in quem deſiderant proſpicere.* 1. *Pet.* 1. *Per quem omnia reſtaurantur in Cœlo, & in terrà. Epheſ.* 1. Ergò & Angeli recipiunt quoddam eſſe gloriæ à Beatiſſimà Virgine: ergò ipſorum eſt Mater in eſſe gloriæ.

Item Ipſa eſt gratiæ Mater: ſed gratia generat gloriam: ergò ipſa eſt Mater gloriæ: ergò ipſa eſt Mater omnium, quæ ſunt in Cœlo ſecundum eſſe gloriæ: ergò ipſa eſt Mater Angelorum.

10 Ad hæc dicimus reſpondendo, quod Beatiſſima Virgo omnium bonorum Mater eſt. Sed Mater reſpectu filii quatuor habet proprietates, quæ ſunt genitura, cura, prioritas, dignitas. Reſpectu alicuius habet omnes proprietates; & reſpectu alicuius aliquas, & non omnes: & ſecundùm magis, & minus dicitur propriè omnium hominum Mater. Item. Mater eſt ſecundum omnes proprietates maternitatis. Geniturà: quià unum hominem genuit, in quo omnes regeneravit: & hoc eſt quod peperit filium ſuum primogenitum. Item. Mater noſtra eſt curà: quia in uno nobis genuit quidquid ad hanc vitam, vel futuram, neceſſarium nobis fuit: unde dicit; *A generationibus meis adimplemini. Eccli.* 24. Item *quæ proprio filio non pepercit, quomodò nobis non omnia cum illo donavit? Rom.* 8. Item. Ipſa eſt Mater noſtra prioritate: quia ipſa eſt *primogenita ante omnem Creaturam. Eccli.* 24. Ipſa eſt Mater dignitate prædeſtinationis: ipſa enim antè ſecula prędeſtinata eſt, ut eſſet principium, ex quo recreandum fuit omne creatum. Et ſecundum hoc loquuntur iſtæ auctoritates. *Prov.* 8. *Dominus poſſedit me, &c.* ſecundum quod de ipſa exponuntur.

Angelorum quoque Mater dici poteſt geniturà: quia generavit Patrem Angelorum, & reſtauratorem eorum. Similiter & corporalium Mater geniturà: quia genuit ipſorum innovatorem. Eſt etiam prior ipſis prioritate prædeſtinationis, & prælationis. Item univerſaliter: quià Mater eſt Creatoris omnium: ergò Mater omnium Creaturarum eſt. Et immò etiam, ut patet conſideranti, Mater eſt omnium dignitate. Et ſic patet qualiter proprium privilegium eſt Beatiſſimæ Virginis, quoniam omnium bonorum Mater eſt.

11 Denique *lib.* 6. *de laudib. B. Mariæ c.* 1. in fine, de hac dulciſſima Matre noſtra, idem Albertus Magnus concludit, dicens. *Maria* Mater noſtra, quam debent filii ſui cognoſcere, dictante ipſis quadam naturali pietate fidei, ut ad invocationem nominis eius, primò, vel maximè refugiant in omnibus neceſſitatibus, & periculis, tanquam parvuli ad ſinum Matris. Et habet hæc Mater quaſi duo ubera, quæ petimus ad ſugendum, cum dicimus:

Nos

Nos culpis ſolutos,
Mites fac, & caſtos.

Hæc ſunt, manſuetudo cordis, contrà ſuperbiam; & puritas carnis, contrà luxuriam. Vel ubera eius, miſericordia, & oratio, quibus nutrit nos, ut dici poſſit: *Iacta cogitatum tuum in Dominà noſtrà, & ipſa te enutriet. Pſal.* Item ipſa eſt Mater ſurgentium à peccato: alioquin niſi priùs à peccato ſurrexeris, nunquam de hac Matre poteris gloriari. *Prov.* 31. *Surrexerunt filii eius, &c.*

§. III.

Beata Virgo eſt Mater miſericordiæ.

12 LÆto quidem iubilo inclamat Eccleſia: *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ.* Nam miſericordia *Mariæ* eſt omnibus miſericordiis omnium aliorum Sanctorum excellentior, aliaſque omnes excellit. Sicut enim oleum, inquit Voragines *ſerm.* 99. *de B. Virgine*, eminet cæteris liquoribus, ſic & eius miſericordia eminet cæteris Sanctorum miſerationibus: Iſta autem excellentiſſima excellentia quintupliciter oſtenditur, & ideò quinque rebus aſſimilatur, ſcilicet Auroræ, Soli, Lunæ, armatæ Aciei, & Stellæ maris. *Cant.* 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, &c.*

13 Aſſimilatur quidem Auroræ, quia eius miſericordia præ omnibus aliis eſt utilior. Sicut enim Aurora expellit noctem, & introducit diem; ſic & ipſa à nobis expellit noctem culpę, & introducit lumen divinæ gratię.

Aſſimilatur Lunæ, quia omnibus aliis eſt vicinior, ſicut Luna omnibus aliis Planetis eſt terræ magis vicina.

Aſſimilatur Soli, quia eius miſericordia præ omnibus aliis eſt communior: quia non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus, nec à luce ejus, ſed omnibus dat miſericordiam, inflammantem affectum, & illuminantem intellectum.

Aſſimilatur armatæ Aciei, quia eius miſericordia præ cęteris eſt potentior: quia hoſtes conterit, & in fugam convertit.

Aſſimilatur Stellæ maris, quia eius miſericordia præ cæteris eſt diuturnior. Sicut enim cæteris Stellis occidentibus ipſa non occidit: ſic cæteris Sanctis non exaudientibus, *Maria* non deſerit.

14 Et quidem hoc maternæ miſericordię proprium eſſe videtur, quandoquidem *Maria, ut lib.* 4. *de laudib. B. Mariæ c.* 22. teſtatur Albertus Magnus, non ſolùm Regina miſericordiæ quò ad potentiam miſerendi, ſed etiam Mater miſericordiæ appellatur quoad affectum miſerendi, libentiùs creaturis filii ſui miſericordiam exhibens, quam aliqua Mater filiis uteri ſui. Undè dicit *Eſa.* 49 *Nunquid poteſt oblviſci mulier filium, &c.* Ipſa etiam eſt vas miſericordiæ præparatum à Domino in tempore miſerendi, quod modò eſt. Unde & deſignatur per *Eſther*, quæ *præparata in tempore* interpretatur.

15 Dicitur etiam Mater miſericordiæ, ideſt, *Chriſti*, qui antonomaſticè dicitur *miſericordia.* Undè *Pſal.* *Miſericordia mea, & refugium meum, &c.* Ideò dicit quidam de hac Matre: Ad quem refugient filii miſeriæ, ſi eos repellat Mater miſericordiæ? Mater enim iſta omnia bona nobis vult, ſicut Mater filiis. Undè & dicere videtur Chriſtianis illud *Phil.* 1. *Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo vos cupiam in viſceribus Chriſti filii mei.* Ipſa etiam eſt fons miſericordiæ: quia ſicut fons per ſubterraneos meatus ſemper recipit aquam, & ſemper refundit; ſic Beata Virgo fons, & puteus eſt aquarum viventium, quæ à Chriſto ad ipſam, & ab ipſa ad nos fluunt impetu de *Libano*, ideſt, de *candore* benignitatis utriuſque.

16 Non enim mater hæc dedignatur peccatores, ſicut nec bona mater filium ſcabioſum: quia propter peccatores factam ſe recolit miſericordiæ Genitricem: ubi enim non eſt miſeria, miſericordia non habet locum. Gregorius: Quia ſemper ſumus in miſeria, ſemper indigemus miſericordia. Ideò etiam comparatur Lunæ, quæ inter omnes Planetas terræ propinquior eſt. Sic *Maria* inter omnes Sanctos magis peccatoribus condeſcendit, qui deſignantur per terram: nam ſicut terra viliſſimum eſt elementum, ſic peccator viliſſima creaturarum. Ideò etiam poſſunt ei dicere peccatores, quòd propter ipſos facta eſt ipſa mater miſericordiæ: niſi enim homo peccaſſet, non incarnaretur Filius Dei, nec ipſa fieret Mater Dei. Reſtat ergo, &c. Propter hoc curialiter dicit ei quidam Verſificator:

Feſtina miſeris miſereri Virgo beata.
Nam ſi te recolis, miſeri fecere beatam.
Ergo bea miſeros, quorum te cauſa beavit.

Et illud:

Nec abhorre peccatores,
Sine quibus nunquam fores
Tanto digna Filio.
Si non eſſent redimendi,
Nulla tibi pariendi
Redemptorem ratio.

17 Unde *num.* 5. ejuſdem *c.* ſubjungit Albertus, quòd ratione miſericordiæ appellatur Ipſa fons miſericordię, cuius fontis ille ſe fecit rivum, de quo dicit Pſalmiſta: *Deus meus, miſericordia mea. Pſal.* Et iterum: *miſericordia mea, & refugium meum, &c.* Et cujus *univerſæ viæ, miſericordia, & veritas. Pſal.* Non enim, ut dicit Auguſtinus; quędam, miſericordia; & quædam, veritas: ſed univerſę viæ, miſericordia, & veritas. Cum ergò *Maria* miſericordiam genuerit, quid aliud eſt eius uterus, quam ipſe miſericordiarum theſaurus? Et ideò dicitur Mater miſericordię. O pulcherrima Chriſti generatio: prius enim habuit Patrem miſericordiarum, deinde Matrem miſericordiæ. Quid ergo aliud ex his naſci potuiſſet, quam miſericordia?

18 Planè Matris Virginis uterus, miſericordiarum theſaurus, qui nunquam deficit, & ipſa Mater miſericordię, miſericordiarum theſauraria, quas omnibus petentibus liberaliter diſpenſat, ut merito dicat Bernardus *ſerm* 4. *de Aſſumpt. B. Mariæ, in fine.* Sileat miſericordiam tuam. Virgo Beata, ſi quis eſt, qui invocatam te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe. Nos quidem ſervuli tui cęteris in virtutibus congaudemus tibi, ſed in hac potiùs nobis ipſis. Laudamus Virginitatem; Humilitatem miramur; ſed Miſericordia miſeris ſapit dulciùs; Miſericordiam am-

ple-

plectimur chariùs; recordamur ſæpiùs; crebriùs invocamus. Hęc eſt enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetravit. Conſtat enim prò univerſo genere humano fuiſſe ſolicitam, cui dictum eſt: *Ne timeas Maria: inveniſti gratiam*. Utique quam quærebas.

19 Quis ergo miſericordiæ tuæ, ò benedicta, longitudinem, & latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inveſtigare? Nam longitudo eius uſque in diem noviſſimum invocantibus eam ſubvenit univerſis. Latitudo eius replet orbem terrarum, ut tua quoque miſericordia plena ſit omnis terra. Sic & ſublimitas eius, Civitatis ſupernæ invenit reſtaurationem; & profundum eius, ſedentibus in tenebris, & in umbra mortis, obtinuit redemptionem. Per Te enim Cœlum repletum; infernus vacuatus eſt: inſtauratæ ruinæ cœleſtis Ieruſalem: expectantibus miſeris vita perdita data. Sic potentiſſima, & piiſſima charitas, & affectu compatiendi, & ſubveniendi abundat effectu, æquè locuples in utroque. Ad hunc igitur fontem ſitibunda properet anima noſtra. Ad hunc miſericordiæ cumulum tota ſolicitudine miſeria noſtra recurrat.

§. IV.

Beata Virgo vera dicitur Advocata.

20 QUantum Reipublicæ proſint Cauſarum Patroni, vel ex eo coniicias, quod ipſi ſunt pupillorum Tutores, viduarum defenſores, orphanorum Protectores, & ſacra Profugia miſerorum. Sed ò qualis Advocata Virgo Beata! Pulchrè Albertus Magnus *lib. 2. de laudib. B. Mariæ c. 1. num.* 18. *&* 19 loquitur de advocatione cauſarum noſtrarum, quas prò nobis apud Deum ipſa ſuſcipit, & inquit. Advocata noſtra eſt ad Filium, ſicut Filius ad Patrem: immò apud Patrem, & Filium procurat negotia, & petitiones noſtras. Undè & dicimus ei: *Eia Advocata noſtra, &c.* Sed nos miſeri per mala opera, & perverſa deſideria contradicimus ei, & non ſinè permaxima Matris, & Filii iniuria, Matris precibus tollimus effectum ſuum. Tam prudens etiam, & diſcreta eſt Advocata *Maria*, quod non poteſt Filius vindicare in eos, prò quibus ipſa allegat. Quod ſignatur in facto Abigail, 1. *Reg.* 25 quæ avertit iram David à Nabal ſtulto, ſubtilitate verborum ſuorum: qui Nabal ſignificat peccatorem. Tamen poſtea interfectus eſt Nabal: quia noluit emendari. Deſignatur etiam per illam mulierem ſapientem, quæ civitatem Abelam liberavit ſapientia ſua 2. *Reg.* 16.

21 Notandum eſt igitur, quod multiplicem habemus Advocatum in Curia Dei. Primus eſt Spiritus Sanctus, *qui poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Rom.* 8. Ideſt: facit nos poſtulare; qui eſt amor Patris, & Filii, & placat nobis iram Patris.

Secundus eſt Filius Dei *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*. Ad *Hebr.* 7. Qui tanquam bonus pugil oſtendit Patri ſtigmata paſſionis. Impetrat etiam nobis Filius à Patre gratiam Spiritus Sancti. Undè dicit *Ioan.* 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum*, ideſt, *conſolatorem*, *dabit vobis*. Et de hoc Advocato dicitur 1. *Can. Io.* 1. *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum*. Item ad *Rom.* 8. *Ieſus Chriſtus, qui mortuus eſt, & qui reſurrexit, & eſt ad dexteram Patris, etiam interpellat pro nobis*. Eſt ergo Filius Advocatus noſter apud Patrem, & impetrat nobis remiſſionem peccatorum, & gratiam Spiritus Sancti, ut dictum eſt: Spiritus Sanctus impetrat gratiam gemitus, & pœnitentiæ.

22 Tertius Advocatus Beata Virgo, præcipuè coram Filio ſuo, & nobis generaliter impetrat omne bonum. Siquidem deerat nobis Advocatus apud Filium, antequam Maria naſceretur. Dixit autem Pater *Geneſ.* 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*: ideſt, non ſufficit unicus Advocatus, vel mediator, aut Interceſſor humano generi in Cœlo, cum tot, & tam periculoſas habeat cauſas coram me. *Faciamus ei adiutorium*: ideſt, Beatam Virginem, quæ alleget pro genere humano coram Filio, ſicut Filius coram me. Propter hoc dicitur de ipſa in *Pſal.* 34. *Teſtis in Cœlo fidelis*. De his duobus Advocatis, ſcilicet Matre, & Filio dicit beatus Bernardus: Securum acceſſum habet homo ad Deum, ubi mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet antè Patrem, & antè Filium Matrem. Chriſtus oſtendit Patri latus, & vulnera, Maria Chriſto pectus, & ubera. Nec poteſt eſſe ullo modo repulſa, ubi concurrunt, & perorant omni lingua diſertius hæc clementiæ monimenta, & charitatis inſignia. Huic autem tantæ Advocatæ debemus maximum Salarium gratiarum actionis, & ſalutationis, & huiuſmodi. De iſta Advocata narravit quidam Sanctus homo, quod cum quidam religioſi cantarent illam antiphonam, *Salve Regina, Mater miſericordiæ*, & dicerent verbum illud: *Eia ergo Advocata noſtra, &c.* pluries in ſpiritu ipſam Matrem Domini viderunt antè Filii præſentiam proſterni, & pro totius illius Ordinis conſervatione precari.

23 Et Deipara quidem boni Advocati conditiones habet, quas Ioannes Raulinus Cluniacenſis *ſerm.* 118. *de S. Ivone recenſet*. Cum enim apud Patrem Deum ultionum neceſſarium habeamus Advocatum: Providit ipſe de Advocato magni Conſilii Angelo: providit & nobis de Advocata ſapientiſſima, & gratiſſima. Quod ſapientiſſima ſit, patet dupliciter. Primò, quia ſapientia Advocati in tribus manifeſtatur. Primò, quod obtineat contra Judicem iuſtum, & ſapientem. Secundò, contrà adverſarium aſtutum, & ſagacem. Tertiò, in cauſa deſperata. Sic *Maria* contrà Iudicem ſapientiſſimum Dominum, ut dicere poſſit illud *Cant.* 3. *Tenui illum, nec dimittam*. Contrà adverſarium callidiſſimum diabolum; etiam in cauſa noſtra deſperata ſententiam optatam obtinuit, & quotidie obtinet: igitur ſapientiſſima.

Secundò, quia aliqui Advocati poſſunt iniuſtum probare iuſtum eſſe ſophiſticè, licèt non facere. Sed *Maria* de noſtra iniuſtitia fecit iuſtitiam, quando de veneno fecit tyriacam, & de magna miſeria noſtra magnam miſericordiam: igitur improportionabiliter ſuper omnes ſapientiſſima Advocata fuit.

24 Sed quod gratiſſima Judici: patet Primò,

quia gratum habet Advocatum bonus Iudex, qui lites diminuit, & terminat, & pacem reformat. Inter omnes Sanctos *Maria* plus lites diminuit, & inter Deum, & quemlibet peccatorem, & plus reformat pacem, ut dicat *Cant.* 8. *Facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*. Secundò, gratiſſimus eſt Iudici Advocatus, qui eloquentia pollet, & bonitate, quia primum ſine ſecundo inutile eſt. Indè *Rhetor* apud Oratores diffinitur, quòd *eſt Vir bonus dicendi peritus*. Sed Maria eſt hujuſmodi. Hinc Spiritus Sanctus, qui eam inſtituit humani generis Advocatam, ait *Cant.* 2. *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis*. Proindè dicamus: *Eia ergò Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte*, & cauſas noſtras agendas ſuſcipe. Et quia Advocati communiter ſunt divites: non eſt dubium, quin illa ſit ſuper omnes dives. De plenitudine ejus igitur accipiamus omnes gratiam prò gratia, doctrinam prò ſalario. Salarium ſuum erit: *Ave gratia plena*, &c.

25 Nec minori venuſtate Iacobus de Voragine ſerm. 2. de B. Virgine, præclaras Advocatæ noſtræ conditiones exponit, dicens. Advocata noſtra eſt Maria, quæ cauſas noſtras coram Deo aſſumens, ipſas ſapienter incipit. Incœptas multis allegationibus eas defendit. Et ad finem proſperum perducit.

Primò enim ſapienter incipit. Quia primò captat benevolentiam. Secundò inſinuat noſtram miſeriam. Ultimo petit Dei miſericordiam. Ideò ſignificata eſt per mulierem illam ſapientiſſimam, quæ dixit ad David 2. *Reg.* 14. *Sicut Angelus Domini, ſic & Dominus meus Rex, ut nec maledictione, nec benedictione moveatur*. Eccè captatio benevolentiæ. Deus enim eſt tantæ bonitatis, quod nec noſtris benedictionibus extollitur, nec noſtris peccatis, & maledictionibus commovetur. Deindè ſubdit. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur, quæ non revertuntur*. Eccè inſinuatio noſtræ miſeriæ. Homo enim eſt ſpiritus vadens, & non rediens. Deindè ſubdit. *Reduc abjectum tuum*: id eſt, peccatorem, quem abjeciſti per culpam, reduc per tuam miſericordiam. Eccè imploratio miſericordiæ.

26 Secundò cauſas noſtras multis allegationibus defendit. Et primò, ſapienti verbo. Ideò ſignificata eſt per Abigail, cui dixit David 1. *Reg.* 25. *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me, nè ulciſcerer me in manu mea. Eccè audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam*. Bernardus. Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater miſericordiæ ſuppliciter, & efficaciter noſtra negotia pertractabit. Secundò, advocat pietatis ſigno. Bernardus, Securum acceſſum, &c. Tertiò, advocat Sanctitatis merito. Si enim merita aliorum Sanctorum prò nobis intercedunt apud Deum, multò fortiùs illa, quæ etiam plenitudinem obtinet meritorum, quæ dicit *Eccli.* 24. *In me omnis gratia viæ, & veritatis; in me omnis ſpes vitæ, & virtutis*. Quartò, advocat ardenti deſiderio. Deſideria enim Sanctorum ſunt interceſſiones pro nobis apud Deum. Undè dictum fuit *Daniel.* 9. *Ego veni, ut indicarem tibi, quia Vir deſideriorum es*. Et ipſa dicit *Cant.* 2. *Cùm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Nardus* eſt herba calida, & ſignat ejus deſideria inflammata, quæ ad Deum aſcendunt, & gratum odorem ſibi faciunt.

27 Tertiò, cauſas noſtras ad finem debitum perducit. Tunc Advocatus cauſam ſuam ad finem debitum perducit, quandò eſt ſolicitus, & peritus, & in curia gratioſus. Debet quidem Advocatus eſſe diligens, & ſolicitus: quia ſæpè Advocatus ex ſua negligentia ſuccumbit in cauſa. Debet eſſe ſapiens, & peritus, ut ſapienter ſciat invenire viam, quæ faciat prò cauſa ſuà. Debet eſſe gratioſus coram Rege, & familia Regis: quia ſi odioſus eſſet, nihil proficeret.

Talis Advocata eſt Virgo Maria. *Pſal.* 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis*. Eccè quantæ ſolicitudinis, & diligentiæ eſt. Non enim ad horam recedit, ſed à dextris Dei ſemper ſtat, & prò peccatoribus orat. Sequitur *In veſtitu deaurato*. Eccè quantæ eſt ſapientiæ. Per aurum enim in Sacra Scriptura intelligitur Sapientia divina. Alii igitur Sancti habuerunt aurum, id eſt, Sapientiam divinam, ſed nullus veſtitus fuit auro, niſi Virgo Beata. Tunc enim Divina Sapientia ipſam veſtivit, quandò novem menſibus in ejus utero habitavit. Sequitur. *Circundata varietate*. Eccè quantæ eſt gratiæ Nam coram Rege, & ejus familia intantum eſt gratioſa, quòd omnes eam circundant, aſſociant, & honorant. In cœlo enim tot ſunt varietates, quot ſunt Sanctorum ordines, qui tanquam domicelli, & domicellæ, Reginam ſuam aſſociant.

Iſtam talem Advocatam Sanctus Bernardus invocat, dicens. Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra, tuo Filio nos recommenda, tuo Filio nos repræſenta. Fac, ò benedicta, per gratiam, quam inveniſti; per prærogativam, quam meruiſti; per miſericordiam, quam peperiſti; ut ſicut te nunciante dignatus eſt fieri particeps infirmitatis, & miſeriæ noſtræ, ſic quoque te intercedente participes nos faciat gloriæ, & beatitudinis ſuæ Ieſus Chriſtus Filius tuus, qui eſt ſuper omnia Deus in ſecula benedictus.

§. V.

Virgo Beata eſt Cœlorum Regina.

28 NOminis tui præconia, tuaſque laudes, dicere conamur, Sacratiſſima Virgo, & qua majeſtate incedas Regina Cœlorum, ſed in nobis de te verificatum experimur, quod cecinit Petrus Comeſtor, videlicet:

Si fieri poſſet, quod arenæ pulvis, & undæ,
Vndarum guttæ, roſa, gemmæ, lilia, flammæ,
Aethera, Cælicolæ, nix, grando, ſexus uterque,
Ventorum pennæ, volucrum, & pecudum genus omne,
Sylvarum rami, frondes, avium quoque pennæ,
Ros, gramen, ſtellæ, piſces, angues, & ariſtæ,
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Linguæ cuncta forent, minimè depromere poſſent,
Quæ ſis, vel quanta Virgo Regina Maria.

Bonum tamen nobis eſt à tua gloria vinci, à regia ſuperari magnitudine majeſtatis, & tanto oneri impares eſſe; ex hoc enim ipſo puſillitatem noſtram, & celſitudinem tuam fatemur. Nihilominùs cum Iacobo de Voragine *ſerm.* 127. *de B. Virgine*, quàm decenter ſis, & appel-

letis Regina Cœli, ex ſex proprietatibus, quas habuiſti inveſtigabimus.

29 Regina Cœli, inquit Voragines, eſt Virgo *Maria*, de qua dicitur in *Pſal.* 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis*. Commendatur autem Regina iſta à Propheta in Pſalmo iſto à ſex prærogativis.

Primo, à prærogativa excellentis pulchritudinis, cùm dicitur: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*. Non enim curavit de pulchritudine faciei exterioris; quia ſicut dicitur *Proverb.* 31. *Fallax gratià, & vana eſt pulchritudo*: ſed curavit de pulchritudine faciei interioris. Ideo dixit: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs*. Pulchritudo autem faciei, ſicut dicit Auguſtinus in lib. de Trinit. eſt, quandò ipſa facies eſt decenter colorata, hilariter affecta, & benè proportionata. Charitas autem facit animam coloratam, quia ſignatur per aurum. Finalis verò perſeverantia facit animam benè lætam. Cum magna enim lætitia anima de mundo recedit, quandò uſque ad finem in bonis operibus perſeveravit. Ideò dicitur *Eſa.* 55. *In lætitia egrediemini*. Diverſitas autem virtutum facit animam benè proportionatam: quandò ſcilicet ad magnitudinem unius virtutis ſequitur magnitudo alterius virtutis. Iſta tria in Beata Maria fuerunt. Ideò ſubditur: *In fimbris aureis*, &c. Ipſa habuit finalem perſeverantiam, quæ notatur per fimbriam, quæ eſt finis veſtimenti. Habuit etiam charitatem, quod notatur per hoc, quod iſta fimbria dicitur fuiſſe aurea. Proportionalitas autem ſignatur ex hoc, quod dicitur: *Circundata varietate*; id eſt, virtutum diverſitate. Nam in ea magnitudini fidei reſpondebat magnitudo Spei. Magnitudini ſpei reſpondebat magnitudo charitatis. Magnitudini charitatis reſpondebat magnitudo operum. Iſtas quatuor virtutes proportionatas habuit Virgo Maria. Nam habuit magnam fidem. *Luc.* 1. *Beata quæ credidiſti*, &c. Magnam Spem. *Eccli.* 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis*, &c. Magnam charitatem, intantùm quòd præ nimia charitate languebat. *Cant.* 5. *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo*. Magna, & fortia opera. *Prov.* 31. *Manum ſuam miſit ad fortia*.

30 Secundò, commendatur iſta Regina à veſtium pretioſitate, cùm dicitur: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*. Quæ veſtimenta intelliguntur, aut prout ea habuit in mundo, aut prout ea habet in Cœlo. Nam in mundo exiſtens habuit veſtimentum deauratum, id eſt, corpus incorruptum, & illibatum: animam verò habuit circundatam varietate, id eſt, omnium virtutum diverſitate. *Eccli.* 24. *In me omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis Spes vitæ, & virtutis*. Vel poſſunt intelligi iſta veſtimenta, prout ea habet in Cœlo nunc. Habet veſtimentum deauratum, id eſt, corpus gloria immortalitatis indutum. Et eſt circundata varietate, id eſt, omnium Sanctorum univerſitate, qui eam circundant, venerantur, & laudant.

31 Ideò ſignificata eſt per Cortinam tabernaculi, quæ ſicut dicit Gloſſa ſuper iſtum Pſalmum, erat contexta de quatuor coloribus, ſcilicet de byſſo retorta, & cocco bis tincto, hyacinto, & purpura. Per byſſum intelligitur candor, & caſtitas Virginum, quæ fuit retorta, quia habuerunt munditiam in mente, & corpore. Per coccum, qui eſt coloris rubei, intelligitur ordo Martyrum, qui fuerunt ſanguine, & cocco bis tincti, quia ſanguine proprio fuerunt tincti in corpore, & ſanguine Chriſti in mente. Per hyacintum, qui ſicut dicit Iſidorus, uno modo dicitur flos, qui eſt ad modum violæ, & habet colorem cœleſtinum, intelligitur ordo Confeſſorum, qui fuerunt cœleſtes in converſatione, juxtà illud *Philip.* 3. *Noſtra converſatio in Cœlis eſt*. Per purpuram intelligitur ordo Apoſtolorum. Sicut enim purpura eſt veſtis regalis: ſic & Apoſtoli fuerunt ſpiritualiter veſtis Chriſti; quia ſuis prædicationibus, & devotionibus eum ornaverunt. Undè dicit Pater Filio, *Eſa.* 48. *Omnibus his velut ornamento veſtieris*. Iſta ergò cortina contexta fuit ex iis quatuor coloribus, id eſt, ex iis quatuor ordinibus, qui eam circundant, venerantur, & laudant, &c.

32 Tertiò, deſcribitur iſta Regina à Sponſi nobilitate, cùm dicitur: *Concupiſcet Rex decorem tuum*. Quia ipſe eſt magnæ reverentiæ, quia omnes adorant eum. Quia ipſe eſt ergà Sponſam dilectionis immenſæ. Quia ipſe Rex intantum ejus odorem dilexit, quòd eam in Sponſam accepit, & in Reginam eam ſublimavit, intantùm quod ſicut Rege abſente Regina regnum gubernat: ſic Virgo Beata, quandò Rex Chriſtus per mortem ſe abſentavit, Eccleſiam Dei in illo triduo rexit, quia fidem illibatam ſervavit. Similiter quandò Rex Chriſtus ad Cœlum aſcendit, ipſa tanquàm Regina Eccleſiam rexit, quia totius Eccleſiæ, & Apoſtolorum Magiſtra extitit, & remanſit. Similiter quandò Rex faciem ſuam alicui abſcondit: tunc ipſa Regina maximè miſericordiam ſuam oſtendit, quandò homo ad ipſam cum vero corde, & vera devotione recurrit.

Undè illud, quod vanæ mulieres dixerunt de Luna, nos exponemus de iſta Regina, *Ierem.* 44. *Sacrificavimus Reginæ Cœli, & libavimus ei libamina, & fecimus ei placentas, & tunc ſatiati ſumus panibus, & benè nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo ceſſavimus ſacrificare Reginæ Cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus: & gladio, & fame conſumpti ſumus*. Debemus quidem Reginæ noſtræ ſacrificare corpora noſtra per mortificationem, & libare corda liquida per quandam lachrymoſam compaſſionem, & offerre ſibi placentas, id eſt, conſcientias mundas; & tunc ab ipſa ſaturabimur pane, id eſt, interna refectione, nec videbimus malum pœnæ æternæ, quia acquiremus bonum gratiæ, & gloriæ. Illi autem, qui eam non honorant, habent penuriam gratiæ, & gloriæ, conſumuntur fame conſolationis divinæ, & gladio tentationis diabolicæ.

33 Quartò, deſcribitur iſta Regina ab odoris ſuavitate, cùm dicitur. *Myrrha, & gutta, & Caſia*. Ubi dicit Gloſſa. Hic laudat Propheta Sponſum ab uxore, & ornatu. Sequitur in Gloſſa. His autem aromatibus odores virtutum ſignantur, qui odores nuptiali gaudio adhibentur, ut in nuptiis fieri ſolet. Habent autem iſtæ ſpecies

cies aromaticæ has proprietates, ut dicit Gloſſa. Myrrha enim eſt amara, & conſervat carnes à putredine, & vermes expellit malæ concupiſcentiæ, & ſic caſtitas cuſtoditur. Gutta expellit omnes inflaturas, & tumores. Et ideò ſignat humilitatem, quæ cordis duritiam curat. Caſia in aquoſis locis naſcitur, & creſcit, & ſignat pietatem, quæ non naſcitur in cordibus illorum, qui ſunt duri, & aridi, ſed tantum in cordibus illorum, qui ſunt compaſſibiles, & devoti.

Iſtæ igitur tres ſpecies aromaticæ, ideſt, virtutes, ſcilicet myrrha caſtitatis, gutta humilitatis, & caſia pietatis in Maria fuerunt, quæ magnum odorem fecerunt. Nam ejus caſtitas, ſive virginitas fuit odorifera Angelo. Humilitas ejus odorifera Deo. Pietas ejus fuit odorifera toti mundo. Ipſæ autem ſpecies aromaticæ ſpirabant odorem à *veſtimentis ejus, & domibus eburneis*. Veſtis fuit ejus anima, qua Chriſtus veſtitur, & ornatur: & fuit odorifera, quia fuit aromatibus omnium virtutum plena. Domus autem eburnea fuit ejus corpus, quia fuit Domus Chriſti, juxtà illud *Eccli.* 24. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Et fuit domus eburnea propter caſtitatem; quia Elephas dicitur eſſe animal caſtum, & frigidum, & ideò in ebore caſtitas deſignatur. Iſtæ autem ſpecies aromaticæ, ſcilicet ejus caſtitas, humilitas, & pietas ſpirabant odorem ab ejus anima, quæ fuit veſtis Dei, & omnibus aromatibus virtutum fuit plena, & ab ejus carne, quæ fuit domus eburnea, quia fuit decorata virginali munditia.

34 Quintò, deſcribitur iſta Regina à domicellarum, ſivè adoleſcentularum ſtrenuitate. Solent enim Reginæ domicellas, ſivè adoleſcentulas habere, quæ ſibi ſtrenuè famulentur, & ſerviant. Iſta igitur Regina noſtra habet tria genera famularum. Primæ ſunt filiæ Regum, de quibus dicitur: *Delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo*. Secundæ ſunt filiæ Tiri, de quibus ſubditur: *Et filiæ Tiri in muneribus*. Tertiæ verò ſunt Virgines, de quibus ſubditur: *Adducentur Regi Virgines*. Tres enim ſunt ſtatus mulierum, quæ ipſi Reginæ ſerviunt, ſcilicet bonæ Viduæ, quæ ſignantur per filias Regum, quia ipſæ corpus ſuum in caſtitate, & munditia bene regunt. Aliæ ſunt conjugatæ, quæ ſignantur per filias Tiri. *Tirus* enim interpretatur *anguſtia*, & ſignat Coniugatas, quæ multas in mundo patiuntur anguſtias; ſive in ſuſtinendo Virum, quandò eſt nimis auſterus; ſive in pariendo filios, & educando, & nutriendo eos, ſive in aliis neceſſariis procurandis. 1. *Corinth.* 7. *Tribulationem carnis habebunt hujuſmodi*. Tertiæ ſunt Virgines, quæ votum perpetuæ virginitatis poſt ipſam emiſerunt, quia ipſa prior omnibus emiſit. Filiæ igitur Regum, ideſt, bonæ Viduæ Reginam ſuam delectant, quandò ſe in munditia, & caſtitate conſervant. Filiæ Tiri, ideſt, bonæ Coniugatæ ſibi munera offerunt, quando operibus miſericordiæ intendunt, & in ſuo coniugio ordinatè vivunt. Virgines autem poſt ipſam adducuntur, quandò ipſam in munditia, & virginitate imitantur.

35 Sextò, deſcribitur iſta Regina à prolis fœcunditate, cùm dicitur: *Prò Patribus tuis nati ſunt tibi filii*. Et poſſunt ibi vocari Patres ipſi Patriarchæ, vel Prophetæ, vel Iudæi infideles, à quibus ipſa originem duxit. Filii autem vocari poſſunt Virgines, vel Apoſtoli, vel devoti Chriſtiani. Eſt ergò ſenſus. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii*: ideſt, Virgines coniugia contemnentes. Vel *Pro patribus tuis*, id eſt, Prophetis, qui Chriſtum venturum prædixerunt, *nati ſunt tibi filii*, ideſt, Apoſtoli, qui Chriſtum jam veniſſe prædicaverunt. Vel *prò Patribus tuis*, id eſt, Iudæis infidelibus, qui Chriſtum perſequntur, *nati ſunt tibi filii*, qui Chriſtum vera fide confitentur.

Sequitur. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*. Primi enim filii, id eſt, Virgines, Principes ſuper omnem terram conſtituuntur, quia univerſali Eccleſiæ principantur. Secundi filii, ſcilicet devoti Chriſtiani, ſuper omnem terram Principes conſtituuntur, quando conculcant terrena, & ſe ſublevant ad Cœleſtia appetenda. Tales enim, qui ſic terrena conculcant, omnia poſſident: ſicut quidam ſapiens per talem reductionem oſtendit, dicens. Qui omnia contemnit, omnia ſub pedibus habet, omnibus præeſt. Qui omnibus præeſt, omnibus dominatur. Qui omnibus dominatur, omnia poſſidet. Igitur qui contemnit omnia, omnia poſſidet. Ideò dicit Apoſtolus 2. *Corinth.* 6. *Tanquàm nihil habentes, & omnia poſſidentes*. Hactenus ille.

36 Ex his verò infertur, quòd Beata Virgo eſt Princeps omnium Regum terræ. Et hoc probat Albertus Magnus *lib.* 6. *de laudib. B. Mariæ* c. 12. *Maria Princeps*, tum ratione, tum etiam vocabuli etymologia. Princeps, inquit, deſignata multipliciter. Per *Saram*, quæ interpretatur *Princeps*, vel *carbo*: & rectè *Princeps*; quià *filia Principis*, id eſt, Dei Patris. *Cant.* 8. Et Mater Principis, id eſt, Chriſti, qui dicitur *Princeps Regum terræ*. *Apocal.* 1. Hæc autem Princeps à tota Trinitate data eſt Eccleſiæ, ut per eam *princeps mundi*, id eſt, diabolus, qui dicitur princeps, id eſt, principium captivitatis, *eiiceretur foras*, ſcilicet à cordibus electorum. *Ioann.* 12. Iſte enim princeps primam mulierem captivavit, ſed ab iſta Principe captivatus eſt. Undè *Geneſ.* 3. *Ipſa conteret caput tuum*, &c. quod non ſolùm ſemel, ſed quotidiè fit, cùm à viris juſtis ejus adiutorio diabolus expugnatur.

Dicitur autem *Maria Princeps*, quaſi *principium capiens*, id eſt, illum, qui dicit *Ioann.* 8. *Ego principium, qui & loquor vobis*. Vel quaſi *primum capiens*, id eſt, illum, qui dicit *Apocal.* 1. & *Eſa.* 48. *Ego ſum primus, & noviſſimus*. Vel dicitur *Princeps, à principio*, & *à Principatu*. A principio; quià Chriſto dedit principium eſſendi ſecundùm humanam naturam, quam aſſumpſit ex ea. Undè dicit ei Chriſtus *Iob.* 10. *Pelle, & carnibus veſtiſti me*. A Principatu: quia Cœlorum facta eſt Regina in ſua Aſſumptione, & ſola cum Deo principatur in Cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Unde & deſignatur per *Iſrael*, qui interpretatur *Princeps cum Deo*. Undè Chriſtus dicit *Oſeæ* in fine. *Ero quaſi ros. Iſrael*, id eſt, Beata Virgo, *Germinabit quaſi lilium*. Item de hac Principe dicitur *Eſa.* 32. *Princeps*, id eſt, Maria, *ea quæ digna ſunt Principe cogitabit*, ſcilicet *cogitationes pacis, & non afflictionis*. *Ierem.* 29. Ipſa etiam cum

Filio *Apocal.* 1. poteſt dici congruè *Princeps Regum terræ*: quia ad ejus Principatum pertinent illi, qui ut benè regnent in Cœlo, benè regnent in terra, & benè regant ſe,& ſubditos ſuos.

37 Sed nunquid tantæ Principi, & Reginæ deeſt corona,Regni ſui inſigne? Minimè quidem. Nam Rex Aſſuerus, ideſt, Deus adamavit eam ſuper omnes mulieres, ideſt, ſuper omnes creaturas, inquit Bernardinus Senenſis; *& poſuit diadema Regni ſuper caput ſuum*, & voluit eam eſſe Reginam. *Eſther.* 2. Iſtud eſt diadema ſpeciei, & corona gloriæ, qua Virgo ſuper Angelos coronatur, ut intra Trinitatis gloriam, ipſa ſola ampliùs ſit evecta, ac plùs Beatiſſimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, ſentiat, ac fruatur, quàm omnis alia pura creatura ſimul ſumpta, de cujus gloria poſt Filium participant univerſi. Sed quia ſolent Reginarum diademata gemmis inſigniri, & lapidibus fulgere pretioſis, quænam rogo ſunt gemmæ diadematis noſtrę Reginæ? Sponſus *Cant.* 4. illas inſinuare videtur, cùm inquit: *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana: de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum.* Mira ſanè gemmarum enarratio,ut montium vertices, leones, & pardi tanquàm lapides gemmantes illius coronæ inſerantur!

38 Sed quid hoc? Bernardinus Senenſis *ſerm.* 13. *de exaltat. B. Virg.* in gloria art. 2. cap. 3. hanc gemmarum novitatem myſticè interpretatur, dicens. Contemplare Virginem coronatam, quia ſubditur, *Coronaberis*, &c. Quinque enim ſingulariſſimas gratias impetrat miſericordiſſima Mater ſuper impios peccatores, ut convertantur ad Deum, quæ dici poſſunt quinque lapides pretioſi hanc coronam Virginis adornantes, ut apertè clareſcat, quòd gloria ſua tantum habet in alios redundare, quòd poſt Filium ſuum Ipſa ſit ſingularis ratio ſalutis peccatorum. Nam propter Virginis immenſam dilectionem tam ipſe Chriſtus, quàm tota etiam Beatiſſima Trinitas ſceleratiſſimis peccatoribus frequenter indulget.

Primus igitur lapis dicitur *Amana*: ait enim: *Coronaberis de capite Amana*. *Amana* enim mons Ciliciæ eſt; & *inimicus ei*, vel *coanguſtians eum*, ſeu *comprimens eum*, aut *anguſtiator ejus* interpretatur. Deſignat enim homines partiales, tyrannos, & crudeles homicidas, & pauperum oppreſſores, viduarum, & pupillorum devoratores: ſed in capite hujus montis deſignatur ſummitas in ſceleribus ſupradictis.

Secundus lapis *Sanir* dictus eſt. Undè ſubdit: *de vertice Sanir*. *Sanir* enim mons eſt in Iudæa, in quo leones latitare dicuntur, atquè *fætor* interpretatur, & ſignificat carnales homines. In vertice hujus montis deſignatur etiam ſummitas in prædictis culpis.

Tertius lapis *Hermon* nominatus eſt: propterèa addit: *& Hermon*. Hic eſt etiam mons Iudeæ, in quo ſimiliter commorantur leones, & interpretatur *anathematizatio*, & deſignat profanos, excommunicatos, & ſacrilegos. In vertice quoque *Hermon* indicatur etiam ſummitas in prædictis culpis.

Quartus lapis, *cubilia leonem* denominatur: undè ſubdit: *De cubilibus leonum*: Hi ſunt raptores, ſuperbi, prædones, fures, & piratæ: hi in cubilibus malarum conſcientiarum ſuarum ſine contritione quieſcunt.

Quintus lapis, *montes pardorum* dictus eſt; ideo additur: *Et de montibus pardorum*. Hi ſunt homines mendaces, duplices, ſimulatores, hypocritæ, ficti, falſarii, & proditores, crudeles, & malignis artibus pleni, deſignati in pardis propter crudelitatem, & pellis varietatem. Magnitudo autem nocumenti in montibus deſignatur.

39 De his omnibus coronatur Beata Virgo: quia vel ejus meritis à ſuis vitiis liberantur. Hac igitur gratiarum varietate adornatur in regno Cœlorum glorioſa Virgo, prædictas gratias nobis diſpenſando, qui ſumus quaſi Luna ſub pedibus ejus. O igitur fœmina ab omnibus, & ſuper omnia benedicta: Tu nobilitas, & præſervatio generis humani: Tu meriti latitudo, & conſummata poteſtas omnium creatorum: Tu unica Mater Dei: Tu Domina univerſi, Regina mundi: Tu diſpenſatrix omnium gratiarum: Tu conſummatio univerſi, & Eccleſiæ Sanctæ decor: Tu noſtra ſatisfactio digna coràm largitore cunctorum bonorum. Tu omnium virtutum, donorum, & gratiarum incomprehenſibilis magnitudo: Tu præelectum, & digniſſimum vaſculum à primo Artifice fabrefactum, eſſentiæ Dei capax: Tu templum Dei: Tu hortus deliciarum. Tu exemplum omnium bonorum: conſolatio devotorum, & totius ſalutis radix, & ornamentum. Tu porta Cœli: lætitia Paradiſi: & ultrò quàm dici poſſit, gloria ſummi Dei. Verè balbutiendo has laudes, & excellentias tuas enunciamus, ſed tuam immenſam dulcedinem ſuppliciter exoramus: Tu ſupple benignitate tua inſufficientias noſtras, ut te dignè laudare poſſimus.

§. *VI.*

Cœlique, terræque Imperatrix prædicatur Virgo Beata.

40 NOn uno ſatis titulo Reginam noſtram prædicamus, niſi illam etiam Imperatoriis faſcibus decoratam oſtendamus. Quatuor autem rationibus potiſſimè dicitur Imperatrix, ſcilicet ratione propinquitatis, dignitatis, poteſtatis, & auctoritatis, quas adducit Iacobus de Voragine *ſerm.* 17. *de B. Virgine*, quam etiam nominat *Auguſtam*: Imperatrix enim etiam vocatur *Auguſta*: ſed de hoc ſpecialiter in ſequenti paragrapho.

Primò igitur, inquit Voragines, dicitur Auguſta, & Imperatrix ratione propinquitatis, quæ tanta eſt inter ipſam, & Cœleſtem Imperatorem, quod ipſa eſt Mater ejus, Sponſa ejus, & filia ejus. Quòd enim ipſa ſit Mater, & filia ejus, dicitur in *Pſal.* 86. *Homo natus eſt in ea.* Eccè quod ipſa eſt Mater ejus. *Et ipſe fundavit eam Altiſſimus.* Eccè quia ipſa filia eſt, & creatura ejus. Quomodò ſit Sponſa ejus, dicitur *Ioann.* 5. *Qui habet Sponſam, Sponſus eſt*. Quia igitur eſt Mater Imperatoris Cœleſtis, ideò ſuper ipſum maternæ auctoritatis imperium habet, & poteſt ſibi tanquam Mater filio imperare. Hoc ſignificatum eſt 3. *Reg.* 2. ubi Mater Salomonis dixit ei: *Petitionem unam peto à te, nè confundas faciem meam*. Tunc enim faciem ſuam confunderet, quandò illud, quod, peteret, denegaret. Ideò Rex ſibi reſpondit: *Pete Mater miſericordiæ: neque enim fas eſt, ut avertam faciem meam*. Quia ipſa eſt filia eius: ideò ipſe ad eam habet paternum affectum. *Pſal.* 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, &c.* uſque *Deus tuus*. Quia verò eſt Sponſa eius, ideſt, ad ipſam habet amorem ſincerum. *Sap.* 8. *Hanc amavi, & exquiſivi à iuventute meà, & quæſivi eam mihi Sponſam aſſumere: & amator factus ſum formæ illius*. Rectè igitur in Cœleſti Palatio ipſa eſt Domina, & Auguſta, quæ ipſius Imperatoris meruit eſſe Mater, Sponſa, & filia.

41 Secundò, dicitur Auguſta, & Imperatrix ratione dignitatis. De cuius dignitate dicitur in *Pſal.* 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate*: ubi eius dignitas denotatur quantum ad tria. Primò, quantum ad locum, cum dicitur: *Aſtitit Regina à dextris tuis.* Iſtud figuratum fuit 3. *Reg.* 2. ubi dicitur: *Poſitus eſt thronus Matris eius, quæ ſedit à dextris eius*. Secundò, quantum ad habitum, cum dicitur: *In veſtitu deaurato*. *Apocal.* 19. *Vxor Agni præparavit ſe, & datum eſt ei, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido*. *Prov.* 31. *Byſſus, & purpura indumentum eius*. Tertiò, quantum ad obſequium famulorum, cum dicitur: *Circundata varietate*; ideſt, Angelorum, & Sanctorum univerſitate. Omnes enim Angeli, & Sancti, ſibi tanquam Dominæ, & Auguſtæ humiliter famulantur.

De famulatu Angelorum dicit Sanctus Gerardus Epiſcopus, & Martyr in ſuis homiliis. Solus Dominus Ieſus Chriſtus Matrem ſuam poteſt magnificare, quæ Angelicis eſt ſtipata choris,Archangelicis vallata turmis, Thronorum hinc indè poſſeſſa iubilationibus, Dominationum circuncincta tripudiis, Principatuum circumſepta obſequiis, teſtatum amplexata plauſibus, Virtutum girata honoribus, Cherubin circunſtantiata hymnificationibus, Seraphin undique poſſeſſa ineffabilibus cantationibus. Qualiter autem cæteri Sancti eidem famulentur, dicit idem ibidem. Apoſtolorum ſplendidiſſimus ordo, ineffabili laude ipſam extollit; Martyrum exercitus omnimodè ſupplicat Dominæ tantæ. Confeſſorum multitudo innumerabilis continuum ſibi perſonat canticum. Virginum candidiſſima concio iugem choream ad ſuam celebrat gloriam. Deindè ſubdit. Invitè etiam ſibi Infernus ululat, & procaciſſimi dæmones conclamant.

42 Tertiò, dicitur Auguſta, & Imperatrix ratione imperii, & poteſtatis. Ipſa enim tanquam Domina, & Auguſta Angelos in miniſterium mittit, & ei ſecreta Palatii committit. Dæmones verò tanquam proditores, de cœleſti palatio expellit. Quod enim Angelos mittat, & ſibi ſecreta Palatii committat, dicit Bernardus in quodam ſermone. Perſuadet, immò nos compellit Celſitudo Tua credere, ut in regno filii tui Beatiſſima Virgo Maria imperioſe principeris, quod

per Angelorum miniſteria tuis ſæpè devotis ſubvenias. Si enim Angelus Angelum mittit, confidenter credere debet Chriſtiana devotio, quod Imperatrix Angelorum tantò magis habet Angelos ad obſequium, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit. Si enim Ioſue dux Iſrael iuſſit Solem ſtare, quomodo non omnia Sidera ad nutum glorioſæ Imperatricis diſcurrant? Deindè ſubdit. Si Cherubin, & Seraphin de fonte bibentes, inferioribus Angelis arcana quædam revelant; quantò magis glorioſa Virgo de occultis filii ſui, amplexu eius deguſtata myſteria Angelis copioſius effundit? Quod verò dæmones tanquam Palatii proditores expellat, dicit Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus. *Maria* Mater miſericordiæ, maternà dignitate facta eſt, & ergà ſuperos imperioſa ſecundum charitatem, & ſuper inferos per diſtrictionem, ubique imperioſa, ubique magnifica, cui certè proprium eſt, & Angelos Sanctos in miniſterium mittere, & ad beneplacitum ſuum inferorum pacta caſſare.

43 Quartò, dicitur Auguſta,& Imperatrix ratione auctoritatis. Tantam enim habet auctoritatem in cœleſti Palatio, quod omnibus aliis Sanctis intermediis omiſſis, ad ipſam licet ab omni gravamine appellare tanquam ad Dominam, & Auguſtam. Sivè quis gravetur à corpore proprio, ſivè à diabolo, ſivè etiam ab ipſo Deo. Si quis enim gravatur à diabolo, ad ipſam appellare poteſt, ſicut ad Dominam, & Auguſtam, ſicut fecit Theophilus, qui ab Epiſcopo ſuo à vicedominatu depoſitus in tantam deſperationem cecidit, quod diaboli ſervum ſe fecit, & de ſuà ſervitute manu proprià chirographum conſcripſit, & diabolo tradidit. Poſtmodum ad cor ſuum rediens, & penitens, ad Dominam, & Auguſtam appellavit: & Ipſa totum irritum fecit, & diabolo chirographum Theophilo reddere præcepit; & ſic ipſum in ſtatum priſtinum reſtituit; & gratiam, & veniam promeruit.

Secundò, licet appellare ad ipſam, ſi quis gravatur à Tyranno. Iſtud patet in beato Baſilio Epiſcopo, cui cum Iulianus Apoſtata ad prælium vadens minatus fuiſſet, quod in reditu ſuo civitatem deſtrueret, Sanctus Baſilius ad Dominam, & Auguſtam appellavit. Quæ quendam militem; Mercurium nomine, iam defunctum ſuſcitavit: qui ſuper equum conſcendens, & ad Iulianum pergens, & lanceam fortiter vibrans, ipſum occidit. Undè dicit Sanctus Philibertus: Veniant ad Beatam Mariam iuſti, effectum celerem percepturi: veniant & peccatores, cum Theophilo deſideratam miſericordiam adepturi.

44 Tertiò licet ad ipſam appellare, ſi quis gravatur à corpore proprio. Exemplum iſtud patet in Maria Ægyptiacà, quæ multo tempore carnali concupiſcentiæ deſervivit, ſed tandem ad Dominam, & Auguſtam confugit, & ipſam appellavit; & ſic concupiſcentiam vicit, & caſtitatem ſervavit. Refert etiam Sanctus Hugo Cluniacenſis abbas, quod dum quidam ad Sanctum Iacobum pergeret, & in fornicationem cecidiſſet: diabolus in forma S. Iacobi ſibi apparuit, eique dixit, quod veniam conſequi non poſſet, niſi genitalia ſibi abſcinderet, & ſeipſum occideret; quod cum feciſ-

ciſſet, & dæmon eius animam ad infernum traheret, Sanctus Iacobus ei obviavit, & ad Dominam, & auguſtam appellavit. Quæ iudicavit, & ſententiam dedit, ut anima illius ad corpus rediret, & ibi de peccato, quod egerat, pœnitentiam ageret. Quod & factum eſt. Eccè quia iſte fuit gravatus à corpore proprio, dum in fornicationem eſt lapſus, ſed tamen à Dominà, & Auguſta fuit adjutus.

Denique quartò, licet ad ipſam appellare, ſi quis à iuſtitia Dei ſentit ſe gravari. Hoc ſignificatum eſt *Eſther*. 5. Cum Rex Aſſuerus cum Judæis eſſet iratus, Regina Eſther ad eum placandum acceſſit. Cui Rex dixit: *Etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, dabo tibi*. Iſta eſt Virgo Maria, cum qua Deus regnum ſuum diviſit. Cum enim Deus habeat iuſtitiam, & miſericordiam, iuſtitiam ſibi retinuit, & Matri miſericordiam conceſſit. Et ideò ſi quis ſentit ſe gravari à foro iuſtitiæ Dei, appellet ad forum miſericordiæ Matris Dei. *Hebr*. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*. Thronus Dei eſt Mater Dei, in quà ipſe novem menſibus ſedit: & eſt thronus gratiæ, & miſericordiæ, quia omnes gratias, & miſericordias ſibi fiendas commiſit. Thronus autem iuſtitiæ eſt thronus Dei, de quo dicitur in *Pſal*. 44. *Thronus tuus, Deus, in ſeculum ſeculi, &c.* Si quis igitur gravatur à throno divinæ iuſtitiæ, appellet ad thronum miſericordiæ Dominæ, & Auguſtæ.

§. *VII.*

Quam benè Deipara dicatur Auguſta.

45 QUamvis *Mariam* in prædictis vocaverimus *Auguſtam*, in præſentibus ſpecialiter quærenda eſt ratio, cur ſic appelletur. Breviter igitur dicimus Beatam Virginem eſſe utriuſque Orbis Auguſtam. Sicut enim Imperator, *Auguſtus* dicitur *ab augendo:* quia quantum poteſt, debet ſuum imperium augere, ut dicit Gloſſa ſuper rubricam digeſtorum, & & inſtitutionum. Ita Virgo glorioſa appellari poteſt Auguſta. Sicut enim Uxor terreni Imperatoris appellatur Auguſta, *l. ſi fiſcus in fi. ff. de iure fiſc.* Et *l. fi.* §. 2. *C. de quadri. Præ.* Et *l. Princeps ff. de leg.* Multò magis deſponſata, ac coniuncta cœleſti Imperatori benedicta Virgo, appellari debet *Auguſta*. Et eò maximè, quia ipſa augmentavit imperium divinum ſuper humanum genus deperditum, atque ipſa mediante auctus eſt fidelis populus colens Deum. Ideo de ipſa dici poteſt illud *Pſal*. 104. *Et auxit populum ſuum vehementer*. Hæc dicebat Bernardinus Buſtenſis 3. *p. ſerm*. 3. de Nominatione Mariæ.

46 Verum Anſelmus *lib.* de Excellentià Virginis Mariæ *c.* 8. de eius Aſſumptione ad Cœlos, quantum ipſa utriuſque orbis Cœleſtis, & terreni imperium auxerit, & dilataverit, quantumvè decoris, & dignitatis utrique accreverit, oſtendit, dicens. O dies tanti occurſus glorioſa, & felix! Dies tam ſublimis glorificationis feſtiva, & omni ſeculo admirabilis. Dies tam præclaræ exultationis beata, & celebris. Dies enim illa non ſolùm te, Domina, ineffabiliter ſublimavit, ſed Cœlum ipſum, quod penetraſti, nec non cuncta, quæ in eo ſunt, nova, & ineffabili gloria decoravit. Nova quidem Cœlum gloria decoravit: quia priorem gloriam eius ex præſentia tui, ultrà quam dici poſſit, aut cogitari, magnificavit. Nam cum tu, Domina, illuc aſcendis, nova illud, & præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias, immenſaque miſerationum tuarum, & gratiarum luce perluſtras. Eadem quoque dies aſcenſus tui eorum mentes, qui cives eius ab initio creaturæ eſſe meruerunt, ſolito feſtiviori exultationis gaudio induit, quia per glorioſum fœcundæ Virginitatis tuæ fructum ſemirutam vident civitatem ſuam reintegrari. Verè in tuo adventu, per quam tantum bonum meruerunt, gaudii ſui magnitudo iure debuit augmentari.

47 Terram etiam dies exaltationis tuæ, ò Beatiſſima fœminarum, mira gratia irrigavit, quia dum Te, quam de ſe, & in ſe aliorum hominum lege progenitam cognovit, uſque ad Creatoris omnium thronum exaltatam cognoſcit, ac antiquam maledictionis pœnam, quam in peccato primorum ſuorum filiorum meritò excepiſſe ſciebat, iam per tantæ benedictionis tuæ abundantiam ſeſe evadere indubitanter credebat. Quid ampliùs dicere poſſum, Domina? Immenſitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuę conſiderare cupienti, ſenſus deficit, lingua fatiſcit. Quemadmodum enim omnia, quæ in Cœlo ſunt, per glorificationem tuam inæſtimabiliter decorantur; ita per eandem glorificationem cuncta, quæ in terra ſubſiſtunt, ineffabiliter ſublimantur. Singula nempè in immenſæ dignitatis decus profecerunt, cum per tuam beatam, & integerrimam virginitatem Dominum Deum ſuum, quem non cognoverant, agnoſcere, & agnitum colere, & amare meruerunt. Hæc Anſelmus.

48 Denique aliquid etiam ſublimius de noſtra *Auguſta*, per quod verè meretur appellari *Auguſta*, ſentit Albertus Magnus *lib.* 2. *de laudib. B. Mariæ c.* 1. *num.* 4. Quia, inquit, per Ipſam, & in Ipſa, & ex Ipſa augetur gloria Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Unde in *Pſal*. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Civitate Dei noſtri, in monte ſancto eius*. Licet enim in omni creatura ſit Deus magnus, & laudabilis nimis; tamen nominatim dicitur magnus, & laudabilis nimis in Civitate Dei noſtri, quæ eſt *Maria*, de qua dicitur: *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei. Pſal.* 87. Alcuinus: In hac Civitate, & in hoc monte magnus Dominus, & laudabilis nimis, immò audacter dico, maior, & laudabilior, quam in omnibus creaturis: qui enim Cœlo, terraque non capitur, & qui mundum pugillo continet, huius utero clauſus eſt: & indè aſſumpſit, unde Patri obediens uſque ad mortem extitit: propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Dicat qui melius ſentit. In nullo quippè mihi videtur maior Deus, quam quod ſe humiliavit homo factus: nec unquam laudabilior, quam quod factus eſt clementior, qui omnipotentiam ſuam maximè parcendo, & miſerando manifeſtat. Propter hoc dicitur de *Maria* 1. *Corinth.* 5. *Mulier gloria eſt Viri*. Et *Prov.* 12. *Mulier diligens corona eſt Viro ſuo*.

CAP.

CAP. VIII.

Alia quinque decoramenta Virginem Beatam exornant.

1 ILlud mihi evenire videtur in perſcrutandis myſteriis literarum Parthenii Nominis, quod in pulchro, variiſque conſito floribus viridario aſſolet Puellarum choro, quæ dùm floridos puellari manu legunt fœtus, quaſi nova ſub oculis exoriri Floræ proles ſibi videtur. Vel ſi dicere malim, *Mariæ* Nomen arbos illa auricoma eſt, de qua Virgilius *Aeneid.* 6. ſub qua latet

Aureus & foliis, & lento vimine ramus:

& de qua.

primo avulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

Novas ſiquidem dotes pariunt ſingulæ literæ Nominis ſui, & quinque alias prærogativas, quaſi quinos de ſtipite aureos ramos producunt. Et hoc quidem verum eſt, ſi per tertiam lineam capitalia *Mariæ* nominis digeras elementa: Nam ex eius Nomine habes, quod Deipara ſit

M iniſtra.
A ncilla.
R efugium.
I nteremptrix hæreſum.
A diutrix.

Miniſtra videlicet officioſa. Ancilla humilis, & obſequioſa. Forte, & patens refugium peccatorum. Valida hæreſum Interemptrix. Potens hominum Adiutrix.

§. *I.*

Beata Virgo quadruplici officio Miniſtram ſedulam ſe exhibuit.

2 IAcobus de Voragine *ſerm.* 97. de B. Virgine expendit eius miniſteria, & officia, & quam fuerit in ipſis ſedula, & officioſa. Inquit enim: Miniſtra Dei fuit Virgo *Maria*, ſicut ipſa dicit *Eccli.* 24. *In habitatione Sancta coram ipſo miniſtravi*. Fuit autem Miniſtra reſpectu Filii, quia ſibi ſedulè miniſtrabat. Auguſtinus in *ſerm.* de Aſſumptione. *Mariam* ſiquidem, & operis exhibitione, & fidei veritate, miniſtram Chriſti fuiſſe intelligit omnis, qui ſanè ſapit. Opere certè miniſtrabat, quia hunc in utero geſſit, partuque perfuſum aluit, & fovit, in præſepio reclinavit, in Ægyptum fugiens abſcondit, & omnem eius infantiam proſecuta eſt pio Matris affectu, ità ut uſque ad crucem contrariam, Virum perfectum viderit eum pendentem, & ab eius non receſſerit conſectatu.

3 Fuit etiam Chriſti miniſtra, quia ſecundùm Bernardum omnia opera miſericordiæ ergà eum miniſtravit. Nàm ipſum virginea carne ſuſtinuit, eum lacte de Cœlo miniſtrato potavit, & pavit: ipſum in eius utero novem menſibus hoſpitata fuit; ipſum per infantiam infirmum, non ſolùm viſitavit, ſed etiam omnia obſequia humanitatis ei exhibuit: ab ipſo in carcere crucis ligato non receſſit; eius ſepulturæ intereſſe voluit.

4 Secundò dicitur miniſtra ratione noſtri. Deus enim iſti Miniſtræ quinque miniſteria, & officia commiſit. Primum officium eſt, quia Ipſa eſt Eleemoſinaria Cœli, quia omnes eleemoſynas de Cœlo fiendas ſibi commiſit. Ipſa autem non eſt avara, ſed liberalis, & larga. De quà dicitur *Prov.* 31. *Manum ſuam extendit ad pauperes*. Ibidem. *Dedit prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis*.

Secundum officium eſt, quia Ipſa eſt Celleraria Spiritus Sancti. *Cant.* 2. *Introduxit me Rex in Cellam vinariam*. Iſtud autem vinum copioſè effudit, & tamen ſemper plena extitit. Undè ipſa dicit *Cant.* 5. *Bibite amici, & inebriamini chariſſimi*. Ibidem. *Vmbilicus tuus Crater tornatilis, nunquam indigens poculis*.

5 Tertium officium eſt, quia Ipſa eſt Theſauraria Dei. Deus triplicem theſaurum ſibi diſpenſandum commiſit, ſcilicet theſaurum Potentiæ. *Eccli.* 24. *In Ieruſalem poteſtas mea*. Theſaurum ſapientiæ. *Prov.* 14. *Mulier ſapiens ædificat domum ſuam*: ideſt, gubernat Sanctam Eccleſiam. Theſaurum miſericordiæ. Undè ad ſuam miſericordiam recipiendam omnes invitat, dicens *Eccli.* 24. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini*.

Quartum officium eſt, quia ipſa eſt Advocata generis humani. Undè clamamus ad eam: *Eia ergo Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et Ieſum, &c.* Nos enim ſumus in peregrinatione: ſumus in lachrymatione: ſumus in tenebroſitate ignorantiæ. Ideò clamamus, ut ipſa noſtra Advocata oculos miſericordiæ ad nos dirigens, de peregrinatione, ſivè exilio ducat ad cœleſtem Patriam: de lachrymatione ducat nos ad æternam lætitiam. Jdeò clamamus, & dicimus: *Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle.* Clamamus etiam, ut de tenebroſitate ignorantiæ ducat nos ad claritatem viſionis divinæ, dicentes: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende*.

Quintum officium eſt, quia ipſa eſt Oſtiaria Paradiſi. Ipſa enim eſt oſtium, per quod intramus. Undè dicit Eccleſia:

Tu Regis alti janua,
Et porta lucis fulgida.

Eſt etiam Oſtiaria, quę nos introducit. Undè ad ipſam eſt pulſandum, & dicendum *Cant.* 5. *Veni, aperi mihi Soror mea, amica mea*. Hugo de Sancto Victore. *Maria* Porta: Chriſtus oſtium Patris occultum. Per *Mariam* igitur ad Chriſtum, & per Chriſtum pervenitur ad Deum.

§. *II.*

Quam officioſa Ancilla fuerit Beata Virgo.

6 FAmulatu ancillari Reginam Cœlorum, hominum, & Angelorum Imperatricem,

atque

atque Auguſtam, quam vidimus ſe atque ad officium miniſtræ dimiſiſſe, etiam officioſiſſimam fuiſſe quis dubitet? Profectò Bonaventura in Speculo B. Virg. *c.* 8 quadam Spiritus ſuavitate perfuſus de obſequioſo Regalis huius Ancillæ famulatu tam dulci diſcurrit eloquio, ut attentionem mereatur omnimodam. Attendite, inquit, chariſſimi, quod Dominus iſte, qui tam ſingulariter eſt cum *Maria*, ipſe eſt Dominus, cujus Ancilla devotiſſima eſt *Maria*, ſicut ipſa teſtatur, dicens: *Ecce Ancilla Domini*. *Maria* Ancilla eſt Domini Patris, Domini Filii, & Domini Spiritus Sancti. Quid mirum, ſi *Maria* ſit huius Domini Ancilla, cum etiam Filius Mariæ ſit huius Domini Servus ſecundùm aſſumptam à Matre naturam? Ipſe enim in *Pſal.* 115. confitetur, dicens: *O Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius Ancillæ tuæ*. O quam bona Ancilla, & bonus Ancillæ filius.

7 Heù quot ſunt malæ ancillæ, & mali ancillarum filii. Sed quid dicit Scriptura? *Eiice ancillam, & filium eius*. *Geneſ.* 16. Legitur in Geneſi de ancilla Saræ, quod concepiſſe ſe videns, deſpexit dominam ſuam. Mala ergò ancilla Agar de fecunditate inflatur: bona verò Ancilla *Maria*, de humilitate fœcundatur. Ancilla illa ſuperba dominam deſpexit: Ancillam illam humilem Dominus reſpexit, ſicut ipſa humiliter recognoſcens, dicit: *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ. Luc.* 1. O anima Chriſtiana Domini ancilla, ſic cum *Maria* amplectere fœcunditatem, ut nequaquam deſeras humilitatem. Ut ergo de boni operis fœcunditate non infleris, ſed magis de humilitate fœcunderis, reſpice humilem Mariam, attende humilem Ancillam. *Eccè*, ait, *Ancilla Domini*. Undè Ambroſius. Vide, inquit, humilitatem, vide devotionem: Ancillam ſe dicit Domini, quæ Mater eligitur Domini; nec repentino exaltata promiſſo eſt.

8 O verè admiranda humilitas! Eccè non ſolùm Domini Ancilla, ſed etiam ſervorum Domini Ancilla quodammodo dignatur eſſe *Maria*. Ipſa nanque ſignata eſt per illam Abigail, pro quà adducenda cum David nuncios miſiſſet, reſpondit. *Eccè famula tua ſit in Ancillam, ut lavet pedes ſervorum Domini mei*. 1. *Reg.* 21. Per benedictam Ancillam *Mariam* quaſi tot ſervi Domini loti ſunt, quot fideles eius ſuffragiis à peccatis mundati ſunt. Ipſa enim quaſi tot ſervorum Domini pedibus aquam obtulit, quot pœnitentibus lachrymas compunctionis obtinuit. Dominus ergo tecum, ò *Maria*, tanquam cum Ancilla devotiſſima. Dominus Pater tecum, Dominus Filius tecum, & Dominus Spiritus Sanctus tecum.

9 Undè Bernardus. Pater, inquit, tecum, qui ſuum Filium facit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum, miro modo & ſibi reſerat genitale ſecretum, & tibi ſervat virginale ſignaculum. Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre, & Filio tuum ſanctificat uterum. Dominus ergo tecum; Dominus certè, cujus filia es, quà nulla nobilior: Dominus cujus Mater es, quà nulla mirabilior: Dominus, cujus Sponſa es, quà nulla amabilior: Dominus, cujus Ancilla es, quà nulla humilior unquam fuit, nec eſt, nec erit in æternum. Eià ergo Domina, quia Dominus tantus, ac talis, tantum, ac taliter eſt tecum, fac ut etiam ipſe per gratiam ſit nobiſcum.

§. III.

Deipara eſt Refugium peccatorum.

10 PUlchrè Thomas de Villanova Concione 3. *de Nativit. Virg. Mariæ* interrogat Aſtrologos, & Prophetas, ut ediſſerant nobis qualis ſit futura Puella Virgo, quæ naſcitur. Dicite obſecro, ait, ò Aſtrologi ſapientes, qui Cœleſtia contemplamini, dicite nobis ò Prophetæ, quænam puella iſta erit, quæ talis, & tam clara prodiit in orbem? Et annunciate nobis eius nativitatem. O Propheta Regalis, dicito quid tibi videtur de hac filia tua, quænam puella iſta erit? *Erit* inquit, *firmamentum in terra: ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius: & florebunt*, ſcilicet meritis eius ditabitur Eccleſia, *ſicut fænum terræ. Pſal.* 71. Dic quoque tu Eſaias, quid ſentis de hac Virgine, qualis erit iſta Virgo? *Super omnem*, inquit, *gloriam protectio, & tabernaculum erit in abſconſionem à turbine, & à pluvià*. *Eſa.* 4. Ideſt, iuſtorum erit cuſtodia, & peccatorum ſuffugium. Ità eſto Virgo in omnibus tempeſtatibus, & pluviis, & adverſitatibus. Si peſtis, ſi bellum, ſi fames, ſi tribulatio adeſt, omnes ad te currimus: tu noſtra protectio, tu noſtrum refugium, tu noſtrum unicum remedium, ſubſidium, & aſylum. Sicut pulli volitantibus deſuper milvis ad gallinæ alas accurrunt; ita nos ſub velamento alarum tuarum abſcondimur. Neſcimus aliud refugium, niſi te: Tu ſola es unica ſpes noſtra, in qua confidimus: Tu ſola Patrona noſtra, ad quam omnes aſpicimus.

11 O quàm bellè Valentiæ Archiepiſcopus Deiparam refugium appellavit: ſed quam acutè Albertus Magnus *lib. 2. de laudib. B. Mariæ c. 1. num.* 27 hoc idem confirmat, dicens: Quia in *Maria* inveniunt refugium, qui timentes Dei juſtitiam, ad ipſum accedere reformidant De hoc refugio dicit Pſalmiſta: *Petra*, ideſt, Maria, *refugium herinaciis*. *Pſal.* 103. Propter hoc refugium dicitur Ipſa, civitas refugii, figurata per ſex civitates refugii *Numer.* 35. & benè ſex: quia ſex modis interficiunt ſe generaliter peccatores. Per vitia cordis, & quinque ſenſuum corruptionem. Citrà Iordanem tres, & ultrà Jordanem tres. Jordanis baptiſmus. Citrà Jordanem tres; quia ad ipſam habent refugere, qui tentantur à tribus concupiſcentiis, ut ipſos tueatur, & faciat in bono proficere. Ultrà Jordanem tres: quia per Ipſam ſæpè redeunt ad veniam, & adipiſcuntur gratiam, & gloriam, qui tranſierunt Jordanem, ideſt, qui triplici concupiſcentia ſeducti, amiſerunt innocentiam baptiſmalem. Sed nota, quod illæ civitates ſeparatæ erant illis in refugium, qui nolentes perpetraſſent homicidium: ſed nunc dilatata eſt miſericordia Dei, & in *Maria* providit refugium etiam voluntariis homicidis. Ipſa enim eſt domus refugii, ut ſalvos nos faciat, ut habetur in Pſalmis.

12 Viſnè adhuc ſcire, quam firmum, & tutum ſit refugium in *Maria*? Audi iterum Albertum

tum Magnum, qui *lib.* 8. *de laudib. B. Mariæ* c. 8. interpretatur Beatam Virginem eſſe Petram peccatoribus loco refugii datam. Hæc, ait, eſt Petra, ſuper quam non eſt inventum veſtigium colubri, id eſt, diaboli. *Parabol.* 30. quod triplex eſt, ſuperbia, avaritia, luxuria. Primum excluſit ab ea humilitas, ſecundum charitas, tertium virginitas. Hæc eſt Petra, de qua in *Pſal.* 103. *Petra refugium herinaciis, & leporibus*, ſecundum aliam literam. Hericii ſunt magni peccatores obſiti denſis peccatorum aculeis, qui cum corriguntur, armant ſe ſpinis ſuis, id eſt, excuſationibus: tamen ſi humiliter ad *Mariam* convertantur, poſſunt apud eam refugium invenire.

Vel hericii ſunt humiles pœnitentes, hirſuti per jejunia, vigilias, ſaccum, & cilicium, & hujuſmodi. Et hujuſmodi ſpinis debet ſe armare, qui vult apud eam refugium invenire, nè poſſit morderi à carne, vel diabolo: ſicut pertica armata ſpinis ſuis non timet morſum Lucii devoratoris.

Lepores ſunt timidi peccatores, fugientes à juſtitia Filii ad miſericordiam Matris, ſicut fecit Theophilus, de cujuſmodi dicitur *Prov.* 30. *Lepuſculus plebs invalida, collocat in petra cubile ſuum*: id eſt, in Maria refugium ſuum, & in ejus miſericordia ſpem ſuam. Et nota, quòd dicitur *plebs invalida*, ideſt, illi qui infirmitatem ſuam humiliter attendunt, & ſe nullius valoris reputant coram Deo. Ipſa eſt enim, *quæ dat laſſo virtutem*. *Eſa.* 40. Et his qui non ſunt ſecundùm ſuam reputationem, fortitudinem, & robur multiplicat.

§. IV.

Beata Virgo eſt hæreſum Interemptrix.

13 ET hoc de Domina noſtra eſt ſingulare præconium, ut hæreſum extinxerit hydras. Ipſa verticem antiqui draconis, omnium caput hæreticorum contrivit, & pede niveo nigricantia hæreſiarcharum monſtra calcavit. Præclaros igitur de hæreticis Beata Virgo egit triumphos, mediante filio ſuo, qui eſt lumen ad revelationem Gentium Catholicorum, & unica fax ad profligandos Etherodoxos. Undè, inquit Ioannes Raulinus Cluniacenſis ſerm. 6. de Purificat. Virginis, mediante hoc lumine Virgo Maria hęreſes omnes effugavit, ità quòd de ea veraciter canit Eccleſia. *Gaude Maria Virgo cunctas hæreſes ſola interemiſti*. Sed quæres. Quomodò hoc poteſt eſſe verum, cum tamen Auguſtinus, Ambroſius, & Hieronymus continuè latraverint contra hæreſes, &, ut videtur, aliquas extinxerint: & de Origene lib. 6. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ dicitur, quòd ad diverſas mundi partes mittebatur contrà hæreticos, quorum neminem aggreſſus eſt, quem non confutaverit. Reſpondetur per tres propoſitiones.

14 Prima eſt. Triplex fuit occaſio erroris hæreticorum. Prima fuit ſuperbia, quandò docti Viri volebant aſcendere ad cathedras Epiſcoporum, & acquirere favores Principum, ſicut Arrius, qui volebat aſſequi cathedram Alexandrinam, propter aliquid novi dixiſſe. Sed hoc *Maria* extirpavit in ſua Purificatione, cùm tantum ſe humiliavit, ut quæ purgatione non indigebat, purgari voluerit, & ſic ſuperbiam hæreticorum confutavit.

Secunda occaſio fuit, quia vel nolebant Sacramenta Scripturæ recipere, ut Manichæi, vel paſſus ejus depravabant, aut malè interpretabantur. Sed hoc hodiè confutavit, cùm ſecundùm legem Moyſi, approbando Vetus, & etiam novum Teſtamentum, voluit purgari.

15 Tertia occaſio fuit difficultas materiæ, ſingulariter in materia de Trinitate, & Incarnatione. Indè quidam blaſphemabant Trinitatem, confundendo Parſonas, ut Sabellius. Sed eum *Maria* confutavit, quandò Filium Patri obtulit, & ſic diſtinctionem poſuit inter Filium, & Patrem: & quandò eum tradidit Simeoni, & ab eo repletus eſt Spiritu Sancto, ità ut prophetaret, poſuit diſtinctionem inter ipſum, & Spiritum Sanctum.

Sed alii blaſphemabant ejus humanitatem, qui dixerunt ipſum non habere corpus, niſi fantaſticum. Sed contrà hoc hodie eum omnibus, & loco communi præbuit viſibilem, ſed & Simeoni palpabilem, in quo conſiderare poterat, quòd Spiritus carnem, & oſſa non habet. Ideò non immeritò canitur hodiè: *Gaude Marria Virgo cunctas hæreſes ſola interemiſti*.

16 Secunda propoſitio. Sicut producens lucem maximam, tenebras interimit: ſic producens veritatem ſummam, tenebras deſtruit erroris. Quid ergò mirum, ſi illa dicitur errorum omnium tenebras interimere in univerſo mundo, quæ lucem producit ſufficientem toti mundo? De qua *Ioann.* 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et *Ioan.* 8. *Ego ſum lux mundi*. Hinc eſt, quòd Ipſa deſcribitur ornata, non opacis, ut auro, & argento, nec diaphanis corporibus, nec luminoſo modicum, ut igne, nec unico luminoſo multum, ut ſtella una; ſed potius omnibus Stellis: tanquàm ab ea ſit tota lux ſpiritualis, ſicut nunc tota lux corporalis mundi eſt ab omnibus Stellis. Et ſicut omnes ſimul in unum congregatæ ſufficerent tenebras interimere, ſic Ipſa producens lucem omnem. Hinc de ea ſcriptum eſt *Apocal.* 12. *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus: & in capite ejus Corona Stellarum duodecim*. Corona hæc intelligitur circulus duodecim ſignorum, in quo ponuntur omnes Stellæ Cœli. Hæc enim mulier Stellis ornata eſt pro peplo, Sole prò indumento, Luna prò ſcabello. Quæ eſt hæc, niſi glorioſa Virgo, à planta pedis uſque ad verticem capitis luminoſa? Ideò *Maria Illuminatrix* dicta eſt.

17 Tertia propoſitio. Sicut illud: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: intelligi poteſt pro generibus ſingulorum: ſic hæc cunctas hæreſes interemit, id eſt, omnes modos hæreſum: non tamen in omnibus, ſed in aliquibus: vel hæreſes, quas peremerat Maria, Chriſtum proferens in lucem revixerunt, Chriſto luce recedente, id eſt, aſcendente in Cœlum. Undè dicit Auguſtinus, has omnes poſt Aſcenſionem ortas.

O 18 Quar-

18 Quarta propoſitio. Apoſtoli, & Doctores de hac luce hujus glorioſæ Illuminatricis, & non aliundè, tenebras fugaverunt errorum. Hæc eſt ergò in mundo quaſi fons, & origo hujus luminis: & ideò quicquid per illam vel fit, vel factum eſt, ei attribuitur. Hæc eſt illa Eſther, de qua dictum eſt *Eſth.* 15. *Parvus fons, qui crevit in fluvium, in lucem, Solemque converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit. Eſther*, id eſt, *abſcondita*, Maria; de qua *Luc.* 1. *Ingreſſus Angelus ad eam*. Sicut ergo aquam dicitur potius dare fons, quàm canale, & Sol lucem potius, quàm feneſtra: Sic tenebras errorum interimere *Maria* potius, quàm Apoſtoli, aut Doctores per lucem ab ea ortam illuminati. Similiter quod omnes milites in prælio fecerunt, Capitaneus dicitur feciſſe. Dum enim quæritur: Quis fecit illam victoriam? Reſpondetur: Talis Capitaneus. Sic *Maria* fuit contrà hæreticos Capitanea, & Dux prima, juxta illud *Cant.* 4. *Collum tuum ſicut turris David. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: id eſt, Doctorum Catholicorum: ita quòd neque hæretici, neque Tyranni contra eam prævaluerunt. Exemplum de Juliano Apoſtata in vita Baſilii, quem juſſu ejuſdem Virginis Mercurius Martyr interemit. Et ſic quod Auguſtinus, & alii fecerunt, hoc in virtute *Mariæ*, & orationum ejus fecerunt. Meritò igitur canit Eccleſia: *Gaude Maria Virgo: cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo*.

19 Et ſi quæratur, quo tempore factum eſt reſponſorium illud. Reſpondeo, quòd tempore Bonifacii Papæ, qui impetravit Pantheon à Foca Cæſare. Ejus enim temporibus facta eſt ſeditio magna in Urbe Roma inter Iudæos, & Chriſtianos de Chriſti Incarnatione, aſſerentibus Iudæis Matrem de ſemine Ioſeph concepiſſe, & contrà naturam Virginem parere non poſſe. Cumque hæc altercatio Romæ diutius haberetur, ita ut Chriſtiani zelo fidei vellent Iudæos ab urbe pellere: quidam ejuſdem urbis civis, cæcus natus, Chriſtianus, literis valdè imbutus, magno fidei zelo ſucenſus, Iudæos diſputando aggreſſus eſt, & tanta conſtantia eos redarguit, ut penè omnes elingues eſſent. Tunc ad convitia converſi dixerunt. *Tu cùm ſis homo peccator, & in peccatis totus natus, quomodò auſus es fidem Chriſtianorum defendere? Nonnè patet Chriſtum tuum impotentem eſſe, ut etiam non poſſit tibi lumina reſtaurare?* Ad hæc Cæcus. *Triduò expectetis, & tunc in me videbitis Dei magnalia*: Et illo die tertio inſtabat dies Purificationis Mariæ. Quo audito, Iudæi indignè ferentes, ſubridendo dixerunt. *Chriſtus, quem Patres noſtri crucifixerunt, de periculo ſe non potuit liberare; & te liberabit? Scias prò certo, quòd omnes in illum credemus, ſi hæc fiant, ut dicis.*

Cœcus Bonifacio hoc indicavit. Tunc Papa Bonifacius mandavit omnibus Iudæis, ut in die Purificationis in templum Pantheon nocte convenirent, quod factum eſt. Ductus eſt Cœcus in medium, plenus fide, nil hæſitans. Cumque à fidelibus hymni dicerentur, & jam octava lectio recitata eſſet, canere cœpit illud reſponſorium: *Gaude Maria*, cum verſu uſque ad finem, quod ſibi antè biduum, quia muſicæ artis gnarus fuit, compoſuerat. In quo tam vivaciter errorem Iudæorum confutavit, ut ſub oculis omnium, qui aderant, Chriſtus interveniente ejus Matre, ei lumen reddiderit. Quo viſo miraculo, *Maria* honoratur, & Iudæi uſque ad quingentos viros ad baptiſmum convolant: & ob illius rei memoriam in eadem feſtivitate inſtitutum eſt decantari. Hactenus ille.

20 Sed fortè quæres: cur in ſolemnitate Purificationis deferuntur accenſæ candelæ? Reſpondet idem Cluniacenſis ſerm. 7. de Purificatione. Ad denotandum, quòd *Maria* eſt lumen nobis donatum duabus de cauſis. Una quidem ad illuminandum nos, nè in tenebras errorum incidamus in nocte hujus ſeculi. Indè canitur ei: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes*, &c. Totus enim mundus idololatriæ deditus erat. Alii nanque adorabant Iovem, alii Saturnum, alii Plutonem, & ſic de aliis. Sed per Virginis ſingularem aſſenſum, quo mundo ſuccurrit perdito, omnes illæ hæreſes, & errores priores interrempti ſunt in his, qui crediderunt: quia Gentes in conſpectu Dei quaſi nihil, & inane reputatæ ſunt: ideò ſoli fideles prò mundi accolis reputantur. Et ſic omnes in univerſo mundo interemit hæreſes. Secunda ratio eſt, ad ducendum nos peccatores per tenebras hujus ſeculi ad lucem claritatis æternæ. Maria enim eſt Stella maris mundi nos perducens ad portum perpetuæ ſalutis.

§ *V.*

Beata Virgo eſt hominum Adiutrix.

21 PLura quidem ſunt beneficia, quæ nobis præſtat Virgo Beata, & ſi omnia vellem enumerare bona, quæ ab illo bonitatis, & miſericordiæ Virgineo fonte procedunt, dies me deficeret, cùm nullis terminis ſit incluſa Mariæ beneficentia. In hoc tamen paragrapho adjutorium à Virgine præſtitum nobis licet contemplari. Nam, ut inquit Voragines ſerm. 3. de B. Virgine, Adjutrix noſtra eſt Virgo *Maria*. Ipſa enim fuit Adiutrix noſtræ redemptionis, & noſtræ juſtificationis, quantum ad quatuor genera cauſarum.

22 Primò fuit Adjutrix noſtræ redemptionis quantùm ad cauſam efficientem, quia illum genuit, qui noſtram ſalutem operatus eſt. Secundò quantùm ad cauſam materialem, quia de ſuis viſceribus noſtræ redemptionis materiam miniſtravit. Tertiò quantùm ad cauſam formalem, quia per ſuam ſanctam converſationem nobis exempla benè vivendi præbuit. Quartò quantum ad cauſam finalem, quia ad beatitudinem conſequendam nobis à Deo data fuit. Undè dicitur *Apocal.* 12. quod *in Capite ejus erat corona ſtellarum duodecim*: quia omnes Sancti per ipſam ſunt coronati.

23 Secundò ipſa eſt Adjutrix noſtræ juſtificationis. Circa cujus adjutorium tria ſunt videnda: ſcilicet. Quàm efficaciter: Qualiter: & propter quid.

Primò. Multi ſunt, qui adjuvant, ſed non efficaciter; aut quia non poſſunt; aut quia neſciunt; aut quia nolunt. Ipſa autem habet adjuvandi poſſe, quia ipſa eſt Mater omnipotentiæ. *Eccli.* 24. *In Ieruſalem poteſtas mea*. Habet adjuvandi noſſe, quia ipſa eſt Mater Sapientiæ. *Proverb.* 14. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam*. Habet adjuvandi velle, quia ipſa eſt mater miſericordiæ. Ideò dicitur *Eccli.* 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei*. Ipſa enim eſt tantæ potentiæ, quòd dæmonibus eſt ad terrorem. Ideo dicitur Mater timoris. Eſt tantæ Sapientiæ, quòd errantibus eſt ad directionem. Ideò dicitur Mater agnitionis. Et eſt tantæ pietatis, quòd deſperantibus eſt ad ſpem, & ad reductionem. Ideò dicitur Mater ſanctæ ſpei. Bernardus. Non deeſt ei poteſtas, quia eſt Mater Omnipotentiæ: nec voluntas, quia eſt Mater Miſericordiæ: nec induſtria, quia eſt Mater Sapientiæ.

24 Secundò videndum eſt, qualiter adjuvat. Ipſa quidem adjuvat hominem in omni ſtatu, ſcilicet in vita, in morte, & poſt mortem. Undè cantatur de ea:

Maria Mater gratiæ,
Mater miſericordiæ,
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.

Adjuvat quidem in vita, tam bonos, quàm malos. Bonos ſcilicet in gratia conſervando. Ideo dicitur *Mater gratiæ*. Malos verò ad miſericordiam reducendo. Ideò dicitur *Mater miſericordiæ*. Adjuvat & in morte ab inſidiis protegendo. Ideò ſubditur: *Tu nos ab hoſte protege*. Adjuvat poſt mortem, animas in ſuis manibus ſuſcipiendo, & eas in Cœlum deducendo. Ideò ſubditur: *Et hora mortis ſuſcipe*.

25 Tertiò videndum eſt, Propter quid adiuvat. Circa quod notandum eſt, quòd plura ſunt, propter quæ tenetur juvare nos.

Primò enim propter debitum. Ipſa enim multum tenetur peccatoribus, ſicut dicit Auguſtinus: quia per eos habet quicquid habet; quia peccatores ſi nos non fuiſſemus, Chriſtus de ea carnem non ſuſcepiſſet, & ſic ipſa Mater Dei non fuiſſet. Nos igitur ſibi tenemur, quia per ipſam nos ſumus reconciliati: Et Ipſa tenetur, quia pro nobis ipſa eſt Dei Mater.

Secundò, propter officium commiſſum. Deus enim de ea confidens, omnes gratias ſibi fiendas commiſit: & Ipſa diligenter officium ſuum facit. Nam juvat tribulatos, dando eis patientiam. *Prov.* 31. *Confidit in ea cor Viri ſui, & ſpoliis non indigebit*. Et ſequitur: *De nocte ſurrexit*: ut ſcilicet tribulatis ſubveniat. Adjuvat tribulatos, dando victoriam: undè ſequitur; *Dedit prædam domeſticis ſuis*. Adjuvat in Dei amore famelicos, dando eis refectionem internam; undè ſubditur: *Et cibaria ancillis ſuis*.

Tertiò, propter animum ſuum viſceroſum. Nam divina Pietas in ejus utero novem menſibus habitavit, & ideò ipſam totam pietate replevit.

Quartò, propter divinæ Bonitatis beneficium. Si enim Deus ſibi intantùm fuit liberalis, non debet ipſa prò nobis eſſe avara, ſed de plenitudine nobis effundere, quam accepit, de qua Ipſa dicit *Eccli.* 24. *In plenitudine Sanctorum detentio mea*. Legitur 3. *Reg.* 1. quod Berſabee filio ſuo regnum ſuis precibus impetravit. *Berſabee* interpretatur *Puteus ſatietatis*. Puteus noſter, ideſt, animus noſter, aut eſt ſiccus, aut eſt ſemiplenus. Puteus autem Virginis fuit plenus, & ſuperplenus: & ideò de ſua plenitudine debet nobis effundere.

CAP. IX.

Declarantur quinque Prærogativæ Beatæ Virginis in literis ſui Nominis expreſſæ.

1 QUantò ſubtiliùs Parthenium Nomen rimamur, tantò fœcundior Prærogativarum ſeges exurgit: ut ſciamus B. Virginem non unius virtutis, aut excellentiæ domicilium fuiſſe, ſed Auguſtiſsimum omnium Perfectionum Senatum. Ipſam omnium numerorum eſſe Viraginem literaria ſui Nominis tabella oſtendit: Nam *M* prima litera Martyrem deſignat Amoris: Secunda litera *A* cœleſtem denotat animorum Aurigam: Tertia litera *R* ſummi Dei Requiem exprimit: Quarta litera *I* ſignificat Eccleſiæ Inſtitutricem: Quinta litera *A* dicit *Mariam* fuiſſe Almam in ſanctitate. Sic igitur habes ex ſuo nomine quinque inſignes Deiparæ Prærogativas, ſcilicet quòd *Maria* ſit:

M artyr Amoris.
A uriga Animorum.
R equies Dei.
I nſtitutrix Eccleſiæ.
A lma in Sanctitate.

§. *I.*

B. Virgo paſſa eſt Martyrium amoris.

2 AN ferrum crudeliùs in corpora, vel Amor deſæviat immaniùs in animas; hæreo. Sed quid hæſitamus? Ab argumenti efficacia tollitur dubitatio. Audacter dico, crudelius eſſe martyrium amoris, quàm ferri. Gladius enim cruciat ignobiliorem partem: amor autem nobiliſsimam torquet: ille corporis indumentum, iſte vellicat animæ medullas, & penetralia cordis. His poſitis, licèt alibi ſcripſerimus de Martyrio Virginis, hic tamen de martyrio, quod ex amore ſuſtinuit, loqui decrevimus, ut appareat quanto æſtuaverit in ſuis tormentis incendio charitatis, & inuſitatum martyrii genus.

3 Præclarè igitur Albertus Magnus lib. 3. de 12. Privilegiis Beatæ Mariæ §. 12. hoc argumentum pertractat, dicens. Decima Prærogativa, quòd Ipſa fuit martyr in anima, & doloris gladius, qui pertranſivit animam eius in Unigeniti paſsione, prò amariſsimo ei martyrio computatur. Voluit ſiquidem Filius, ut omni Sanctorum ſpecioſitati participaret Mater ſua, immò univerſam Sanctorum pulchritudinem excederet: & ſicut appellatur Virgo Virginum, ita & Mar-

tyr Martyrum deberet appellari: quià quidquid operabatur in Virgin, novum erat, ſicut prædixerat *Ierem.* 31. *Creavit Dominus novum ſuper terram*, &c. Et *Apocal.* 21. *Eccè nova facio omnia*: placuit Filio, ut glorioſior Martyr exiſteret, & mirabilior appareret, ut novo, & inaudito martyrii genere decoraretur.

4 Et verè novum, & inauditum martyrium, quod Mater paſſa eſt in Unigeniti paſſione, in ea parte quæ eſt impaſſibilis, ſicut dicit Hieronymus. Novum, inquam, genus martyrii multis de cauſis. Primò, cùm alii Martyres patiantur in corpore, Ipſa paſſa eſt in anima, vel in corde, juxtà prophetiam Simeonis *Luc.* 2. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Sic expono: *Tuam ipſius*: ideſt, Tui ipſius. Vel *gladius ipſius tuam animam pertranſibit*. Non dicit: movebit, lucem rationis obnubilando, ſed pertranſibit velut rem immobiliter ſtantem, nec reſiſtentem, aut in aliquo vacillantem. Gladius ſiquidem paſſionis, qui tranſivit corpus, & membra Filii, *pertranſivit*, ideſt, *perfectè tranſivit* per compaſſionem animam Genitricis: & tunc *omnis plaga fuit triſtitia cordis* ejus. *Eccli.* 25

5 Alii enim Martyres etſi tormenta ſentiebāt in corpore, interiori tamen conſolatione refrigerabantur in mente: & ſi eorum corpora pertranſibant gladii tormentorum prò Chriſto, tamen animæ eorum delectabantur in Chriſto. Filius etiam ſimul patiebatur, & fruebatur: quia fuit in via comprehenſor. Undè dicit: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*. *Pſal.* 15. Sed anima Matris torquebatur in Chriſto, & totam ejus animam vehementia doloris poſſidebat. Beatus Bernardus: Longè eam pluſquam Martyrem non immeritò prædicamus. In qua paſſionis ſenſum exceſſit compaſſionis affectus, cùm ejus animam pertranſivit gladius paſſionis. Anima quippè filii jam non erat ibi, ſed anima Matris nequibat avelli.

6 Fuit etiam pluſquam Martyr: quia duplex pertulit martyrium, dum & mortem Filii vidit, & ejus exemplo membra ſuper terram mortificavit. Quod genus martyrii illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitiùs, ſed diuturnitate moleſtiùs. Item ſicut non fuit dolor ſicut dolor ille, qui tranſivit corpus, & membra Filii, ſicut ipſe dicit *Thren.* 1. *O vos omnes, qui tranſitis*, &c. ſic non fuit dolor ſicut dolor ille, qui Matris viſcera per compaſſionem pertranſivit. Undè & in *Pſal.* 44. notabiliter dicitur: *Circundata varietate*, videlicet tot dolorum, quot Filium ſuum videbat patientem. Huic enim videbat caput ſpinis coronari, huic genas avelli, huic vultum conſpui, huic pedes, & manus configi, huic os felle potari, huic caput expirantis ſuper humerum inclinari, huic latus mortui lancea aperiri. Verè ergò circundata varietate dolorum, ut verè poſſet dicere cum Suſanna *Daniel.* 13. *Anguſtiæ mihi ſunt undique*. Et cum David 1. *Paral.* 21. *Vndique me anguſtiæ premunt*. Et tunc ſicut canit Eccleſia, *circundabant eam flores roſarum*: id eſt, infinita martyriorum genera, quæ figurantur in roſis, quarum rubor atteſtatur martyrio.

7 Propter hoc etiam appellatur Ipſa, *roſa plantata in Iericho*, 24. *Eccli.* *Iericho* interpretatur *Luna*, quæ ſecundam claritatem habet poſt Solem, & deſignat Beatam Virginem, quæ poſt Chriſtum tranſcendit omnem Creaturam. Roſa verò ruborem habet vehementis intenſionis, in quo duo figurantur, ſumma videlicet amoris perfectio, & martyrium intenſiſſimi doloris. Quantò enim diligebat ardentiùs, tantò vulnerata eſt profundiùs. Unde dicit in Canticis ſecundùm aliam literam, quam ponit Gregorius: *Vulnerata charitate ego ſum*. Roſa igitur rubicunda, Luna verò candida eſt. Et quia gratus eſt color roſeus in candore, voluit Filius, qui candidus eſt, & rubicundus, Matrem ſibi per omnia ſimilari, ſicut ipſe per omnia, præterquàm in ſexu, inquantum homo ſimilabatur ei. Et ideò noluit ipſam ſine martyrio remanere.

8 Roſa igitur in Luna, martyrium mentis in carne virginea, id eſt, in Virgine candida, quæ *pulchra* dicitur *ut Luna Cant.* 6. Sole enim juſtitiæ converſo in tenebras per mortem corporis, converſa eſt hæc Luna in ſanguinem per martyrium animæ. *Ioel.* 3. Item *Apocal.* 7. *Factus eſt Sol ſicut ſaccus cilicinus*, *& Luna tota facta eſt ſicut ſanguis*. Vel Luna Eccleſia, quæ Chriſto moriente converſa eſt in ſanguinem: quia aſperſa ſanguine multorum Martyrum. Hujus autem novitas martyrii oſtenſa eſt *Eſa.* 66. Undè admirans exclamat: *Antequàm parturiret*, *peperit*, &c. *Quis audivit unquàm tale*, &c. Parturire propriè eſt antè partum, & in partu laborare: parere, fœtum proferre. Marià verò antequam parturiret, peperit: quia ſicut canit Eccleſia, ſine dolore peperit Salvatorem ſeculorum: ſed longè poſt parturiit: quia in Filii paſſione ſenſit dolores puerperæ.

9 Item quod non fuerit tam amarum martyrium aliorum Sanctorum, manifeſtiſſimè patet. Non fuit talis Filius, non fuit talis Mater, non fuit tanta charitas, ſicut inter Matrem, & Filium, non fuit tam indigna mors, non fuit dolor tantus. Sciebat ſiquidem Mater, qualis erat Filius, undè conceptus, & quomodò, & cætera hujuſmodi. Et ideò quantò dilexit teneriùs, tantò vulnerata eſt profundiùs, nihil habens omninò conſolationis, ſicut cæteri Martyres, ut ſuprà dictum eſt, ſed totum habens tribulationis. Nam abſorpta erant ipſius viſcera maternis doloribus ultrà quàm homo, vel Angelus perpendere poſſit, non tamen uſque ad deſperationem: fuit enim Dominus patiens Matri ſuę *umbraculum in meridiano*, ſicut dicitur *Eccli.* 34. In meridie Sol fervet, & claret, & Sol perſecutionis in Chriſti paſſione fuit quaſi in meridie: quia nulla evidentior, vel gravior potuit eſſe perſecutio Matris, quam videre mortem unigeniti Filii ſui, qui erat ſcilicet unicus Matris ſuæ. Fuit ergo tunc Beatæ Virgini Sol perſecutionis in meridiano. Unde *Eccli.* 43. *In meridiano Sol exurit terram*. In meridiano enim paſſionis Sol, ideſt, Chriſti perſecutio exuſſit terram, ideſt, terrenos, ſcilicet Apoſtolos; qui terreni erant: quia percuſſo Paſtore diſperſæ ſunt oves gregis. *Zachar.* 13. In ſola autem Beata Virgine ſtetit Eccleſia, nec eam exuſſit fervor meridiani: & ita tunc fuit ei filius umbraculum meridiani.

10 Et ideò verè poteſt dicere Filio ſuſcitato: *Se-*

Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, fili mi, *conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Pſal.* 93. Et videtur ei dixiſſe filius: *Reſurrexi*, *& adhuc tecum ſum*. Videtur tamen ex verbis ipſius Virginis, quod gaudium Filii reſurgentis, dolori Matris compatientis Filio plenariè non reſpondebat: dicit enim Mater quaſi de his loquens *Cant.* 4. *Vadam ad mentem myrrhæ*, *ad collem thuris*. Myrrham vocat amaritudinem ſuæ compaſſionis in filii paſſione, & *montem myrrhæ* dicit propter acerbitatem, & cumulum, ſeu vehementiam doloris illius. Sed poſt dolorem ſubiungit de conſolatione propter gaudium reſurgentis: *Vadam ad collem thuris*. Thuris fragantia Dominicę reſurrectionis gratum odorem demonſtrat, cujus odoris conſolationem collem thuris vocat, ad quem prò doloris lenimento ſe ituram pronunciat. Per hoc autem, quod dicit montem myrrhæ, & collem thuris, cum collis ſit minor monte, inſinuare videtur, quod tunc dolori conſolatio non reſpondit: morientem enim Filium, & morientis dolorem plenè vidit, non autem plenè vidit gloriam reſurgentis.

11 Notandum etiam, quod in paſſione & Mater filio, & Matri filius quaſi relativè compatiebantur. Unde dicit Auguſtinus loquens ad Chriſtum: Foderis Domine clavis aſperè extra, aſperiùs intrà ex compaſſione Virginis Matris tecum hæc omnia participantis: patiente ſiquidem Filio potuit de Matre veriſſimè dici illud *Eſa.* 53. *Verè dolores eius ipſa tulit*, *& languores eius ipſa portavit*, ſcilicet per compaſſionem. Ad hoc etiam innuendum ſtetit Mater iuxtà filii crucem. Et nota, quod *languor* dicitur quaſi *longus angor*: nunquam enim ex quo filium concepit, fuit niſi in languore. Languit enim timore à nativitate filii uſque ad paſſionem, cum ſemper vitam filii appeti inſidiis cognoſceret. Languit dolore toto tempore paſſionis, donec redivivum reciperet. Languit amore poſt aſcenſionem quodammodò pio deſiderio feliciùs, ſed mirabiliùs cruciata: quia ſedentem in Cœlo non teneret. Propter hunc tertium languorem dicit Ipſa *Cant.* 5. *Filiæ Ieruſalem*; ideſt, ò vos virtutes Angelicæ ſupernam inhabitantes Ieruſalem, *nunciate dilecto*, ideſt, filio meo, *quia amore langueo*. Sic enim Filius, licet ſit ſummi fructus gaudii, tam longi factus eſt illi cauſa martyrii, ut chariſsimam ipſius animam tot, & tam acuti ſinè ceſſatione pertranſirent gladii.

12 Attendendum eſt igitur, & jugiter recolendum, quod tam devota Coadiutrix extitit ad mundi redemptionem, ut ſicut non fuit dolor ſicut dolor, quem ſuſtinuit Filius pro mundi redemptione, ſic non eſſet dolor ſicut dolor ille, quem Ipſa pertulit in corde prò eadem cauſa. Quod ergo attulit mundo Filius paſſione, hoc & Mater contulit mundo converſatione, reos, & peccatores reconcilians compaſſione, acquiſita per partum ipſius totius mundi redemptione. Filio etiam ponente animam pro mundi ſalute, Mater etſi non poſuit animam pro mundo, expoſuit tamen, & fecit quod potuit. Et hoc præfiguratum fuerat *Geneſ.* 2. ubi dictum eſt de Chriſto novo Adam quo ad ſtatum redemptionis mundi: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, *faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*. Ad hoc etiam martyrium deſignandum quaſi quodam præſagio nuncupata eſt *Maria*, quod interpretatur *mare amarum*.

13 Habes igitur cauſam primam, quomodò ſcilicet gladius Filii, qui Matris animam pertranſivit, ei prò martyrio computatur. Secundò, quia cum alii Martyres paſſi ſint propter fidem, *Maria* paſſa eſt propter charitatem. Undè dicit in Canticis ſecundùm aliam literam, quam ponit Gregorius: *Vulnerata charitate ego ſum*. Et ſicut charitas major eſt, quam fides 1. *Corinth.* 13. *Maior horum eſt charitas*: ſic *Mariæ* martyrium quantalibet excellit martyria Sanctorum. Tertiò, quia alii in corpore, *Maria* in corde, quod plùs eſt. *Eccli.* 25. *Omnis plaga triſtitia cordis*. Quartò, quia alii diverſis gladiis martyrizati ſunt, *Maria* eodem gladio, quo Filius. Undè *tuam ipſius animam gladius pertranſibit*. Quintò, quia alii diverſis ictibus, Mater eodem ictu, quo Chriſtus. Undè dictum eſt ei *Ioan.* 19. *Mulier*, *Eccè filius tuus*. In his omnibus præeminet *Mariæ* martyrium martyriis omnium Sanctorum. Et hæc ſufficiant, quæ diximus cum Alberto Magno de martyrio amoris, quod Beata Virgo paſſa eſt in Filii ſui paſſione.

§. II.

Dei Mater eſt Auriga Animorum.

14 VIſum eſt Thomæ de Villanova in *Conc. Dom.* 4. poſt Paſcha, hominem iuſtum eſſe tanquam horologium benè ordinatum, vel currum Ezechielis quatuor rotis oculatis inſtructum. Undè, inquit, hujuſmodi homo ordinatiſſimus eſt in omnibus quaſi horologium, in cognitionibus, deſideriis, ſermonibus, operibus, in vita, veſtitu, motu, geſtu, converſatione, totus eſt ordinatus moderamine rationis, ſicut in horologio motum rotarum ſequitur manus index. De hoc figura in Ezechiele de quatuor rotis oculatis, & rota in medio rotæ, & ubi erat impetus Spiritus, ſequebantur & rotæ. Quatuor rotæ ſunt quatuor animæ potentiæ, ſcilicet intellectus, ſenſus, voluntas, appetitus ſenſitivus: rota in medio rotæ, quia intellectus comprehendit ſenſus: nam quicquid poteſt ſenſus ſentire, poteſt intellectus intelligere, & amplius: ſimiliter voluntas comprehendit appetitus; nam quicquid appetitus appetere poteſt, voluntas poteſt velle, & ampliùs. Iſtæ quatuor rotæ ſequuntur in homine iuſto motum rationis, & ratio motum ſpiritus, ſicut in horologio motum ponderum ſequitur motus rotarum: in nullo enim repugnant, neque diſcrepant à ratione, & ſpiritu: in hoc ordine conſiſtit illud decorum, & honeſtum maximè quærendum. *Væ impio in malum*, qui totus inordinatus diſcerpitur, & fatigatur, ſicut ait Auguſtinus. Ordinaſti Domine, & ita eſt, ut omnis animus inordinatus ſibi ipſi pœna ſit. Hęc ille.

15 Beata autem Virgo à Deo hominibus eſt conceſſa in directricem animorum, ut de ea dici poſſit illud 4. *Reg.* 2. *Currus Iſrael*, *& auriga eius*. Quid enim currus Iſrael, niſi humanus animus; & quis auriga eius, niſi Virgo Maria, quæ ipſum di-

dirigit tanquam aurigator in curru? Nam, ut inquit Jacobus de Voragine *ſerm. 146. de B. Virgine*, Filius commiſit ſibi theſaurum ſuæ ſapientiæ, intantum quod ipſa Primò Dei cognitionem tribuit, ideò vocatur Mater agnitionis. *Eccli. 24. Ego Mater pulchræ dilectionis, & agnitionis.* Secundò, per mare hujus mundi ſapienter nos dirigit, & ad portum nos deducit: ideò vocatur *Stella maris*. Tertiò, actus noſtros ſapienter dirigit, & diſponit. *Prov. 14. Sapiens mulier*, ideſt, Virgo Beata, *ædificat domum ſuam*, ideſt, gubernat Sanctam Eccleſiam. *Inſipiens*, ideſt, Eva *extructam quoque deſtruet manibus*, quandò ſcilicet manus ſuas ad pomum vetitum porrexit.

16 *Ipſa regit dictis animos, & pectora mulcet.* Ipſa manu, conſilio, prudentia, ſapientia, ac providentia regnantes inſtruit, legiſlatores erudit, per vias juſtitiæ, & judicii ſemitas ducit: & Ipſa dicit *Prov. 6. Meum eſt conſilium, & æquitas; mea eſt prudentia; mea eſt fortitudo. Per me Reges regnant; & legum Conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam.* Quæ quidem aurigandi peritiam, & officium oſtendunt. Tu igitur Virgo Beatiſſima tanquam Auriga currus Iſrael, noſtrorum ſcilicet animorum, rege, & dirige noſtrorum ſenſuum rotas, intellectum,& voluntatem, iraſcibilem,& concupiſcibilem, & primariam rationis rotam, ut ſibi invicem omnes rotæ conſentientes, & ordinatæ Te aurigante,& directrice, ad metam beatæ æternitatis, in qua nulla erit variatio, perveniant.

§. III.

Beata Virgo eſt Requies ſummi Dei.

17 HOc autem eſt mirum, quòd creatura ſit requies ſui Creatoris. Et tamen verum eſt, ait Magnus Albertus *l. 10. de laud. B. Mariæ c. 11.* Unde *Eſa. 11.* ubi nos habemus: *Erit ſepulchrum eius glorioſum*; alia litera habet: *Erit requies eius glorioſa*; ideſt, glorioſa Domina erit requies eius. Undè ipſemet dicit in *Pſal. 131. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi*,&c. Ipſa etiam requies, quam in omnibus quærebat Filius Dei, qui eſt Sapientia, *Eccli. 24.* quam invenit in ea, ſicut Ipſa dicit ibidem. *Qui creavit me*,ſcilicet Deus,filius meus ſcilicet, per quem omnia facta ſunt, *requievit* ſecundum quod homo *in tabernaculo meo*, ideſt, in corpore novem menſibus, & ſex diebus.

18 Et benè dicit: *Requievit*:quia nihil ibi invenit quod eum moleſtaret: non enim vagiebant ibi parvuli Babylonis, ideſt, pravi motus. Non erant ibi fumus, aut ſtillicidium, aut mala uxor, quæ tria expellunt hominem à domo ſua. Fumus eſt ſuperbiæ vanitas. Stillicidium, diabolicarum tentationum aſſidua importunitas. Mala uxor, conſcientiæ aculeus. *Requievit*:quia non invenit carnem meam concupiſcentem adverſus ſpiritum, vel è converſo ad *Galat. 5.* eò quod ingrediens dixerit: *Pax huic domui Matth. 10. In tabernaculo meo*, tam carnis meæ, quam ſpiritus mei. Licet enim cor Virginis congruè dici poſſit tabernaculum, & triclinium totius Trinitatis, tamen congruentius venter eius dicitur tabernaculum, quod propriè eſt peregrinantium, & militantium.

19 Qui ergo nunc requieſcit in tabernaculo meo, ideſt, in templo ſuo, ipſe eſt qui venit peregrinari in mundo, factus peregrinus etiam filiis matris ſuæ ſynagogæ, futurus quaſi colonus, & quaſi viator declinans ad manendum *Ierem. 14.* ut militia eſſet vita hominis ſuper terram *Iob. 7.* ut alligaret fortem armatum, & vaſa eius diriperet, & arma auferret, in quibus confidebat *Luc. 11.* Palam triumphans Principatus, & Poteſtates in ſeipſo. Ad *Coloſſ. 4.* Quando, inquam, ſic venit peregrinus viator militaturus, foris non manſit peregrinus, ſed oſtium meum ipſi viatori patuit. *Iob. 31.* Et ingreſſus *requievit in tabernaculo meo*, ubi in pace factus eſt locus eius. Chriſtus enim aggreſſurus pugnam contrà mundum, & diabolum, in utero Virginis armavit ſe paupertate contrà divitias, humilitate contrà ſuperbiam, carnem virgineam contrà luxuriam indutus pro lorica.

Item Maria eſt illa requies opulenta, quæ promittitur populo fideli. *Eſa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Hactenus ille.

20 Poſſent etiam interpretari de Beata Virgine verba illa *Eccli. 24. In omnibus requiem quæſivi*: & quia in omnibus mentis vacationem, & quietem interioris hominis ſemper quæſivit, & dilexit, meruit, ut Spiritus Sanctus in eà quieſceret. Pulchrè Jacobus de Voragine *ſerm. 125. de B. Virgine*, De eius requie interiori, & virginei cordis tranquillitate, ac pace intimæ, & delicioſæ vacationis hæc habet. Quietem interioris hominis, inquit, & vacationem mentis ſemper *Maria* Virgo dilexit, & ideò in thalamo ſuo, clauſo oſtio, morabatur. Et ſicut dicit Bernardus, non eſt credendum, quod Angelus apertum oſtium invenerit, ſed ſubtilitate ſuæ naturæ, clauſo oſtio, introierit.

21 Voluit autem Virgo Beata tumultus fugere, & ſibi vacare multis de cauſis.

Primò, ut orationes ſuas ſecurius Deo effunderet.

Secundò, ut caſtitatem ſuam cautiùs cuſtodiret. Iſtas duas rationes aſſignat Bernardus ſuper *Miſſus eſt*, dicens. Ingreſſus eſt Angelus Secretarium pudici cubiculi, ubi illa clauſo oſtio orabat in abſcondito, quia nimirum ſibi in propoſito erat frequentias hominum fugere, colloquia vitare, ne vel orantis ſilentium turbaretur, vel continentis caſtitas turparetur.

22 Tertiò, deſideravit quietem mentis habere, ad ſuſcipiendam gratiam Spiritus Sancti, ſe humiliando; quia ſicut dicitur *Eſa. 66. Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum?* Hinc eſt quod Apoſtoli receperunt Spiritum Sanctum *ſedentes*, ideſt, à curis ſecularibus quieſcentes. Hinc eſt, quod etiam filii Iſrael manna recipere non potuerunt, quandiu fuerunt in Ægypto, vel quandiu habuerunt farinam Ægypti, & donec tranſirent mare Ægypti. Ille eſt in Ægypto, qui adhuc eſt cum peccato. Ille habet farinam Ægypti, qui adhuc habet occaſiones peccati. Ille nondum intravit mare Ægypti, qui adhuc premitur curis mundi.

23 Quia

23 Quia igitur Beata Virgo perfectam quietem habuit; ideò Spiritus Sanctus in ea perfectè quievit. In quibuſdam enim nullo modo requievit. In quibuſdam enim requieſcit, ſed non perfectè. In quibuſdam verò requieſcit, ſed perfectè. Nam in peccatoribus non requieſcit, quia ibi eſt pugna continua. In Sanctis peregrinantibus requieſcit ſemiplenè, quia in eis eſt requies ſemiplena. In Sanctis verò triumphantibus eſt requies plena; & ideò in eis perfectè quieſcit. Et quia in Beata Maria fuit requies perfecta, quia caro ſpiritui non reſiſtebat, ſed ipſa ſenſualitas totaliter rationi obediebat: ideò Spiritus Sanctus in ea perfectè requieſcebat.

Legit *Geneſ. 8.* quod Noe tribus vicibus emiſit Columbam. In prima vice non requievit, quia loca paludoſa invenit. In ſecunda vice requievit, ſed non perfectè, quia ad arcam rediit. In tertià vice perfectè requievit, & ideò ad arcam ultra non rediit. Per quod datur intelligi, quod loca paludoſa, ideſt, immunda Spiritus Sanctus fugit. In cordibus verò Sanctorum peregrinantibus non perfectè quieſcit. In cordibus verò Sanctorum triumphantibus quieſcit, & perfectè quieſcit, quia in eis nullam carnis repugnantiam invenit. Et ideò in Beata Virgine Spiritus Sanctus perfectè quievit, quia nullam in ea carnis repugnantiam invenit. Caro enim Spiritui non repugnabat, nec aliquos inordinatos motus emittebat, ſed penitus obediens erat.

24 Quartò, vacationem, & quietem dilexit, ut ſenſus ſuos mundos cuſtodiret, qui quidem ex converſatione mundanorum ſæpè corrumpuntur. Seneca. *Quoties cum hominibus habitavi, toties minus homine redii.* Legitur in Vitis Patrum, quod Arſenius Deum oravit, qualiter poſſet ſalvari. Venit ad eum vox, dicens: *Arſeni, ſi vis ſalvari, fuge homines, tace, & quieſce.* Beata quidem Virgo in ſervitio Dei ſenſus ſuos mancipatura erat; & ideò eos mundos ſervare volebat. Nam oculos voluit ſervare mundos, cum quibus Deum videre debebat. Aures, cum quibus Deum loquentem audire debebat. Nares, cum quibus debebat odorem Chriſti ſentire. Os, cum quo Deo loqui debebat. Manus, cum quibus debebat geſtare Deum. Et ideò turbas hominum fugiebat, & in thalamo ſuo clauſa manebat, ut ſenſus ſuos mundos cuſtodiret.

25 Quintò, vacationem, & quietem dilexit, ut divinas conſolationes reciperet, quæ non recipiuntur in tumultu multitudinis, ſed in ſolitudine mentis. *Oſeæ 2. Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Conſolationes enim divinæ non infunduntur in curis humanis, ſed in ſolitudine, ideſt, in quiete mentis. Legitur 3. *Reg. 27.* quod quandò Elias fuit in ſolitudine, lautè à Domino paſcebatur, quia mittebat ſibi ſingulis diebus panes, & carnes, & bibebat de torrente. Poſtquam autem ſolitudinem deſeruit, & ad civitatem ſe tranſtulit, vix buccellam panis habere potuit: quia quando homo eſt in mentis quiete, paſcitur divina conſolatione. Cum verò tumultum patitur, vix modicam conſolationem habere meretur. Veruntamen in iſto facto Eliæ oſtenditur, quod conſolationes Sanctorum habent imperfectionem, admixtionem, & interruptionem.

26 Habent quidem imperfectionem, per hoc quod non paſcebatur in meridiè, ſed tantum manè, & veſpere. In mane quidem, & veſpere. eſt lux, & calor, ſed in quadam imperfectione: per quod notatur, quod ſancti Viri habent in præſenti Dei cognitionem, & amorem, ſed imperfectè. In futuro autem habebunt Dei perfectam cognitionem, & perfectum amorem. Ideò Sponſa petit *Cant. 1. Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie.*

Secundò, habent admixtionem, quia ſæpè ſaltem aliquibus venialibus admiſcentur,quod notatur per hoc, quod licet Elias haberet delicatum cibum, tamen bibebat inſipidum potum, quia bibebat de torrente aquam. *Eſa. 1. Vinum tuum mixtum eſt aqua.*

Tertiò, habent interruptionem, quia Deus ab eis ſæpè ſubtrahitur, & hoc ut ferventius quærant, & cautius cuſtodiant: & hoc ſignificatur per hoc, quod illa talis refectio ab Elia fuit ſublata.

27 In Virgine quidem Maria iſta talia locum non habent, quia divinæ conſolationes in ea ſemper perfectè fuerunt, ſemper impermixtè, & ſemper perpetuè. Ideò enim aliqui conſolationes perdunt; aut quia Spiritum ſanctum extinguunt:undè Apoſtolus monet 1. *Theſſal. 5. Spiritum nolite extinguere.* Aut quia ipſum contriſtant: *Epheſ. 4. Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis.* Aut quia Spiritui Sancto reſiſtunt. *Act. 7. Dura cervice, & incircunciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſtitiſtis.* Extinguitur autem ſpiritus Sanctus per omne mortale peccatum. Contriſtatur per multiplicationem venialium. Reſiſtitur ſibi per inordinatum ſenſualitatis appetitum. Sed in Beata Virgine nihil fuit extinguens, quia nullum unquam commiſit peccatum: nihil fuit contriſtans, quia nunquam aliqua venialia perpetravit: nihil reſiſtens, quia de carne ſua nunquam aliquis motus illicitus pullulavit. Et ideò nunquam Spiritum Sanctum, ſeu ſpirituales conſolationes amittere potuit,

§. III.

Beata Virgo Apoſtolorum Inſtitutrix.

28 MAgiſtram Apoſtolorum, & Eccleſiæ Doctricem fuiſſe *Mariam* mellifluis verbis Thomas de Villanova deſcribit. Et primò audiamus ipſum de ſchola loquentem, in quà divinam didicit, & audivit Beata Virgo Sapientiam. Concione igitur prima de *Aſſumpt. Virginis*, ubi agit de miniſterio Marthæ, & Mariæ comtemplatione: quia videlicet B. Virgo, Martha erat in corpore,Maria in ſpiritu: Martha in miniſterio, Maria in otio: Martha in officio,Maria in jubilo: Martha corpori Dominico deſerviens, Maria ad pedes Domini ſedens. Poſt hæc ſubiungit. Audiſti Marthæ hujus ſolicitudinem, audi nunc Mariæ vacationem. *Sedens* (inquit *Luc. c. 10.*) *ſecùs pedes Domini, audiebat verbum illius.* Ad illos utique pedes, de quibus *Pſal. 67. Vt intingatur pes tuus in ſanguine*: antè quos teſte Propheta *Abacuc 3. egredi-*

tur

tur diabolus : Pedes Domini, humanitas eius, nam *Caput Chriſti Deus*, ut Apoſtolus 1. *Corinth.* 11. inquit : ad hos baeatos pedes continuè ſedens *Maria* audiebat verbum illius.

29 O piiſſime Deus, quis enarrare ſufficiat inter ipſam ſerviendi ſolicitudinem, ad hos pedes quo fervore, qua dulcedine, quo gaudio, Spiritus hujus Virginis augebatur? Quanto mentis ardore hæc Virgo intus inflammabatur? Quanto jubilo illius animus quotidiè replebatur, quandò Deum Sion oculis cernebat, & amplexibus applaudebat, die, noctuque beatiſſimis ulnis ſuſtinens eum, qui ſuſtinet orbem? O quibus radiis Sol ille infinitus, nebula carnis opertus, puriſſimam huius Virginis mentem irradiabat, decorabat, purpurabatque! O quot favores in corde illius ex gremio imprimebat! O quali nectare intùs potabatur, cum eum lacte potabat! Qualis nubes lucida cum purpureis coloribus Sole irradiante coruſcat, talis hujus Virginis anima Deo illuminante fulgebat. Quid dicam de illa tam longa converſatione cum puero, cum adoleſcente, cum iuvene, cum Viro? Quæ verba, quæ colloquia, quæ reſponſa, quæ myſteria, quæ ſecreta, quæ oracula? O felicem Scholam, ubi Deus, & filius Magiſter eſt, & Mater, & Virgo diſcipula! Tam longo tempore, tam continuo auditu, tam frequenti magiſterio, quid à tanto Magiſtro non didiciſti? Quid à tanto Domino non impetraſti? Quid obſercro tunc temporis cogitabas, ò Virgo? Quid in animo ſentiebas? Quid in illo tuo Sacratiſſimo pectore agebatur?

30 Exiſtimo enim (neque me fallit opinio) tenerrimum hujus Virginis corpuſculum, mentemque delicatiſſimam, irruentis luminis, voluptatiſque torrentes, ex illo vivo fonte ructantes, tolerare non potuiſſe, niſi eam Spiritus Sanctus deſuper obumbraſſet, intuſque virtute nimia ſolidaſſet: in mortali etenim corpore, guſtus hujuſmodi, niſi miraculo ſolidata ſentire non poſſet, & vivere. Undè miraculosè factum exiſtimo, ut aut omnino non deficeret, aut non continuo eſſet in raptu: ſed ſuſtentabat eam Spiritus Sanctus inter tot ſplendores, & delicias, nè raperet extaſi, ut Dei filio neceſſarium Marthæ miniſterium non deeſſet. Si enim in unum coacervaveris quicquid omnes Apoſtoli. Prophetæ, Martyres, Virgines, & alii Sancti de Deo guſtaverunt, & ad hujus Virginis glorioſæ guſtum, ſenſumque comparaveris, erit velut granum ad montem, gutta ad Oceanum. Stella ad Solem. Quodammodò enim hujus Virginis caro ſpiritualis erat, tum propter maiorem illius puritatem, tum propter ferventes divinorum influentias, tùm propter frequentes ſuavitates, quas ferè continuè deguſtabat. Eccè magnam illam *Mariam*, Eccè maximam beatarum Mariarum, eccè maximam fœminarum. Hæc ille.

31 Tali igitur, ac tanto magiſterio edocta, atque erudita, quid ipſa non ſciret, quid non calleret? Ad Ipſam enim ut docerentur, ſtatim Chriſto mortuo, ac ſepulto, tanquam ad Magiſtram, atque Doctricem Apoſtoli confugerunt. Et hoc adnotavit Thomas de Villanova *Conc. de Chiſti reſurrect. dicens*. Intereà Virgo cum Apoſtolico cœtu, in ſancto illo cœnaculo commoratur, *Act.* 1. illuc nanque mœſta familia poſt Domini ſui obitum convenerat, Matris ſolatium, & magiſterium, loco filii ſuſceptura. Veluti cum rapidus invadit columbas accipiter, diſpergiturque per campos, aut turbidus imber inviſus ſocialia agmina turbat, ſereno poſtmodum lucente Cœlo agglomerantur ſingulæ paſſim, junguntur que per ſata; ità puſillum gregem paſſio turbaverat Paſtoris, diſperſeratque per abrupta. O quantus pudor facies eorum perfuderat, quia talem, tantumque Magiſtrum reliquerant in agone! Quanta eorum ocuparat triſtitia mentes? Glomerantur ad Matrem, neque audent pudore in eam attollere vultus.

32 Quia etiam, ut tradit Marcus Cardinalis Vigerius *lib.* 9. *Decachordi c.* 9 de Benedictionum lætitia, quas Chriſtus aſcenſurus in Cœlum diſpenſavit, tunc Chriſtus primo loco benedicens Matri ſuæ, ipſam conſtituit Eccleſiæ magiſtram, & diſcipulorum Doctricem. Benedictio fuit hujuſmodi. Benedixit, ait Vigerius, imprimis Matri ſuæ. En Mater optima corpus, quod genuiſti, peperiſti, circuncidiſti, lactaſti, laviſti, veſtiſti, educaſti. En corpus filii tui unici, de tuo puriſſimo concretum ſanguine. Nonnè verum dixit Angelus Gabriel, dum te benedictam dixit in mulieribus, quæ tantis es gratiarum prærogativis ornata?

Et nunc Mater optima, veriſſimum eſt de te id Moſaicum, quod dixit Iſaac filio ſuo Iacob. Tu mihi es Mater ſecundùm carnem : Filia ſecundùm animam. *Eccè odor filii mei* : Spiritus tui quem ipſe creavi; *ſicut odor agri pleni* : plenus ager venter tuus, qui ſalutis humano generi uberrimos attulit fructus. Sentio, Mater, virtutum quibus es veſtita, fragrantiam. Recolo tua de me multa nimis benemerita: habeo prò his gratias: ago etiam non verbis ſed rebus.

33 Serviant tibi Tribus, Populi, & Linguæ: Eſto fratrum tuorum, diſcipulorum meorum, quos prò tua humilitate ut fratres colis : Eſto, inquam, eorum Domina; & incurventur coram te filii matris tuæ. Eccleſiæ Catholicæ Alumni omnes te Dominam habeant. Quandò abſens tibi ero corpore, mea te non torquebit abſentia: quandò me certiſſimè ſcies nulla re indigere, omnibus commodis abundare : Tuis honoribus, tuis commodis, tuis beneplacitis obſequentem. Neque verò diu durabit noſtra ſecundùm carnem ſeparatio.

Inſtrues, confortabis, diriges diſcipulos meos. Et ſicut Tu in mea morte, Tu ſola fidei lumen indeficiens; ſpei inconcuſſa columna; charitatis ampliſſimum domicilium extitiſti : Ita poſt Aſcenſionem meam, prò gratiæ plenitudine, & beneficentiæ exuberanti virtute, eris perpetuo in omnes mihi fide ſubiectos fluvius gratiarum, quo in principio naſcentis Eccleſiæ quaſi plantulæ nutrientur animæ iuſtorum. Cum hæc impleveris: cum plantationes noſtræ fuerint confirmatæ: Cum quæ ego plantavi, Tu irrigaveris: veniam ad te; & quomodò nunc me vides aſcendere, ſic Te conducam. Gaude Mater optima, & fruere felicitate, quam vides in me, quam paulò poſt ſenties in te.

§. *V.*

Beata Virgo eſt Alma in Sanctitate.

34 INter cæteras laudes, quas de Virgine noſtra canit Eccleſia, ſingulari titulo illa præfulget, quà ipſam laudat, & ſalutat, dicens: *Alma Redemptoris Mater*. Hæc enim vox *Alma* quandam excellentiam, non cum aliis communem, ſed propriam Virginis importare videtur : quemadmodum & de Urbe Romà, Urbium maximà, propter Petri ſedem, & Primatus Eccleſiaſtici prærogativam, dicitur quod ſit *Alma Roma*. Quid verò ſignificet *Alma*, hoc loco inquirere oportet, ad titulum paragraphi elucidandum, nimirum quod Virgo Beata eſt *Alma* in ſanctitate. Prò quo erit interpretandum illud *Eſa.* 7. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Eccè Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, Butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.*

35 Et ad rem noſtram adeſt opportunus Interpres Bartholomæus de Piſis *l.* 3. *de laud. Virg. Mariæ* Fructu 3. dicens. Sed quid eſt iſtud ſignum? *Eccè Virgo concipiet, & pariet filium*. Circà quam partem attendendum eſt, quòd homo peccando tria mala incurrerat. Videlicet privationem incorruptionis, & immortalitatis; dominationis, & poteſtatis; gratię, & glorię perennitatis. Sed quia per Chriſtum verum Meſſiam, & Emmanuel fieri debebat mentis incorruptio, ideò ex Virgine naſcitur, & concipitur. *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet, & pariet filium*. Poteſtatis primæ non ſolùm reſtitutio, ſed augmentatio : & hoc exprimit Eſaias, cùm dicit: *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod interpretatur *nobiſcum Deus*. Perennitatis gloriæ oſtenditur, quia inquit : *Sciet reprobare malum, & eligere bonum*.

Et iſtud ſignum eſt ſuprà naturam, quia ſine virili ſemine concipitur. Contrà naturam, quia ad hoc natura non pertingit, ut Virgo concipiat, & pariat. Supra naturam, quia ſtabit in utero Virginis, & orietur homo, ut alii, & ſi Deus. Inſuper Matris integritate ſervata, quia Virgo pariet filium. Et erit Virgo in partu, antè partum, & poſt partum. Non ergò de Eſaiæ poteſt intelligi uxore, quæ acceſſu, id eſt, cognitione carnali, & concepiſſet corrupta, & peperiſſet contaminata. Sed Virgo concipiet, non virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine, & pariet filium, ſed clauſtro virginitatis clauſo permanente.

36 Et iſta dictio: *Eccè Virgo*: ponitur in tribus paſſibus Scripturæ. Scilicet de Rebecca, quæ erat Virgo pulcherrima. *Geneſ.* 24. De Maria ſorore Moyſi. *Exod.* 3. Et hìc in *Eſaia c.* 7. & ſivè *Alma* accipiatur prò *adoleſcentula*, idem eſt quod *Virgo*, non cognita propriè, non viſu, ſed tactu. Et ſi accipiatur Linguà Punicà, idem eſt quod *Virgo*, vel Linguà Latinà, quod ſonat idem quod *Sancta*. Patet intantum, quia conceptio, & parturitio Chriſti fuit de *Virgine*, non peccatrice actu, ſed *Sanctà*: quia *Dominus ipſe*, ut dicitur in textu, *dabit* ſignum; ideſt, Spiritum Sanctum mittet ſuper ſemen tuum.

37 Sed nunc ad propoſitum, de qua Virgine intellexit Eſaias? Non poteſt dici quòd de uxore, quia acceſſu ſui ad ipſam fuit corrupta, nec de Matre Ezechiæ, quia nec concepit Virgo, nec peperit. De alia ergò intelligendum eſt. Sed quæ alia, niſi Beata Virgo Maria? Ipſam eſſe Virginem iſtam, cuilibet Chriſtiano patere debet ex verbo *Matthæi c.* 1. *Hoc*, inquit, *totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam: Eccè Virgo in utero habebit*. Et quòd de ipſa intelligi debeat, ſcilicet quòd tempore Beatæ *Mariæ* naſci Meſſias, & Emmanuel debebat, per Prophetam Jacob dicitur *Geneſ.* 49. *Non auferetur Sceptrum de Iuda*. Sed Beatæ *Mariæ* tempore Iudæi carebant Sceptro, & ad Herodem alienigenam acceſſerat: ſic ergò non de alia, niſi de ipſa Virgine intelligitur. Pariter etiam, quia Ipſa fuit de domo David. Cui domui de ſua gravidatione à Deo datur ſignum. Inſuper dicta ſybillarum, ac Prophetarum hac in parte manifeſtant de Beata Virgine : & quia ipſe Chriſtus genitus eſt Deus, & homo, & per conſequens ipſe ſignatum, ipſe dans ſignum, ipſe concipiens, ipſe conceptus : Et cùm *Maria* eum conceperit, & peperit, Ipſa eſt Virgo pariens noſtrum *Emmanuel*, quod interpretatur *nobiſcum Deus*.

38 Quapropter expoſitionem ad ipſam Beatam *Mariam* convertendo : Dicat ergò ipſe Eſaias: *Eccè*. Sed quid? Inquit : *Ipſe Dominus dabit vobis ſignum* : id eſt, *Mariam* de vobis natam, ſed miraculosè, & per conſequens in ſignum. Sed qualis eſt iſta Maria? Inquit. Virgo erit corpore, mente, & devotione, & profeſſione. Erit Virgo per antonomoſiam, quia Virgo concipiens, Virgo pariens, & virginitatem non perdens. Erit Virgo, & Mater : erit in conceptu Virgo, & per conſequens contrà naturam fiet; ſed & in partu, & ſic ſuprà naturam erit.

39 *Maria* eſt *Alma*, ideſt *Sancta* ſuper omnes Sanctos, & Sanctas plenitudine gratiarum, donorum, meritorum, virtutum, & glorià. Eſt *Adoleſcentula*, quia parva placuit Altiſſimo, & de ſuis caſtis viſceribus, genuit Deum, & hominem. Eſt *Abſcondita*, & diligenter cuſtodita. Si Salomonis lectulum ſexaginta fortes ex Iſrael cuſtodierunt, quot Angelis lectulus veri Salomonis, ideſt, Dei Beata Virgo *Maria* fuit cuſtodita? Eſt *Abſcondita*, quia incognita Viro, & ſic abſcondita ab oculis omnium viventium. Fuit diligenter cuſtodita à Spiritu Sancto, qui eam ſanctificavit: à Patre, quam Filio præparavit : Ab ipſo Dei filio, qui eam in Matrem habuit, & acceptavit.

40 Dicit ergò Eſaias. *Dabit Dominus ipſe*, non homo: quia facta in ipſa Beata Maria non ſunt per hominem, ſeu ab homine, ſed à Deo. Dabit *ſignum*, in quo recipiant puſillanimes ſpem, & fiduciam, infideles fidem, perterriti ſecuritatem. Dabit Dominus ipſe ſignum, ſcilicet pacis, & miſericordiæ, & indulgentiæ, gratiæ, & gloriæ. Sed quod eſt iſtud ſignum? Inquit: *Eccè Virgo*, ipſa eſt ſignum datum nobis miſeris ad imitandum pro ſanctitate, ad intuendum pro exemplaritate, ad tenendum pro ſecuritate, ad conſpiciendum in adverſitate, ad perſtringendum cum dul-

coroſitate, ad diligendum omni cordis intimitate, ad jugiter recolendum cum ſuavitate, nec unquàm dimittendum, quia ducit ad Cœli amœnitatem. Hoc ſignum eſt datum Idololatræ Achaz, quia Ipſa eſt, quæ cunctas hęreſes deſtruxit in univerſo mundo, & in ejus ſacro partu (teſte Hieronymo) omnia Idola corruerunt, ac ejus cum filio ad Ægyptum acceſſu. Eccè ſignum datum contra Achaz idololatram moleſtum Deo, & hominibus. Iſtud ſignum eſt ad magnam gloriam Domini, ratione ſuæ eximiæ ſanctitatis, plenitudinis gratiæ, conceptionis, & parturitionis filii Dei, & ſuæ gloriæ. Eſt enim ad gloriam, & ſublimationem ſummi Dei, ut de muliere vita progrederetur, unde antè mors fuerat orta. Nonnè ad gloriam ſummi Dei Maria? Cùm quicquid factum ſit in ea, à Deo totum eſt factum. Hæc ille.

40 Iure igitur *Maria* dicitur *Alma*, ſcilicet *Sancta*, quia in Ipſa totius Sanctitatis creatæ eſt plenitudo. Et hoc probat Albertus Magnus lib. 4. de laudib. B. Mariæ c. 22. dicens. De ſanctitate Mariæ dicit beatus Bernardus. Hæc eſt Jeruſalem civitas ſancta, quæ prærogativa meritorum omnem tranſcendit creaturam, ad evacuandam omnem poteſtatem inimici, quæ ſola in univerſa humanæ generationis linea dicere poteſt poſt filium: *Princeps hujus mundi in me non habet quicquam. Ioan.* 14. Item *Ioel* in fine: *Erit Ieruſalem Sancta, & alieni non tranſibunt per eam*. Item ſicut dicit Anna in Cantico ſuo. 1. *Reg.* 2. *Non eſt Sanctus ut eſt Deus noſter*: Sic dici poteſt Dominæ veriſſimè; *Non eſt Domina Sancta ut eſt Domina noſtra*.

41 Et nota, quòd ſingulas expoſitiones hujus nominis, *Sanctus*, *Sancta*, *Sanctum*, reperire eſt in Maria. *Sanctus*, vel *Sancta* idem valet quod *mundus*, vel *munda*. Undè Dominus *Levit.* 24. Et 1. *Pet. Sancti eſtote; quia ego Sanctus ſum.* Ipſa verò mundiſſima creaturarum Dei, ſicut patet. Item *Sanctus* dicitur à *Sancio*, *Sancis*: undè dicitur *Sanctus* quaſi *Sancitus*. Et ipſa fuit *Sancta*, id eſt, firma, & in bono confirmata. Undè dicit: *In Sion firmata ſum*. Item *Sanctus* dicitur quaſi *Agios*, ideſt, *ſinè terra*, ſcilicet *ſinè terrenitate*. Et ejus conſecratio tota fuit cœleſtis.

Item *Sanctus*, ideſt, *Domino dicatus*, datus ſcilicet, & appropriatus. Undè *Luc.* 2. *Omne maſculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur*. Ipſa verò tota fuit Dei, & nullius niſi Dei. Undè dicit *Cant.* 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Et ferè ubique in Canticis vocat eam Filius ſuam. Item *Sanctus* quaſi *ſanguine tactus*, vel *ſanguine tinctus* ſecundùm Iſidorum. Undè beata Agnes: *ſanguis ejus ornavit genas meas*. Et Ipſa ſanguine Filii tacta, vel tincta per compaſſionem. Undè dicitur quaſi Roſa in Iericho. Tacta, cum ejus animam gladius pertranſiret. Tincta: quia dolor ille computatur ei pro martyrio.

42 Item fuit homo exterior *Mariæ* Sanctus contrà immunditiam operis: voluntas ejus Sancta contrà immunditiam pravi deſiderii: cor ejus Sanctum contrà immunditiam pravæ cogitationis; & ità Sanctiſſima. Beatus Bernardus in libro 4. de conſideratione in fine. Sanctum facit affectio Sancta, & ipſa gemina, timor Domini Sanctus, & Sanctus amor. His perfectè perfecta anima veluti quibuſdam duobus brachiis amplectitur, ſtringit, & tenet Sponſum, dicens: *Tenui eum, nec dimittam*. Timenda ſunt autem in eo poteſtas, cui nihil poteſt reſiſtere, & Sapientia, cui nihil poteſt abſcondi: perfectè enim oportet, ut timeas eum, cui nec oculus deeſt omnia videns, nec manus omnia potens. Amandus eſt etiam ille, qui eſt amor, &c.

In omni autem hujuſmodi, vel alia ſanctitate non eſt anima Sancta, ut eſt Domina noſtra. Et propter hoc dicit Ipſa Filio; ſicut exponit beatus Maximus Epiſcopus: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me, Pſal.* 72. *Tenuiſti me*, nè unquam caderem: intelligens non à ſe, ſed à Deo eſſe, quòd nunquam cecidit. *Et in voluntate tua*, id eſt, in adimpletione voluntatis *deduxiſti me* de virtute in virtutem. Deduxiſti, inquam, me, nè errarem: *& cum gloria ſuſcepiſti me*, nè deficerem. Tenuiſti in puritate, deduxiſti in veritate, ſuſcepiſti in claritate.

CAP. X.

Quinque Virtutibus tanquam corona pretioſiſſima redimitur Virgo Beata.

1 DEcurrat per *Mariæ* laudes calamus noſter, & in hac extrema tertii libri clauſula, Ipſi de virtutibus pretioſiſſimam coronam attexat. Licet enim Beata Virgo omnes poſſederit virtutes, in ærario tamen ditiſsimi Nominis ſui, ſingulariter theſaurizant, & inveniuntur quinque virtutes, quas ſingulæ literæ reddunt, & de ipſis Capiti ſuo nobiliſsimam coronam innectunt. Scrutare igitur ſingula ſui Nominis elementa, & in primo invenies M: quo Miſericordiæ virtus deſignatur: in ſecundo A: & habes Amoris virtutem: in tertio R: & hoc ſonat Religionem: in quarto I: & eccè Iuſtitiæ virtus: in quinto A: & prædicat Abſtinentiam. His pulcherrimis virtutibus coronatur, & ipſum Nomen ſuum eſt illi prò diademate, atque Corona: ut non immeritò ex ſuo nomine *Maria* dicatur, & ipſius corona ſint quinque virtutes, videlicet.

Miſericordia.
Amor.
Religio.
Iuſtitia.
Abſtinentia.

§. I.

Quàm ſit præclara Dei Matris Miſericordia.

2 MUlta diximus de Virginis Beatæ miſericordia, & plura alia ſunt dicenda: quia pluries repetere juvat, quod nobis adeò proficuum, atque utile eſt. Quod enim eſſet de nobis, niſi nos protegeret, & tueretur tantæ Matris

miſericordia? Undè Bonaventura in ſpeculo Beatæ Virginis cap. 9. exponens illa verba ſalutationis Angelicæ: *Dominus tecum:* Solium, & thronum divinæ miſericordiæ ipſam appellat. Attendite, inquit, chariſſimi, quòd Dominus noſter ſpecialis, qui cum *Maria* eſt, ipſe eſt Dominus piiſſimus liberalitate miſericordiæ ſuæ infinitæ. Ipſe eſt enim Dominus, de quo Propheta ait: *Tu Domine ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te. Pſal.* 85. Multæ miſericordiæ Dominus, in multis beneficiis temporalibus, ſpiritualibus, æternalibus, quæ ex multa miſericordia ſua contulit nobis, & conferre non ceſſat. Utinam tantis Domini miſericordiis non ſimus ingrati: utinam Domino tam miſericordiſſimo ſimus valdè grati cum Eſaia, qui de Domino ait: *Miſerationum Domini recordabor: laudabo Dominum ſuper omnibus, in quibus reddidit nobis Dominus. Eſa.* 63.

3 Eccè *Maria*, qualis Dominus eſt, quàm piiſſimus, quam miſericordiſſimus Dominus eſt, qui tecum eſt. Et quia Dominus miſericordiſſimus miſericordiſſimè tecum eſt, ideò & tu es miſericordiſſima ſecum, ut verè de te dici poſſit illud *Eſa.* 16. *Præparabitur in miſericordia ſolium ejus, & ſedebit ſuper illud in veritate.* Solium Divinæ miſericordiæ eſt *Maria*, Mater miſericordiæ, in quo omnes inveniunt ſolatia miſericordiæ. Nam ſicut miſericordiſſimum Dominum, ita miſericordiſſimam Dominam habemus. Dominus noſter, multæ miſericordiæ eſt hominibus invocantibus ſe: & Domina noſtra, multæ miſericordiæ eſt omnibus invocantibus ſe.

Subjungit autem aliquantò infra, quam pulchra ſit per miſericordiam, & quòd propter miſerationum pulchritudinem deſponſata ſit à Domino. Dominus, ait, iſte qui tam ſingulariter eſt cum Maria, ipſe eſt Dominus, cujus Sponſa venuſtiſſima eſt *Maria*. Undè tam de iſto Domino, quam de iſta Sponſa exponi poteſt illud *Oſeæ* 2. *Sponſabo te mihi in juſtitia, & judicio, & in miſericordia, & in miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide; & ſcies quia ego Dominus*. Eccè pulchra Sponſa, pulchra in juſtitia, & judicio, reſpectu ſui: pulchra in miſerationibus, & miſericordia, reſpectu proximi: pulchra in fide, reſpectu Dei. Pulchra utique in juſtitia vitæ, & in judicio conſcientiæ: pulchra in miſericordia in affectu, & in miſerationibus in effectu: pulchra in fide, qua credidit omnia credenda ſupra ſe, & qua credidit omnia perficienda in ſe, juxta illud *Luc.* 1. *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino*.

4 Hinc eſt quod Albertus Magnus quæſt. 75. ſuper Miſſus eſt probat in Virgine Beatiſſima excellentius fuiſſe beatitudinem miſericordiæ, quam in alia creatura: tùm quia Mater, tùm quia Regina miſericordiæ. Poſt hæc, inquit, quæritur de Beatitude miſericordiæ. Et videtur, quod ſimiliter, ut prædictum eſt, fuit in Beatiſſima Virgine, hac ratione. Beata Virgo ſecundum univerſalem uſum Eccleſiæ appellatur, & eſt Mater miſericordiæ: quod non convenit propriè alicui alteri creaturæ. Dicuntur autem & aliquandò *Viri miſericordiæ*, ideſt, *Viri humiles miſericordia*, & ſic habent omnes alii comparationem ad miſericordiam per modum principalem, & per modum accidentalem: Ipſa verò habet comparationem ad miſericordiam per modum originis eſſentialis, quià per modum Matris: Convenientia autem eſſentialis improportionabiliter excellit modum inhærentiæ, & modum accidentalem: ergo Beatiſſima Virgo improportionabiliter excedit in miſericordia univerſos.

5 Dicitur etiam Regina miſericordiæ ſecundùm uſum Eccleſiæ: & conſtat quòd non ſecundùm eandem rationem qua dicitur Mater miſericordiæ; alia eſt enim Matris, alia Reginæ: ergo propter aliam rationem dicetur Regina miſericordiæ, quàm illam qua dicitur Mater miſericordiæ. Et videtur, quod Regina miſericordiæ dicatur ideò, quia ab ipſa fuit regni miſericordiæ origo, & ab Ipſa poteſtas eſt prima miſericordiæ, & gratiæ. Cùm enim ſit regnum gloriæ, quod eſt regnum juſtitiæ, in quo unuſquiſque recipit pro ut hic geſſit in corpore, cujus prima poteſtas eſt à Rege gloriæ, & à Rege juſtitiæ, ideſt, à Sancta Trinitate: Et eſt regnum gloriæ, ſive miſericordiæ, ubi nondùm recipitur ſecundum merita, ſed adhuc regnat miſericordia, peccata dimittendo, pœnas diluendo, bona multiplicando, mala differendo. Hujus autem regni, & origo, & poteſtas prima eſt à Beata Virgine, per quam *Suſcepimus miſericordiam tuam, Deus, in medio templi tui*, Ieſum Chriſtum, per quem miſericordia, & veritas facta eſt: qui propriè modo regnat ſuper eos, quos proprio ſanguine redemit, & paſſione, & morte regeneravit, & ſibi configuravit, donec in fine omnibus completis tradiderit regnum Deo Patri. Patet igitur, quòd omnes alii ſervi miſericordiæ ſunt, Beatiſſima Virgo Regina miſericordiæ. Sed improportionabiliter majus eſt eſſe Reginam miſericordiæ, quàm ſervum miſericordiæ: ergò Beatiſſima Virgo improportionabiliter excellentiùs ſe habet ad miſericordiam, quam alii.

6 In ſeptimo autem, & octavo argumento ejuſdem quæſtionis alias adducit rationes, propter quas evidenter concludit Ipſam in miſericordia omnem ſuperaſſe creaturam. Et primò inquit. Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: Beatiſſima Virgo eſt cauſa Filii: Filius eſt cauſa totius boni, & omnis miſericordiæ: ergò & Mater erit cauſa totius miſericordiæ: hoc autem non convenit alii creaturæ.

Secundò. Illud quod æquè propriè, & principaliter habet duas naturas inconfuſas, æquè propriè habet proprietates duarum naturarum: Ieſus Chriſtus æquè duas naturas habet: ergò æquè propriè habet proprietates duarum naturarum: undè iſtæ ſunt æquè propriè, Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt homo: ergo & hæ; Chriſtus natus eſt à Deo, Chriſtus natus eſt ab homine: ergo etiam & hæ; Chriſtus eſt à Deo, Chriſtus eſt ab homine. Sed Chriſtus omnes operationes atttribuit Patri, à quo ipſe eſt. Ergo & Matri, à qua ipſe eſt, attribuentur operationes ejus, quæ conveniunt ei ratione humanæ naturæ, ſicut & Patri operationes, quæ conveniunt ratione divinæ naturæ. Sed Chriſtus in na-

tura humana exhibuit nobis effectum ſummæ miſericordiæ. Quod etiam patet in modo loquendi Eccleſiæ: Hodie mortem, quam fœmina intulit, fœmina fugavit. Item: Quia mors per fœminam intravit, aptè redit & vita per fœminam. Et illud: Mulier, quæ damnavit, ipſa ſalvavit. Quidquid in nobis miſericordiæ Filius exhibuit, totum hoc nobis Mater contulit, quæ Filium genuit, in quo nobis omnia donavit. Ex his patet, quòd Beatiſſima Virgo in miſericordia excellit omnem creaturam. Hactenus ille.

7 Nos igitur miſeri ad miſericordiam tuam, Virgo, confugimus, ut ſub velamento alarum tuarum, id eſt, miſerationum tuarum protegas nos. Tanta enim eſt miſericordia tua, quòd nullus à Te repellitur, nullus excluditur, nullus qui tibi ſerviat, oblivioni traditur. Omnes quantùm in te eſt colligis, omnes ad te fugientes receptas, & recipis, nulli dees, niſi qui tibi fortè defuerit.

Et quam ſpecioſa ſit in Dei Matre miſericordia, benè ponderat Albertus Magnus lib. 4. de laudib. B. Mariæ c. 22. num 2. & 6. Et primò inquit: Maria naturaliter clemens, & miſericors eſt, & ejus pietas ſemper ſuſcipit nutrimentum. Undè ei ſpecialiſſimè convenit illud *Iob*. 31. *Ab infantia crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum*. Et nota: *Crevit*. Ipſa etiam, quantùm in ſe eſt, miſeretur omnium: quia omnia poteſt, & diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11. Item *Eccli.* 36. *Specioſa eſt miſericordia ejus in tempore tribulationis, ſicut nubes pluviæ in tempore ſiccitatis*. Et comparatur miſericordia ejus nubi: quia velut nubes miſericorditer abſcondit ab ardore Solis, id eſt, ab ira filii: & quia obumbrat eis, & ipſos refrigerat ab æſtu concupiſcentiarum, & velut pluvia quadam gratiæ fœcundat eos ad benè operandum.

8 De ſecundo autem ſubjungens: Ratione, inquit, miſericordiæ ejus dicitur ei *Cant.* 1. *Oleum effuſum Nomen tuum*. Quod nomen effuſum ſi quis voluerit recolligere, palato ſuo ſaporem, vulneribus ſuis medicinam, lucem tenebris ſuis poterit invenire. Nunquid Mater miſericordiæ, quæ plena eſt gratia, Nomen ſuum cordis præcordiis invocantem poterit deſpicere? Nunquid eam vero corde ſalutantem poterit, aut volet repellere? Cùm ſit enim Mater Regis Regum, Cœlorum Regina, & Domina Angelorum, ſi aliquem voluerit ſalvare, non erit ei quicquam grave. Reginarum libertas eſt, ut prò ſceleribus, & maleficiis quempiam jam diffinitiva ſententia condemnatum, etiam jam fune collo circunligatum, vel jam patibulo appenſum, vel jam caput ſuper truncum gladio expoſitum, & jam capitali ſententia puniendum, vel quemvis hujuſcemodi morte plectendum: Si, inquam, Regina ſupervenerit, & adhuc vel ſpirantem, vel jam ultimum ſpiritum trahentem invenerit, poſſit liberare: Non æſtimo Reginam in regno filii ſui minorem juriſdictionem habere, vel minoribus privilegiis debere gaudere. *Si non facit Deus grande, vel parvum, quod non revelet Servis ſuis Prophetis*, *Amos* 3. quantò minus faciet grande, vel parvum, quod non revelet Matri ſuæ? *Geneſ.* 18. *Num celare potero Abraham*, &c. Ipſa enim novit animæ languenti cibum in dulcedine præparare, novit vulnera circumligare, novit levi manu, ſuavi attactu tumorem premere, venenum eiicere, ſpem, & certitudinem vitæ, & longitudinis dierum dare. Undè dicit: *In me gratia*, &c.

9 Denique cùm limites omnes miſericordia Mariæ excedat, ut ſaltem ſit dicendi finis, maximè notandum eſt, quod ſcribit Magnus Albertus lib. 2. de laudib. B. Mariæ c. 1. num. 23. nimirum maximam habere vim, & energiam in ſua pietate: quia ſæpè, inquit, quos Filii juſtitia damnat, Matris miſericordia liberat. Quæ ſcilicet juſtitia Filii, & miſericordia Matris videntur ſic altercari *Deuter.* 32. Quaſi dicat juſtitia Filii: *Ego occidam, & percutiam*. Miſericordia Matris reſpondet: *Et ego vivere faciam, & ſanabo*. Dicit etiam miſericordia Matris illud, quod ſequitur: *Et non eſt, qui de manu mea poſſit eruere*.

Fugias igitur ſub protectione manus ejus, ſicut fecit Theophilus, & nihil timendum eſt: Ipſa enim dicit *Eccli.* 24. *Sicut nebula texi omnem carnem*, ab ira ſcilicet Dei, quaſi ab ardore Solis. Ideò etiam Ipſa dicit de Filio *Cant.* 4. *Tenui eum*, nè ſcilicet percuteret peccatores: *nec dimittam*, ſed continua precum inſtantia furorem ipſius retinebo. Ipſa eſt Abigail, cujus prudentia retinuit furorem David, nè vindicaret ſe de Nabal ſtulto. 1. *Reg.* 25. Et hoc eſt, undè Dominus conqueritur, *Eſa.* 64. *Non eſt, qui conſurgat, & teneat me*. Item *Ezechiel.* 22. *Quæſivi virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me prò terra*, id eſt, prò terreno peccatore, *nè diſſiparem eam, & non inveni*. Quod autem Sanctorum precibus teneatur Dominus, oſtendit ipſe loquens Moyſi, *Exod.* 33. *Cerno, quod populus iſte duræ cervicis ſit, dimitte me, ut iraſcatur furor meus*, &c.

§. *II.*

De admirabili Dei Matris Amore.

10 NOn credo me poſſe tenerrimos Virginis amores in ſuum, Deique Filium, neque dulciſſimas ſagittas, quas divinus cudebat Amor ad ſagittandas Virginei cordis medullas, pro dignitate enarrare, cùm neceſſe eſſet ignitas Seraphin linguas habere, & ego totus frigeam ſinè amoris igne. Quid faciam ergo? Promethei imitabor ingenium, qui de Cœlo faces accenſas deduxit ad terram: Sanctorum Patrum paginas conſulam, & quas ipſi in ſcriptis ſuis flammas de admirabili amoris incendio Dei Matris ſparſerunt, colligam, & ſi non omnes, unam ſaltem, & alteram, ut ſic tantæ Matris dilectio flammigera omnibus innoteſcat.

11 Ad prima igitur amoris hujus fundamenta jacienda, præmittenda ſunt eloquia Thomæ de Villanova *Conc. 2. de Nativ. Virg. Mariæ*, ubi primò contrà hæreticos Beatam Virginem, veram Dei Matrem Catholicè, nominandam definit, deindè ex hoc fundamento amoris ejus flammas, & ardores in filium deducit. Fuit olim, inquit, in principio naſcentis Eccleſiæ non mediocris hæſitatio de huius Virginis nuncupatione, & hæreſis: namque alii in Chriſto corpus non verum, ſed phantaſticum: alii corpus verum, ſed non carnem, cœleſte tamen: alii corpus carneum, ſed non de Virgine

ne ſumptum: alii de Virgine formatum, ſed ſinè anima aſſerebant. Qui omnes, & ſimiles, Virgini matris Dei dignitatem auferebant; quos omnes hoc unico verbo Evangeliſta Convincit: *De qua natus eſt Ieſus. Matth.* 1. Et Apoſtolus Paulus alio conſimili ad *Galat.* 4. *Factum*, inquit, *ex muliere*. Et benè *factum*: in eà nanque Spiritus Sanctus ipſum non genuit, ſed eà, ut Artifex corpus eius effecit. Undè non Chriſti Pater, ſed humanitatis eius Conditor eſt.

Excluſis igitur hæreticis, inter fideles adhuc diſcrepatio non modica erat, an propter veram, & indubitatam generationem temporalem Virgo, Mater Chriſti; an Mater humanitatis Chriſti dicenda eſſet; an audendum quoque eam Matrem Dei nominare: donec pleno Concilio definitum eſt, eam plenis, ut dicitur, buccis, *Teothochon*, ideſt, *Matrem Dei*, ab omnibus fidelibus verè, & ſinè ſcrupulo nominandam, atque ut veram Dei Matrem ab omnibus venerandam.

12 Quod nomen ex omnibus Ipſa in libro Eccleſiaſtici ſibi delegerat, dicens: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & Sanctæ Spei. Eccli.* 24. Ac ſi diceret: Quid me aliis nominibus nuncupatis? Hoc ſolo nomine dignor, hoc ſolo cupio nuncupari vocabulo; in meam laudem hæ ſolæ perſonent voces; in his mihi ſupra modum complacet verbis: *de qua natus eſt Ieſus*. Nihil me ita delectat audire, quàm cùm dicitur mihi: *de quà natus eſt Ieſus*: & hoc verbum ſæpiùs replicetur in laudibus, ſæpiùs iteretur in canticis. Audi piiſſima, audi clementiſſima, *de qua natus eſt Ieſus*. Hoc eſt enim nomen ſuper omne nomen puræ creaturæ, in quo nemo tecum participat, ò Virgo. Cui enim aliquando, non dicam hominum, ſed etiam Angelorum dixit: Mater mea es Tu, filius tuus ſum ego? Ad Angelos quidem dicit: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignẽ urentem*: ad Virginem autem: *Vnica eſt columba mea; electa una eſt*; quia nec tibi ſimilem viſa es, nec habere ſequentem. Nam etſi *omnis, qui fecerit voluntatem Patris mei, mater mea, & frater meus eſt. Matth.* 7. non tamen ut Tu mater, quæ animo, & corpore Verbum Domini concepiſti, peperiſti, lactaſti, nutriſti, & toto vitæ tuæ tempore illi Matris officium impendiſti.

13 Hoc autem ſicut ſummæ dignitatis, ita etiam perfectionis nomen eſt; ſumma enim humanæ Creaturæ perfectio vitæ hujus tota in amore Dei eſt: omnium autem amorum vitæ præſentis, nullus eſt tantus, quantus Matris ad filium. Solent enim Matres etiam deformes filios tam ardenter amare, ut etiam ſeveræ Matronæ, dùm lactentibus in gremio infantibus garriunt, videantur ſenſum penitùs amiſiſſe præ amore. Quid non dicunt? Quid non faciunt? Aut quis Scurra levior eſt, quam Mater ad infantulum? Siquidem divina Providentia quæ operibus ſuis nunquam deeſt, Matrum præcordiis naturalem hanc amoris inſeruit vim, nè pignoribus teneris, & difficilis educationis; longi laboris tædio quis deeſſet ad vitam. Aliàs enim quis infantium moleſtias, vagitus, ægritudines, varias frequenteſque immunditias, tamque aſſiduas moleſtias, & tam longas æquo animo tollerare poſſet? Neque ſolùm hominibus, ſed cæteris etiam animantibus, hujus amoris vis à naturæ Conditore inſerta eſt. Nonnè Gallinam vides pro ſuis pullis Aquilam fieri? Et mitiſſimam Equam prò pullo ſuo equino in ferociſſimam verti Leænam? Seque ipſam Lupis animosè obiicere prò filio? Vitamque ſuam prò nihilo reputare, & parvipendere, ut filium defendat, qui ab ipſo eſt? Mira res amoris, & quæ niſi cerneretur, penitus eſſet incredibilis.

14 Si igitur, ut diximus, tanta eſt vis amoris Matrum ergà filios ſibi cum Viris communes, ut etiam deformes, & inertes filios tam ardenter diligant: conſiderate Virgines devotæ, quo amore Mater iſta diligit filium ſuum unigenitum, & ſoligenitum, filium, inquam, tam ſpecioſum, tam decorum, tam nobilem, & potentem, tam generoſum, & glorioſum, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, cujus decor, & gloria Angelicos etiam retundit obtutus: filium, in quem deſiderant Angeli conſpicere: de quo apertiſſimè noverat, quia Deus, & Creator ſuus eſt? Dicite, inquam, quo ardore ardet, quandò illum iam triennem, vel quadriennem coram ſe ludentem conſpicit; ſibique placido vultu arridentem, pioque lepore applaudentem, alludentemque videt; & in gremio ſuo pectoris ſui lacte potatum, ac de ſua ſubſtantia paſtum cernit?

15 O cor Virgineum amoris igne ſuccenſum, ò ſacra viſcera velut clibanus candentia, & ardentia velut ſeraphim: ò ſacrum pectus, quo ardore intus inflammaris? O tenerrimum corpus, quomodò tanto calore non dirumperis? Quis tuos, ò Virgo, cordis ardores, mentis exceſſus, digno ſufficiat explanare eloquio, aut comprehendere cogitatu? *Nolite*, inquit, *nolite me conſiderare, quod fuſca ſim; quia decoravit me Sol. Cant.* 1. Sol ille flagrantiſſimus intùs, & foris ita me totam irradiavit, ut fuſca appaream præ calore: fuſca ſum, fateor, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem. Ideò dilexit me Rex.

Unde Angelus huius flagrantiſſimi ardoris preſcius ad Virginem ait: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Luc.* 1. Noli ergò timere filia Ieruſalem, noli expaveſcere: Nam Spiritus Sanctus aderit, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ut tanti Solis ardorem valeas ſuſtinere: & qui alios ſolet illuminare, tibi obumbrabit, ut divini luminis ardorem temperet, & fulgorem. Hoc itaque Matris honore ſola Virgo gaudes, ſola dotaris: tibi ſoli cum Superno Parente communis eſt filius, & quantum creaturæ fas eſt, ſimillimus amor. Amat Angelus, ſed ut Dominum: amat Virgo, ſed ut filium: ac proinde Angelus ab ipſo redamatur, ſed ut Servus; ſed Virgo redamatur ut Mater; in utroque beata; & quia ſic amatur ab illo.

16 Quapropter Anſelmus *lib. de excellentia Virg. Mariæ c.* 4. propè finem pleno ore determinat, nullum cujuſvis amorem poſſe Virginis Matris amori in Deum filium comparari. Quid enim aliorum amores, niſi frigidiſſimæ nives, & glacies ad intenſiſſimi ignis ardores? Quicunque igitur, ait, aliquem ſincero, & dulci dilectionis affectu diligit, omnia commoda, & jucunda ei ſuccedere cupit; illius incommodis, ſi quæ acciderint, mæſtus in-

ingenit: volvat, & revolvat ſuum affectum apud ſe, & cogitet quid ſibi eſſet, ſi adhuc quem fingeret, multiplicatus in ſe, ſed & maior exiſteret. Quœ cum fecerit, & hunc ſuum amorem quantumcunque intellectu ſuo magnificatum, amori illius piiſſimæ Matris Dominæ noſtræ in Deum filium ſuum aliquatenùs comparari poſſe putaverit, neſcio utrum audiendus in hac ſua æſtimatione.

17 Nec mirum: Ipſe enim Spiritus Dei, ipſe Amor omnipotentis Patris, & Filii: Ipſe per quem, & in quo amatur omne, quod benè amatur. Ipſe inquam, corporaliter, ut benè dicam, venit in eam, ſingularique gratia præ omnibus, quæ creata ſunt, ſive in Cœlo, ſive in terra, requievit in ea; & Reginam, ac Imperatricem Cœli, & terræ, & omnium, quę in eis ſunt, fecit eam: & alicui bono ad tempus debriato in animum cadet, ſe quicquam amoris habere, quod illi amori comparabile æſtimari, quem hæc Beatiſſima Matrum ad ipſum hebebat, à quo ſe tam ineffabili dignitate ſublimatam intelligebat? Superat ergo omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedines magnitudo amoris iſtius Virginis in filium ſuum, & dulcedinis immenſitas, qua exultabat, & liquefiebat anima eius in eundem Dominum Deum ſuum.

18 Verùm nonnullas amoris, & dilectionis Virginis Matris conditiones, & proprietates, quas *l. 4. de laud. B. Mariæ c. 17. num.* 7. enumerat Albertus Magnus, dicens. *Mariæ* dilectio inſeparabilis, tanquam Sponſæ ad ſponſum, Dilectæ ad Dilectum, Matris ad Unigenitum. De hac inſeparabilitate dicit Ipſa *Cant.* 3. *Tenui eum, nec dimitam*. Item *Cant.* 8. *Dura ut infernus æmulatio*: ideſt dilectio eius. Quia ſicut infernus quem ſemel recipit, nunquam dimittit: ſic eius charitas nunquam excidit, nunquam Dilectum dimiſit. Undè & potuit verè dicere Filio illud *Ierem.* 3. *In charitate perpetua dilexi te*. Item illud 2. *Reg.* 1. *Sicut Mater unicum amat filium, ita te diligebam*. Item illud ad *Rom.* 8. *Quis me ſeparabit à charitate Dei, &c. Tribulatio, &c.* Ibidem: *Scio, quia neque mors, neque vita, &c.* & ponit undecim adiectiva. Ergo ſi intantum dilexit Regem ſuum miles Regis, quantum putas dilexiſſe filium Regem Genitricem Regis? Utique multo amplius.

19 Inſuperabilis: quod pertinet ad diligere fortiter. Undè *Cant.* 8. *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ut infernus æmulatio.* Quod de charitate Chriſti primò, & principaliter intelligitur, quæ benè fuit fortis ut mors: quia per charitatem mori dignatus eſt. *Ioan.* 15. *Maiorem charitatem nemo habet, &c.* Et nè moreremur æternaliter, ſeparata eſt anima ejus à corpore, quod eſt mori temporaliter. Charitas etiam *Mariæ* fortis fuit ut mors, immò fortior morte: quia filium ſuum intantùm dilexit, & humani generis redemptionem intantùm optavit, quod mori prò filio, vel prò ſalute mundi cum filio deſideravit. In illis etiam eſt charitas fortis ut mors, qui mundo moriuntur, ut dilectio vivat in eis: mors enim tollit temporalia, & aufert uſum ſenſuum. Dura etiam ut infernus fuit æmulatio, ideſt, dilectio eius, quia conſtantiam eius nulla fregit violentia perſecutionum, ſicut qui in inferno ſunt, nulla frangi poſſunt violentia tormentorum.

20 Item de charitate dicitur paulò poſt: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam*. Aquæ multæ, ideſt omnimodæ pœnalitates, quas ſuſtinuit in Filio, non potuerunt extinguere charitatem *Mariæ* ſcilicet: quia ipſius charitatis abſorbebatur ardore, ſicut ardore Solis, vel ferri igniti abſorbetur aqua. Undè de charitate eius dicitur *Sap* 16. *In aqua* tribulationis, quæ ignem extinguit imperfectæ charitatis. *Ignis*, ideſt, Mariæ charitas *plus valebat, & aqua obliviſcebatur extinguentis naturæ*. Sequitur: Nec flumina, ideſt, impetus tribulationum quanticunque obruent eam. Immò quanto fortius impulſa eſt, tantò firmius ſtetit: quia fundata erat ſuprà firmam petram, quæ eſt Chriſtus. *Matth.* 7.

Item inſuperabilis: quia dilectio filii abſorbebat in ea omnem aliam dilectionem, ſicut Magnus ignis abſorbet ignem candelæ. Dilectio enim ignis eſt, quem Dominus venit mittere in terram. *Luc.* 11. quo videlicet igne vehementiùs inflammavit animam Martris ſuæ. Undè & ipſa dicit *Cant.* 5. *Anima mea liquefacta eſt, &c.* ſicut metallum duriſſimum per vehementiam ignis liquefieri poteſt.

21 Inſatiabilis: quia charitas eius erat ille ignis, de quo dicitur *Prov.* 30. *Ignis verò nunquam dicit, ſufficit*. Guſtaverat enim, quia ſuavis eſt Dominus, qui dicit: *Qui edunt me, adhuc eſurient, &c. Eccli.* 24. Ideò ipſa dicebat: *Sitivit animam mea ad fontem vivum*. *Pſal.* 48. Sicut enim fons vivus ſemper ſcaturit aquas novas, ſic filius eius, qui eſt fons vitę, ei ſubminiſtrabat jugiter de ſeipſo delectationes novas, immò etiam tota Trinitas, cujus erat triclinium. Undè quidam dicunt, quod viatrix comprehendebat. *Sap.* 18. *Vſque in Cœlum attingebat ſtans in terra*.

Singularis: quia extrà Deum nihil quæſivit, dicans: *Vnam petii à Domino, &c.* Charitas enim eius erat vehemens, & benè ordinata voluntas, ſicut diffinit Beatus Bernardus. Auguſtinus, de Domino: Quidquid mihi præter illum eſt, dulce non eſt: quidquid vult mihi dare Dominus meus, totum auferat, & ſe mihi det. Qui enim diligit Chriſtum propter temporalia, quæ largitur, non eſt amor eius ſingularis, ſed adulterinus. Sicut meretrix diligit leccatorem, & ei applaudit quandiu habet quid det, nudum verò expellit: Sic amator temporalium diligit Chriſtum: Undè: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei*. *Pſal.* .... De tali dilectione dicitur *Prov.* 26. *Cum defecerint ligna* beneficiorum temporalium, *extinguetur ignis*, ideſt, dilectio ceſſabit.

Item ſingularis fuit eius dilectio: quia nec ſimile habuit, nec habitura eſt.

22 Mobilis, non tarda, non pigra, non torpida, ſed velox, movens, & promovens. Undè concepto Salvatore aſcendit in montana cum feſtinatione, ut congauderet Eliſabeth, fugit in Ægyptum cum filio ad præceptum Angeli, *Matth.* 2. Retulit filium in terram Iſrael, *Matth.* 3. defuncto Herode. Undè & deſignatur per ferculum Salomonis; quia omni agilitate, & fervore animi ad quælibet bona exercitia ſecundùm beneplacitum divinæ voluntatis ſe circunferebat. De hac mobili-

bili-

bilitate beatus Bernardus. Qui amat ardentius, currit velociùs, & pervenit citius. Et quia Ipſa amat ardentiùs, undè quaſi effrenatè dicit: *Oſculetur me oſculo oris ſui*: & tota die dicit in Canticis: *Amore langueo*: ideò cucurrit velociùs omnibus, & citiùs pervenit ad bravium vitæ æternæ, ſtola immortalitatis, ut creditur, jam induta.

Inceſſabilis, ideſt, perſeverans: quia charitas eius nunquam excidit. Quod de perfecta intelligitur charitate. Undè & dicit filio, *Ierem.* 31. *In charitate perpetua dilexi te.* Similabatur enim eius charitas charitati filii, de quà *Ioan.* 12. *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Ad quod etiam ipſe invitat omnes fideles, *Ioan.* 15. dicens: *Manete in dilectione mea*. Item *Matth.* 10. *Qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit.* Inchoantibus enim præmium promittitur, ſed perſeverantibus datur, ſicut dicit auctoritas.

23 Fervens, & calida. Eius enim dilectio fervor, & calor eſt. Calor: undè *non eſt qui ſe abſcondat à calore eius*. *Pſal.* 18. Fervor: ferventer enim diligit, ſicut dicit beatus Bernardus, qui ita inebriatur amore, quod non cogitat maieſtatem. Sic diligebat Maria, cum dicebat: *Oſculetur me oſculo oris ſui*. *Cant.* 1. Et in hoc benè apparet, quod erat inebriata. Si quæratur, quo vino? Ipſa reſpondet. *Cant.* 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi*. Grandis botrus, & forte vinum; & ex multo potu fortis vini ſequitur ebrietas. Quanto magis enim Deo, qui ignis eſt, proximavit, tanto magis inflammata eſt charitate: quia ipſe *Deus charitas eſt*. Ideò dicit beatus Bernardus: Maria quia plùs omnibus dilexit, ſingulare miraculum Deus Pater in ipſa perpetravit. Ideò etiam dicit Ipſa *Cant.* 5. *Anima mea liquefacta eſt* per incendium charitatis, ſicut metalla liquefiunt per vehementiam ignis. Item ſecundùm aliam tranſlationem, quam ponit Gregorius: *Vulnerata charitate ego ſum*. *Cant.* .... Et nota quod ignis charitatis ſuaviter ardet, ſed non lædit: accendit, ſed ad purgationem: culpam enim conſumit, ſi invenit, non naturam, ſed eam purgat, fovet, & nutrit. Sicut è contrariò ignis concupiſcentiæ nutrit, & fovet culpam, & magna ex parte lædit, & conſumit naturam.

Penetrativa, & acuta. Charitas enim intrat, & penetrat, nec ceſſat, donec veniat ad id, quod amat. Non enim ſufficit ei, quod amet abſentem, niſi poſſideat præſentem. Nec ſatis eſt ei, ut ſit cum Deo, niſi ſit in Deo. Nec magnum arbitratur, ut ducatur ad omnem veritatem, niſi introducatur in omnem veritatem, ut illi inhæreat, & quantum poſſibile eſt, unum cum illa fiat. Vox enim charitatis eſt illa: *Mihi adhærere Deo bonum eſt, &c.* *Pſal.* 72. Talis verò fuit Mariæ dilectio. Hæc Albertus Magnus.

24 Mira ſunt quæ diximus uſque modo de amore Virginis Matris in filium ſuum, ſed & adhuc placet alteram addere tanti amoris flammam, quem Bernardinus Senenſis *ſerm. de Viſit. & ſeptem verbis B. Virg. art.* 3. *c.* 1. ſubtiliter, & acutè perpendit, ex qua coniicere licebit, quanto præcordia Virginis in Deum filium exarſerint charitatis incendio. Ponamus, inquit Senenſis, amoris Virginis quintam flammam, quæ eſt amoris ſaporantis. Nam hujuſmodi amoris eſt, intimè guſtare, & ſaporare, & diſcretivè diſcernere varios ſapores amati, ſive varias proprietates, ac differentias divini ſaporis Duorum ſaporum genera profectò continet in ſe Chriſtus, quæ omnes alias diverſorum ſaporum differentiasin ſe concludunt. Primus eſt ſapor dulcoris; ſecundus eſt ſapor doloris, ſeu amaritudinis. Et hi continentur in quinto Virginis verbo.

25 Primus eſt ſapor tenerrimi dulcoris, quem quantum Beata Virgo guſtaverit, oſtendit principium quinti ſui verbi, in quo ſub admirabili hauſtu, & ſub mira ſingularitate tenerrimi dulcoris, vocavit Jeſum filium ſuum, dicens ſedenti in templo inter Doctores: *Fili, quid feciſti nobis ſic. Luc.* 2. In nullo enim alio Scripturæ loco legitur eam vocaſſe filium, niſi in hoc quinto verbo. *Filius* enim *à filos*, quod eſt *amor*, denominatur, & in ore Matris guſtum gerit tenerrimi, ac præcordialiſſimi dulcoris: & maximè, quandò eſt tanta, ac talis, quanta eſt filiatio Dei. Porrò omnis amoris ſignum ſuperatur in hoc verbo *Fili*. Lingua profectò in amore plùs nequit, dicens, *Fili*. Nihil in amore brevius, nihil efficaciùs ad proferendum. Cum dicitur *Fili*, tota commoventur viſcera Matrum, cum prolem nomine filiali denominant. Non potuit ampliùs Virgo Mater continere affectum, cum in verba expreſſivi amoris erumpit; non aliundè ipſum denominans, niſi quod ipſe ſit *filius*, ipſa Mater, nullam loquendi copiam plùs apponere valuit, quàm filiale nomen.

Et addit: *Quid feciſti nobis ſic?* Non increpantis, ſed admirantis eſt verbum: ut myſticè innuatur, quod cum Sponſus ab anima abeſt, intelligentia admiratur in tali exercitio ordinem Sapientiæ Dei, nec comprehendere poteſt altiſſimos modos Sponſi in abſentià, & reditione ſua, ſemper tamen multipliciter amoroſos. Hanc autem admirationem quodammodò voluit Sapientia Dei Chriſtus Matrem ſuam experiri, & verbis propriis Virgini demonſtrare, tanquam promotor Matris, & exercitator in via amoris.

26 Secundus eſt Sapor doloris, ſeu ſummæ amaritudinis, quam cum amoroſiſſimo dolore explicat pia Mater, cum inquit: *Eccè Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*. *Luc.* 2. Defert humilis Virgo viro, quem in loquendo præponit, ſeque præpoſterat: quoniam omnium bonorum morum, atque virtutum eſt norma, ut mulieres ſuis deferre maritis diſcant, non tantùm in aliis ſed etiam in ſermone. Myſticè enim guſtus iſte afflictivus eſt amarus, & exercitativus, ac mentis promotivus in altivolo diſceſſu amati ex perditione dilecti, quo anima tota ab ipſo dependens quieſcere non poteſt, ſemper zelotypa, nè ex aliqua culpa diſcedat. Ex quo ſequitur, quod circuit quærens dilectum, ab omni creatura petit auxilium, ut inveniat quem diligit affectio (alias anima ſua) Nunc dolorem fuiſſe in ea virtuoſiſſimo modo Mater oſtendit, cum ait: *Dolentes quærebamus te*. Et quia Sanctiſſimus Joſeph horum guſtuum particeps fuit, ideò Beata Virgo vocat eum ſingulariter Chriſti Patrem. Licet autem Sacratiſſima Virgo non indiguerit in talibus exerceri,

quæ

quæ ab inſtanti conceptionis filii Dei ſuperplena fuit Spiritu Sancto: tamen propter noſtrum exemplum rationabiliter fecit Ieſus, ſic ſe habendo ad eam; ut myſticè oſtendatur, quantùm proficit anima in tali experientiâ doloris de dilecti abſentiâ, & inquiſitione ſolicita. Nam ſemper copioſiori dulcedine redit Dilectus ad animam, niſi negligentiæ culpa reddat eam indignam. Proindè reinuento Ieſu Beata Virgo ſingulariter exprimit tenerrimum filiationis, & hujus amoris guſtum, dicens: *Fili*. Hactenùs Senenſis.

27 Nos ergo piiſſima Domina, qui huc uſque teneritudines, dulcedines, ſuavitates, ardores, & amores tuos in dulciſſimum filium tuum ſcripſimus, licet nec ſatis, nec dignè, prò tanti amoris ardore, ac dignitate, Te ſupplices deprecamur, ut vel unam ſaltem ſcintillam, & igniculum immenſi illius incendii, quo conflagravit cor tuum, nobis frigidis, & glaciatis impertiri digneris. Ex illâ ſcintillâ in corde noſtro flamma exurget amoris, quæ quiquid vitioſum, terrenum, & imperfectum exuret. Sic concedas, & dones glorioſa Virgo, Mater amoris, & fons totius dulcedinis, & pietatis, quoniam per Te eſt, ſi quid boni ſumus, ſivè poſſumus, ſivè habemus: Tu enim poſt Deum ſumma, ac ſingularis conſolatio noſtra: Tu ad regna Cœlorum dux, ac ſubventio noſtra.

§. III.

De excellentiſſima Dei Matris Religione.

28 INclytum Virginis nomen adeò præſtans eſt, & excellentiarum perſonalium Deiparæ declarativum, ut vel ipſis Angelorum coloniis materiam præſtet admirationis; undè eorum vox admirabunda *Cant.* 8. eſſe videtur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto?* Et de quo ſingulariter admirantur? Reſpondet Bernardinus Senenſis *ſerm.* 12. *de Virg. Aſſumpt. art.* 2. *c.* 3. eos præcipuè ſtupere Virginis religionem. Tanta, inquit, admiratione detinentur, dùm contemplantes omnium Dominam ſuper omnes Angelorum hierarchias in Cœlis collocatam vident, & profundâ, reverentialique oculorum demiſſione eam electam ut Solem, pulchram ut Lunam, terribilem denique ut caſtrorum aciem ordinatam intuentur, ut meritò illud, quod dicitur *Cant.* 8. *verſ.* 5. proferant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto?* Ubi admirantur excellentiam perſonalem quæ tota fuit exemplum Religionis: *Quæ eſt iſta?* Secundò gratiam ſingularem, quæ tota fuit profectus devotionis: *Quæ aſcendit*. Tertiò, magnificentiam univerſalem, quâ Ipſa fuit honor humanæ conditionis: *de deſerto*.

29 Qua ratione autem in Virgine fuerit excellentiſſima Religionis virtus, & exemplum, ſciendum eſt, quod Religio eſt ſpecialis virtus, quæ Deo debitum cultum, & reverentiam affert, & ut docet *Divus Thomas* 2. 2. *qu.* 81. *art.* 5. *ponitur pars juſtitiæ, quæ eſt virtus moralis*. His ſuppoſitis Albertus Magnus *quæſt.* 51. ſuper Miſſus eſt probat quam excellentiſſimi fuerint in Beata Virgine Religionis actus, qui ſunt Latria, dulia, & obedientia. Et primò de Latriâ. Eſt enim, inquit, Latria ſoli Deo debitus, & exhibitus honor. Et intenditur honor iſte per tria. Primum eſt dignitas perſonæ exhibentis. Secundum eſt minùs debitum exhibitionis. Tertium eſt excellentia impenſæ ſervitutis.

30 Dignitas perſonæ exhibentis reſpectu omnium viatorum in ſummo fuit in Beatiſſima Virgine: Ipſa enim Mater Dei, alii omnes ſervi: & improportionabiliter magis eſt eſſe Matrem Dei, quã eſſe ſervum Dei: ergo improportionabiliter maior eſt Latria Matris Dei, quàm Servorum Dei. Item minùs debitum exhibitionis fuit in Beatiſſima Virgine reſpectu aliorum Sanctorum: quantò enim quis plus eſt inferior, tantò magis tenetur ex debito neceſſitatis ad ſervitium: ſed Beatiſſima Virgo fuit ſuprema omnium Sanctorum: ergo exhibitio ſervitutis eius fuit ex minimo debito neceſſitatis, & ex maximo debito charitatis: ergo iterum quantum ad hoc fuit eius Latria in ſummo.

31 Item impenſa ſervitus Latriæ conſiſtit in tribus; in actu cordis, qui eſt cognitio, & dilectio; in actu oris, qui eſt laus, & oratio; in actu operis, ut genuflexio, adoratio, immolatio, & hujuſmodi. Omnia hæc in Beatiſſima Virgine fuerunt in ſummo: in virtutibus enim interioribus omnem creaturam excellit: habent enim Angeli virtutes inamiſſibiles, ſed non meritorias præmii ſubſtantialis: habent & homines virtutes meritorias, ſed amiſſibiles: habuit autem Beata Virgo virtutes inamiſſibiles cum Angelis, & meritorias cum hominibus, & ità utriſque excellentiùs, & ità habuit excellentiſſimam Latriam in actu cordis.

32 Item actus Latriæ ab ore, ut eſt laus, & oratio, excellentiſſimè fuit in Beata Virgine: oratio enim aliorum Sanctorum non innititur alicui juri ex parte ſui, ſed tantùm miſericordiæ ex parte Dei: oratio autem Beatiſſimæ Vrginis innititur gratiæ Dei, & juri naturali, & juſtitiæ Evangelii, vel Decalogi: quia filius non tenetur tantùm exaudire, ſed obedire Matri, iuxtà illud *Exod.* 20. *Honora Patrem tuum, & Matrem*. Et Apoſtolus *Epheſ.* 6. *Filii obedite Parentibus veſtris*. Quod & ipſa videtur innuere in modo orandi non utens oratione ſimplici, ſed inſinuatione, dicens: *Vinum non habent, &c. Ioan.* 2. Dicit Magiſter Hugo de Sancto Victore, quod nobiliſſima ſpecies orationis eſt inſinuatio, exemplificans in eodem verbo, ſcilicet: *Vinum non habent*. Et ſic Latria eius oris fuit in ſummo: tum quia erat nobiliſſimus modus orandi: tum quia eius oratio habebat rationem iuſſionis, & imperii, tum quia erat impoſſibile eam non exaudiri, iuxta illud: *Pete Mater mea: neque enim fas eſt, ut avertam faciem meam.* 3. *Reg.* 3. Item *Eſther* 5. *Quæ eſt petitio tua, Eſther? Prò quà re poſtulas? Etiamſi petieris dimidium regni mei, impetrabis*.

33 Item actus Latriæ in opere exteriori principalis eſt in oblatione, & excellentior in Templorum conſtructione, & conſecratione. Hoc autem totum fuit in Beatiſſima Virgine in ſummo, quæ de corde, & corpore templum Sancto Spiritui conſtruxit, in quo filius Dei corporaliter habitavit: In quo ſeipſam, & in ſeipsâ ſummam caſtitatem cordis & corporis Deo omni Sacrificio acceptabilem obtulit: immò ipſum filium ſuum,

& filium Dei, non prout panis, & vinum in corpus ipſius transferebatur, & ſub ſpeciebus alienis immolabatur, ſed ſecundùm quod in eius propria carne, & ſanguine ſecundùm corpus formabatur, ſub ipſa ſpecie propria, in qua eum genuit, ſpontaneo ejus conſenſu in ejus paſſione prò nobis omnibus obtulit: per quam ſufficientiſſimam, & gratiſſimam hoſtiam ſemel oblatam, Deum toti Generi humano reconciliavit: qui nimirùm excellentiſſimus actus Latriæ in opere fuit. Et ſic patet, quòd Beata Virgo omnem actum Latriæ ſecundum omnem modum habuit in ſummo.

34 Suddit verò in ſequenti quæſt. 52. Conſequenter, inquit, videndum eſt de Dulia. Eſt autem Dulia honor creaturæ debitus, & exhibitus. Et hęc habet duas partes, Duliam ſimpliciter, quæ debetur creaturis, & Hyperduliam, quæ debetur excellentibus creaturis, ut B. Virgini, & Sanctæ Cruci. Habuit autem Beata Virgo actum Hyperduliæ in ſummo, reſpectu aliarum creaturarum: improportionabiliter enim maius eſt adorari, quàm adorare: ergo improportionabiliter majus eſt Hyperdulia adorari, quàm adorare hyperdulia: ſed omnes alii Sancti adorant hyperdulia Beatam Virginem: ergò ipſa omnes excellit hyperdulia.

35 Item actus Duliæ habuit ſuper omnes excellenter: actus enim Duliæ intenditur per ea, per quæ & actus Latriæ intendebatur, per dignitatem videlicet perſonæ exhibentis, per minus debitum exhibitionis, & per humilitatem ſervitutis. Per dignitatem perſonæ exhibentes excellit omnes: nulla enim digna perſona, vel creatura potuit aliam creaturam intantùm honorare, inquantum digniſsima creaturarum Mater Dei.

Item: Cùm eſſet digniſſima, & ſuprema creaturarum omnium, quam omnes debent revereri, & honorare, minimè debitum fuit, ut alias creaturas honoraret.

36 Item: Servitus humillima, & indebitiſsima fuit, quia inferiorem ſe honoravit: quia proxima Deo per incorruptionem, purificationem pollutis Matribus conſtitutam, abſque legis præcepto obſervavit, & filium cum oblationibus offerens, Sacerdotibus legalibus reverentiam exhibuit, quod per obedientiam, & humilitatem conſummavit, ſicut ſcriptum eſt: *Sine modò, ſic enim decet*, &c. Gloſſa: *Perfectam humilitatem*. Et diſtinguit ibi triplicem humilitatem, & obedientiam. Prima quæ exhibetur inferioribus: ſecunda pari: tertia quæ ſuperiori. Et prima vocatur omnis juſtitia, id eſt, perfecta juſticia, quam Beatiſſima Virgo in ſummo exhibuit, quandò Deo propinquiſſima fuit, & digniſſima inferioribus, & ſibi jure ſubditis, ipſa ſuper legem poſita, ſecundùm legem, legi, & miniſtris ejus obedivit: in quo ſe ſummè inclinavit, & humiliavit: ſummum enim citrà Deum in ſurſum eſt ſumma incorruptio; juxta illud: *Incorruptio facit proximum Deo; Sap.* 6. Summè autem diſtans ab incorruptione deorſum, eſt corruptio: poſt corruptionem ſequitur pœna poſita pro corruptione, ut eſt mulierum corruptarum purificatio. Summa igitur inclinatio humilitatis fuit, quando ſe excellentiſſima incorruptione Virgo ſub onus corruptis impoſitum ſpontaneè inclinavit. Et ſic patet, quomodò in Beatiſsima Virgine, & Dulia, & Latria, & obedientia, & humilitas, fuerunt in ſummo.

§. IV.

Quàm ſit commendabilis Beata Virgo ex iuſtitiæ virtute.

37 ET in juſtitiæ virtute Deiparam fuiſſe perfectiſſimam procul eſt à dubitatione. Quandoquidem ſi in omnibus virtutibus proximum ſuis illuminavit exemplis: ergo & in virtute juſtitiæ cæteris extitit exemplar, & forma. Undè de ipſa dici poteſt illud *Eccli.* 26. *Sicut Sol oriens mundo in altiſsimis Dei: ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ.* Per ſolem autem in prædicta auctoritate intelligitur Chriſtus: per mundum verò B. Virgo Maria, quæ illuminata à Deo illuminat totam Eccleſiam militantem. Quarè autem Virgo Beata dicatur mundus, oſtendit Cyprianus in quodam ſermone, dicens. Lego, & intelligo, quòd Virgo *Maria* eſt quidam mundus intelligibilis, & admirabilis. Cujus terra eſt ſoliditas humilitatis. Cujus mare, latitudo charitatis. Cujus Cœlum, altitudo converſationis, & contemplationis. Cujus Sol, ſplendor intelligentię. Cujus Luna, decor munditię. Cujus Lucifer, fulgor ſanctitatis. Cujus Arcturus, gratia ſeptiformis. Cujus ſidera, aliarum virtutum ornamenta pulcherrima. Ex quibus patet etiam juſtitię virtutẽ excellẽtiſsimè in Virgine Beata fuiſse.

38 Nam, ut loquar cum Bernardino Buſtenſi ſerm. 3. de Virtutibus Mariæ, ſi accipiatur juſtitia largè prò omni virtute, & omni opere bono, ſicut accipit Philoſophus 1. *Polit.* 5. *& Ethic.* & docet D. Thomas 2. 2. q. 58. Dico quod Virgo Beatiſſima eam in ſummo habuit, quæ perfectiſsimè obſervavit legis præceptum *Deuter.* 24. quo dicitur: *Habeas juſtitiam coram Domino Deo tuo:* quæ etiam cum Filio ſuo dicebat illud *Matth.* 13. & *Luc.* 4. *Decet non implere omnem juſtitiam*. Si verò loquamur de juſtitia ſtrictè ſumpta, quæ in ſe continet tria, ſcilicet honeſtè vivere, alterum non lædere, & ſua cuique tribuere. Dico, quòd cùm hæc ſit excellentiſsima omnium virtutum moralium, ut declarat Divus Thomas 2. 2. quæſt. 58. art. ult. Undè dicit Philoſophus in 5. *Ethic. Præclariſsima omnium virtutum videtur eſſe juſtitia; & neque heſperas, neque Lucifer ita admirabilis*. Et Imperator in *aut. ut omnes obediant ei*. in prin. col. 5. inquit: *Vnam quidem eſſe omnium perfectiſsimam virtutem juſtitiam arbitramur*. Et Tullius in 1. de officiis ait: *Iuſtitiæ ſplendor eſt maximus, ex quo boni Viri nominantur:* & 3. ejuſdem operis iterum dicit: *Iuſtitia eſt una omnium Domina, Reginaque virtutum*. Profectò nefas eſſet credere, hanc in Matre Dei eximiam virtutum defuiſſe, quę armarium fuit omnium virtutum.

39 Undè Albertus Magnus Quæſt. 50. *ſuper Miſſus eſt* probat Beatiſſimam Virginem habuiſſe juſtitiam ſuper omnes viatores. Duæ, inquit, ſunt partes juſtitiæ, ſcilicet declinare à malo, & facere bonum: ſed utrumque iſtorum habuit B. Virgo ſuper omnes puros viatores: ergò juſtitiam habuit ſuper viatores. Quod autem Beatiſ-

-ſima Virgo declinationem à malo habuit excellentiùs omnibus viatoribus, patet ex hoc, quòd ſola Ipſa viatrix fuit, quæ nunquam peccavit. Undè Auguſtinus lib. de natura, & gratia c. 36. Excepta hac Virgine, de qua propter honorem Domini, cùm de peccatis agitur, nullam volo habere quæſtionem. Sed ſi omnes Sancti, & Sanctæ convenirent, & dicerent, quòd peccatum non habemus, quid reſponderemus eis niſi quod dicit Sanctus Ioannes: *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. 1. Ioan. 1.*

40 Excellit etiam omnes in operatione boni: in eo enim, quòd Deum genuit, qui omnia regeneravit, tantum effectum protulit boni de ſe, quod nullius puræ creaturæ effectus illi in dignitate, vel in utilitate poterit coæquari. Item opera miſericordiæ, quæ fiunt ex compaſſione, & relevatione miſeriæ, & propter hoc dicuntur miſericordiæ opera: ſed eadem ſunt opera juſtitiæ, ad quæ omnes tenentur, ut patet in diſcuſſione ultima. *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Ubi fit diſceptatio, & adjudicatio damnatorum prò hujuſmodi operum omiſſione.

41 Illa etiam opera exercuit Beata Virgo in ſummo ſuper omnes viatores: operum enim miſericordiæ alterum eſt altero magis bonum, vel quod fit ex majori charitate, vel quod fit magis indigenti, vel quod magis digno indigenti, vel quod fit cum majori effectu impenſo, vel quod fit ex magis neceſſario, & minùs ſuperfluo. Hæc omnia fuerunt in Beatiſſima Virgine in ſummo. Charitas, ex qua opera miſericordiæ fecit, omnem creaturam excellit. Maximè indigenti tribuit: quia nemo inter viatores pauperior Ieſu Chriſto fuit. Digniſſimo pauperi tribuit: quia nemo dignior mendicus quàm mendicus Deus fuit. Magnum enim eſſet opus miſericordiæ, quod fieret pauperi laico, maius quod fieret religioſo, adhuc maius quod fieret pauperi Epiſcopo, ſed ſummum quod fieret mendico Papæ: ergo improportionabiliter ſummum opus miſericordiæ fuit, quod fiebat Deo mendico, & pauperrimo.

42 Maximum etiam effectum miſericordiæ nobis impendit: quia nobis miſeris, & captivis, & mendicis Deum filium ſuum ipſum dedit captivis in pretium, famelicis in viaticum, laborantibus in præmium, infirmis in medicamentum, & cum ipſo nobis dedit regnum Cœlorum, & omne bonum: qui enim proprio filio ſuo non pepercit, quomodò cum illo nobis omnia non donavit?

Item Beatiſſima Virgo de nullo ſibi ſuperfluo, ſed omninò neceſſariò, opus miſericordiæ fecit filio ſuo pauperrimo, & peregrino: de propriis ſuis carnibus puriſſimis, & ſanguinibus, tunicam polymitam fecit, in uteri ſui gremio hoſpitavit, de proprio corpore cibavit, & lactavit. Sic ergò patet, quòd Beatiſſima Virgo juſtitiam quò ad partes, & effectus ſuos habuit in ſummo.

43 Sed ſunt quædam objectiones diluendæ. Videtur enim, quòd Beata Virgo nec habuerit actum juſtitiæ in via, & per conſequens nec ſuper viatores. Primò: quia juſtitia, & miſericordia opponuntur in effectibus: ergò qui habet de juſtitia magis, minùs habet de miſericordia: & è converſò: ſed Beatiſſima Virgo, utpote Mater miſericordiæ, fuit miſericordiſſima: ergò minimum habet de juſtitia.

Secundò: quia dicitur *Eſa. 32. Opus juſtitiæ pax*, &c. Item 26. *Iuſtitiam non fecimus in terra; ideò non ceciderunt habitatores ejus*. Item *in Proverbiis* 18. *Iuſtus in principio accuſator eſt ſui*. Ex his omnibus colligitur, quòd actus juſtitiæ in via eſt juſtificare mala, & punire, & vitia caſtigare: quæ omnia non fuerunt in Beata Virgine: ergò non habuit actum juſtitiæ in via: ergò nec reſpectu viatorum, & per conſequens ſuper viatores.

44 Reſpondet Albertus Magnus §. 3. *in reſponſ. ad Quæſt. de virtutib. Cardinalib.* De virtutibus, inquit, Cardinalibus dicimus, quod habuit eas per modum patriæ, ſed ſecundùm ſtatum viæ: ſed per modum patriæ quantùm ad actuum perfectionem, per modum viæ quantum ad merendi conditionem; & ita habuit eas medio modo inter comprehenſores, & viatores: medio modo per participationem, talem inquam participationem, quòd accepit meliorem partem ab utroque extremorum. Comprehenſores habent virtutes has ſecundùm actuum perfectionem, ſed prçter merendi conditionem: viatores autem cum merendi conditione, ſed cum actuum imperfectione. Ipſa autem habuit has cum actuum perfectione, ſicut comprehenſores; & cum merendi conditione, ſicut viatores: unde habuit has excellentius viatoribus quantùm ad actum, & comprehenſoribus quantùm ad effectum.

§. V.

De laudabili Beatiſſimæ Virginis Abſtinentia.

45 VLtimam denique Coronæ Virginis perfectionem imponit abſtinentię virtus, ſecunda Temperantiæ ſpecies, quæ quia multiplex, etiam multipliciter laudabilis fuit in Virgine Maria. De qua Jacobus de Voragine ſerm. 1. de Beata Virgine. Abſtinentia, inquit, multiplex fuit in Virgine Maria. Eſt enim quadruplex genus, ſivè ſpecies abſtinentiæ.

Prima eſt abſtinere ab omnibus nocivis, de qua dicitur 1. *Corinth. 9. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Ita ſunt nociva vitia, & peccata, quod ab ipſis ſemper eſt abſtinendum. *Eccl. 3. Cor ſapiens, & intelligibile abſtinebit ſe à peccatis.*

Secunda abſtinentia eſt quandoque à licitis: quià ſicut dicitur 1. *Corinth. 9. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.*

Tertia abſtinentia eſt à ſuperfluis, ſicut à ſuperfluitate curarum, & divitiarum. Iſtam tamen abſtinentiam non habent peccatores. *Eccl. 2. Peccatori dedit Deus afflictionem, & curam ſuperfluam, ut addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo.*

Quarta eſt abſtinere à neceſſariis, ſicut à cibo, & potu. *Eccl. 2. Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam.* Iſtam talem abſtinen-

tiam

tiam habebat Daniel, qui dixit: *Panem deſiderabilem non commedi: & caro, & vinum non introierunt in os meum. Daniel. 10.*

46 Iſta quadruplex abſtinentia invenitur fuiſſe in Maria. Ipſa nanque abſtinuit ab omnibus nocivis, quia nulli unquam nocuit, nullum unquam læſit. Hieronymus in epiſt. ad Cromatium, & Heliodorum. Mariam iraſcentem nullus unquam vidit; maledicentem nullus unquam audivit. Ambroſius in *lib.* de Virginibus: Solicita erat Maria nullum lædere, omnibus benè velle, &c.

Secundò abſtinuit à licitis. Licitum quidem erat matrimonium contrahere, ſed ab iſto licito abſtinuit, & perpetuam virginitatem Deo vovit. Undè dixit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*: ideſt, me non cognoſcituram propono. Conſenſit quidem in matrimonium quantum ad coniugalem habitationem ſimpliciter: quantum verò ad carnalem copulam non conſenſit, niſi ſub conditione, videlicet ſi aliter Deo placeret. Hugo de Sancto Victore. Suſcepit Virgo coniugium, ſed non mutavit virginitatis propoſitum. Et iterum idem Hugo: De incorrupta virginitate Matris Domini hoc fides piè, & pietas fideliter confitetur: quod eius perfectionem nullo modo imminuit coniugalis conſenſus, quemadmodum caſtitatem illius non violavit conceptus, nec integritatem abſtulit partus. *lib. de Mariæ Virginit. perpetua c. 1.*

47 Tertiò abſtinuit à ſuperfluis, quia nec ſuperflua habuit, ſicut patet in ſui purificatione, ubi agnum emere non potuit: nec ſuperflua dixit, quia non eſt locuta niſi verba, quæ ſpectant ad Dei honorem, & proximi ædificationem, vel ad ſuæ humilitatis oſtenſionem: nec ſuperflua, ſed utilia, & neceſſaria cogitavit. Undè dicitur *Luc. 1. Cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio.* Nec ſuperflua concupivit, ſed unum tantum neceſſarium, ſcilicet adhærere Deo, & frui Deo. *Luc. 10. Porro unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, &c.*

Quartò abſtinuit à neceſſariis, ſicut à cibo, & potu, & aliis neceſſitatibus corporis. Ambroſius ubi ſupra. Si quando Mariæ reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerunque obvius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret. Dormire non priùs cupiditas, quam neceſſitas fuit. Et tamen cum quieſceret corpus, vigilabat animus, qui frequenter in ſomnis, aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænunciat. Huc uſque Voragines.

48 Ecce, Beatiſſima Mater, & ſublimiſſima Virgo, literæ nominis tui Panegyres ſunt, & ex tuis virtutibus tuorum corona meritorum. Tu igitur Virgo Dei Genitrix, quæ ſic à Deo gratiarum dives effecta es, adſis mihi inopi & in reliquis, quæ de Te dicenda propono, ut in tuis laudibus, loquor cum Bernardo, totum decurrat ingenium, & aureus Sermo totus reluceat maieſtate. Voluntaria oris mei beneplacita fac tibi, acue ſenſum, dirige ſtylum, & linguam pauperis eloquio venuſtiori reſperge.

MYSTICÆ ANATOMIÆ SACRATISSIMI NOMINIS DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM

Quòd Beata Virgo habuit in ſe omnes Angelorum perfectiones.

1 RErum ordo poſtulat, ut à creaturis nobilioribus incipiamus, & quià Angeli inter creaturas præditas intellectu antecellunt homines ratione utentes, ideò ab Intelligentiis purè intellectualibus exordimur, quarum perfectiones dicimus Beatam Virginem excellenter poſſidere. Eſt enim Domina noſtra, non fabuloſa, ſed vera Pandora, non à Numinibus fictitiis, ſed à ſummo Deo, omnium gratiarum, donorum, & perfectionum genere donata, ut benè Thomas de Villanova Conc. 2. de Virginis Annunciatione aiebat. In Poetarum figmentis legimus Pandoram quandam, mira ſui pulchritudine etiam ſuis factoribus ſtupori fuiſſe: hæc noſtra Pandora Deo ſuo, non ſtupori, ſed amori, magis fuit: placuit virginitate, placuit humilitate, placuit denique omnigenà morum virtute. Quid miraris, ſi omnes habuerit excellentias Angelorum? Ut de illa veraciter dici poſſit, quod de altero adulatoriè cecinit Claudianus:

Sparguntur in omnes,
In te mixta fluunt, & quæ diviſa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Hoc enim literæ ſui Nominis ad plenum oſtendunt, ut ſi *Mariam* in *Maria* conſideres, invenias in ipſa Angelicarum compendium perfectionum, & *Maria* verè ſit:

M atriarcha
A ngelorum:
R ecapitulatio
I ntelligentiarum, &
A rchangelorum.

Sed quia illi beatiſſimi Spiritus in novem ordines per tres hierarchias ſunt diſtincti: ideò de ſingulis hierarchiis, & earum ordinibus diſtinctè agemus. Et quia proprietates Angelorum ſunt in duplici differentia, nimirum aliæ communes, quæ omnibus Angelis conveniunt, & aliæ propriæ, quæ ſingulis ordinibus Angelorum inſunt, utraſque & communes, & proprias Angelorum dotes, & perfectiones Dei Matrem habuiſſe, incipiendo à communibus, oſtendemus.

§. I.

Beata Virgo habuit communes Angelorum proprietates.

2 ALbertus Magnus Deiparæ laudator eximius in Quæſtionibus ſuper *Miſſus eſt*, adeò excellenter de hac materia pertractat, ut meritò inter omnes ipſum elegerim, & quæ in honorem Angelorum Reginæ ſcripſit, ſcribere decreverim. Ipſe igitur nobis dux erit, & Paranymphus, & per illa nos ducet beatorum Spirituum agmina, ut quicquid in ipſis vel commune, vel proprium elucet, in unà Dei Matre collectum fulgere videamus.

Juxtà hæc, ait, quæritur, cùm dicat Dionyſius, quod proprietates inferiorum, habent ſuperiores cum excellentià, & Beatiſſima Virgo ſit ſuper omnes ordines Angelorum, utrum habeat omnes proprietates omnium Angelorum? Ad quod reſpondemus breviter, quod ſic. Et primò de proprietatibus communibus, quæ omnibus conveniunt Angelis; poſt de proprietatibus, quæ ſingulis ordinibus inſunt propriæ.

3 Prima igitur communis proprietas eſt *nunciatio*, quæ convenit omnibus, à quà & omnes *Angeli* dicuntur. Quod hæc Beatiſſimæ Virgini & cum excellentià conveniat, patet: quia omnes Angeli nunciant per verba creata: Ipſa autem per verbum increatum. Hanc autem proprietatem ponit Apoſtolus, cum dicit *Hebr.* 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus miſſi in miniſterium.*

Aliam ponit Dionyſius in cœleſti hierarchià c. 11. dicens: In tria dividuntur ſecundùm ſe ſupermundanà ratione omnes divini intellectus, in eſſentiam, & virtutem, & operationem. Beatiſſima autem Virgo immediatè ſe habet ad primum eſſe: ergò ſummum habet eſſe. Similiter ad ſuperius eſſe ſequitur ſuperior virtus, & operatio: ergò Ipſa inter creaturas habet hæc omnia tria in ſummo.

Item Dionyſius de Cœleſti hierarchia c. 12. Iuxta enim ſæpè à nobis rectam redditam rationem, ipſæ quidem ſuperfirmatæ diſpoſitiones abundanter habent, & minorum ſacras proprietates. Ultimæ autem maiorum ſuperpoſitas univerſitates non habent, particulariter in eas primò apparentibus illuminationibus, per primas proportionabiliter eis diſtributas. Ergò cum Beatiſſima Virgo ſuperior ſit omnibus cœleſtibus diſpoſitionibus: Ipſa habet proprietates omnium abundanter.

Item: Una eſt proprietas communis omnibus illa, quam ponit Dionyſius in pluribus locis, ſcilicet purgatio, iluminatio, perfectio. Sed has Beatiſſima Virgo in ſummo habet, ut patet: Ipſa enim eà puritate nitebat, quà ſub Deo maior nequit intelligi. Sed ad maiorem purgationem ſequitur maior illuminatio, & ad maiorem illuminationem ſequitur maior perfectio: ergò in eà hæc tria erant in ſummo.

4 Item *Daniel* 3. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Quod hæ duę proprietates ei ſimiliter cum excellentià infuerint, ſic patet. Auguſtinus in homilia ſuper illud Evangelii *Luc.* 10. *Intravit Ieſus in quoddam Caſtellum;* ſic dicit. Sicut Mater Dei eſt ſingularis, ità & iſtarum vitarum effectus, quarum iſtæ ſorores typum tenent, in ea extitit ſingularis: nunquam enim in aliquam perſonam Martha ſic operata eſt, nunquam ſic Maria contemplationi vacabat. Et infrà. Ut breviter ſex illa opera miſericordiæ percurramus: hæc Virgo Dei Filium in uterum ſuum in hoſpitem ſuſcepit, nudum carne, & panno veſtivit, & operuit, eſurientem pavit, ſitientem lacte potavit, infirmum per infantiam, & iacentem non ſolum viſitavit, ſed etiam balneando, & fovendo frequentavit, ut meritò de ipſa dicatur: *Martha ſatagebat circà frequens miniſterium.* Et his patet, quod miniſtrabat in ſummo.

5 Quod etiam aſtitit per contemplationem in ſummo, patet per illud, quod ibidem ſubiungit Auguſtinus. Porrò de parte Mariæ, quæ optima prædicatur, quæ, & quanta, & qualis fuerit in Beatiſſima Virgine, quis dignè eloquatur? O quam magna multitudo dulcedinis Dei fuit in Beatiſſima Virgine Maria, quandò Spiritus Sanctus in eam ſupervenit, & Virtus Altiſſimi obumbravit ei, & de eodem Spiritu concepit! Quid eſt, quod ea non ſapiebat, in quà Dei ſapientia latebat, & in cujus utero ſibi corpus adaptabat Chriſtus? In *Maria* ergò omnes ſunt theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi. *Maria* hæc non tantum ad pedes, ſed etiam ad caput Domini ſedens, audiebat verbum illius, hæc conſervabat omnia verba, ſcilicet Paſtorum, Angelorum, Magorum, necnon & ipſius Filii, conferens in corde ſuo. Nemo unquam ſicut hæc Beata Virgo guſtavit quàm ſuavis eſt Dominus. Inebriabatur ab ubertate domus ſuæ, & torrente voluptatis ſuæ potabatur. Nec mirum: quoniam apud eam, immò intrà eam erat fons vitæ, de quo manabat tanta perfectio utriuſque vitæ. Ex his patet, quod Beatiſſima Virgo proprietatem miniſtrandi in ſummo habuit, & etiam proprietatem aſſiſtendi.

6 Item Dionyſius in *cœleſti hierarchia c.* 3. Eſt quidem hierarchia ſecundùm me ordo divinus, & ſcientia, & operatio. Et vult, quod hæc tria ſimiliter ſint in omnibus Angelis, ordo, ideſt, poteſtas, Scientia, & operatio. Quod igitur hæc tria habuit Beata Virgo, patet hoc modo. Poteſtas imperialis improportionabiliter maior eſt ſuper omnem poteſtatem miniſterialem: ſed in Beata Virgine eſt Poteſtas imperialis reſpectu omnium Angelorum: ergò eius poteſtas eſt ſuper omnem poteſtatem Angelorum: ſed in perfectè ordinatis ad maiorem poteſtatem ſequitur maior ſcientia, & ad maiorem ſcientiam ſequitur maior operatio: ergò & hęc in Beatiſſima Virgine fuerunt in ſummo.

Demum una proprietas communis omnibus Angelis eſt: *Angeli vident ſemper faciem Patris. Matth. c.* 8. Hæc autem viſio eſt tota merces ipſorum. Sed merces Beatiſſimæ Virginis eſt improportionabiliter ſuperior mercedibus omnium Angelorum: ergo & viſio eius eſt ſuperior viſionibus omnium Angelorum. Ex his patet, qualiter habuit omnes communes proprietates Angelorum.

§. II.

Beata Virgo habuit proprietates primæ Angelorum hierarchiæ.

7 DEindè de proprietatibus ſingulorum Angelorum, & ſingulorum ordinum primæ hierarchiæ, qualiter Beatiſſima Virgo omnes habuit, & in ea fuerunt cum improportionabili excellentia. Primus eſt ordo Angelorum, cujus tres inveniuntur proprietates. Una, quod ordo ille immediatè ordinatur ad humanam hierarchiam. Secunda, quod maximè nobis noti per intelligentiam ſunt illi, qui ſunt de ordine Angelorum. Tertia, quod ſinguli ſingulos homines cuſtodiunt.

Pri-

Prima harum convenit Beatiſſimæ Virgini cum excellentia: Ipſa enim eſt ſuper nos, immediatior tamen nobis, quàm Angeli, quia ipſa convenit nobiſcum in naturà. Undè Angeli ſunt nobis Prælati, ſed non fratres, vel filii: Ipſa autem eſt nobis Prælata, Mater, & ſoror, & filia.

Secunda etiam convenit ei per excellentiam: Angeli enim noti ſunt nobis per intelligentiam tantùm, & nos ipſis tantùm per intelligentiam: ſed Beatiſſima Virgo nota eſt nobis per experientiam, quia ex nobis agnoſcimus ea, quæ ſunt proxima noſtræ naturæ. Similiter ipſa noſcit humanam naturam, & infirmatem per experientiam: non enim habemus Dominam, quæ non poſſit compati infirmitatibus noſtris.

Tertiam etiam proprietatum habet cum excellentia: Angeli cuſtodiunt ſinguli ſingulos homines: Ipſa verò cuſtodit univerſaliter ſingulos homines, & ſingulariter univerſos. Singuli enim ſervorum præſunt ſibi commiſſis: Dominæ autem, & Domini eſt cuſtodia, & providentia univerſalis. Sic patet, qualiter ipſa habet cum excellentia omnes proprietates Angelorum.

8 Secundus ordo eſt Archangelorum, qui ſimiliter ſecundùm beatum Dionyſium tres videntur habere proprietates. Prima eſt à ſuperioribus communicare. Secunda, ſuper inferiores eſſe. Tertia, inferiores ad ſuperiores reducere. Primam harum habuit cum excellentia: Ipſa enim à Superioribus maximè communicavit, juxtà illud *Luc.* 1. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, &c. id eſt, plus quàm in aliquem Sanctorum veniet in te: Alii Sancti acceperunt à ſuperioribus gratiam creatam particulariter: Ipſa autem creatam univerſaliter, & increatam ſingulariter. Secundam etiam habuit cum excellentia: alii enim Sancti ſuper aliquos, & nullus ſuper omnes. Ipſa autem ſuper omnes. Item Angeli, & alii Sancti ſunt ſuper alios tantùm ex gratia: Ipſa autem ex gratia, juſtitia, & natura: naturaliter enim Mater Regis eſt Regina, & Regina juſtitià, & gratià eſt ſuper omnes, qui in ſuo regno ſunt. Tertiam quoque habuit cum excellentia: Ipſa enim ſola omnes inferiores reduxit tanquam mediatrix reconciliationis, adjutrix redemptionis, & Angelorum numerum reſtauravit, *ſubvenit ruinæ antè conſpectum Domini*, ſicut dicitur *Judith.* 13. & hominem lapſum reparavit, & revocavit. Sic igitur habuit Beatiſſima Virgo omnes proprietates ſecundi ordinis cum excellentia in ſummo.

9 Tertius ordo eſt Principatuum, qui ſimiliter tres habent proprietates. Prima eſt primi principii imitativum. Secunda eſt principalium virtutum ordinativum. Tertia eſt inferiorum ad ipſum primificum principium reductivum. Primam habuit Beatiſſima Virgo in ſummo: Imitatur enim primum principium in tribus. In mali immunitate, juxtà illud *Sap.* 7. *Incorruptio facit proximum Deo*. In bonorum communicatione: *Mater enim bonorum omnium eſt*: *venerunt* enim *mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius*, ſicut dicitur *Sap.* 7. In communicandà bonorum operum communicatione: eſt enim *oliva ſpecioſa in campis*: & *præoccupat qui ſe concupiſcunt, & circuit quærens dignos ſe*, ut *Sap.* 6. dicitur. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. Eccli.* 24. Eſt ergò primi principii imitativa.

Secundam verò proprietatem, quæ fuit principalium virtutum ornatus, habuit in ſummo, quia habuit deiformiſſimas virtutes, juxtà illud *Eccli.* 24. *Ego in altiſſimis habito*. Tertiam verò proprietatem Principatum, quæ fuit inferiorum ad primificum principium reductivum, habuit in ſummo: Ipſa enim de ultimo fecit primum, & de primo fecit ultimum; immò omnia, ideſt, omnes creaturas in homine reduxit ad illum, à quo exierunt, illi perſonaliter uniendo: unde eſt illa *mulier fortis*, de qua dicitur *Prov. ult. Cujus pretium de ultimis finibus*: id eſt, de divinitate, & humanitate conjunctis hominem perditum redemit. Et ſic patet, qualiter Beatiſſima Virgo omnes Angelos primæ hierarchiæ tranſiit tranſcendendo, & ſingulorum ordinum ſingulas proprietates in ſummo poſſidendo.

§. III.

Beata Virgo ſecundæ Angelorum hierarchiæ ornamentis decoratur.

10 IAm igitur de ſecunda hierarchia videamus, in qua primus ordo eſt Poteſtatum, cujus tres ſunt proprietates. Prima eſt ſui ordinis, & dignitatis cuſtoditivum. Secunda eſt aliorum ordinativum. Tertia activum, & reductivum. Primam in ſummo habuit: quia Virgo fuit poſt, & ante in ſua dignitate ſtans. Secundam etiam habuit cum excellentia: quia fuit ordinis virginum inventrix, & ordinatrix, & Angelorum ordinum reparatrix, & reſtauratrix. Tertiam habuit in ſummo, & fuit activa in ſummo: quia habuit actus virtutum ſecundùm modum patriæ quantùm ad perfectionem, & ſecundùm ſtatum viæ quantùm ad meriti conditionem. Fuit etiam univerſaliter reductivum per exemplum: undè & dicta eſt *Stella maris*; & ſic habuit proprietates Poteſtatum in ſummo.

11 Secundus ordo ſecundæ hierarchiæ eſt ordo Virtutum, quarum tres ſunt proprietates. Prima eſt incommunicabilis virilitas. Secunda eſt nullius imbecillitatis tarditas. Tertia eſt ad inferiores largitas. Virilitas conſiſtit in tribus, in reſiſtentia contrarii, in aggreſſione ardui, in tolerantià mali. Hæc omnia fuerunt in Beatiſſima Virgine in ſummo. Reſiſtentia contrarii: ita enim omne contrarium nocivum, id eſt, peccatum vicit ità, quòd aliquid ab ipſo nunquàm paſſa fuit: Angeli enim nunquàm vicerunt, quia nunquam pugnaverunt. In aggreſſione ardui, id eſt, in altiſſima paupertate rerum, maxima carnis aſperitate, ſumma cordis humilitate. In tolerantia mali, in aſperrima Filii paſſione, quando ipſius animam pertranſivit gladius. In his omnibus Beatiſſima Virgo invincibilem virilitatem in ſummo poſſedit.

Secunda proprietas Virtutum fuit nullius imbecillitatis tarditas. Hanc ipſa cum excellentià habuit: quia eandem vitam Angelicam, quam Angeli ſinè onere carnis, cum carne Ipſa in carne duxit, & cum ſarcina carnis illos ſinè ſarcina carnis ad maius bravium antecucurrit. Tertia proprietas fuit ad inferiores largitas. Hanc etiam cum excellentia habuit: illi enim dant dona Dei: Ipſa dedit ipſum Deum. Item ipſi dant tantùm inferioribus: Ipſa autem Superioribus, & inferioribus ſummum donum tribuit: dedit enim mundo Deum, & Deo mundum, cuilibet homini regnum Cœlorum. Habuit igitur Beatiſſima Virgo etiam proprietates Virtutum in ſummo.

12 Tertius in ſecunda hierarchia eſt ordo Dominationum; quarum proprietates ponit beatus Dionyſius in *cœleſti hierarchià c.* 8. in hæc verba. Sanctarum Dominationum manifeſtativam nominationem æſtimo declarare abſolutam quandam, & ab omnis pedeſtri minoratione liberam anagogen, nullaque tyrannicarum diſſimilitudinum ullo modo eam univerſaliter inclinatam, liberaliter ſeveram dominationem, omni minutivæ ſervituti ſuperpoſitam, ſuperiorem ſubiectione omni, & remotam ab univerſali diſſimilitudine, & dominationis inceſſanter appetentem, & ad illius ipſius naturaliter ſubſiſtentis virtutis ſimilitudinem, quantum poſſibile, & ſeipſam, & quæ poſt eam ſunt, optimè, & ſpecioſè conformantem, ad nulla vanè videntium, ſed ad propriè in univerſale converſam, & dominicæ ſemper deiformitatis in participatione, ſecundùm quod poſſibile eſt ipſi, factam.

13 Ex hac auctoritate primò poſſunt extrahi decem proprietates Dominationum. Prima eſt à ſervitute libertas. Secunda eſt ab hoſte invincibilitas. Tertia liberalis Severitas. Quarta eſt minutivi ſervitii ſuperioritas. Quinta, nullius ſubiectionis egeſtas. Sexta, diſſimilitudinis immunitas. Septima, dominandi ordinata voluntas. Octava, ſui, & ſuorum ad Deum conformitas. Nona, nulla in dominando vanitas: Decima, divinæ dominationis particeps conformitas. Et excluduntur in his proprietatibus decem impedimenta dominationum terrenarum. Primum eſt ſervitium ſuperioris. Secundum, impetus hoſtium. Tertium, dominium. Quartum, gratuitas ſervitiorum. Quintum, proviſio ſubditorum. Sextum, ſolicitudo neceſſariorum extrinſecorum. Septimum, ambitio honoris. Octavum, contrarietas divitiarum, & dominiorum. Nonum eſt excæcatio vanitatum. Decimum eſt elongatio imitationis divinarum actionum.

13 Quod autem hæ proprietates in ſummo fuerunt in Beatiſſima Virgine, ſic eſt manifeſtum. Quod libertatem à ſervitute habuit in ſummo, patet per ea quæ dicta ſunt ſuprà de ipſius nobilitate. Quod autem ſecundam habuit, quæ fuit ab hoſtibus invincibilitas, patet: Ipſa enim non ſolùm in ſeipſa caput hoſtis contrivit, ſed prædam totius generis humani ab ipſo abſtulit, & in natura corporea Spiritum natura Angelicum ſuperavit, in carne ſuper carnem vixit, & ſuperbiam victricem diaboli vicit; & tam de diabolo, quam de mundo, tam de ſeipſa, quam de Angelis omnibus ſupergrediens triumphavit: & quod omnibus aliis altiùs eſt, contrà ipſum Deum fortis fuit, quia Deum de Cœlis ad terram vinculis carnis ligatum, & charitate vulneratum in gremio uteri ſui, ſcilicet beatiſſimæ Virginitatis carcere, captivavit. Patet igitur, qualiter hæc mulier fortis fuit in hoſtium vincibilitate: & omnes Dominationes præcellit.

14 Tertia proprietas fuit liberalis ſeveritas: per quod poteſt intelligi; vel medium inter prodigalitatem, & avaritiam; vel medium inter exceſſum juſtitiæ, ideſt rigiditatem; vel exceſſum miſericordiæ, hoc eſt, remiſſionem. Quidam enim ſunt nimis liberales, hoc eſt, prodigi: quidam nimis ſeveri, id eſt, avari: medium inter hæc eſt liberalis ſeveritas. Item quidam ſunt nimis iuſti per rigorem: quidam nimis miſericordes per remiſſionem: inter hæc medium eſt liberalis ſeveritas. Primum medium habuit Beatiſſima Virgo cum excellentia ſuper omnes dominationes: Ipſa enim nunquam dedit cui non eſſet dandum, & nunquam non dedit cui eſſet dandum, & præterea dedit omne dandum, ſcilicet Deo mundum, mundo Deum, hominibus Cœlum. Secundum medium etiam habuit in ſummo: Ipſa enim nunquam in ſe aliquam admiſit iniuſtitiam, nunquam aliquam miſericordiam omiſit, & filio omnem iniuſtitiam corrigibilem correxit, omnem miſericordiam receptibilem porrexit. Sic igitur patet, quomodò Beatiſſima Virgo habuit prodigalitatis, & avaritiæ medium in ſummo. Item quidam ſunt Domini nimis liberales voluptatis libertate: quidam nimis ſeveri aſperitate paſſionis: inter hæc quoque medium poteſt eſſe liberalis ſeveritas. Hoc quoque medium habuit Beata Virgo præ dominationibus: quia habuit ſummam aſperitatem in corpore, & ſummam libertatem ſpiritus in mente.

15 Quarta proprietas eſt minutivæ ſervitutis, vel ſervitii ſuperioritas: per quod poteſt intelligi, quod nulli ſerviunt, cujus ſervitium ipſos à ſua dignitate diminuat. Hanc proprietatem Beatiſſima Virgo in ſummo habuit: quia ei omnis creatura ſervit: Ipſa autem nulli puræ creaturæ, ſed ſoli Deo ſubiecta ſervit: & ità ſicut ſervire ſervo, & ſervire ſoli Deo unum alterum excellit. Item Beatiſſima Virgo in hac proprietate dominationes excellit: omnes enim alii Domini, vel Dominæ, vel dominationes, quibus ſervitur à creatura, ſic ſervitur, quod ipſi ſerviunt creaturæ: Soli autem noſtræ Dominæ ſic ſerviunt omnes Creaturæ, quod ipſa non tenetur niſi ſoli Deo ſervire. Servire autem Deo regnare eſt, & non diminui.

Quinta proprietas fuit ſuit ſubiectionis nullius egeſtas: per quod poteſt intelligi, quod non eſt in Cœleſtibus Dominationibus ſicut eſt in terrenis, quæ tantùm ſuo modo indigent ſervis, ſicut ſervi dominis ſuis indigent; in cœleſtibus autem nulla indigentia ſervitutis. Hanc proprietatem habuit Beatiſſima Virgo ſuper Dominationes; quæ etſi non habeant indigentiam reſpectu inferiorum, & ſubditorum, habent tamen reſpectu ſuperiorum, & Beatiſſimæ Virginis: Ipſa autem nullius ſuperioris, vel inferioris: quia cum nulla Creatura Ipſà ſit ſuperior, indigentiam non habet Creaturæ, ſed ſolius Creatricis Perſonæ.

16 Sexta proprietas eſt diſſimilitudinis immunitas: per quod intelligitur removeri diſſimilitudo operationis, & attribuitur Dominationibus, eò quod non legantur miſſi ad exteriora, ſed ſemper

per tamen inferioribus, & interioribus attenti ſimul. Hanc autem proprietatem habuit in ſummo: quia ſimillima Deo fuit corde,& corpore. Corde enim fuit Virgo ſingularis inter omnes mitis, & humilis corde. Corpore: quia incorruptio in ſummo eam proximam fecit eſſe Deo. In opere etiam Ipſa ſimillima fuit: Adæ enim Cœleſti non inveniebatur adiutor ſimilis eius. Simillima enim fuit Deo ſecundùm divinitatem ſuam, & Deus ipſi ſecundùm humanitatem ſuam. Undè Auguſtinus. Si formam Dei appellem, digna exiſtis. Ipſa enim *vapor eſt virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit. Candor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſinè macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius*. *Sap.* 7. Ergò habuit diſſimilitudinis immunitatem in ſummo Beata Virgo.

Septima proprietas eſt dominandi ordinata voluntas, quam & Ipſa habuit in ſummo: quia improportionabiliter ordinatius eſt Dominum, vel Dominam dominari ſuper ſervum, quam ſervum ſuper Dominum, vel conſervum: per accidens enim eſt, ſi ſervus dominatur: hæc autem eſt per ſe: Domina dominatur: ergo improportionabiliter plùs ordinata eſt voluntas dominandi, qua Domina vult dominari ſuper ſervum, quàm qua ſervus vult dominari ſuper conſervum: accidit enim ſervum dominari, eſſentiale verò Dominæ dominari.

17 Octava proprietas fuit ſui, & ſuorum ad Deum conformitas: quod ſic intelligitur, quod Domini illi qui ità ſunt Domini, quod & ſerviliter debent ſuis dominari ſubditis, ut ſtudeant ſe, & ſuos ſubditos ad ſuorum Dominorum imitationem informare. Hanc etiam proprietatem Beatiſſima Virgo habuit in ſummo: quia omnes ſervos fugitivos ad Dominum reduxit, & de ſervis Dominos fecit, Reges, & Princeps, immò Deos fecit: undè Coronam Stellarum duodecim habuit in capite, quam conſtat omnes Sanctos ſibi ſubiectos æterna gloria coronaſſe.

Nona proprietas eſt in dominando nulla vanitas. Hanc habuit Beatiſſima Virgo in ſummo: quia quantò maior fuit, tantò plùs humiliavit ſe in omnibus. Undè cum conſtet eam maximam creaturarum fuiſſe, neceſſe eſt Ipſam omnium humillimam extitiſſe: hæc eſt enim per ſe: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*: ergò omnium exaltatiſſima, omnium humillima fuit: ergò quæ omnibus improportionabiliter plùs habuit humilitatis, minùs improportionabiliter omnibus habuit vanitatis.

Decima proprietas fuit divinæ dominationis conformitas. Hanc etiam Beatiſſima Virgo habuit in ſummo: quia verè ſola Dominicæ paſſionis facta fuit particeps: quia ab eodem dominio, & regno, à quo Filius nomen accepit Regis, & ipſa Reginæ: Domina enim, ut dicit Damaſcenus, verè facta eſt omnium, Conditoris Mater exiſtens. Sic igitur manifeſtum eſt, qualiter proprietates Dominationum habuit Beatiſſima Virgo.

§. VI.

Beata Dei Mater omnium Angelorum ſupremæ Hierarchiæ decoramentis ornatur.

18 Reſtat nunc videre de ſuprema hierarchia, in qua primus aſcendendo eſt ordo Thronorum, quorum ſex ſunt proprietates. Prima eſt Celſitudo. Secunda, Regis circundatio. Tertia ſtabilis collocatio. Quarta regni ſuſceptio. Quinta, Regis delatio. Sexta, familiaris apertio.

Proprietas prima convenit Beatiſſimæ Virgini in ſummo: Ipſa enim *in altiſſimis habitat, & thronus eius in columna nubis*. Ipſa etiam eſt illa *ſedes ſaphirina*, quam vidit Ezechiel *ſuper firmamentum*, ideſt, ſuper altitudinem omnium Sanctorum in gloria confirmatorum, ut putà quæ exaltata eſt ſuper omnium Angelorum choros. Item Auguſtinus: Si cœlum vocem, altior es.

Secunda proprietas eſt Regis circundatio, quam lucidè habuit in ſummo, quia *quem non ſolum Angeli, immò Cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti*. Item: *In tua ſe clauſit viſcera factus homo*. Hoc eſt enim novum, immò omnium novorum noviſſimum, quòd hæc mulier circumdedit virum gremio uteri ſui, ſicut dicitur *Iere.* 31.

Tertia proprietas fuit ſtabilis collocatio. Hanc etiam in ſummo habuit Beatiſſima Virgo: quia Rex cœli non ſolùm Ipſam in ſolium gloriæ æternaliter elegit, ſed in Ipſa requieſcens, de Ipſa ſua ſede corpus ſibi fecit, quod ſibi in unitatem Perſonæ aſſumpſit, & nunquam depoſuit.

19 Quarta proprietas eſt Regis ſuſceptio. Hanc etiam in ſummo habuit Beatiſſima Virgo. Throni enim ipſum in ſe ſuſceperunt per inhabitantem gratiam: Ipſa autem Sanctiſſima Virgo ſic etiam ipſum ſuſcepit, & pleniùs, quia per gratiæ plenitudinem, & præſentiam corporalem.

Quinta proprietas eſt Regis delatio. Hanc etiam in ſummo habuit Beatiſſima Virgo: quia ipſum Regem gloriæ in mundum intulit de Cœlo. Undè Ipſa eſt verum ferculum, quod fecit ſibi verus Salomon *Cant.* 3. quod ipſum in mundum tulit, & in mundo circuntulit, quando aſcendit ſuper nubem levem, & ingreſſus fugit in Ægyptum.

Sexta proprietas eſt familiaris apertio. Hanc habuit expreſsè Beatiſſima Virgo in ſummo: Quia, ut dicit Bernardus, qualiter ſplendor ille inacceſſibilis virgineis ſe infuderit viſceribus, ſoli datum eſt ſcire, cui ſoli datum eſt experiri. Item *Prov.* 30. *Tria ſunt difficillima mihi, & quartum penitus ignoro*, quod eſt *via viri in adoleſcentia ſua*. Unde Joannes Propheta, & pluſquàm Propheta *neſcit ſolvere corrigiam calceamenti eius*. *Luc.* 5. Et ipſe nuncius Gabriel quæſiti modi quæſtionem non ſolvit, ſed ad Spiritum Sanctum tranſmittit inſtruendam. Sic igitur manifeſtum ex his, quod Beatiſſima Virgo proprietates omnium Thronorum etiam habuit in ſummo.

20 Secundus ultimæ hierarchiæ ordo eſt Cherubin, cujus ſecundùm beatum Dionyſium quatuor ſunt proprietates. Prima eſt eſſe in circuitu. Se-

cunda eſt reductivum. Tertia, activum. Quarta, exemplativum.

Prima ergò quę eſt in circuitu eſſe, per quã ſecũdum Commentatorem intelligitur, quòd in circuitu ſunt, quia ad totum quod eſt, intrant. Hanc igitur Beatiſſima Virgo habuit in ſummo: quia ipſum totum circumdedit, & prætereà intima viſcera miſericordiæ Patris intravit, & ei Filium unigenitum, & unicum de corde extraxit.

Secunda eſt reductivum, per quod ſecundũ Commentatorem intelligitur, quòd ad Deum tendunt. Hanc etiã Beatiſſima Virgo habuit in ſummo: quia omnia reducibilia ad Deum reduxit: Ipſa enim eſt mulier, quæ tria ſata, ideſt, corpus, animam, & divinitatem conjunxit, *Matth.* 13. per quod naturam in primum, immò ſuper primũ ſtatum inſtitutionis reduxit. Item: Ipſa eſt mulier, quæ lucernam accendit, per quam dragma decima inventa fuit. *Luc.* 15.

Tertia proprietas eſt activum, quod ut dicit Commentator, eſt ut ſecundùm Deum incedant. Hanc autem Beatiſſima Virgo habuit in ſummo: quoniam maximè ſecundùm Deum aſcendit, & inceſſit, & etiam deiformiſſimos actus habuit, & in ſummo actu ipſum ſingulariter imitata fuit, quandò ipſum quem Deus antè Deum genuit, ipſum etiam Deum, & hominem generavit.

Quarta proprietas eſt exemplativum, quod eſt ſecundùm Commentatorem, ut ſecundùm ſuum exemplum hoc faciant. Hanc etiam pleniſſimè habuit: quia omnibus recreandis ſpeculum, & ſtella maris, & exemplar extitit, & doctrix diſciplinæ Dei omnia illuſtravit. Patet igitur, qualiter B. Virgo omnes proprietates Cherubin in ſummo habuit.

21 Supremus omnium ordo eſt Seraphin, cujus ſecundum beatum Dionyſium octo ſunt proprietates. Quarum prima eſt mobile. Secunda eſt inceſſabile. Tertia, calidum. Quarta, acutum. Quinta, ſuperfervidum. Sexta, intenta. Septima, intima. Octava, inflexibilis. Quas proprietates Commentator exponit ſic.

Prima igitur proprietas eſt dilectionis, quod eſt vita. Hanc habuit Beata Virgo in ſummo: Ipſa enim ſua charitate meruit de congruo ſibi vivere vita ſummè glorioſa, & quòd Ipſa fuerit principium vitæ increatæ, & omnibus nobis cauſa vitæ æternæ. Item ſi vita eſt effectus dilectionis: ergò cùm in ipſa improportionabiliter ſit dilectio, in ea improportionabilis erit vita.

22 Secunda proprietas eſt inceſſabile, & eſt inceſſabile charitas, quia eſt perpetuum. Inceſſabilitatem charitatis habuit in ſummo ſuper Seraphin Beatiſſima Virgo: magis eſt enim inceſſabile, quod nõ ceſſat, nec poteſt ceſſare, nec unquàm potuit ceſſare, quàm quod non ceſſat, & non poteſt ceſſare modò, ſed tamen aliquandò potuit ceſſare: ſed charitas Angelorum Seraphin potuit aliquandò ceſſare, ſummus enim de illo ordine ceſſavit, quandò cecidit, & ſimiliter alii potuerunt tunc, ſicut ille: ſed charitas Beatiſſimæ Virginis nunquàm potuit ceſſare: ergo magis fuit inceſſabile: ergo excellit Seraphin in inceſſabili charitate. Minor patet per hoc, quòd non poteſt ceſſare niſi per peccatũ mortale: ſed ipſa nunquàm mortaliter peccare potuit: in utero enim nullus poteſt peccare mortaliter; Ipſa autem (Nota quod Albertus loquitur ſecundùm antiquam opinionem) adhuc in utero matris ſanctificata fuit, & contra peccata confirmata, & ſic nunquàm potuit charitatem amittere: Seraphin autem amittere potuerunt: ergò excellit illos in hoc, quod eſt inceſſabile.

23 Tertia proprietas calidum eſt, & calidum eſt dilectio quaſi ſopita: ſed hanc Beatiſſima Virgo habuit ſuper Seraphin: aliis enim paribus fortior eſt virtus, quæ tantundẽ operatur cum reſiſtentia contrarii, quam illa quæ ſine reſiſtentia: undè major eſt virtus, quæ ſopitum facit in tumultu, & ſtrepitu, quam quæ facit ſopitum in ſilentio, & quiete: ergò cùm Beatiſſima Virgo ſopita fuerit, & omninò tranquilla in tumultu, & ſtrepitu tribulationum, tentationum, & perſecutionum hujus mundi, magis fuit ſopita, quam Seraphin extrà hujuſmodi ſtrepitum, & tumultum conſtituti: ſicut major eſt violentia ſomni, quæ cogit hominem in ſtrepitu dormire, quam quæ in quiete.

24 Quarta proprietas eſt acutum. Et dicit Commentator: Acutum quod eſt ſapientiæ. In hac excellit Beatiſſima Virgo Seraphin, ut patet ſupra in pluribus locis de ipſius ſapientia. Præterea dicit Auguſtinus. Chriſtus eſt in Maria: ergo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei ſunt in Maria. Item unctio Seraphin docet de omnibus neceſſariis ad ſalutem: unctio Dominæ noſtræ dat omnia neceſſaria ad ſalutem. Item participant ſapientiam creatam accidentaliter: Ipſa eſt Mater ſapientiæ increatæ eſſentialiter.

25 Quinta proprietas eſt ſuperfervidum, quod eſt, ut dicit Commentator, dum per vim amoris extollitur ſuper ſe, & per vim amoris expellitur à ſe. Hanc etiam Beatiſſima Virgo habuit in ſummo: *vidi enim ſpecioſam ſicut columbam aſcendentem* per contemplationem *deſuper rivos aquarum*, id eſt, ſuper omnes choros Angelorum. Et nardus ejus charitatis, ac humilitatis introivit in cubiculum Regis, & deduxit Regis filium de domo Patris. Item: Spiritus elevat ſurſum: ſed improportionabiliter aliis habuit Spiritum Sanctum: ergo improportionabiliter aliis habuit cor ſurſum. Item: *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum*, *Matth.* 6. ſed ipſa præ omnibus maximum theſaurum habuit ſurſum: ergò maximè fuit ipſius cor ſurſum. Item: Ipſa fuit maximè expulſa à ſe: quia totaliter ſe Deo dederat; corpore, & anima Deo plena erat, ita quod nec corpus, nec anima plùs gratiæ ſecundùm ſtatum pro tempore recipere poterant: quid enim homo habet gratiæ, quod de ea non accepit? Ergò quantò plùs habet gratiæ, tantò minùs habet de ſe: ergò quæ plena gratiæ fuit, tota de ſe expulſa fuit.

26 Sexta proprietas eſt intenta, quod eſt ſecundum Commentatorem ire in ipſum. Hanc etiam Beatiſſima Virgo habuit in ſummo: quia intima cordis ejus penetravit, & de viſceribus miſericordiæ ſuæ intimis Filium de intimo corde Patris extraxit, & in ſummam immenſitatem miſericordiæ ipſius intimè, & profundiſſimè intimavit, & omnes divitias miſericordiæ ejus effudit, & in Sanctuariis Dei habitans, ſapientiam à ſeculis abſconditam carne indutam patefecit.

27 Septima proprietas eſt intima, quod eſt, ut dicit Commentator, quod ad exteriores non effluat.

Quòd etiam eam in ſummo habuit ſuper Seraphin, patet: illi enim non effluxerunt deſcendendo, ſed non aſcenderunt: Ipſa autem deorſum non fluxit, immò contrà naturam ſurſum fluxit: & omnes qui defluxerunt, ſurſum traxit.

28 Octava proprietas eſt inflexibile, quod eſt, ut dicit Commentator, ut ad alia negotia extrà ipſum non divertat. Hanc quoque habuit ſuper Seraphin: illi enim tantùm ab illo tempore, quo hoc acceperant, non diverterunt: Ipſa autem nunquam divertit ab ipſo, ſed omnia vertit ad ipſum, & totum mundum in ipſum convertit. Item alii accipiunt aliquid ab aliis, undè ſe ad Deum convertunt: Ipſa autem ſola habuit in ſolo Filio, unde nunquam divertit ab ipſo. Ex his patet, quomodò Beatiſſima Virgo omnes proprietates omnium Angelorum habuit in ſummo.

§. V.

Compendiarius Epilogus demonſtrans Beatiſſimam Virginem omnes omnium ordinum Angelorum proprietates poſſediſſe.

29 VIrginis Nomen adeò dives eſt, ut non unam tantùm, ſed multiplicem præbeat ſpeculandi rationem. Eſt enim ceu ſpeculum quoddam, in quo plures intuenti apparent imagines, velut picturæ quædam eo artificio elaboratæ, ut quantò quis moroſius eas contemplatur, tantò plura, & nova oculis obiecta, quæ primò aſpectu latere quodammodò videbantur, admiranda proponant. Hujus ergo ingenii Tabulam Reſurrectionis Chriſti à Titiano vidi depictam, in qua Salvator redivivus glorià, & majeſtate præfulget, innumeris ſtipatus Angelorum coloniis, ita tamen quòd non omnes eorum vultus primo intuitu detegantur, ſed novi ſemper, & novi quaſi de quibuſdam picturæ latibulis prodeuntes conſpiciantur. Quid mirum igitur, ſi in Mariæ Nomine plures perfectionum ſpecies inveniantur, cùm Divus Thomas in quodam ſermone de Beata Virgine dicat: Hanc, id eſt, Mariam, fecit Deus infinitam imaginem bonitatis ſuæ? Si Deipara eſt imago bonitatis divinæ: ergo multò magis erit ſpeculum, & Angelicarum perfectionum pictura. Ergò & ipſius Nomen earundem quaſi quoddam compendium, & epilogus erit. Recenſe ſingulas Nominis Parthenii literas, & profectò invenies, quòd *Maria* eſt omnium epitome Angelorum. Hoc me docent ſui Nominis elementa: eſt enim *Maria*,

Maxima
Angelorum
Regina, &
Intelligentiarum
Archiatra.

30 Concludat ergò Albertus Magnus compendiarià vià glorias, & dotes, noſtræque Virginis perfectiones, & denique dicat. Bernardus quaſdam quibuſdam aliis aſſignat proprietates, dicens, quòd Virtutum eſt miracula facere, Poteſtatum contrarias poteſtates dæmonum coercere, Principatuum regna mutare, & miniſtrare. Hæc omnia in Beatiſſima Virgine fuerunt in ſummo: quia omnium Miraculorum miraculoſiſſimum fecit, cum Deum, & hominem genuit. Poteſtates coercuit, cum regnum diaboli deſtruxit, & cum inferno ligavit. Regna mutavit, cùm omnes in regnum Cœlorum tranſduxit.

Eſt igitur Beatiſſima Virgo, Angelus in gratię inventione, Archangelus in Dei generatione, Princeps in Principum ſubjectione, Poteſtas in ſupernaturalium operatione, Virtus in deiformiſſimorum actuum perfectione, Dominationes in creaturæ ſuperpoſitione, Thronus in Dei corporali receptione, Cherubin in omnium ſecretorum ſecretiſſimà cognitione, Seraphin in ſummà ſupra omnes dilectione. Patet igitur, qualiter Beatiſſima Virgo omnes proprietates omnium Angelorum habens, ſuper hierarchias omnes eſt exaltata, ita quod ſingulorum omnium omnes proprietates, & dona ipſa univerſaliter, & in ſummo poſſedit univerſa.

CAP. II.

B. Virgo omnium antiquorum Heroum omnes habuit virtutes.

1 DIgnior poſt Angelos creatura eſt homo; quippè qui magis propè ad perfectionem accedit Angelicam: habet enim intelligere, & velle cum Angelis, qui ſunt eminentes intellectualis, & nobiliſſimæ vitę gradus. Cum autem homo in duplicem ſexum, virilem ſcilicet, & fœmineum dividatur, & Beatiſſima Virgo utriuſque virtutes, & perfectiones, & virtutes in ſe collectas habuerit: ideò in hoc capite oſtendemus priùs in generali, qua ratione Dei Mater heroas antiquos, & præclaras in virtutibus expreſſerit Heroinas: deinde in ſequentibus per exempla particularia hoc idẽ ſui Nominis elementa monſtrabunt. Supponendum eſt igitur, quòd B. Virgo de duodecim generibus inſignium Perſonarum, ſcilicet Patrum, Patriarcharum, Principum, Iudicum, Regum, Ducum, &c. originem traxit, & ſicut ab eis nobilitatem, & corpoream accepit ſubſtantiam, ſic ipſorum attendens virtutes, & gratias, per exercitationem, meditationem, & imitationem aſſiduam, dono favente divino, eiſdem eſt virtutibus ſimilata. Præclaritas enim generis parum, immò nihil valet, niſi adſit virtutum ornatus.

2 Hoc ſuppoſito, Bartholomæus de Piſis *lib. 3. de laudib. B. Virginis fructu* 3. circa medium, priùs Heroum inclytorum genera, eorumque virtutes enumerat, deinde horum omnium in unà Virgine fuiſſe collegium oſtendit. Pro cujus, inquit, evidẽtia eſt ſciendũ, quod virtutes prædictorũ poſſunt dupliciter conſiderari, primò generaliter, ſecũdò ſpecialiter. In generali præfatis duodecim generibus hominum diverſæ dantur virtutes, quæ patere poſſunt tàm ex talium vita, & perfectione, quàm ex dignitatum

tatum nomine, cohærentia, & expreſſione.

3 Nam Primò, Patribus ex Scriptura attribuitur virtus juſtitiæ, ut patet de Seth, quem Deus poſuit pro Abel; & de Enos, qui cœpit invocare nomen Domini; & de Enoch, quem Deus ſibi placitum tranſtulit in Paradiſum; & de Noe, qui inventus eſt juſtus cum filiis.

Secundò, Patriarchis datur virtus obedientiæ; patet de Abraham, qui Dei mandato de terra propria exivit, & filium voluit immolare. De Iſaac: & de obedientia Iacob, cui dictum eſt: *Surge, & aſcende Bethel, & habita ibi. Geneſ.* 31.

Tertiò, Principibus datur virtus providentiæ in animando alios ad bonum, & ad ardua, ut patet de Aminadab, qui ſecundùm Magiſtrum in hiſtoria Scholaſtica poſt diviſionem maris rubri, primus intravit mare, quo actu & alios animavit, & regnum tribus Iuda præ aliis habere meruit; de quo actu loquitur Sponſa, dicens: *Anima mea turbata eſt*, ideſt, admirata eſt, *propter quadrigas Aminadab. Cant....* Pariter etiam in gubernando, eorum enim conſilium, ſcilicet Principum, cæteri ſequebantur.

Quartò, Iudicibus datur virtus diſcretionis, & prudentiæ: nam qui imprudens eſt, ſicut nec ſe, ſic neque alios regere valet. Et quòd fuerint prudentes, patet de Aod, Debbora, Barac, Iephte, & ſic de aliis Iudicibus, ut habetur in libro Iudicũ per totũ.

4 Quintò, Regibus datur, & attribuitur virtus benignitatis, & clementiæ. Reges enim Iſrael clementes fuerunt, ut patet de David, qui hoſti ſuo Regi Saul, cùm poſſet eum occidere, ter pepercit: Semei, qui ei maledixerat, indulſit, quandiu vixit, & ſic de aliis Regibus.

Sextò, Ducibus datur virtus reverentiæ ad Deum, propter divini cultus reparationem. Datur enim iſtis mandatum de Dei templo ædificando, ut patet de Zorobabel.

Septimò, Prophetis datur, & attribuitur virtus irradiationis, & intelligentiæ. Lumine enim radiati divino futura aſpexerunt, & prædixerunt, ut patet de Eſaia, Ieremia, & ſic de aliis Prophetis.

Octavò, Doctoribus datur virtus informationis, eloquentiæ, & ſapientiæ, ut populum inſtruerent in viam directionis, & morum: patet de Salomone, & libris aliis ab ipſo factis.

5 Nonò, Viris fortibus attribuitur virtus conſtantiæ in aggrediendo, & ſuſtinendo, & virtus victoriæ hoſtes fugando, & deiiciendo; & per conſequens animi firmitas, ut patet de David, & ſuis fortibus de tribu Iuda.

Decimò, Sacerdotibus attribuitur virtus placationis divinæ iracundiæ: patet de Aaron, & Moyſe, de quibus in pluribus Scripturæ locis habetur.

Undecimò, Rectoribus datur virtus manſuetudinis, benignitatis, humilitatis, & benevolentię: ut patet de Moyſe, qui fuit manſuetiſſimus: & de David, de quo dicitur: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus. Pſal.* 131.

Duodecimò, Dei Cultoribus datur virtus fidelitatis, & Deo perfectæ adhærentiæ: patet de Abraham, qui amicus Dei appellatus eſt; & de David, de quo dixit Deus: *Inveni virum juxtà cor meum*; & ſic de aliis.

6 Iſtæ ſunt virtutes, quas ex quadam prærogativà jam dictis Scriptura attribuit. Licet enim alias habuerint virtutes plerique eorum, & omnes ſimul; tamen ex quadam ſingularitate aſſignantur eis prędictę. Beata *Maria* cum gratia fuerit plena, & quod cæteris per partes eſt pręſtitum, in Maria ſimul totum pleniſſimè invenitur, ut dicit Hieronymus, quarè quòd præfatas virtutes habuerit, & poſſideat, nulli fideli in dubium verti debet: & per conſequens, ſicut in carne, quam ab eis traxit, ſic etiam in virtutibus, eis eſt ſimilata.

7 Per juſtitiam enim, quam habuit, & per quam invenit gratiam in conſpectu Domini, eſt Patribus ſimilata. Per obedientiam ſimilis eſt Patriarchis, quia *Eccè Ancilla Domini*, proclamavit ſe. Per providentiam, quam habuit, & ſui poſſeſſionem perfectam, facta fuit ſimilis Principibus. Per prudentię donum, tacita cogitatione dum penſat quæ ab Angelo ei dicta, ſimilis eſt inventa Iudicibus. Per dulcedinem, & clementiam, quia Ipſa eſt Mater miſericordiæ, tota dulcis, & clemens, Beata *Maria* Regibus eſt aſſimilata. Per ſui dedicationem totalem Deo, qua virum non cognoſcere corde propoſuit, & ut fieret in ea ſecundùm Angeli nunciationẽ mirificam, Ducibus eſt ſimilata. Per lumen propheticum tripliciter eidem infuſum, ut patet in Cantico ab ipſa edito, fuit ſimilis Prophetis. Per inſpectionem ęternorum, & conſervationem in corde arcanorum, & per ſapientiam, & Dei virtutem factorum ſimilis fuit Sacerdotibus. Per inconcuſsã mentis firmitatem, & cõſtantiam, quam tenuit Paſſionis tempore in fide, ſimilata eſt Viris fortibus. Per miſericordiam, qua nos à ſalute longinquos Deo fœderat, & conjunxit, Sacerdotibus eſt ſimilata. Per humilitatem, qua ſe ſub omnibus abjecit, & nunc ſuper omnes puras creaturas exaltatur, facta eſt ſimilis Rectoribus. Sed per hæc tandem, quia Mater Dei, & hominis, & conſequenter eſt juſtorum, caput eſt fidei. *Maria* ſimilis juſtis, & ſanctis hominibus ſuis Parentibus reperitur, non modò in Eccleſia militanti, ſed etiam triumphanti.

8 Præfatis generaliter inſpectis, quòd Beata *Maria* ſimilis ſuis Parentibus ſit, & quò ad carnalem compaginem, & virtutes, apparet evidenter. Sed advertendum ſecundò in ſpeciali, quomodò Beata *Maria* ſingulas, & proprias eorum habuerit virtutes, & perfectiones, quia quorundam in Chriſti genealogia à Matthæo, & Luca poſitorum, vita non habetur: Quid, & quales fuerint juxtà modum Gloſſæ *Luc.* 4. per nomina eis impoſita, quia non à caſu ſed ab eventu, ſeu conſilio præſupponi debet eis impoſita, poteſt videri. Quod enim factum eſt in aliis, ſcilicet Eva, Seth, Noe, Abraham, Sara, Iſaac, Iacob, Eſau, filiis Liæ, & Rachelis, Phares, Ephraim, Manaſſes, Moyſe, Ioſue, filiis Moyſi, Salomone, Ioſeph, quem Pharao lingua Ægyptiaca vocavit Salvatorem Mundi. Hi omnes, & plures alii, de quibus non ſcribo brevitatis cauſa, non à caſu, ſed ab eventu, & conſilio nomina habuerunt. Quod ita poteſt, & debet, ut Gloſſa ponit, credi de hominibus in Chriſti genealogia poſitis, & nominatis. Sequẽdo igitur tàm vitam, quæ in Sacra Scriptura aliquorum traditur, quàm nominum interpretationem, quam beatus Hieronymus ponit in libro de Interpretatione Nominum Hebræorum, & Gloſſa exponendo dicta nomina poſitorum in Ieſu Genealogia, poteſt dici,

quòd Virgo *Maria* fuit, quilibet prædictorum in ſua genealogia contentorum, per virtutem, & gratiam, quia omnium præfatorum virtutes, & gratias, Deo faciente poſſedit.

9 Fuit enim Adam, principio, & maternitate noſtræ ſalutis. Seth, Dei cognitione. Enos, mundi deſpectione. Cainan, divinæ gratiæ adeptione. Malaleel, laudum exhibitione. Jared, Dei erga ipſum aſſidua protectione. Enoch, ſui Deo dedicatione. Mathuſalem, peccati deteſtatione. Lamech, cordis humiliatione. Noe, præceptorum divinorum impletione. Sem, exemplorum oſtenſione. Arphaxad, ſuorum devotorũ ſalutatione, Cainan, Domini poſſeſſione. Sale, templi aſcenſione, & ibidem à Parentibus dimiſſione. Heber, hoſtium dictione. Phaleg, fidelium defenſione. Rheu, omnium incentivorum in ea ad malum extinctione. Sarug, recta morum regulatione. Nachor, mentis à Deo illuſtratione. Thare, pravitatis hæreticæ proſtratione. Abraham, pietate, & compaſſione. Iſaac, gaudii ſuis parentibus immiſſione. Jacob, vitiorum ſupplantatione. Iudas, divini muneris exultatione. Phares, ab omni pravo ſeparatione. Erſon, tentationum diaboli in nobis confractione. Aram, de perceptis Deo ringratiatione. Aminadab, Chriſtianorum dilectione. Naaſſon, Deo per obſequium famulatione. Salmon, corporis, & animæ plena concordia, & conjunctione. Booz, noſtra protectione. Obed, Chriſti nutritione. Ieſſe, cordis incendio, Dei amore, & affectione. David, diaboli totali ſuperatione.

10 De Regibus, fructum 5. ejuſdem lib. in auctore poteris videre. Et ſequitur. Beata Virgo fuit, Nathan filius David, Ieſu filii ſui mundo donatione. Mathathia, cordis Deo præparatione. Melcha, in ſua præ cunctis mulieribus ſublimatione. Menna, indita ad miſeros condeſcenſione. Iona, divinorum munerum acceptione. Ioſeph, in bono opere perſeverantia, & intentione. Iuda, divini operis in ea cunctis patrati reſeratione. Simeon, precum Deo præſentatione. Levi, æterna in Dei Matrem electione. Mathat, precum exauditione. Ioram, gratiarum diffuſione. Eliezer, mentis ſanctificatione. Ieſus, peccatorum eiectione.

11 Her, bona operatione. Elmadan, filii Dei parturitione. Coſan, in filii ſui paſſione. Melchi, ſuorum ſenſuum moderatione. Neri, aliorum ſua gratia, & gloria, irradiatione. Salathiel, virginitate ſervata in filii editione. Zorobabel, fidelium in caput inſtitutione. Reſa, noſtrorum toleratione. Joanna, miſericordiæ miſeris ſubventione. Judas, animi fortitudine, & conſtantiæ oſtenſione. Ioſeph, animi in Deum continua aſcenſione. Semei, ſuæ præſentiæ eam invocantibus impenſione. Mathathias, per deſiderium ad cœleſtia anhelatione. Mahath, devotorum in Chriſtum aſcenſione. Heſli, per Deitatis in ipſa incarnationem. Naum, floris vitæ germinatione. Amos, hominis à diabolo acceptione. Mathathias, divinæ legis zelatione. Ioſeph, puritatis conſervatione. Ianne, noſtra in bono conſervatione. Melchi, potentia, & dominatione. Levi, ſui à Parentibus Deo traditione. Mathan, prò peccatoribus deprecatione. Levi, ſumma, & intima Deo cohæſione.

12 Huc uſque à David, ſecundùm Lucam: ſed ſecundum Matthæum à tranſmigratione iſti ponuntur, quibus B. Virgo fuit ſimilata. Ipſa enim eſt, & fuit Abiud, benevolentiæ ad omnes demonſtratione. Eliacim, mente Deo præſentatione. Azor, indigentibus auxilii conceſſione. Sadoch, aliorum juſtificatione. Achim, morte filii conturbatione. Eliud, gloriæ perceptione. Eleazar, Dei ad ipſam in omnibus condeſcenſione, & inclinatione. Mathan, ſuarum gratiarum diffuſione. Iacob, indeficienti Dei viſione, & contemplatione. Et ſic patet, quomodo *Maria*, præfatis eſt in ſpeciali ſimilata. Hactenus ille. Nos verò, qui in ſingulis literis Nominis Reginæ Cœli intendimus oſtendere Dei magnificentiam, & prætioſas donorum, virtutum, & gratiarum gazas à Deo *Mariæ* collatas, progredimur ad exempla, ut quos Heroas expreſſerint ſui Nominis elementa, ſub ipſis oculis noſtris inſpiciamus.

CAP. III.

Quinque literæ Nominis Mariæ quinque inclytos Orbis Viros repræſentant.

1 LÆta ſoboles alterius generis laudum exurgit, & nova Heroum proles enaſcitur, cùm *Mariam in Maria* perſcrutamur. Nihil enim abjectum habet hoc nomen, ſed totum quantum eſt, vel etiam in ipſis literis, inclytum, & magnificum prædicatur. Heroum enim quædam dives linea eſt: neque tantæ excellentiæ, ejus obſtat humilitas, cùm per hanc ſciamus Ipſam ad maximam Dei Matris dignitatem aſcendiſſe. Sed ut innoteſcat, quid propriè ſit Heros, vocabuli interpretationem adducere eſt neceſſe. *Heros* igitur, juxtà Catholicon in ſumma, dicitur *ab Her*: vel *Heros* dicitur Vir fortis, ſapiens, & potens: quaſi *Vir herus*, & quaſi *Dominus terræ*. Vel dicitur *Herus* quaſi *æthereus*: quia pro ſapientia, & fortitudine Cœlo dignus eſt. Propriè quidem Heroes dicuntur, qui olim poſt mortem credebantur ob ſua merita deificari, ut Hercules, Eucas, & alii conſimiles. Eſt enim hoc nomen tractum à Iunone. *Iuno* ſiquidem Græcè dicta eſt *Hera*: unde quidam ejus filius appellatus eſt Heros. Sed hæc fabula myſticè hic deſignat, quòd aer Iunoni deputatur, ubi volunt Heroas habitare, quo nomine appellant alicujus meriti animas defunctorum: quaſi Viros æthereos, vel aereos, vel propter ſapientiam, & fortitudinem Cœlo dignos. Eſt igitur *Mariæ* Nomen Heroum linea: nam in literis ejus quinque Heroes inveniuntur, ſcilicet;

M alaleel.
A dam.
R ehu.
I ubal.
A bel.

Quinque inclyta nomina Virorum illuſtrium, & totidem Virginis noſtræ decoramenta. Sed jam de ſingulis ſingulos paragraphos inſtituamus.

§.I.

§. I.

Quid Beata Virgo in Malaleel ſit æmulata.

2 MAlaleel igitur procedit primus in ſcenam, filius Cainan optimi Patris, ut habetur *Geneſ. 5. Vixit quoque Cainam ſeptuaginta annis, & genuit Malaleel.* Et notandum cum A Lapide in *Geneſ. c. 5.* quod *Malaleel*, vel ut hebraicè eſt *Mahalalel*, idem eſt quod *laudans Deum*: הלל *halal* enim eſt *laudare*, אל *el Deum*: ſivè quia filius aſſiduè *laudans Deum*, indè vocatus ſit *Mahalalel*: ſivè quia Pater Cainan eum in ortu ita vocarit, ut tam ſe, quam ipſum ad iugem Dei laudem excitaret: ut, quoties filium nominaret, vocaretque *Mahalalel*, toties quaſi dicat, *Halleluia*, ideſt, *laudate Deum*; vel potiùs הלל אל *hallel el*, ideſt, *lauda fortem Deum*.

3 Diverſi tamen ingenii Patrem, & Filium, Cainan ſcilicet, & Malaleel fuiſſe, in Patriarcharum Elogiis Emmanuel Theſaurus oſtendit, licet variato modo in eundem virtutis ſcopum conſpiraret uterque. Nam Cainan luctu, Malaleel cantu: Cainan gemitu, Mahalaleel laudibus perſonabat. Quæ quidem diverſa in utriuſque elogio, quod ipſis præfixit cum Titulo: *Oppoſita*; videre licebit: videlicet.

Cainamus, & Malaleel,
Ignotæ Virtutis, non ignoti Virtuti;
Parem pietatem in nomine diſpari præſeferunt,
Nam Cainam lamentabilem gemitum,
Malaleel lætum Numinis laudatorem, Sonat.
Optimo nimirum, peſſimoque Seculo,
Certabant paria virtutibus vitia.
Hinc Religioſa Sethi poſteritas,
Illinc nefanda Caini genimina,
Procacitatem modeſtiæ,
Sacrificiis ſacrilegia coæquabant.
Itaque Hominem inter Homines nullum inveniſſes:
Sed vel Angelos, vel Belluas;
Aut Arâ dignos, aut Harâ.
Adeò mortale Genus,
Vel extremos Numinis amores,
Vel extrema odia promeritum,
Voluptati, & mærori
Parem materiam dividebat.
Diviſit proindè officium Pietas:
Geminoſque Myſtas initiavit;
Quorum alter luctu, alter cantu litaret.
Sile iam Græcia miratrix
Democriti, & Heracliti diſparem Genium.
Poſſum meliùs par, divino de autographo promere.
Nam Cainam lugendo, Malaleel canendo,
Novem ſecula confecere.
Ille oculos luctu, hic laudibus fauces attrivit:
Et antiquam animam
Alter efflevit, alter efflavit.
Diutius tamen vixit Cainamus:
Nam Mortalium lætitiæ ſuperſtes eſt dolor.
Denique à Cainamo Malaleel eſt ſatus:
Vera quippe voluptas, lachrymarum eſt proles.

4 Curſum igitur vitæ ſuæ Malaleel canendo, & laudando confecit. Sed quid de Domina noſtra dicemus, cuius tota vita vel à primo conceptionis inſtanti fuit laus Dei? Malaleel Dei laudatorem non ſolùm imitata, ſed etiam eſt ſupergreſſa. Ipſa enim laudando Dominum, magnum etiam ipſum fecit, unde dixit *Luc. 1. Magnificat anima mea Dominum.* Sed dices cum Ioanne Raulino Cluniacenſi *ſerm. 2. de Viſitat. Virg. Mariæ*: Quomodò Ipſa dicit: *Magnificat anima mea Dominum*: cum *magnificare* ſit idem quod *magnum facere*? Non enim poteſt illum facere magnum, qui infinitè magnus eſt. Reſpondetur, quod magnificavit eum pluribus modis, & magnum fecit.

Primò, magnum fecit: eius imaginem magnam faciendo, & dilatando. Salvator noſter, ſecundum Originem, eſt Imago Dei inviſibilis; & anima noſtra imago imaginis: Cum autem illam opere, cogitatione, & ſermone magnificavero, tunc magnifacio ipſum. Sic Maria, quæ omnibus modis his magnificabat.

Secundò, ſecundùm Bernardum Maria magnificabat, quia magnificentiam ſuam recitabat, quia nihil tale fecerat in alia Creatura, ſicut in Maria. Ideò ait: *Magnificat anima mea Dominum*: quaſi dicat: Magnificat Dominum omnis Creatura, ſed anima mea ſuper omnia. Inter omnem quippè Creaturam nihil tam magnificè fecit, ſicut animam meam.

Tertiò, quia licet Deus ſecundùm divinitatem creſcere non poſſit: potuit tamen, qui parvus erat ſecundum humanitatem, magnificari ſecundum eam, iuxtà illud *Luc. 2. Puer autem creſcebat plenus ſapientia.* Vult ergò dicere *Maria*, quod magnificentia Dei maximè fuit, quæ cum non haberet undè creſceret ſecundum humanitatem, noſtram humanitatem fragilem ſua magnificentia uſque ad divinam provexit. Propterea conſiderans *Maria* humilitatem ſuam; non ſeipſam, ſed Dominum magnificat, quaſi dicat: *Magnificat anima mea Dominum*, non meipſam. Erat enim vera filia ſui Patris David, qui ait: *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam, ſicut ablactatus ſuper matre ſua, ita retributiò in anima mea. Pſal. 130.*

Quartò, quia magnum locum ei præparabat. Nam per humilitatem ad nihilum ſe redigebat, ut ei dilatatum charitate cor ad hoſpitium præpararet. Magnificat enim hoſpes ſupervenientem Principem, qui totum ei ſuum præparat hoſpitium, nihil ſibi retinens. Sic ergò magnum fecit Dominum, dùm ſe parvam faciebat. Hæc ille.

5 Verùm ſi uſque ad interiora myſticæ ſapientiæ volumus penetrare: ò quàm magnificè Deum Virgo laudavit, & quàm laudabiliter Dominum magnificavit. Nemo enim inter puras viatrices creaturas tam perfectè novit Deum, ſicut ipſa Virgo, & ideò dignè, quantum homini fas eſt, ipſum potuit commendare. Audiamus ergò, quemadmodum Hugo de Sancto Victore, libro Explanationis in *Cantic. Magnificat*, de laudatione hac, quam *Maria* tribuit Deo, quæque de intimis eius myſticæ Sapientiæ viſceribus erupit, loquatur. Verbum, inquit, bonum, quod conceperat, eructans in laudem Salvatoris, exclamavit dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Nemo

mo igitur verba iſta leviter æſtimanda putet: Quæ enim de tàm profunda conceptione prolata ſunt, ſinè profunda inveſtigatione dignè penetrari non poſſunt. Et utinam contingat nobis eorum arcana quærentibus illo Spiritu ducente incedere, quo repleta *Maria* Verbum Patris concipere, & Patrem Verbi meruit verbo exultationis magnificare. Ait ergò. *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.*

6 Verè dilecta, & unica, & in illam cellam vinariam à Rege Sponſo tuo introducta, ab ubertate domus eius inebriata, & fonte vitæ, qui apud ipſum eſt, potata memoriam abundantiæ ſuavitatis eius eructaſti: & in juſtitia eius exultaſti. Vidiſti, & guſtaſti: vidiſti maieſtatem, guſtaſti ſuavitatem. Ideoque quod intùs hauſeras, foras propinaſti. Videte quid ait. *Magnificat*, inquit, *anima mea. Et exultavit Spiritus meus.* Duo, & duo, anima, & ſpiritus, magnificat, & exultavit. Anima magnificat, ſpiritus exultat. Et iterum duo, Dominus, & Salutaris: verba duo, res una: & tamen duo, Dominus, & Salutaris: Dominus potentiam notat, Salutaris miſericordiam.

7 Videamus itaque verborum diſtinctionem. Primùm anima magnificat Dominum: deindè ſpiritus exultat: nec dixit. Spiritus magnificat: ſed anima, inquit, magnificat, & ſpiritus exultat. Nec ait, magnificat ſalutarem, & exultat in Domino: ſed magnificat Dominum, & exultat in ſalutari ſuo. Primùm diſcernamus, quare diſtinctè poſuit, magnificat, & exultat: vel quare priùs magnificat, poſteà, exultat. Nihil enim ratione caret: quia omne quod dictum eſt, ab illa intima ſummæ Veritatis luce, cui mens Virginis excellenter inhæſerat, emanavit. Nec potuit aliud dicere, quæ meditando locuta non eſt, ſed guſtando: quam non docuit per varia diſcurrens cogitatio, ſed uni inhærens fonti Sapientiæ per contemplationem mentis devotio. *Magnificat anima mea Dominum*, inquit, *& exultavit Spiritus meus.*

8 Duo quippe ſunt, quæ beati Angelorum, & hominum ſpiritus in illo fonte boni æterna contemplatione hauriunt. Incomprehenſibilis videlicet maieſtas Dei, & ineffabilis bonitas: quorum alterum caſtum timorem generat, alterum dilectionem parit. Prò maieſtate enim venerantur Deum, & prò bonitate amant: nè vel dilectio ſinè reverentia diſſoluta ſit, vel reverentia ſinè dilectione pœnalis. Admirantes enim diligunt, & diligentes admirantur: ut inextinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, & ſuaviter in dilectione ferveat admiratio. Propter hanc reverentiam dictum eſt, quod *Columnæ Cœli antè ipſam contremiſcunt*: quia nimirum etiam Virtutes cœlorum tantam maieſtatem ſinè admiratione intueri non poſſunt. Tremor autem beatorum Spirituum, concuſſio non eſt tranquillitatis, ſed inceſſabilis, & vivifica intentio perpetuæ contemplationis. Nam quia eum, quem vident, perfectè nunquam comprehendere ſufficiunt, ſemper ſuprà ſe conſpiciunt in quo quaſi per admirationem evigilant, nè eo, quod comprehendere nunquam valent, torpeſcant. Quantò autem perſpicacius intuentur, tantò ardentiùs amant: quia ipſum videre, ſapere eſt: & quod videtur, dulcedo eſt. Vera autem dulcedo quantò perfectiùs ſentitur, tantò deſiderabiliùs appetitur: quia ſi verè dulce eſt, quod percipitur: & hoc dulciùs eſſe neceſſe eſt, ſi ampliùs percipiatur.

91 Ad hanc ergò contemplationis lucem mens *Mariæ* ſublevata fuerat, quæ cœleſtis Patriæ dulcedinem in verbis ſuis tam mirabiliter expreſſit, quam ineffabiliter comprehendit. Nam cum ſe Dominum magnificare perhibuit, venerandam illam reverendamque univerſi æterni Numinis maieſtatem interna viſione contueri ſe manifeſtè declaravit. Cum verò ſe in ſuo Salutari exultare aſſeruit: guſtum ſe internæ dulcedinis percepiſſe oſtendit. Undè utrunque profeſſa eſt, & Dominum videlicet, & Salvatorem: ut prò Poteſtate, qua omni Creaturæ dominatur, etiam iis, à quibus non diligitur, jure metuendum oſtenderet: prò Bonitate verò, qua miſericorditer quoſdam ſalvat, dignum dilectione demonſtraret.

10 Sanè quia univerſæ viæ Domini, miſericordia, & veritas ſunt, perfecta laus eſt, Dominum, & Salvatorem confiteri: cum veritas in Domino, & in Salvatore miſericordia commendetur. Veritas enim ad Dominum pertinet, & ad Salvatorem miſericordia. Nam, quia cuncta opera ſua tanta, & tam perfecta juſtitia gubernat, ut id etiam, quod in eis prę̨ter juſtitiam factum invenitur, inordinatum non relinquat: & quoniam factum perperam, nec eius iudicium poteſt evadere, nec æternæ diſpoſitionis legibus contraire, in veritate ſervat tenorem juſtitiæ. Quia autem quædam errantia gratuito ad vitam colligit, & reparat ad ſalvationem in judicio ſuo, juſtitiam moderatur per lenitatem miſericordiæ. Propterea magnificamus Dominum, & in Salutari exultamus: quia cuilibet reverenda eſt juſtitia Domini, & exultanter obſervanda miſericordia Salvatoris. Ideoque inquit *Maria*: *Magnificat anima mea Dominum: Et exultavit Spiritus meus in Deo Salutari meo, &c.* Hactenus Victorinus.

11 Si autem Beata Virgo ità laudavit Deum in via: Quid in Patria? Ipſa profectò in Ieroſolyma triumphanti laudantium Deum eſt Coriphæa. Ipſa nanque, ut ait Bonaventura *c.* 11. Speculi B. Virginis, ſignata eſt per Reginam Sabam, de qua dicitur 3. *Reg.* 10. *Et ingreſſa Ieruſalem cum comitatu multo, & divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas.* Conſidera in his verbis gloriam ingredientis *Mariæ* in cœleſtem Jeruſalem. Conſidera, dico, ingredientis excellentiam, ingredientis potentiam, ingredientis opulentiam: Conſidera excellentiam in principatu, potentiam in comitatu, opulentiam in apparatu. Conſidera certè excellentiam principatus Reginæ noſtræ *Mariæ* in eo, quod dicitur Regina *Saba*, quod interpretatur *clamor*. *Maria* enim eſt Regina Mundi, ubi eſt clamor gemebundus: eſt etiam Regina Cœli, ubi eſt clamor iucundus. Clamant enim in Cœlo, ſicut dicitur in *Apocal. c.* .... *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens*. Hæc & ipſa Regina clamantium, cum cæteris clamantibus clamare non ceſſat, teſtante Auguſtino, qui ait.

Tu

Tu Maria concivis cœli civibus, ſinè fine choris coniuncta Angelicis, Archangeliſque ſociata, indefeſsà voce, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, clamare non ceſſas, &c. Meritò igitur Ipſa in laudando Deum, non ſolùm eſt æmulata Malaleel, ſed & longè excellentiùs ſupergreſſa.

§. II.

Quam excellentiam deſignet Adam in Maria.

12 PRoducimus, Virgo Beata, in ſecundà tui Nominis literà primum humanæ propaginis Parentem, ſcilicet Adam, qui à divino Opifice conditus eſt parvus Mundus in magno, ſed cui ſerviret hic magnus. Nam, ut inquit Iſidorus de vita, & obitu Sanctorum, Adam protoplaſtus, & colonus Paradiſi, Princeps generis, & dilectus, ad imaginem Dei factus, univerſitati prælatus, qui creaturæ nomina dedit, atque in eis poteſtatem dominandi accepit. Hic in deliciis florentis Paradiſi conſtitutus, inter redolentes aromatum ſilvas, ac vernantia floribus arva, rudis habitator, novæ vitæ gaudia peragebat. Ubi tellus fœcundatur perpetuo virore, ubi fons decurrens quadrifluo labitur.

Hæc eſt imago Adæ in ſtatu juſtitiæ originalis: verùm quid de ipſo poſt lapſum in culpam? Subiungit Iſidorus. Sed poſtquam ſerpentis dolo, linguà pollutus fœmineà, per tactum ligni, loci beatitudinem prophanavit, Paradiſo proiectus, terram ſentibus ſqualentem, operarius gemens incoluit: amiſſaque immortalitate, in pulverem, undè carnis ſumpſerat ortum, poſt curſum annorum nongentorum triginta, rediit. Hinc iam poſteritas in crimine hujus Parentis, exul eſt Paradiſi facta: ac labori, mortique ſubacta ingemuit.

13 Si ita eſt, quid ergò ad Adam Virgo Beata? Ille prævaricator, hæc ſanctiſſima: ille auctor mortis, hæc vitæ principium: ille ærumnoſus, hæc felix: ille gratià nudatus, hæc Spiritu Sancto ſuperinduta: ille nox peccati tenebris obſcura, hæc dies juſtitiæ Solis ſplendore clareſcens. Quę igitur participatio ſãctitatis ad prę̨varicationẽ, vitæ ad mortem, felicitatis ad miſeriam, gratiæ ad peccatum, denique lucis ad tenebras? Nulla quidem. Ergò neque Beatæ Virginis ad Adam. Sed diſtinguamus Adamum ab Adamo, priorem à poſteriori, Adamum in ſtatu originariæ felicitatis ab Adamo in culpæ miſerrimo ſtatu. Primum amplector, ſecundum reiicio. In primo Adamo maximam cum Virgine convenientiam agnoſco, in ſecundo longè diſſitam diſcrepantiam. Primus ergò prædicetur, ſileatur ſecundus.

14 Inclytus ſanè Heros fuit Adam illo exiguo tempore, quo Paradiſi beatitudine perfundebatur: Etenim, ut ait A Lapide in *Geneſ. c.* 1. Nota, Adæ in primo inſtanti creationis ſuæ, cum gratia infuſas fuiſſe ſimul omnes virtutes theologicas, & morales: item datam ei eſſe juſtitiam originalem, quæ præter habitus virtutum jam dictos, erat aſſiſtentia, & manutenentia Dei aſſidua; qua fiebat, ut motus omnes appetitus inordinati, ſivè concupiſcentiæ, rationem prævenientes, impedirentur; utque appetitus rationi, ratio Deo in omnibus ſubderetur, itaque homo in omnibus internà pace, rectitudine, & ſanctitate frueretur: undè de nullà re inordinatam triſtitiam, iram, concupiſcentiam, aliamvè turbidam paſſionem concepiſſet.

15 Quid autem hoc præſefert niſi beatiſſimam pacem, & integerrimam juſtitiam, quibus Virgo fuit ornata? Nam, inquit Thomas de Villanova *Conc.* 3. *de Nativit. Virg. Mariæ*, decuit Matrem Dei eſſe puriſſimam, ſinè labe, ſinè peccato. Undè non ſolum quandò puella, ſed quandò parvula, Sanctiſſima, & in utero Sanctiſſima, & in Conceptione Sanctiſſima. Non enim decebat Sanctuarium Dei, Domum Sapientiæ, Reliquiarium Spiritus, Urnam mannæ cœleſtis, aliquam in ſe labem habere; propter quod antequàm anima illa Sanctiſſima infunderetur, plenè fuit caro illa mundata ab omni fœce, & labe, & anima cum infuſa eſt, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati. Sicut ſcriptum eſt: *Factus eſt in pace locus eius. Pſal.* 75. Ideſt: Domus divinæ Sapientiæ, ſinè omni fomite peccati formata eſt.

Undè, ſicut ait Auguſtinus, In parvulis, licet non ſtatim appareat, magna iniquitatum, & peccatorum labes ſeminata eſt: ibi eſt ſeminarium omnium malarum inclinationum, & quaſi ſaccus iniquitatum. Undè cum creſcunt, Pædagogi, flagella, exhortationes, admonitiones, & poſteà Judices, cruces, tormenta, hoc agunt, ut prava illa ſemina non pullulent in eis: Sarculi quidam ſunt, prava illa ſemina nè pullulent prohibentes, & quæ pullularunt præcidentes. Nihil tale fuit in Virgine, ſed puriſſima fuit, ſinè omni malà inclinatione; undè maxima in ea pax, quia nulla fuit in ea rebellio ad bonum. Factum eſt in eà, ut ait Bernardus, illud *Pſal.* 84. *Iuſtitia, & Pax oſculatæ ſunt*. In nobis juſtitia non eſt ſinè bello: in Ipſa fuit cum ſumma pace. Undè caro ejus ſic imaginanda eſt, quaſi eſſet argentea, vel vitrea, vel cryſtallina, ſinè carnis vitiis, ſed tota Angelica in carne. Quod optimè tangit de eà Sponſus in canticis dicens: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te. Cant.* 2. Currus Pharaonis, caro mortalis: in carne itaque mortali Equitatui Angelico ſimilis eſt in puritate. Hactenus Villanova.

16 Magnum quidem fuit, Adam omnium habuiſſe ſcientiam. Quandoquidem, ut inquit Bernardinus Buſtenſis *ſerm.* 5. *de Nativit. Mariæ*, *Geneſ.* 2. habetur, quod Adam poſuit omnibus animalibus nomen eis conveniens ſecundùm ſuas proprietates. Nomina enim debent proprietatibus rerum correſpondere. Hoc autem Adam facere neſciviſſet, niſi omnes eorum proprietates intrinſecas cognoviſſet: ut concludit Nicolaus de Lyra ſuper hoc paſſu. Ubi etiam dicit, quod Deus formavit hominem perfectum non ſolùm quantum ad corpus, ut ſtatim poſſet generare: ſed etiam quantùm ad animam in ſcientià, ad quam poteſt quis naturaliter attingere, ut ſtatim poſset docere. De ſupernaturalibus autem habuit cogni-

tio-

tionem tantam, quantum pertinet ad ſtatum illum. Dicit quoque Nicolaus de Lyra ſuper *c.* 5. *ejuſdem lib. Geneſ.* quod Adam cognovit virtutes herbarum, & lapidum, quæ faciunt ad conſervandam ſanitatem, & vitam prolungandam, & ideò vixit diu, ſcilicet 930. annis ſecundùm communem tranſlationem Bibliæ: ſed ſecundùm tranſlationem Methodii, vixit mille triginta annis.

17 Cognovit ergò Adam res, & proprietates earum: ita quod non inconvenienter dici poteſt, quod illæ ultimæ differentiæ rerum, ſeu ſpecierum, quæ ſecundùm Philoſophum 1. Poſter., nobis ſunt occultæ, ei fuerunt notæ, & claræ. Et ideò optimè novit eis imponere nomen concordans earum proprietatibus. Undè inquit de Lyra: Cum omnia denotantur, proprietates rerum cognoſcuntur; & nullus benè regit ea, quorum naturam ignorat. Sed omnia commiſſa fuerunt regimini, & gubernationi Adæ, ſecundum illud *Pſal.* 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*, *&c.* ergo à primaria conditione habuit Adam rerum omnium cognitionem. Et hæc eſt ſententia S. Bonaventuræ in 2. *diſt.* 23. *art.* 3. *qu.* 1. quam ſimiliter tenet Hugo de S. Victore *lib. de Sacram. dicens*: Rerum omnium, quæ cum homine, & propter hominem factæ ſunt, Adæ dedit Deus cognitionem. Docet etiam Divus Thomas 1. *p. qu.* 94. *art.* 3. quod Adam ita eſt à Deo inſtitutus, ut haberet omnium ſcientiam, in quibus homo aptus natus eſt inſtrui: & conſequenter habuit omnem ſcientiam poſſibilem in hac vita haberi.

18 Sed quid de te dicam, ò glorioſiſſima Virgo? Nonnè tu meruiſti eſſe perfectior Adam? Et de hoc quis dubitat? Ab æterno enim electa fuiſti ad opus excellentiùs, quàm ipſe Adam. Adam ſiquidem fuit electus, ut eſſet Pater omnium hominum; Tu autem ut eſſes Mater Dei, & conſequenter debuiſti eſſe in omni ſcientia perfectior ipſo, & cunctis poſteris eius. Propterea inquit Anſelmus: Omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ in *Maria*. Notanter autem dixit: Sapientiæ, & ſcientiæ: quia ſcientia eſt cognitio rerum infimarum: Sapientia verò eſt rerum altiſſimarum ſecundùm Philoſophum 9. *Ethic. &* 1. *Metaph.* ubi ait, quod ſapiens eſt ille, qui ſcit omnia difficilia per certitudinem, & cauſas altiſſimas. Ut igitur innueret Anſelmus, quod Beata Virgo habuit perfectam cognitionem de infimis, & altiſſimis rebus, utrumque terminum poſuit: dixit theſauros Scientię, & ſapientiæ eam habere: quia maximus theſaurus eſt ſapientia, & ſcientia, iuxta illud *Sap.* 7. *Infinitus eſt theſaurus hominibus*, *&c.* Et *Eccli.* 1. dicitur: *In theſauris Sapientiæ intellectus, & ſcientia.*

19 Verum ad maiora tendamus. Quæritur an Adam in ſtatu innocentiæ viderit Deum per eſſentiam, ſi non per modum permanentis, ſaltem per modum tranſeuntis. Nonnulli affirmant propter verbum Magiſtri in 4. *diſt.* 1. *c.* 3. dicentis, quod ante peccatum Adam videbat Deum ſinè medio: iſtud tamen debet intelligi, prò ut ipſe Magiſter declarat in 2. *diſt.* 33. *c.* 4. quod in præſentia Deum videbat, & contemplabatur, non tamen ità excellenter, ſicut poſt hanc vitam Sancti viſuri ſunt, neque ita in ænigmate, ſicut in hac vita videmus. Id ipſum affirmat Hugo de S. Victore *lib. de Sacram.* dicens: Cognovit homo Creatorem ſuum, non ea cognitione, qua modò à credentibus abſens quæritur, ſed ea, qua tunc per contemplationis præſentiam cernebatur. Et ſic non cognovit per ſpeculum in ænigmatæ, quod ſecundùm Auguſtinum *lib.* 4. *de Trinit.* eſt ſimilitudo obſcura, ſed per ſpeculum clarum contemplationis: quæ cognitio in ſtatu innocentiæ præcipuè vigebat, tum propter animæ puritatem, tum propter carnis, & virium inferiorum ipſi animæ ſubiectionem.

20 Verùm Beata Virgo non ſolùm in clariori contemplatione Adamum exceſſit, ſed & ultrà progreſſa eſt, nimirum uſque ad eſſentiæ divinæ viſionem, quam nonnulli Ipſam vidiſſe teſtantur, ſcilicet in conceptione Verbi, in Chriſti partu, & cum Salvator aſſumptà immortalitatis glorià illi redivivus apparuit. Si enim Deus privilegium hoc ex ſpeciali gratia aliquibus Sanctis conceſſit, ut etiam in carne mortali per modum tranſeuntis Deum per eſſentiam videret, ſicut de Moyſe tenent aliqui, & de Paulo docet Divus Thomas in *Epiſt.* 2. *ad Corinthios*: cur Virgini hoc dicamus eſſe denegatum? Pulchrè itaque Bartholomæus de Piſis *lib.* 2. *de laudib. B. Virg. Fruc.* 7. probat hanc aſſertionem, cum Virgo Dei verbo fuit fœta, dicens. Cum enim Deus ſit ſpeculum omnia reprẹſentans, & voluntariè in ſe contenta oſtendens, prò ut docet Auguſtinus, quantum ad primam partem in *lib. de Trinitate*, & quantum ad ſecundam in epiſtola ad Paulinum: ſuæ eſſentiæ Virgini communicando viſionem, incerta, & occulta ſapientiæ ſuæ, eidem revelavit. Dormiens Joannes ſuprà pectus Domini, in Paradiſum Paradiſorum raptus, ut dicit Origenes, & Auguſtinus ſuper Joannem, vidit Trinitatis arcana, fluentaque Evangelii traxit, ut cantat Eccleſia. *Quid Maria* elevata ad tam arcanum Deitatis aſpectum? In cuius utero requieſcebat ille, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ reconditi. Si enim *in lumine Dei videbimus lumen*, iuxta *Pſalmum* 35. Beata *Maria* illuminata fuit: undè benè *Maria illuminata* interpretatur, quia præ cunctis puris creaturis à Deo illuminata fuit. At ex claritate à Deo percepta, à David Sol vocatur ipſa, dicente: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum. Pſal.* 18. Et à Joanne inſuper *amicta Sole* dicitur *Apocal.* 12.

21 Si Beatus Benedictus, ut 2. *Dial. c:* 26. dicit Gregorius, in luce deitatis totum mundum ſub uno Solis radio ſibi obiectum conſpexit: *Mariam* plura vidiſſe in Dei claritate non eſt ambigendum. Nec mirum debet ratione utenti hoc videri, ſi conſideretur, quod id, quod in ſe portabat, eidem obiiciebatur. Portabat enim in ſuo ventre per unionem ad carnem aſſumptam Sapientiam Dei Patris, Lucem mundi, Verbum mentis æternæ, Veritatem, Solem juſtitiæ, Splendorem Patris, Speculum ſinè macula, Imaginem divinæ maieſtatis, Lucis æternæ Candorem, Fontem, & Originem virtutum, & ſcientiarum, Ipſumque, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Si enim cujuſlibet horum eſt irradiare mentem, ſcilicet Sapientiæ, lucis, & ſic de quolibet dictorum

per ſe: multò magis ſi ſimul concurrunt, ut fuit in *Maria*.

22 Si bonus Ieſus, Verbum Dei, in utero manens *Mariæ*, ſua præſentia Ioannem Baptiſtam, in utero clauſum matris ſuæ, ſanctificavit, illuminavit, ac Eliſabeth Prophetiſſam condidit, & fecit. Quid faciebat in Maria? Quæ erat præfatis prior, ſanctior, melior, gratia fœcundior, & omni perfectione ſublimior, & in tanto contemplationis vertice ſublimata, & exceſſu. Ad tertium Cœlum Paulus vas electionis ſubvectus, arcana audivit verba indicibilia hominibus, Evangeliumque prædicavit, ut ipſe teſtatur. Quid Dei Mater *Maria*? Nulli dubium eſſe debet, quòd cùm Deus incarnatus tot menſibus permanſerit in ejus ventre, tàm viſione divina, quàm irradiatione præclara, ab ipſo illuminabatur de præteritis, de futuris irradiabatur, certificabatur de præſentibus, & de cœleſtibus informabatur.

23 Per effectum, & cauſam percipiebat *Maria* filium ſuum eſſe Sapientiam, Splendorem, Veritatem, Lucem; & ſic de aliis animæ rationalis irradiationibus. Quod fieret non ſolùm tali viſione illuminationis, ſed per illuſtrationem in anima Virginis, lumen quod in Virginis facie refulgebat exteriùs, edocebat. Si enim in pueritia, teſte Hieronymo, vix quis poterat in faciem ejus inſpicere, quantò magis illo immenſo lumine in ejus utero commorante? Ioſeph enim vir ejus, teſte Bernardo, & Hieronymo, in faciem ejus reſpicere non valebat, illo in tempore, quo Verbum in ſuo ſacro utero reſidebat. Splendida facta eſt Moyſi facies ex conſortio Domini: Multò magis, & Beatæ *Mariæ*. Quarè Beata *Maria* tàm ex viſione, quàm ex illuſtratione à Deo in ejus utero manente illuminata fuit. Quantæ claritatis anima Mariæ tunc erat? Quantæ Ipſa dignitatis? Quot, & quoties mentalibus exceſſibus rapiebatur? Hactenus ille.

24 Denique & huic tabulæ unam addat lineam, Thomas de Villanova, qui Conc. 3. de Nativit. Virg. non ſolùm Adæ privilegiorum epitomen, ſed & quorumlibet Sanctorum in Eccleſia omnium perfectionum epilogum, Ipſam fuiſſe demonſtrat, dicens. Sed jam ad dona, gratias, & virtutes tranſeamus. De his quid dicere poſſumus, niſi quod illi datum eſt quantum capax eſt pura creatura. Undè ſicut in creatione mundi, in homine collecta eſt omnis creatura, ideò microcoſmus vocatus: ſic in reformatione mundi, in Virgine collecta eſt omnis Eccleſia, & Sanctorum perfectio; unde microcoſmus Eccleſiæ dici poteſt.

Quicquid in quolibet Sancto fuit illuſtre, in illa fuit: in illa patientia Iob, manſuetudo Moyſi, fides Abrahæ, caſtitas Ioſeph, humilitas David, ſapientia Salomonis, zelus Eliæ: in illa puritas Virginum, fortitudo Martyrum, devotio Confeſſorum, ſapientia Doctorum, contemptus mundi Anachoritarum. In illa donum ſapientiæ, ſcientiæ, & intellectus, donum pietatis, & fortitudinis, & omnia dona ſpiritus, & omnis gratia gratis data, quam ponit Apoſtolus.

Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, *Cant.* 4. Id eſt, omnis virtus Sanctorum, quà armati ſunt contra vitia. Undè Dominus *Eccli.* 24. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Propter quod benè eam vidit Ioannes Sole veſtitam, & Lunam ſub pedibus habentem, & duodecim Stellis coronatam. Propter quod in Canticis, *Quid*, inquit, *videbitis in Sunamite, niſi choros caſtrorum*? *Cant.* 7. Talis eſt dilecta noſtra, chariſſimi, talis eſt Mater Domini noſtri: immò nihil diximus: multò illuſtrior eſt, *abſque eo quod intrinſecus latet. Cant.* 4. Nam quales fuerint in ea revelationum radii ab illo Sole, quem geſtabat in utero, quæ inflammationes ſpiritus, qui guſtus, qui ſenſus, quæ dulcedines, ſola novit Ipſa, & qui dedit Deus: major enim *gloria filiæ Regis*, & Matris Regis *ab intus*. *Pſal.* 44.

§. III.

Quid perfectionis in Beata Virgine denotetur per Rehu.

25 Nihil de Rehu poſteritati tradidit ſacer Croniſta, niſi ejus nomen, & Patrem, à quo originem duxit, denique prolem, quam genuit ipſe Rehu, ut habetur *Geneſ.* 11. *Phaleg genuit Rehu: & Rehu genuit Sarug.* Verùm crediderim Moyſen non ſine myſterio geſta Rehu præteriiſse ſilentio, cùm ſatis fuerit edidiſse nomen ipſius, nam in ipſius nomine, quaſi in pagina brevi, tota vitæ ſanctæ, perfectæque ſublimitas continetur. Quod etiam tam ex Patris nomine, quàm ex Rehu prolis appellatione ſignificatur, ut exindè fiat triplex quidam perfectionis, ſive felicitatis nexus, quo ſe quilibet beare poſſit in Cœlo.

26 Referet ergò nobis hæc myſteria Guillelmus Pepinus in *Geneſ. c.* 11. *clauſula* 2. ubi inquit. *Phaleg*, qui interpretatur *dividens*, aut *diviſus*, genuit *Ragau*, ſive *Rehu*: qui interpretatur *paſcens*, aut *paſtus*. Per quod denotatur, quòd quicunque in præſenti ſe diviſerit à peccatis, ſive ab hominibus malis: & paverit pauperes ſuis bonis: talis dividetur à reprobis in judicio, & paſcetur tandem in Cœlo: ubi inhabitantes non eſurient, neque ſitient in æternum: ut habetur *Eſa.* 49. & *Apocal.* 7.

Rehu, ſive *Ragau*, qui, ut dictum eſt, interpretatur *paſcens*, vel paſtus, genuit *Sarug*, qui interpretatur *perfectio*. Per quod deſignatur, quòd quicunque paverit pauperes in præſenti propter Chriſtum, non ſolùm paſcetur in Cœlo, verùm etiam perfectionem obtinebit. Primò quidem ex parte animæ, quæ dotabitur in Cœlo tribus dotibus. Secundò autem ex parte corporis, quod in generali reſurrectione dotabitur, & perficietur quatuor dotibus, quæ ſunt agilitas, claritas, ſubtilitas, & impaſſibilitas.

27 Quid igitur Phaleg, Ragau, & Sarug deſignant in Virgine, niſi quandam ſuperexcellentiam in glorificatione corporis, & animæ ſuper omnes Sanctos in Cœlo, tum propter omnimodam remotionem à vitiis, tum propter excellentiores animi virtutes, & perfectiones, tum propter eximia pietatis & miſericordiæ opera, quæ in Chriſtum verum pauperem exercuit, qui cum dives eſſet ex natura,

propter homines pauperrimus factus eſt ? Et de hoc quis audeat dubitare ?

Pro hujus autem argumenti probatione inter multos unus ſufficiat Iacobus de Voragine, qui *ſerm. 1. de Aſſumpt. Virginis*, exponens pro themate illud *Pſal. 131. Surge Domine in requiem tuam Tu, & Arca ſanctificationis tuæ*; quò ad utranque partem ſic inquit. Quod Chriſti corpus glorioſè reſurrexit, omnibus fidelibus eſt certum: quòd autem corpus Beatæ *Mariæ* Virginis glorificatum ſurrexit, & ſi non ſit certum, eſt tamen piè credendum: quòd autem corpora Sanctorum, quæ cum Chriſto ſurrexerunt, ſint glorificata, inter multos Doctores vertitur in dubium. Propheta igitur dimittens illud, quod eſt dubium, ponit quod certũ eſt, dicens: *Surge Domine in requiem tuam*: Et illud quod piè credendum eſt, cùm dicit: *Tu, & Arca ſanctificationis tuæ*. Arca iſta eſt Beata Virgo filii Dei contentiva. Iſta autem Arca ſurrexit in requiem, id eſt, in corporis, & animæ plenam felicitatem. Hodiè quidem ſurrexit de tumulo: quia immortalitatis glorià fuit induta. Surrexit de mundo: quia hodiè in Cœlum eſt glorioſè aſſumpta. Circa cujus aſſumptionem duo ſunt videnda. Primò qualiter ſit aſſumpta. Secundò ſecundùm quid ſit aſſumpta.

28 Eſt autem Virgo Maria aſſumpta quadrupliciter; ſcilicet cum honorabili ſocietate: cum ineffabili jucunditate: cum mirabili claritate: & cum terribili poteſtate. Primò quidem Virgo *Maria* aſſumpta eſt cum honorabili ſocietate, quod ſignatum 2. *Reg.* 6. ubi dicitur, quòd *David, & omnis Iſrael deducebant arcam Domini cum gaudio, & erant cum David chori ſeptem*. Per David ſignificatur Chriſtus. Per ſeptem choros intelligitur univerſitas hominum, & Angelorum Sanctorum: quia per ſeptenarium numerũ univerſitas accipitur. Vel per ſeptem choros intelliguntur tres chori, qui fuerunt antè novum Teſtamentum, ſcilicet Angeli, Patriarchæ, & Prophetæ. Et quatuor, qui fuerunt in novo, ſcilicet Martyres, Confeſſores, & Virgines, & etiam ipſi Apoſtoli, qui ejus exequiis interfuerunt. De iſta honorabili ſocietate cantat Eccleſia: *Sicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia convallium*. Per flores roſarum intelliguntur omnes martyres ſanguine rubricati. Per lilia convallium intelliguntur omnes Angeli, Confeſſores, & Virgines, & etiam Apoſtoli, qui ejus exequiis interfuerunt, qui omnes eam circundederunt, & eam aſſociaverunt.

29 Secundò eſt aſſumpta cum ineffabili jucunditate, quod ſignatum eſt 2. *Reg.* 6. ubi dicitur: *David, & omnis Iſrael deducebant arcam teſtamenti Domini cum jubilo, & clangore buccinæ: & ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & cytharis, & lyris*. Ubi notandum, quod ſicut dicit Auguſtinus ſuper *Pſalmos*, eſt triplex ſonus muſicus. Unus, qui fit cum voce, ſicut in cantu. Alius, qui fit cum flatu, ſicut in buccina. Et tertius, qui fit cum pulſu, ſicut in cythara. Iſte triplex ſonus tangitur hic. Sonus, qui fit cum voce, cùm dicitur; *In jubilo*. Eſt enim jubilatio, cantus modulatio. Sonus, qui fit cum flatu, cùm dicitur: *In clangore buccinæ*. Sonus, qui fit cum pulſu, cùm dicitur: *In omnibus lignis fabrefactis, & lyris*. Per hoc quod dicitur, quòd iſta arca deducta eſt cum jubilo, & in buccina, & in cythara, datur intelligi, quòd ibi fuerunt omnes ſpecies ſonorum, & omnia genera muſicorum.

30 Tertiò aſſumpta eſt cum mirabili claritate. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? Cant. 6. Signum magnum apparuit in Cœlo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim. Apocal.* 12. Ex quibus verbis patet, quòd Ipſa aſcendit cum claritate corporali; & iſta eſt claritas Auroræ. Sicut enim Aurora poſt noctem oritur, tamen nullam obſcuritatem retinet: Sic etiam licèt caro ejus nata fuerit de corruptibili carne, nullam tamen ſenſit corruptionem, ſed omnem depoſuit miſeriam, & pœnalitatem. Aſcendit cum claritate ſpirituali, id eſt, cum anima, quæ tota fuit luce perfuſa: & iſta eſt claritas Lunæ. Sicut enim Luna poſt Solem majorem habet lucem: Sic & Ipſa poſt filium majorem habet cognitionem. Aſcendit cum claritate ſuperſubſtantiali, id eſt, cum filio ſuo, qui obviam ſibi venit: & iſta eſt claritas Solis. Aſcendit cum claritate intellectuali, id eſt, cum toto exercitu Angelorum; & ideò dicitur: *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*. Quorum quidam præcedebant ut domicelli, quidam verò comitabantur tanquàm baiuli, quidam ſubſequebantur tanquàm famuli. Omnes autem eam aſſociabant, tanquàm joculatores devoti. Aſcendit cum claritate rationali, id eſt, cum omnibus Apoſtolis, qui ejus aſſumptioni interfuerunt: ideò dicitur, quòd habebat coronam duodecim ſtellarum.

31 Quartò aſſumpta eſt cum terribili poteſtate: quia omnes dæmones perterriti fugerunt; nec mirum, fuerunt enim territi à tam honorabili ſocietate. *Cant. 6. Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum*, id eſt, ordines Angelorum? Vulnerati à tam ineffabili jucunditate: quia ſicut dicitur *Eccli. 22. Muſica in luctu importuna narratio eſt*. Excœcati à tam mirabili claritate inſtar noctuæ, quæ ad lucem Solis excœcatur. Tremefacti à tam mirabili poteſtate: inſtar enim Canum virgam Ieſſe fugiunt, à qua plagam acceperunt.

32 Secundò videndum eſt ſecundùm quid ſit aſſumpta, quia non ſolùm quantùm ad animam, ſed etiam quantùm ad corpus eſt glorificata. Et ſecundùm hoc aſſignat Auguſtinus quatuor rationes. Prima eſt, quia fuit Mater Chriſti deifica, & ideò debuit à filio ſublimari. Voluit enim Chriſtus totus eſſe Matris ſecundùm carnem, ut ſcilicet Patrem carnalem non haberet. Voluit & Matrem totam eſſe ſuam, ut alios filios non generaret. Qui ergò Matrem noluit communicari homini, nunquid eam communicabit vermi? Qui ex ea noluit generari filios carnales, nunquid ex ea voluit generari vermes? Ipſe enim præcepit cuilibet ſuum Patrem, & Matrem honorare. Qui ergò tantum honorat Sanctos ſuos alios in terris, quomodò Matris contemnit honorem? Quomodò ergò filium à vitio irreverentiæ ergà Matrem, & ingratitudinis ergà hoſpitam, & fallaciæ erga amicam, oſtendemus immunem, ſi eam, quam in vita præ aliis dilexerat, præ aliis dereliquit in fine?

33 Secunda ratio eſt, quia fuit Chriſti fidelis miniſtra. Undè Auguſtinus: De ſuis miniſtris veritas dicit: *Vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus*. Si Maria ibi erat, nunquid æquali gratia? Et ſi æquali gratia, ubi æqua Dei cenſura, qua reddit unicuique ſecundùm merita? Si præ omnibus viventibus *Mariæ* viventi donata eſt gratia, mortuæ erit minuenda? Abſit. Miniſtravit autem Chriſto in utero materiam corporis præparando, extra uterum in ſua infantia eum alendo, & in Ægyptum fugiendo, in ſua pueritia eum ad feſtivitates ducendo, in ſua juventute ad nuptias aſſociando, in morte Cruci aſſiſtendo, poſt mortem omnia loca ejus devotiſſimè frequentando, poſt aſcenſionem ei ſedulas preces offerendo.

34 Tertia ratio eſt, quia fuit veſtis Chriſti deaurata. Nullus enim Rex pateretur veſtimentum ſuum à vermibus corrodi. Auguſtinus: Si elegit Divina voluntas inter ignium flammas puerorum veſtimenta ſervare illæſa: cur abnuat in Matre propria quod elegit in veſte aliena? Conveniens autem fuit, ut in coronatione Reginæ Cœli ſit etiam ornatus corporis ſui, cùm Rex in eodem ornatu appareat: ut ſicut in corpore Regis ſcriptum eſt: *Rex Regum, & Dominus dominantium*: Sic in corpore Reginæ ſcribatur: Regina Reginarum, & Domina dominarum.

Quarta ratio eſt, quia fuit theſaurus Chriſti, & gemma pretioſa: ideò debuit in cœleſti theſauro recondi. Unde Auguſtinus: Thronum Dei, thalamum Domini Cœli, tabernaculum Chriſti dignum eſt eſſe ibi, ubi ipſe eſt. Tam pretioſum theſaurum dignius eſt Cœlum ſervare, quàm terra. Iſtud ſacratiſſimum corpus in eſcam vermibus traditum, quia ſentire non valeo, dicere pertimeſco.

Denique quòd Beata Virgo per meritum virtutum, & bonorum operum, beatitudinis dotes animæ, & corporis acquiſierit: idem Voragines ſerm. 2. de Aſſumpt. Virg. in fine probat, dicens. Fuit luminoſa à parte exteriori, cùm dicitur: *Amicta Sole*, id eſt, immortali corpore. *Pſal. 44. Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*, quantùm ad gloriam animæ: *circundata varietate*, quantùm ad dotes corporis, quæ redundant ab intus ab anima in corpus. Si quidem ex redundantia prudentiæ reſultat in ejus corpore claritas, & ex redundantia fortitudinis impaſſibilitas, ex redundantia temperantiæ ſubtilitas, ex redundantia juſtitiæ, quæ omnes vires circuit, reſultat agilitas.

§. IV.

Iubal harmonicarum proportionum per concentum virtutum in anima Virginis typum referre monſtratur.

35 ADes Iubal, modulantium Corage. Etenim ſpiritum, quo vita ducitur, ut in Patriarcharum Elogiis Theſaurus aiebat, tu primus frangere ad melodiam docuiſti. Tu primus Teſtudinem portatili ſua domo eliminaſti, ut in illa vacua latebra conderes harmoniam. Tùm ſecta Pecudum viſcera imparibus diſcreta numeris tetendiſti, ut pollice verberata aures mulcerent, & auras. Verè dictus Pater canentium cythara, & organo, quia dum iocoſa pulſas Lyræ fila, arcu eodem chordas feris, & corda. Cœleſtis nimirùm harmoniæ ſectatus imaginem, Sacrum Planetarum concentum furatus, Divorum delicias Mortalibus propinaſti. Quapropter nec ſinè ratione nomen dediſti jubilo. Nam ut notat A Lapide in *Geneſ. c.* 4. Iubal filius Lamech fuit inventor organi, & cytharæ: undè ab hoc *Iubal*, qui fuit jubiloſus, jucundus, & jovialis, putant nonnulli, Latinos ſumpſiſſe ſuum *jubilare*, & *jubilum*. Verùm quia Iubal tàm jucundum, & commodum ærumnoſæ vitæ mortalium, ut aliquod honeſtum ſolatium haberent, melodiæ excogitavit inventum, jure merito Baptiſta Maſculus in Patriarcharum præconiis, ſeptimum illi ſacravit

Encomium.

36 *Accidet ad aures grata ejus laudatio,*
Qui primus muſicis modis blanditus eſt auribus.
Hoc Auctore lenire aſperam cœpimus vitam:
Minor factus eſt tetricus labor.
Nihil aptius potuit invenire, quam nervos,
Vt qui languebant, ſumerent robur, ac vires.
Magna dignitas! Antè invẽta ſunt plectra, quã ſceptra.
Vt laxaret animos, contendit chordas.
Vt pulchrior ſermo videretur, & comptior,
Adſcivit uſum pectinis.
Vt mortales numerare dediſcerent mala,
Verba fudit ad numeros.
Depulſus eſt mœror
Pulſu digitorum.
Cœperunt ferri moderatè damna poſt modos.
Ne dolor animum feriret,
Pepulit hic nervos pollicis verbere.
Saucia ſanavit corda ictu chordarum.
Major eſt hujus, quàm Mercurii laus:
Quia in ægritudinis medela celerior fuit.
Tardior ille, ut inventor Teſtudinis,
Serò venit ad ferenda ſolatia:
Teſtudineo videlicet inceſſit gradu.
Sit ille licèt Deus habitus furum,
Huic certè laudem non audet eripere.
Verſutus ille, & more furum vafer,
Nullam facere fidibus potuit fidem.
Non jactat hic, ut alii, ſe ſaxa traxiſſe,
Sed emolliiſſe,
Quippè effecit muſicis modis,
Nè mortales ſuprà modum lugentes

Dolore lapideſcerent.
Non jactat cohibuiſſe ſe flumina,
Sed lachrymas.
Docuit implicitas animi curas retexere,
Inductis cytharæ filis.
Admirata eſt Natura hominis Ingenium
Aemulantis avium cantus.
Acceſſit per hunc aeri gratia canore altero:
Aptiùs aures hauſere dulcedinem,
Nempè deductam per organorum fiſtulas.
Stupuit Natura, cum vidit
Aegri animi vulnera curari arcu.
Inventus eſt muſicus Arcus, antequàm bellicus.
Leve eſt quod levicula jactat Græcia,
Scilicet Panos arundinem.
Dignior hic Scriptorio calamo,
Qui paſtoricium primus invenit.
Sed quàm idem blandus in cythara?
Novum planè Conſilium:
Nam ut curarum tolleret pondus,
Impoſuit cytharæ jugum.
Cujus hic non voce laudandus?
Qui vel Pecorum fibras fecit vocales.
Invenit in viſceribus Ovium,
Quo poſſet domare vel belluas.
Infudit Natura gutturi mella,
Sed Ars auribus melos.

37 Verùm ſatis luſimus in fidibus iocoſis. Ad ſublimiora pergamus. Quid Jubal cytharæ modulator inventæ ad Virginem, niſi typus, & umbra? Ejus enim numeri muſici ſunt quædam velut rudia lineamenta, & umbratiles figuræ earum proportionum muſicarum, quæ ex virtutum concinentià in Dei Matre reſultabant. Hujus quidem organa, divino implente Spiritu, modulatis vocibus ſonant; hujus cytharæ fides, Spiritus Sancti digito percurrente, cœleſtem conſonantiam edunt in terris. Audiamus quæſo quàm dulcis, quàm potens, & acuta ſit cytharæ noſtræ harmonia, qua vel potuit cognatæ Eliſabeth viſcera penetrare, & in ejus utero abditum Præcurſorem ſanctificare Joannem. Ad hanc me rapit eximius Thomæ de Villanova diſcurſus, qui Conc. de Viſitat. Virginis, harmonicam Lyræ noſtræ efficaciam in ſalutatione Eliſabeth, ex cognatæ verbis oſtendens, quæ dixit: *Eccè ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo:* hæc habet.

38 Illa enim voce ſonorà dum cognatæ percuſſit aures; latenti intra viſcera puero Spiritum ſanctificationis immiſit. Hac voce potenti infans in utero Parentis perculſus excutitur, excitaturque ignorantiæ ſomno ſopitus: oculos cordis aperuit: & latentem poſt parietem carnis, cœlorum Regem mira perſpicacitate cognoſcit: feſtinat exire obviam maieſtati, publicare latentem: invadit ventris anguſti latera, prodire conatus; ſed immaturo adhuc partu, exitum negante naturà. Mira res, genua flectit utero; & quem verbis ſalutare non potuit, prophetico gaudio recognovit. Adorat velut alter Jonas in uteri templo Factorem ſuum, & quia ſuo non ſinitur, Parentis Evangelizat eloquio. O mirabilem Præcurſorem! O viſum acutum! O pluſquàm lynceos oculos, Dei majeſtatem intra Viſcera Virginis penetrantes! Fervens nuncius, qui antè geſtivit nunciare, quàm vivere: impatiens dux, qui antequam perveniret ad ortum, pervenit ad Regem: ante rapuit arma, quàm membra: ante aciem petit, quàm lucem: & ut vinceret mundum, vicit ante naturam. Quid dicam? Ioannes antequàm Chriſtum præcederet, ſeipſum præceſſit.

39 Cui comparabimus parvulos iſtos? Aut cui aſſimilabimus eos? Similes profectò ſunt muſicis cytharædis cytharizantibus in cytharis ſuis, qui conceptam animo harmoniam conſonantibus cytharis modulantur. Neque enim aliter miro concentu temperante prophetant Matres ſpiritu parvulorum, & intùs dictantibus pueris ſono reſonant præſagientes amœno. Solet hoc naturali quodam prodigio in conſonantibus cytharis evenire, ut unius chordà pulſatà, alterius quæ eodem puncto concinis eſt, chorda, & nulla alia, contremiſcat. Cujus cauſam cùm ſæpiſſimè perquirerem, invenire non potui. Quis enim non miretur, quòd ſola conſonantia motum faciat? Quid enim agit concentus ad motum? Ita omni contingit in propoſito: concines erant cytharædorum cœleſtium Lyræ: una Verbum, altera vocem geſtat. Et quid Verbo conſonantiùs ſua voce? Perſonat una, contremiſcit altera. *Vt facta eſt*, inquit, *vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo.* Quid ni exultaret, quid ni contremiſceret Lyra, etſi non pari puncto, ſimili tamen temperata concentu? Sancto itaque Spiritu afflatus Joannes non ſolùm à peccati contagio mundatur, ſed etiam accelerato judicio præſentem inſpicit Redemptorem: Præcurſoris officium ab utero inchoat, & priùs officium novit exercere, quàm vitam, &c.

40 Duarum vocum, ſive chordarum muſicam audiſti: ſed ſi te fortè delectat fidium omnium in *Mariæ* cytharà pleno choro concinentem audire harmoniam, attentas, & pronas adhibe aures verbis Thomæ de Villanova proſequentis. Poſtquàm igitur, inquit, Virgo regia uteri ſui myſterium propalatum vidit, exultans animo, plena ſpiritu, repleta gaudio, fervore ſpiritus inflammata, ſuavem Domino cecinit cantilenam: Virgo, inquam, illa, cui etiam loqui rariſſimum erat, præ magnitudine ſpiritus, voce ſonorà cantare compellitur. O nimiam Spiritus redundantiam! O fervorem cordis immenſum! Beatæ aures, quæ ab ore virgineo feſtivum canticum audire meruerunt. Non eſt auditum ſimile Canticum ab initio; undè meritò canticorum canticum veniet nuncupandum: quia videlicet & authoris majeſtate, & materiæ dignitate, & ſtyli acrimonià, omnia Sanctorum cantica exuperat. Plures nanque olim Matronas, ut viros omittamus, cantica ediidiſſe Scriptura commemorat. Cecinit Debbora victoriam à Siſara: Iudith Holophernem extinctum: Moyſi ſoror Pharaonem ſubmerſum: Anna quoque pro filio Samuele longiores Deo gratias edidit; ſed non ſic hebræas illas canentes audire, ut Prophetiſſam noſtram delectat.

41 Magnum illum Cytharædum agnoſco ſua cythara perſonantem, & virtute harmonica dęmones expellentem. Notam omnibus figuram ediſſero. David cytharà perſonante, Saulis obſeſſum animum diabolus deſerebat. Mira res! Muſicà fugatur Zabulus, & qui juxtà ſententiam *Iob.* 41. Sagittas reputat quaſi paleas, & lapides fundæ velut ſtipulas ſpernit, deridet etiam vibrantem haſtam, & duriſſimos malleos prò nihilo pendit, ad cytharę ſonum tremefactus recedit: & quem nulla vis ſuperat, ſuperat harmonia. Latet prò certo in cythara illa myſterium. Figura, illa erat: hæc, veritas: hic impletur, quod ibi ſignatur. Hoc eſt illud dulciſſimum decachordum, quo Cythariſta Propheticus toties gloriatur: hoc dæmon expellitur, Præcurſor ſanctificatur, puer exultat, Mater prophetat. Hoc decachordo etiam nunc, cum devotè concinitur, iniquas cordis ſuggeſtiones propulſari, lubricas carnis tentationes emolliri, dæmones peſſimos effugari meritò credimus. Undè non abs re à cunctis fidelibus hoc canticum maximè celebratur, & ſumma devotione recolitur. Denario itaque verſuum numero completur, ut decachordi teneat veritatem.

42 Eccè authorem Cantici, eccè harmoniæ cœleſtis modulatorem, Chriſtus intus dictat; Virgo foris perſonat. Ab hujuſmodi Compoſitore, & cantatrice qualem reputas prodire cantionem? Sed res ipſa, quæ concinitur, etiam altiſſima eſt, & cui omnis laus nequeat adæquari. Non modò inſignes Principum victorias non acies hoſtium leviter profligatas, non currus Pharaonis Ponto ſubmerſos, non ſicco per undas veſtigio tranſeuntem populum Virgo commemorat: Grandiùs hæc perſonat Fœmina: altior illi cauſa canendi. Myſteria magna canit, ineffabilia dona recenſet: prò Filio non Prophetà ſolum, ſed Deo Prophetarum Domino gratias refert: & quia (mirabile dictu) ſuum, & omnium genuit Conditorem: quia divinam utero progeniem geſtat: quia divinum Verbum ventre recondit: Numen in carne pangit, viſcera divinæ Pietatis extollit: deiectos Superos, inferoſque levatos, divites excluſos, pauperesque ditatos; potentiam magnam nimis, inæſtimabile pondus amoris, mundi reparationem, diaboli diectionem, peccati everſionem, potenti ſermone deſcribit.

43 Non tali Sappho carmine fluit, non Lyricus ſic Poeta demulcet, conſonat myſterio ſtylus mirificus, dulcis, ſuccinctus, floridus, lenis, placidus, fluidus, plenus, ornatus, venuſtus, ſpiritu, & devotione refertus: neſcias, elegantiæ, an ſapientiæ, cui tribuas palmam. Mira utrinque venuſtas: arctà ſermonis methodo numeroſos ſenſus includit; exiguo metrorum ambitu, graviſſimas ſententias claudit: nunquam ſic fœmina locuta eſt, nunquam ſic cecinit Virgo. Sileant omnes Muſæ: ſileant Gentilium celebratæ Camœnæ: ſileat Sybilla furens: ſileat laciniosa Poeſis, ſileat Sirena dulcis: garrula etiam Philomena conticeat: ſileat omnis hominum, aviumque harmonica laus. Cythara Regis ſonat, Deipara Virgo canit. Sed jam ipſam Virginem canentem audiamus. *Magnificat anima mea Dominum: Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, &c.* Quam venuſtè, quàm pulchrè Senioris cognatæ palinodiam canit? Quam piè, quàm humiliter impenſas ſibi laudes in bonorum omnium largitorem Deum detorquet: ac ſi dicat. Tu me, ò Eliſabeth cognata, magnificas; ſed ego non magnifico meipſam; ſed prò his omnibus, quæ dixi; *Magnificat anima mea Dominum.* Et cætera quæ ibi videre poteris. Sufficiat nobis audiſſe Cytharam noſtram tam dulciter, & ſuaviter reſonantem, ut ſicut in ipſius anima, & corpore, tùm in potentiis intellectus, & voluntatis, tum in ſenſuum fidibus nihil fuit, quod à virtutis concentu diſſonaret, ita & nos prò poſſe noſtro veſtigiis eius inhærentes, Dei auxilio fulti curemus, ut quantum fieri poteſt, nihil in nobis ſit, quod à recta modulationis menſura declinet.

§. V.

Quid ex Abel repræſentetur in Virgine.

44 ABel in hac teſſera quintus Mariani Nominis Heros quid magnificum præfert, in quo poſſit referre *Mariam*? An fortè quia virgineus Paſtor, ut quidam ſapiens dixit, & mortalium innocentiſſimus, Artium innocentiſſimam reperit, nempè Paſtoritiam, optimi Principatus imaginem? Nam errantium Pecudum populo ſub legem miſſo, Regale munus, & gregale permiſcens, Pedum prò Sceptro geſtavit. Undè Rex inter Oves, Ovis inter Reges, obſequentiſſimæ lanigerorum Reipublicæ, imperando ſerviit, ſerviendo imperavit. *Fuit enim Abel Paſtor ovium*, ut dicitur *Geneſ.* 4. Vel ſecundum Gloſſam interlinearem fuit Abel ovium Paſtor, ideſt, ſimplicitatis, & innocentiæ cultor. Et quidem utriuſque hieroglyphici ſenſus à veritate non diſcrepat. Nam Virgini *Cant.* 1. Paſtoritiã exercere præcipitur: *Paſce hædos tuos iuxta tabernacula Paſtorum.* Illa verò non ſolum hædos, ideſt, peccatores, correptos, & emendatos ad vitæ paſcua ducit: ſed etiam oves, ſcilicet iuſtos verbo paſcit, & exemplo. At illa proculdubio melior, & dignior, quàm Abel, quia omnium ovium prędeſtinatarum Regina, & Mater Paſtoris æterni, qui tanquam ovis prò humani generis redemptione ad victimam ductus eſt. Vel ſi dicamus Paſtoritiam exercuiſſe, quia ſimplicitatem, & innocentiam coluit, non utique contentioſè negaveris, candidiſſimos, & innocuos eius mores fuiſſe.

45 Eſt nihilominus quid unum aliud, ex quo magna inter Abel, & Virginem reperitur ſimilitudo. Et quale eſt hoc? Ad nomen Abel eſt recurrendum, ex cuius habebitur interpretatione quod deſideratur. *Abel* enim inter multas alias interpretationes, quas notavit Guillelmus Pepinus in *Geneſ. c.* 4. interpretatur *nihil.* Quid autem eſt nihil niſi humilitas? Humilitas ſiquidem, & nihil dicuntur ad convertentiam. Ita illud quod dicitur *Luc.* 1. *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ:* Caietanus vertit, aut legit: *Quia reſpexit nihilitatem Ancillæ ſuæ.* Vides humilitatem, & nihilitatem ad convertentiam dici. Ex hoc ergò nihilo Abel, magnus Heros evaſit, quia etiam de ipſo dicitur *Geneſ* 4. *Rexpexit Dominus ad Abel*: ideſt ad eius humilitatem: & quia ex humilitate cordis ſacrificia Deo offerebat, ſubiungitur: *& ad munera eius.* Vis ſcire quàm opimas, & acceptas oblatio-

tiones obtulerit? Tales hoſtias ut voraret avidius Numen, linguoſam devolavit in flammam. Nimirum humilitatis ſacrificia è Cœlis advocant Deum in terras.

46 Hæc eſt ergò ſimilitudo inter Abel, & Virginem: licet multò excellentior in Deipara nihil humilitatis, vel humilitas nihilitatis, quàm in Abel. Ipſa enim humilitate nihilitatis ſuę Deum de Cœlis ad ſe, & in ſe traxit, & hac nihilitate humilitatis ipſa deſcendēdo uſque ad Deum aſcendit. Sic etiam dici poteſt, quod datur humilitatis aſcenſus. Humilitas enim, inquit Joannes Raulinus Cluniacenſis *ſerm. 3. de Viſit. Virginis*, aſcendere facit, juxtà regulam Salvatoris: *Qui ſe humiliat exaltabitur*. Sicut in ſtatera nummus, qui deſcendit, mittitur, & exaltatur in theſaurum; qui verò aſcendit, non; ſed mittitur in Caldariam. Sic per defectum ponderis humilitatis ſuperbi reprobantur: humiles verò tanquam theſaurus pretioſus in regnum ęternum exaltantur. Sic igitur humilitas Mariæ aſcendere fecit Mariam, & Deo appropinquare. Nullus enim magis Deo appropinquus eſt, quàm humilis: ſicut circunferentia circuli quanto minor, tantò centro propinquior, ideſt, Deo, qui centrum eſt, circà quod volvitur ſpiritus intellectualis. Ex quo ſequitur quam pulchra fuerit Mariæ humilitas. Si enim illud pulchrius eſt, quod libentiùs inſpicitur: humilitas eius pulcherrima fuit. *Quia reſpexit Dominus humilitatem Ancillæ ſuæ* potius, quàm caſtitatem.

CAP. IV.

Secundus Quinarius Heroum præclaras in Virgine virtutes deſignans.

1 ALiis titulis, & honoribus Mariani Nominis elementa præfulgent, & alterum pariunt inclytorum Heroum Quinarium. Divite profectò vena virtutum, tanquàm flumen, decurrit hoc nomen, ut non niſi inclytos virtutibus Heroas evolvat. Aureas evolvat Tagus arenas, & pretioſos Oriens grandinet uniones. Mariæ Nomen inſignes pietate, ſapientia, prudentia, fortitudines viros ebullit. Literæ igitur Nominis ordinatæ dabunt tibi in *Maria*.

Melchiſedech,
Abraham.
Ruben,
Iſaac,
Aminadab.

In Melchiſedech autem Regalem Sacerdotii dignitatem.
In Abraham maximam fidei devotionem.
In Ruben cœleſtium excellentiam viſionum.
In Iſaac ſummam intellectus, & voluntatis obedientiam.
In Aminadab magnanimam animi fortitudinem. Age ergo, & ſingulos Heroas per ſingulas dotes in Virgine Beata expende.

§. I.

Melchiſedech in Regali Sacerdotio Virginem repræſentat.

2 PRogredere magne Heros in prima Parthenii Nominis litera. O qualis, & quantus es! Salem diceris Rex, & Sacerdos Dei altiſſimi. Nimirum Regia te muniunt Sceptra, & infulæ Sacerdotales honorant. Rex *Salem* ſcilicet *Pacis*, & ſupremi Numinis Myſta vocatus es, ut eadem manus, qua ſceptrum regebas, victimas pacificas immolaret. Sacrificaſti autem Deo panem, & vinum in victoria Abrahæ de quinque Regibus. Et in hoc agnoſco myſterium Regalis, & pacificæ Sunamitis. Ipſa enim Regina noſtra, *Maria* ſcilicet, & de proavis Regibus orta, in altari cordis ſui ſacratiſſimum Deo obtulit panem Angelorum, & vinum pulchrum germinans Virgines, Chriſtum Dei filium, & ſuum, quem concepit, & peperit ſinè detrimento pudoris, frumentum videlicet, & ſapidiſſimum botrum electorum.

3 Si autem dicas: Melchiſedech quidem fuit Sacerdos, ut Scriptura teſtatur; non autem Virgo: in quo igitur erit ſimilitudo? Oportet ergo primum attendere quod dicit Ambroſius in *Epiſt. ad Hebr. c. 7.* exponens illud: *Hic eſt Melchiſedech Rex Salem, &c.* Ubi inquit. Sæpiùs beatus Paulus eundem Melchiſedech in typo Dei Salvatoris introducit. Quamvis enim omnes Sancti, & Patriarchæ, & Prophetæ prioris temporis, in aliqua re figuram expreſſerint Salvatoris, hic tamen Melchiſedech ſpecialiùs, qui quoniam non fuit de genere Iudæorum, in typum præceſſit Sacerdotii filii Dei; de quo dicitur in *centeſimo nono Pſalmo: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Ordinem autem eius multi interpretantur, quòd ſolus & Rex fuerit, & Sacerdos, & antè circuncisionem functus Sacerdotio, ut non gentes à Judæis, ſed Judæi à gentibus acceperint: neque unctus oleo Sacerdotali, ut Moſis præcepta conſtituunt; ſed oleo exultationis, & fidei puritate: neque carnis, & ſanguinis victimas immolaverit, & brutorum ſanguinem animalium dextra ſuſceperit, ſed pane, & vino ſimplici, puroque ſacrificio Chriſti dedicaverit Sacerdotium. Hæc Ambroſius.

4 Melchiſedech igitur Rex, & Sacerdos, & quidam Chriſti Sacerdotii typus. Videtur autem Beatiſſimæ Virgini Sacerdotalis dignitatis eminentia repugnare, quod quidem non nego: affirmo tamen Deiparam Sacerdotii dignitatem, & gratiam per æquipollentiam, & cum excellentia poſſediſſe. Et hanc aſſertionem probat Albertus Manus *Quæſt. 43. ſuper Miſſus eſt*, §. 2. ubi poſtquam in præcedentibus oſtendit Dei Matrem omnia Eccleſiæ Sacramenta, præter Ordinis Sacramentum, ſuſcepiſſe, in ſolutione ad obiectiones, quæ fiebant, reſpondendo ſubiungit. Solum Sacramentum Ordinis Beatiſſima Virgo non recepit. Hoc autem ſecundùm exteriorem hominum reputationem aquandm præfert dignitatem, interius autem ſecundùm veritatem humilem pertinet ad

ſer-

ſervitutem. Undè per oppoſitum ſtatui Beatiſſimæ Virginis opponebatur, quæ interius ſummam coram Deo habuit dignitatem, exteriùs ſummam coram hominibus habuit humilitatem.

5 Et ita hoc Sacramentum non recepit Beata Virgo. Primò, propter ſtatus ſui contrarietatem. Secundò, propter humilem aliarum mulierum conformitatem, quæ ab hoc Sacramento excluduntur, videlicet propter ſexùs indignitatem, maiorem peccandi fragilitatem, & propter eam, quæ ex his ſequitur, regiminis incongruitatem. Tertio ad ſignificandum ſtatus ſui elevationem. Omnes enim Eccleſiæ dignitates ſunt introductæ ad ſervitium in ſalutem fidelium animarum. Undè Dominus in Evangelio: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic: ſed qui maior eſt veſtrum, &c. Matth.* 22. Undè & omnes Paſtores nominantur. Undè Bernardus *lib. 2. de Conſider. c. 5.* Non eſt quod blandiatur, ubi ſolicitudo maior: illa diſcrimen intendit, hæc amicum probat. Et infrà *c. 6.* Ad quid omnimodis attendendum: non enim ad dominandum opinor: nàm & Propheta cum ſimiliter levaretur, audivit: *Vt evellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Ierem.* 1. Quid horum faſtum ſonat? Ruſticitani magis ſudoris ſchemate quodam labor ſpiritualis expreſſus eſt. Et nos igitur ut multum ſentiamus de nobis, vel nobis impoſitum ſenſerimus miniſterium, non dominium datum.

6 Infrà: Diſce exemplo prophetico præſidere non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum quod tempus requirit. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro, ut opus facias Prophetæ Et quidem ille non regnaturus aſcendit, ſed extirpaturus. Anteceſſores tui Apoſtoli audierunt: quia *meſſis quidem multa, operarii verò pauci*. Paternam tibi vindicato hæreditatem. Nam ſi filius, & hæres. Ut probes hæredem, evigila ad curam: & non otio torpeas, nè & tibi dicatur: *Quid hic ſtas tota die otioſus. Matth.* 20. Multò minùs inveniri oportet, aut deliciis reſolutum, aut reſupinum pompis. Nihil horum tibi tabulæ Teſtatoris aſſignant.

7 Sed quid? Si illarum tenore contentus ſis, curam potiùs hæreditabis, & operam, quàm gloriam, & divitias. Blanditur Cathedra? Specula eſt. Indè denique ſuperitendis, ſonans tibi Epiſcopi nomine non dominium, ſed officium. Quidni loceris in eminenti, undè proſpectes omnia, qui ſpeculator ſuper omnia conſtitueris? Enimvero proſpectus iſte procinctum parit, non otium. Quandò libet gloriari, ubi otiari non licet? Non locus eſt otio, ubi ſedula urget ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Nam quid tibi aliud dimiſit Sanctus Apoſtolus? *Quod habeo*, inquit, *hoc tibi do. Act. 5.* Quid illud? Unum ſcio, non eſt aurum, neque argentum, cum ipſe dicat: *Argentum, & aurum non eſt mihi*. Et infrà. Neque ille tibi dare quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit, ſolicitudinem ſuper Eccleſias. Nunquid dominationem? Audi ipſum: *Non dominantes*, ait, *in Clero, ſed forma facti Gregis. 1. Pet. 5.* Ex his, & ſimilibus patet, quod dignitates Eccleſiæ introductæ ſunt in ſervitium, & miniſterium.

8 Beatiſſima autem Virgo aſſumpta eſt in ſalutis auxilium, & in Regni conſortium: Ipſa enim ſola miniſtris fugientibus compaſſa eſt. Unde & ſola Regni conſortium obtinuit, quæ laboris adiutrix fuit, juxtà illud: *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Geneſ.* 2. Licet autem Beatiſſima Virgo Sacramentum Ordinis non recepit, quidquid tamen dignitatis, vel gratiæ in ipſis confertur, de hoc plena fuit. In ipſis autem confertur ſeptiformis gratia: hæc autem omnifaria gratia plena fuit. Item ſunt in Sacramento ordinis poteſtas ſpiritualis, dignitas miniſterialis, & adminiſtratio executionis. Hæc autem tria Beatiſſima Virgo habuit in ſe æquipollenter, & excellenter.

Miniſtri Eccleſiæ habent dignitatem beneficialem per characterem excellentiæ: Beatiſſima autem Virgo habuit coronam Regni triumphantis, & militantis Eccleſiæ. Undè ſummus miniſtrorum Papa appellatur, & eſt Servorum Dei ſervus, hæc eſt Regina, & Domina Angelorum. Ille ſervus Servorum Dei: iſta Imperatrix totius mundi. Item in miniſtris eſt poteſtas ſpiritualis temporalis à Deo, vel ſubdelegata, vel vicaria: in Ipſa eſt plenitudo poteſtatis cœleſtis perpetua ex auctoritate ordinaria. Item in miniſtris eſt executio ligandi, ac ſolvendi per uſum clavium: in Ipſa eſt legitima dominandi poteſtas ad ligandum, & ſolvendum per imperium. Et ſic quidquid eſt dignitatis, & gratiæ in ordinibus, conſtat Beatæ Virgini minime defuiſſe.

9 Sed nè videatur virtutes, ſivè dignitates generales tantùm habuiſſe, & ſpecialibus caruiſſe, dicimus Ipſam ſingulorum ordinum dignitates, & gratias per æquipollentiam, & cum excellentia poſſediſſe. Habuit autem cum *Exorciſtis* dæmonum expulſionem. Undè *Geneſ. 3. Ipſa conteret caput tuum*. Et Iudith Holophernem interfecit: & Eſther vicit Aman. Cum *Oſtiariis* habuit introductionem mundorum, & excluſionem immundorum. Undè *Ezechiel.* 44. *Porta hæc erit clauſa Principi: Princeps egredietur per eam*. Quaſi diceret: Porta hæc Principem, & imitatores eius introducet, & indignis erit clauſa. Habet etiam cum *Acholytis* illuminationem. Undè *Cant.* 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, &c.* Et illud *Num.* 24. *Orietur Stella ex Iacob*. Item cum *Lectoribus* omnium Prophetarum expoſitionem ad literam in ſeipſa. Undè *Eſa.* 7. *Eccè Virgo concipiet, & pariet*. Et Angelus ad ſeipſam: *Eccè concipies, &c.* Doctrix eſt enim diſciplinæ Dei. Habet cum *Subdiaconis* Doctrinæ Apoſtolicę oſtenſionem. Undè ſignificatur per arcam, in qua fuit manna, & virga Aaron, ideſt, divina ſapientia. *Deuter.* 3. Habet autem cum *Diaconis* Verbi Domini conſervationem, aliis ad deſcribendum narrationem, conſiliorum Dei perfectam impletionem. Undè *Luc.* 2. *Maria conſervabat omnia verba, &c.*

10 Habet cum *Sacerdotibus* Dominici corporis per ſeipſam formationem, tractationem, communicationem, hoc eſt, quòd corpus Domini, mediante eius verbo, & conſenſu, de eius carnibus, & ſanguinibus formatum fuit, & ipſum familiariſſime, & diutiſſimè tractavit, & in cibum, & potum nobis communicavit: & per hoc nos omnes ad iugum ſuum ſuave, & onus ſuum leve charitate ligavit, & ab omnibus culpis, & pœnis

non

non ſolùm ſolutos oſtendit, ſed etiam abſolvit, juxtà illud *Ioan. 6. Qui manducat meam carnem, &c.* Habet cum *Epiſcopis* clericorum ordinationem, præbendarum collationem, templorum conſecrationem, ſacrarum Virginum velationem. Ordinat enim Epiſcopus Sacerdotes per Sacramenti collationem: Beatiſſima autem Virgo per continentiæ obligationem, iuxtà illud *Eſa. 52. Mundamini qui fertis vaſa Domini*. Confert etiam Epiſcopus prębendas inſtituendo: Beatiſſima autem Virgo præbendas faciendo. Conſecrat etiam Epiſcopus templa corporalia dedicando: Beatiſſima autem Virgo templa ſpiritualia, caſtimoniam inſpirando, & illam ſibi ſpecialiter vendicando. Conſecrat etiam Epiſcopus Virgines exterius benedicendo: coſecrat autem Beatiſſima Virgo Virgines interiùs virtutibus adornando, & eas filio ſuo deſponſando, & non tantùm Virgines, ſed & virginitatem conſecrando, & opprobrium ſterilitatis eis auferendo, & eas ſibi ſpecialiter in filias adoptando, & ad ſtatum digniſſimum exaltando, iuxtà illud *Sap. 6. Incorruptio facit proximum Deo*.

11 Habet convenientiam cum Papa Beatiſſima Virgo: habet enim Papa omnium Eccleſiarum ſolicitudinem, poteſtatis ſpiritualis plenitudinem, privilegiatorum actuum univerſalitatem. Eccleſiarum ſolicitudinem: quia *Papa* eſt *Pater Patrum*: Ipſa autem eſt Mater omnium Chriſtianorum, immò omnium bonorum, iuxtà illud *Sap. 7. Omnum bonorum Mater eſt*. Poteſtatis plenitudinem: habet enim Dominus Papa poteſtatis plenitudinem in vita iſta, ſed non in Cœlo, nec in Purgatorio, nec in Inferno: totam autem habet Beatiſſima Virgo poteſtatem in Cœlo, & in Purgatorio, & in Inferno. Privilegiatorũ actuum univerſalitatem habet Beatiſſima Virgo, ut patet ex eius privilegiis, quæ ſunt: Quod eſt Mater Dei: Mater, & Virgo: Virgo Virginum: Mater Matrum: Mater omnium: Stella maris: Porta Cœli: denique quia communicavit Filii paſſioni: & ſuprà Angelorum hierarchias exaltata.

12 Denique inquit Albertus Magnus: Et nota, quòd cum Beatiſſima Virgo Sacramenta peccatoribus inſtituta humiliter ſuſceperit, non propter hoc ſe mentiens peccatricem opere, falſum dixit, ſed ultrà debitum in bonis ſe peccatoribus conformans, ſe verè opere eſſe humilem demonſtrans, per omnia verum dixit. Sic manifeſtum eſt, quicquid eſt dignitatis, vel gratiæ in Sacramentis Eccleſiæ, plenitudini gratiæ, quæ fuit in Beata Virgine, omninò nihil deeſſe, ſed eam hoc totum, vel in gratiis Sacramentalibus, vel in earum æquipollentibus, vel excellentibus plenariè poſſediſſe. Hæc ille. Ex quo Alberti Magni diſcurſu inferimus Beatam Virginem in regalis ſacerdotii dignitate, & excellentia gratiæ ſacerdotalis ipſi Melchiſedech eſſe præferendam.

§. II.

Abraham, & Beatam Virginem ſimilibus non ſolùm præfulſiſſe virtutibus, ſed & eundem à Dei Matre in ipſis ſuperatum oſtendimus.

13 MElleus Ambroſius in hoc paragrapho dux nobis erit ad ea, quæ de Abraham ſunt dicenda, quatenus ex conſimilibus Mariæ virtutibus inter utrunque paritatem quandam invenire poſſimus, excellentiori tamen modo in animo Virginis. Et primo quidem Ambroſius *lib. 1. de Abraham c. 1.* ipſum tanquàm Virum Sapientem prò Republicà benè ordinanda in exemplum proponit, dicens. Etenim cum Dominus Deus noſter hunc locupleti benedictionis ſuæ dote donaverit, ut eius gratia provocaret cęteros, inſtitutione corrigeret: Moyſes quoque imitandum eundem nobis deſcripſerit, ut corda hominum in vitium labentia, hujus viri contuitu velut è quodam terreno buſto reſuſcitaret: non perfunctorium debet videri, ſi nos quoque ſcrupuloſiùs ejuſdem viri verſemus veſtigia. Nàm ſi Sapientes huius mundi, & Plato ipſe Princeps Philoſophorum, non veram aliquam, ſed fictam, & adumbratam ſibi eam, quam legimus πόλιν propoſuit ædificandam, ut doceret qualem Rempublicam eſſe oporteret: atque ità quam nec audierat, nec viderat in urbe aliqua deſcribendam putavit, ut ii quibus hoc munus eſt, quemadmodum Rempublicam gererent, inſtitui poſſent: Et ſi condiſcipulus Platonis Xenophon ille Socraticus fictis & ipſe rebus perſonam voluit informare ſapientis in eo libro, quem Κύρυ παιδείαν inſcribit, ut ex intimo Philoſophiæ ſinu Regis iuſti, & ſapientis diſciplina procederet: quantò magis nos non compoſitam figuram ſapientis viri, ſed expreſſam virtutem, & divino inſtitutam magiſterio, recenſere intentiùs, & vias eius debemus perſequi, quem Moyſes ità deſcripſerit, ut retro quodammodo ſe ipſe reſpiceret? Magnus planè Vir (ſubjungit *c. 2.*) & multarum virtutum clarus inſignibus, quem votis ſuis Philoſophia non potuit æquare. Denique minùs eſt quod illa finxit, quam quod iſte geſſit, maiorque ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides.

14 Aſſurgat modo oratio noſtra, & quam Beata Virgo Reipublicæ benè gerendæ expreſſerit formam, ediſſerat. Non quidem Rempublicam à Platone ſomniatam inſtituit, nec Cyri pedian excogitatam à Xenophonte, ſed qualiter humanorum ſenſuum Reſpublica perfectè regeretur, in ſeipſa, & ſui docuit exemplo. Ita enim ſenſus ſuos exteriores, & interiores direxit, ut nemo eorum à virtutis regula exorbitaret. O præclaram Rempublicam, & pulcherrimam Civitatem, in qua nihil à Dei lege declinabat, & de qua dici poteſt illud *Pſal. 86. Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei*. Cuius quidem Civitatis regimen, politiam, pulchritudinem tranquillitatis, & pacis, & concordem civium harmoniam deſcribit Albertus Magnus lib. 11. de laudib. B. *Mariæ* c. 1. ubi probat, quòd *Maria* eſt Civitas Dei, & à nominis etymologia ſuam deducendo probationem, inquit.

15 Civitas, ſecundum Iſidorum eſt concors hominum multitudo, ſocietatis vinculo adunata: dicta eſt à civibus, id eſt, ab ipſis incolis urbis, pro eo quòd plurimorum conſciſcat, & contineat vitas. Nam urbs ipſa mœnia ſunt: civitas autem non ſaxa, ſed habitatores vocantur. *Vrbs* enim vocatur *ab orbe*: quia antiquæ civitates fiebant in orbe. Hæc omnia Beatæ Virgini poſſunt adaptari, quæ eſt illa Civitas, de qua in *Pſal. 86. Glorioſa dicta ſunt de te*, *Civitas Dei*. Hæc glorioſa ſunt, quod Beatam eam dicunt omnes generationes. *Maria*, *Civitas*, quæ dicitur quaſi *Civium unitas*, id eſt, ſenſualitatis, & rationis plena concordia. Cives hujus civitatis, ſanctæ cogitationes, devotæ affectiones, ferventia deſideria, & hujuſmodi, quæ omnia tendebant ad illud unum, quod *eſt neceſſarium*. *Luc. 10.* Regebantur autem cives iſti conſilio Spiritus Sancti: quia cives conſilio ſunt regendi, & adverſarii fugandi, & fugiendi.

16 Benè etiam civium unitas: quia ibi nec caro concupiſcebat adversùs ſpiritum, nec ſpiritus adversùs carnem, nec aliquid erat rebellionis, aut contradictionis in corpore ejus, vel anima, cùm eſſet etiam Arca Noe, in qua omnia animalia, id eſt, motus ſenſualitatis, fuerunt pacifica: & ideò ſummus habitator ibi pacificè hoſpitatus eſt, & ibi in pace factus locus ejus. *Civitas Dei*. Hoc dicitur ad differentiam civitatis Babylonicæ, quæ diaboli eſt, in quam Dominus non ingredietur. *Oſeæ* 11. Benè civitas Dei, quæ tota fuit Dei, & nullius niſi Dei: quia nihil in ea habuit pars adverſa. Ideò dicit Ipſa *Cant. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi*. Ideò etiam Dilectus toties vocat eam ſuam in Canticis, dicens: *Amica mea*, *Columba mea*, *Soror mea*, *Sponſa mea*, & hujuſmodi. Item Civitas Dei: quia ſola digna tanto Rege, tanto Pontifice, tanto Fundatore, tanto inhabitatore, & hujuſmodi. Ideò dicitur in *Pſal. 47. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Civitate Dei noſtri*, &c. Hæc ille. Vides ergò, qua ſapientiæ lege, quo virtutum magiſterio, quibus præceptis, conſiliiſque B. Virgo, animi Civitatem, morum, & affectuum Rempublicam edocuerit perfectè eſſe regendam.

17 Pergit Ambroſius, & c. 2. ejuſdem lib. 1. Abraham pro devotionis typo proponit. Itaque, inquit, cujuſmodi fuerit in eo Viro devotio, conſidemus. Ea enim virtus ordine prima eſt, quæ eſt fundamentum cęterarum: meritoque hanc ab eo primã exegit Deus, dicens: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui*, &c. *Geneſ. 12.* Satis fuerat dixiſſe, *de terra tua*. Ibi enim erat exire de cognatione, exire de paterna domo. Sed ideò addidit ſingula, ut ejus affectum probaret, nè fortè aut imprudenter cœpiſſe videretur, aut fraus aliqua mandatis cœleſtibus pararetur. Sed ſicut coacervanda fuerunt præcepta, nè quid lateret: ita etiam proponenda præmia, nè fortè deſperaret. Tentatur ut fortis, incitatur ut fidelis, provocatur ut juſtus, meritoque exivit, quemadmodùm locutus eſt illi Dominus. Hoc autem quod pro magno inter ſeptem ſapientum dicta celebratur, ἕπυ θεῷ hoc eſt, *ſequere Deum*, perfecit Abraham, factoque ſapientum dicta prævenit, & ſecutus Deum, exivit de terra ſua.

18 Miror, niſi Abrahæ egreſſus de terra ſua fuerit in typo egreſſus Virginis de paterna domo in tenella ætate, trium ſcilicet annorum, ut à Parentum amplexibus elongata Deum ſequeretur, & ipſius voci, quà eam ad Templum vocabat, obediret, juxtà illud quod dicitur *Pſal. 44. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui*. Et planè trimula Virgo à maternis avulſa uberibus, obſequens divinæ voci properat exire de patria domo, atque ad Templum adducitur, ait Damaſcenus lib. 4. de Fide c. 15. ac deindè in domo Dei plantata, atque per Spiritum ſaginata, inſtar olivæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur: ut quæ videlicet ab omni hujuſce vitæ, & carnis concupiſcentià mentem abſtraxiſset, atque ita virginem una cum corpore animam conſervaſset, ut eam decebat, quæ Deum ſinu ſuo exceptura erat.

19 Undè pulcherrimè dicitur in Teſsera Militis Chriſtiani ſub die 21. Novemb. dicitur inquam ex Ambroſio ſerm. 2. de Virginib. *Maria* quidquid egit, diſciplina eſt. Ubi autor ſubjungit Interpres: Quantum quis eſt avidus, ut ſciat, tantum ſit cupidus, ut diſcat: non enim acquiritur doctrina ſine diſciplinà. Magiſtra nobis eſt una, ſed communis omnium, ſub cujus diſciplina hauries præcepta omnia virtutum omnium. Adhuc vernabat in flore infantiæ, flos Virginum, in qua tamen præter ætatem nihil erat puerile: necdum enim nata, jam Cœlo erat adulta, quia cœleſtibus virtutibus matura. Itaque jam tum in viridi ætate, cana meditabatur conſilia. Quæ ut exequeretur, à Joachimo, & Anna (pro quale par hominum!) deducitur ad templum, Ipſa animatum Spiritus Sancti templum: conſcendit trimula annis, gravida meritis, quindecim gradus, quæ jam virtutum omnium gradus prætergreſſa, ſtabat in ſummo gradu conſummatę perfectionis. Ingreſſa auguſtũ delubrum, à Salomone tot gregum, & armentorum cruore luſtratum, ſui ſacrificio illud, plus quàm Salomon illuſtravit. Ubi cùm ſe voto virginitatis Deo obtulit, ſignum ejuſdem virginitatis futuris extulit, & contrà virginitatis hoſtes bellicum cecinit. Si, teſte hodiernæ diei teſſerà, quidquid illa egit, agendi eſt diſciplina, omnis ejus actio, noſtra eſt inſtructio. Ut te totum amore tuo toto te Deo conſecres, non docuit præcepto, ſed exemplo: ſis tu ipſe in cordis tui ſacrario Sacerdos tui, cadat victima amori Divino, amor humanus: nihil Deo offers, licet omnia tua, niſi & te. Hæc ille.

20 Et vide, quàm nobilis Virginis fuerit de laribus paternis egreſſus, ut Creatori ſuo præberet obſequium, & quàm auguſto ad templum virtutum famulitio comitata perrexerit. Bartholomæus enim de Piſis lib. 2. de laudib. Beatæ Virg. Fructu 1. aſſignans cauſas, à quibus impulſa, penè in ipſius vitæ crepundiis, advolavit ad templum, nobiliſſimum virtutum comitatum, quæ illam ſecutę ſunt, etiam deſcribit, dicens. Sed hic quęri poteſt ex quibus, & à quibus glorioſa Virgo excitata, & permota fuit ad aſcendendũ templum, ut ibi diuturno tempore maneret. Dicendum quod multis

de cauſis, inter quas, quemadmodum in templo erant in aſcenſu quindecim gradus, quod etiam modò Sancta Mater Eccleſia ſpiritualiter obſervat, ita in Virgine Beata quindecim aderant, quæ eam impellebant ad aſcendendum templum, in quo divina perſolvebantur ſacrificia.

Primum *Fides* in intellectu, qua credidit firmiter Deum poſſe facere, & ei tribuere, quod dederat, & fecerat. Secundò *Spes*, quæ in Ipſa non fuit obliqua, ut communiter dicitur; *Spes, quæ differtur, affligit animam*, *Prov.* 13. Speravit enim ipſa in Deo ſalutari ſuo. Tertiò *Charitas*, quæ circundedit totam ejus voluntatem. Et hic quæri poteſt: An in Virgine in præſenti ſtatu viæ fuerit actus perfectus charitatis, ita quòd actualiter ſemper, & continuò fuerit in ea? Reſpondetur quòd non: quia talis actus tantummodò fuit in anima Chriſti actualiter, & nunquàm interruptus. Si verò loquamur habitualiter, utique talis habitus charitatis ſemper fuit in ea, quia à peccato originali præſervata, & in utero in gratia confirmata.

21 Quartò magnum *Gaudium*; quia Deo unita, majori unione, quàm aliqua pura creatura. Quinto *Pax* tranquilla, ut manifeſtatur in illo *Pſal.*... *In pace factus eſt locus ejus*. Habuit enim pacem in corde, viſceribus, intellectu, affectu, cum Deo, Angelis, & juſtis, & etiam cum peccatoribus, eorum cupiens ſalutem. Sextò *Longanimitas*: decrevit enim perpetuò, & toto tempore vitæ ſuæ inviolatam ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. Septimò *Modeſtia*, quia in inceſſu gravi, modeſto, atque tantæ Virgini correſpondenti: Fuit enim nota ejus modeſtia omnibus eam inſpicientibus, quia nullus unquam eam carnaliter concupivit. Octavò *Patientia*, quæ eſt virtus ſumma laudata, de qua dicitur alibi: *Patientia omnia vincit*. Nonò *Benignitas*, quæ etiam Deo attribuitur, ut dicitur *Pſal.* 50. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion*. Decimò *Manſuetudo*, quæ adeò Beatam Virginem circundedit, ut verè dici poſſit de ea altiori modo, quàm de Moyſe, qui fuit manſuetiſſimus ſuper omnes homines. *Maria* ergò fuit adeò manſueta, quod nulla pura creatura poſſit ei comparari.

22 Undecimò *Caſtitas*, quæ potiùs dici poteſt inviolabilis Virginitas, eò quia fuit Virgo antè partum, in partu, & poſt partum. Duodecimò *Humilitas*, in qua adeò profecit, quòd dixit: *Eccè Ancilla Domini*, dùm eſſet electa in Matrem; & Ipſa de ſeipſa dixit in Cantico: *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*. Tertiodecimò *Veritas*, quæ adeò illuſtravit intellectum Virginis, quòd veridicè cognoverit cuncta; cùm veritas ipſa naturaliter loquendo, nil aliud ſit, niſi adæquatio rei ad intellectum: tali ergò lumine veritatis Virgo in intellectu illuſtrata, pariter & divina gratia perfuſa, cognovit præterita, præſentia, & futura. Quartodecimò *Iuſtitia*, quæ unicuique reddit quod ſuum eſt: fuit enim Virgo glorioſa hac virtute ornata, ut Deo, ſibi, & juſtis traderet quod competebat, Deo verum cultum, ſibi lætitiam ſpiritualem, & juſtis debitum honorem. Decimoquintò *Perſeverantia*, in qua ita profecit, ut nunquam ſaltem habitualiter amoveretur.

23 His ergò, quindecim gradibus ſuccinctè expoſitis, Virgo Beata tanquàm à quindecim ſtellis excitata, & ornata impellebatur aſcendere templũ, ſcilicet ſtabili *Fide*, firma *Spe*, ardenti *Charitate*, immenſo *Gaudio*, compoſita *Pace*, profuſa *Longaminitate*, plena *Modeſtia*, invincibili *Patientia*, incredibili *Benignitate*, devota *Manſuetudine*, inviolabili *Virginitate*, profunda *Humilitate*, certa *Veritate*, recta *Iuſtitia*, & grata *Perſeverantia*. Hactenus ille. Ex quibus vides quantum Beata Virgo præcellat Abraham in egreſſu de paterna domo, dum tot, & tantarum virtutum egregio ſtipata famulitio proficiſcitur ad templum.

24 Tertiam denique lineam Ambroſius lib. 2. de Abraham c. 1. exarat in tanti Patriarchæ præconium, quem vult virtutis profectum, mentiſque dominium ſignificare, & ad hoc oſtendendũ, pulcherrimam Adæ, & Abrahæ allegoriam intexit. Non abſurdum, inquit, reor, referre ad altiora ſenſum, & per hiſtoriam diverſarum perſonarum, virtutis formę quendam proceſſum explicare: maximè cum lib. de Parad. c. 2. jam in Adam intellectus profundioris exordia deguſtaverimus. Adam etenim mentem diximus, Evam ſenſum eſſe ſignificavimus, ſerpentis ſpecie delectationem expreſſimus; ſed ibi de ſumma beatitudine, & quadam naturali virtutum amœnitate, per circumventionem ſenſus, & delectationis illecebram, deflexus ad culpam eſt: hic autem ad profectum mentis ſpeculari datur. Hoc enim Legiſlatorem providè egit, ut quemadmodum lapſum mentis demonſtravit, ut illas erroris caveremus ſemitas; ità etiam proceſſum mentis, & quendam ſuperiorem reditum ſignificaret, ut quemadmodũ infracta mens reformare ſe poſſit, cognoſceremus. Purgaverat enim terram Dominus in diluvii infuſione, laverat humanæ colluvionem fragilitatis: ſed non ſatis erat ad virtutum profectum, niſi ut inſtitueretur homo, quemadmodum ſe regeret, & gubernaret. Abraham mentis loco inducitur. Denique *Abraham, tranſitus*, dicitur. Ergò ut mens, quæ in Adã totam ſe delectationi, & illecebris corporalibus dederat, in formam virtutis, ſpeciemque tranſiret, vir ſapiens nobis ad imitandum propoſitus eſt. Denique *Abraham* ſecundùm Hebræos, & ſecundum Latinos *Pater* dictus eſt, eò quod mens paterna quadam auctoritate, cenſione, & ſolicitudine totum gubernet hominem. Hæc ergò mens erat in Charra, ideſt, in cavernis, obnoxia variis paſſionibus. Ideoque dicitur ei: *Exi de terra tua*, hoc eſt, de corpore tuo. Exivit de hac terra ille, cujus converſatio in Cœlis.

25 Ex hoc eleganti Ambroſii diſcurſu imaginem potiùs Mariæ, quam Abrahæ depictam habemus. Ipſa ſiquidem excellentiori ſchemate in virtutis formam, ſpeciemque propoſita eſt. Neque enim dubitari poteſt, quòd Ipſa non ſit, in ſpiritualis profectus normam hominibus data, cùm nulli unquam fuerit obnoxia peccato, & quotidiè ad majora virtutum incrementa progrediendo proficeret. Nam, ut ait Juſtinianus ſerm. de Purific. B. Virginis, Conferente ſecum Maria de omnibus, quæ legendo, audiendo, videndo cognoverat, ò quantùm creſcebat in fide, augebatur meritis, ſapientia illuſtrabatur, magis, magiſque charitatis cremabatur incendio. Et rediviva ſiquidem ſacramentorum cœleſtium reſeratione promota com-

ple-

plebatur lætitia, ſpiritu fœcundabatur, admirabatur nimiùm, dirigebatur in Deum, & humilis cuſtodiebatur in ſe. Tales prorſus divinæ gratiæ ſunt profectus, ut de imis elevent ad ſumma, & de claritate in claritatem transforment.

26 Beata planè mens Virginis, quæ per inhabitantem Spiritum, ac magiſterium, verbi Dei ſemper in omnibus parebat imperio. Non ſenſu proprio, non ſuo ducebatur arbitrio, ſed quod intus ſapientia innuebat ad fidem, foris hoc corporis miniſterio peragebat. Decebat utique divinam Sapientiam, quæ ſibi ad habitandum domum ædificabat Eccleſiæ, ut de legis cuſtodia, de purificatione mentis, de humilitatis norma, & de ſpirituali oblatione, *Mariæ* ſanctiſſimæ medio uteretur. Erat profectò Ipſa talis, & tanta, ut illi minimè reperiretur ſimilis. Erat, inquam, corpore Virgo, carne incorrupta, prole fœcunda, virtute perfecta, moribus compoſita, Sanctitate redimita, honeſtate conſpicua, mente pura, corde ignita, animo ſuſpenſa, gratia plena, ſapientia perfuſa, Deo conjuncta, Verbo propinqua, myſteriis divinis imbuta, Angelorum conſortio cuſtodita, & à Spiritu Sancto abſque temporis intervallo poſſeſſa. Hæc ille. Denique concludat Ambroſius *lib.* 2. *de Virginib.* Sit vobis tanquam in imagine deſcripta Virginitas, vitaque Beatæ Mariæ: de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt.

§. III.

Qua ratione Ruben deſignet in Virgine cæleſtium excellentiam viſionum.

27 NOn aliunde propoſiti Tituli poſſumus habere rationem, quàm ex vocabuli ſignificatione. Quandoquidem juxtà Hieronymum de interpretationibus nominum Hebraicorum, *Ruben, videns filium*, vel *filius viſionis* interpretatur. Et Deipara quidem meo iudicio *Filia viſionis* vocari poteſt, juxtà illud *Pſal.* 44. *Audi filia, & vide*. Nam quod Beata Virgo cœleſtium Angelorum viſione frueretur, inter multos Placidus Nigidus *Opuſc.* 4. *ſerm.* 1. *de Annunciat. Virginis* affirmat, dicens: Solita quidem videre, ac colloqui Angelos, à quibus quotidie frequentabatur, quorumque eſſentiam ipſam fortaſſis infuſis ſpeciebus videbat; præſertim Gabrielis fideliſſimi cuſtodis, & obſervantiſſimi cubicularii.

28 Unde Divus Thomas 3. par. qu. 30. art. 3. in reſponſione ad 1. licet neget Beatam Virginem prò ſtatu viæ vidiſſe Angelos in ſua ſubſtantia, concedit tamen Ipſam præter viſionem Angelorum corporalem, etiam percepiſſe intellectualem illuminationem. Undè eorum argumento, qui conabantur probare, quòd Angelus annuncians Dominicæ Incarnationis ſacramentum non debebat Virgini apparere viſione corporali, ſed intellectuali: quia viſio intellectualis eſt dignior, quàm corporalis, ut dicit Auguſtinus 12. ſuper *Geneſ.* ad literam. Et præcipuè ipſi Angelo eſt magis conveniens: nam viſione intellectuali videtur Angelus in ſua ſubſtantia; viſione autem corporali videtur in aſſumpta figura corporea: ſed ſicut ad annunciandum conceptum divinum decebat venire ſummum Nuncium, ita etiam videtur, quòd decuerit eſſe ſummum genus viſionis. Ergò videtur, quòd Angelus annuncians apparuit Virgini viſione intellectuali: eorum inquam argumento reſpondet.

29 Ad primũ ergò dicendũ, quòd intellectualis viſio eſt potior, quàm viſio imaginaria, vel corporalis, ſi ſit ſola: ſed ipſe Auguſtinus dicit, quòd excellentior eſt Prophetia, quæ habet ſimul intellectualem, & imaginariam viſionem, quam illa, quę habet alteram tantùm: Beata autem Virgo non ſolùm percepit viſionem corporalem, ſed etiam intellectualem illuminationem: unde talis apparitio nobilior fuit. Fuiſſet tamen nobilior, ſi ipſum Angelum intellectuali viſione in ſua ſubſtantia vidiſſet: ſed hoc non patiebatur ſtatus hominis viatoris, quòd Angelum per eſſentiam videret.

30 Et ſi dicas, ut habetur in tertio argumento oppoſito, quòd corporalis viſio ſpiritualis ſubſtantiæ, videntes ſtupefacit: undè & de ipſa Virgine cantatur: *Expaveſcit Virgo de lumine*: ſed meliùs fuiſſet, quòd à tali turbatione mens ejus eſſet præſervata. Non ergò fuit conveniens, quòd hujuſmodi annunciatio fieret per viſionem corporalem.

Ad ſolutionem hujus argumenti reſpondet in fine. Quidam tamen dicunt, quòd cum Beata Virgo aſſueta eſſet viſionibus Angelorum, non turbata fuit in viſione Angeli: ſed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur, quia de ſe tàm magnifica non cogitabat. Undè & Evangeliſta non dicit, quòd turbata fuerit in viſione Angeli, ſed in ſermone ejus.

31 Verùm quia multi probabiliter tenent, ut alibi diximus, quòd Beata Virgo per modum tranſeuntis, in conceptione Verbi, Deum viderit per eſſentiam, quid obſtat dicere, quod eodem modo Angelos in ſua ſubſtantia videre potuerit? Maximè cùm hi ſint creaturæ, & eſſentiæ creatæ: Deus autem increata, & creatrix eſſentia. Planè Ipſa videns filium, in conceptu filii, ut Placidus Nigidus inquit ſerm. ſupra citato. Agedùm. Et ex his adhuc de lætitia Beatæ ejuſdem fieri poteſt, quæ nimirum, ac quanta fuerit in inſtanti illo, quo à virtute altiſſimi illuminata eſt; nam ſi unum, eundemque Filium voluit cum illa Pater habere communem, quomodò non & lætitiam in gignendo? *Germinans germinabit*, ait *Eſa.* 7. *& exultabit lætabunda, & laudans*. Et undè lætabunda? Ex viſione Dei tunc fortaſsè per tranſennam. Carnem miniſtrabat, & divinitatem videbat.

32 Ita fiebat, ut diceret quæ exprimi nequeant. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. *Cant.* 2. *Eccè enim ex hoc*, ait, *beatam me dicent*. *Luc.* 1. Et dicent, ò Virgo, & meritò dicent; quia es: nam etſi in conceptione Verbi non in ſempiternum gloriam accepiſti, & permanentem; per tranſennam tamen hauſiſti, & in arram; oſculum ſcilicet, quod futuri in ſempiternum conjugii firmiſſimum eſſet argumentum. Et quid mirum ſi tunc beata, ò Vir-

go, in conceptu filii tui; quandò & omnes in Chriſto beati. Sicut lætantium omnium habitatio tunc fuit in te: fuit enim in te cœleſtis Adam, in quo omnes fuimus, primo lætante, ac gaudente.

33 Cùm multa alia tempora tributa ſint à viris Patribus Dominæ, in quibus eo ſe evectam dixerint contemplationis, ut per tranſennam viderit divinam eſſentiam, eaque per aliquod tempus gaviſa ſit, cùm id in primis, & meritò cùm ſibi debitricem ipſam Sanctiſſimam Trinitatem totam effecerit aſſenſu obedientiæ ſuæ: cùm ſe uſque ad inferna depreſſit per humilitatem: cùm Deum decore, id eſt, virginea carne veſtivit: cùm ſponſa Altiſſimi facta eſt, & Domina gloriæ, aſſeditque glorioſa in eodem Solio cum Patre, collega Patris effecta: cùm domus, & templum beatitudinis evaſit, & vera Paradiſus. Hactenus ille. Jure ergò *Mariam* videntem filium, filiamque viſionis, & rerum cœleſtium ſpectatricem vocamus.

§. *IV.*

Quid præſignaverit Iſaac Patriarcha, in quo excellit Beata Virgo.

34 EXorere Iſaac, tuorum Parentum lætitia, ac tripudium, qui propterea ſortitus es nomen à riſu: Matre Sara dicente in ortu tuo *Geneſ.* 20. *Riſum fecit mihi Dominus, & gaudium.* Ex hoc igitur capite Iſaac nativitati Virginis Beatiſſimæ præluſit, quæ tanquàm riſus edita, quia nunquam fuit in luctu, totum orbem lætitia perfudit: undè & devotè in ejus ortu Sancta Mater canit Eccleſia: *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo gaudium annunciavit univerſo Mundo.* Quidni tripudio Orbis univerſus exultet, cùm lætitiæ ſuæ cauſam oriri videat? Quidni omnis creatura effundatur in riſum, cum floridam de frigido, & effœto Parentum ſenio prodire videat Roſam, quæ Riſum eſt paritura immortalem?

35 Meritò Cardinalis Petrus Damianus ſerm. 2. de Nativit. Virginis inquit. Nativitas Beatiſſimæ, & intemeratæ Genitricis Dei meritò præcipuum, & ſingulare præbet hominibus gaudium, quæ totus extitit humanæ ſalutis exordium. Sicut enim omnipotens Deus ineffabili providentiæ ſuæ intuitu, antequàm homo fieret, hominem periturum diabolica machinatione prævidit, ſic etiam redemptionis humanę conſilium antè ſecula in immenſæ pietatis ſuæ viſceribus habuit. Et non ſolùm qualiter redimeret, modum, & ordinem in profundiſſima ſapientiæ ſuæ ratione conſtituit; verùm etiam quandò redimeret, certum temporis articulum præfinivit. Sicut ergò impoſſibile erat, ut humani generis redemptio fieret, niſi Dei Filius de Virgine naſceretur; ita etiam neceſſarium fuerat, ut Virgo, ex quà Verbum caro fieret, naſceretur. Oportebat quippè prius ædificari domum, in quam deſcendens cœleſtis Rex habere dignaretur hoſpitium. Illam videlicet, de qua per Salomonem dicitur *Prov.* 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* Septem nanque virginalis hæc domus ſuffulta columnis extitit, quia venerabilis Mater Domini ſeptem Sancti Spiritus donis, id eſt, ſapientiæ, & intellectus; conſilii, & fortitudinis: ſcientiæ, & pietatis, atque timoris Dei dotata fuit. Quam utique æterna Sapientia, quæ attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter; talem conſtruxit, quæ digna fieret illum ſuſcipere, & de intemeratæ carnis ſuæ viſceribus procreare. Neceſſe erat prius erigi thalamum, qui venientem ad nuptias ſanctæ Eccleſiæ ſuſciperet Sponſum, cui David exultans in ſpiritu, epithalamium canit, dicens: *Tanquam Sponſus Dominus procedens de thalamo ſuo. Pſal.* 18. Meritò ergò hodie profuſis gaudiis totus ubique terrarum Orbis exultat; meritò univerſa ſancta Eccleſia, naſcente Sponſi ſui Genitrice, ut ita præ gaudio dixerim, feſcennini carminis laudes alternat.

36 In homilia autem de Nativit. Virg. Gaudeamus, inquit, & exultemus in nativitate Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, quæ novũ mundo nunciavit gaudium, & totius extitit humanæ ſalutis exordiũ. Exultemus, inquam, & ſicut gaudere ſolemus in nativitate Chriſti, ita etiam nihilominus gaudeamus in nativitate Matris Chriſti. Hodie nata eſt Regina mundi, feneſtra Cœli, janua Paradiſi, tabernaculum Dei, ſtella maris, ſcala Cœleſtis, per quam ſupernus Rex humiliatus ad ima deſcendit: & homo, qui proſtratus jacebat, ad ſuperna exaltatus aſcẽdit. Hodie apparuit Stella mundo, per quam Sol juſtitiæ illuxit mundo. Illa videlicet, de qua per Prophetam dicitur: *Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſrael. Numer.* 24. Hodiè nata eſt ſplendidiſſima illa Virgo, ex qua proceſſit ſpecioſus forma præ filiis hominum, tanquàm Sponſus de thalamo ſuo. Hodie prodiit ex utero matris, quæ templum fieri meruit divinitatis. Hodie impleta eſt prophetia illa, quam eximius Prophetarum Eſaias quaſi Præco factus ad adventum Reginæ mundi, magna voce clamabat, dicens: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet. Eſa.* 11.

37 Et benè hæc incomparabilis Virgo, virga dicitur, quæ & per intentionem deſiderii ad ſuperna emicuit; & per ſinceritatem boni operis, diſtortæ nodoſitatis vitium non incurrit. De qua virga Redemptor noſter quaſi flos aſcendit, qui Martyribus, & Confeſſoribus ſuis, totius orbis campos velut roſis, & liliis decoravit. Singularis nanque flos ſanctæ Eccleſiæ ipſe eſt, ſicut de ſemetipſo in Canticis Canticorum loquitur, dicens: *Ego flos campi, & lilium convallium. Cant.* 2. Hoc lilium non in montibus, ſed in convallibus naſcitur; quia ſuperbis Deus reſiſtens, in humilium cordibus invenitur. Lilium vocatur Chriſtus, lilium dicitur & Mater Chriſti, ſicut in eodem Cantico ſubinfertur: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Cant.* 2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic Beatiſſima Virgo *Maria* enituit inter filias: quæ de ſpinoſa propagine Judæorum nata, candeſcebat munditia Virgineæ caſtitatis in corpore, flammeſcebat autem ardore geminæ charitatis in mente, flagrabat paſſim odore boni operis, & tendebat ad ſublimia intentione continua cordis. Hæc ille.

38 Quidni etiam Angeli, & primævi Parentes, in ejus exortu, quæ lætitiam Cœlis, terræque re-

fu-

fudit, præclaro gaudio jubilent? Ita Thomas de Villanova Conc. 2. de Nativit. *Mariæ* teſtatur. Hujus, ait, Virginis hodie natalitia celebramus: illius natalitio debitum honorem rependimus. Hodie enim velut placidus Lucifer in medio caliginis, tenebroſa nocte repente mundo apparuit. Lætantur Angeli, feſtivumque Virgini carmen exolvunt: tripudiant, quia ſalus mundi jam inſtat, jamque naſcentia primordia vident, quibus inſtauranda civitas ſua eſt. O quanta lætitia, quale gaudium in cœleſtibus agitur! Virga enim illa de radice Ieſſe, in Sanctis Patribus tàm longè priùs ſeminata, hodiè pullulat, exoriturque: de qua flos naſciturus, quo medicandus eſt orbis: flos, cujus odore reviviſcunt mortui: cujus ſapore curantur ægroti: cujus decore lętantur Angeli: flos candidus, & rubicundus, *in quem deſiderant Angeli proſpicere.* 1. *Pet.* 2.

39 Lætare ò Pater Adam, ſed magis tu Eva Mater exulta; qui ſicut omnium Parentes, ità omnium fuiſtis interemptores; & quod infeliciùs eſt, priùs peremptores, quàm Progenitores: ambo igitur conſolamini ſuper filia, & tali filia. Quid dicebas ò Adam? *Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Geneſ.* 3. Eccè redit tibi hodiè fœmina prò fœmina; prudens prò fatua; humilis prò ſuperba: quæ prò ligno mortis, guſtum tibi porrigat vitæ, & prò venenoſo cibo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. O admirabilem, & omni honore digniſſimam Virginem! O fœminam ſingulariter venerandam, ſuper omnes fœminas admirabilem, Parentum reparatricem, poſterorum vivificatricem!

40 Perpulchrè etiam Laurentius Juſtinianus *ſerm. de Nativit. Virg.* Quanta, inquit, qualiſve ſit, quæ hodiè nata eſt, ſalubriter agnoſcamus. Nempe in eius ortu lætati ſunt Cœli, decantaverunt Angeli laudes Deo, promulgata eſt pax, humanæ ſpeciei cœpit aboleri opprobrium, atque fugatis tenebris, quæ totum occupaverant orbem, radios ſuos rutilans Aurora perfundit. Solis quippè juſtitiæ utcunque irradiata fulgore, placidum in ſe aſpicientibus præbebat affectum. Quæ enim ſanctificata in utero; ac ab omni culpæ originalis fuerat liberata contagio, gratię plenitudinem, quam mente perceperat, protendebat exterius. Illam profecto adhuc in utero matris decubantem adamavit Verbum, ſibique in Genitricem elegit, utpotè ſuperabundanti jam benedictione præventam, iamque Sancti Spiritus magiſterio deputatam. Ipſam idem Spiritus cuſtodivit à carnis colluvione immunem, à libidinis delectatione expertem, à ſeculi amore alienam, atque ab univerſorum criminum contagione immaculatam.

41 Tota pulchra, abſque delicto, ſinè mentis, & corporis deformitate, Deo, & hominibus amabilis habebatur. Sanctitatis etenim perlucidum erat ſpeculum, pudicitiæ ornamentum, Virginitatis gloria, humilitatis forma, honeſtatis rivulus, exemplar continentiæ, ſapientiæ thronus, magiſtra virtutum, decus hominum, lætitia Angelorum, mundi interventrix, & æterni Patris filia prædilecta. Nullus planè mortalium, quamvis donorum Cœleſtium numeroſitate ſit præditus, huic valet Virgini coæquari. Patriarcharum utique, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, omniumque Sanctorum merita *Maria* beata tranſcendit. Hanc univerſa ſupernorum civium multitudo veneratur, colit, & laudat. Quamobrem tota per orbem terrarum diffuſa Sancta Mater exultet Eccleſia, quæ huius Virginis eſt hodiè illuſtrata natali. Nemo à laude illius ſecernitur, nullus ab iſtius diei feſtivà jubilatione excluditur. Alternatim itaque pſallant Chori, Virginum turba lætetur, plebs fidelium gaudio repleatur in Domino, divinæ in Eccleſiis reſonent laudes, ſolennis cæremoniarum exhibeatur cultus, & ubique *Mariæ* Virginis præconia prædicentur. Hæc Juſtinianus.

42 Verùm nunquid *Maria* progenitoribus ſuis, pluſquam Iſaac Abrahæ, & Saræ, extitit cauſa lætitiæ, & riſus? Reſpondet Bartholomæus de Piſis *lib.* 1. *de laudib. B. Virg. Fruct.* 10. Certè præ cunctis diebus temporum, gaudium habuerunt, & lętitiã, & meritò. Primò, quia cernebant promiſſa eſſe completa, quæ per Angelum erant dicta de Beatæ Mariæ ortu, & nativitate. Quod ſterilitatis opprobrium ab eis erat abdicatum. Quod acceſſus eis ad Dei templum cum oblatione erat reſtitutus. Quod de tam inſigni, & excellenti dono à Deo eis tradito certificati. Sed nunquid aliis de cauſis?

O mater *Mariæ*, Beata Anna, nunquid es gaviſa *Mariæ* ortu in tuo utero, & ex tuo utero? Certè ſic vales dicere, propter ea, quæ ipſa filia tua benedicta, & Dei Mater mox futura, in te ſuis meritis, & Deus effecit. Sed quæ egit in te Deus, ò Anna Sancta, quæ iſtam talem generare meruiſti? Multa, inquis, dicere potes. Ipſa enim filia tua plura egit Deus in Ioanne Baptiſta, & eius matre, ac ſene Zacharia. Ampliora, & maiora in te indubiè effecit, quare meritò in eius ortu es gaviſa.

43 Secundò *Maria* tua filia fuit gratià fæcundata, pariter & ſanctificata. Inſuper ab omni peccato filia tua fuit præſervatione purgata, virtutibus adornata, in gratià confirmata, quare ſuo patrocinio te in bono roboravit. Deindè facilitatem habuit ad omne bonum peragendum. Fuit Angelorum in te ſtans contubernio cuſtodita, & vallata. Tandem Sancti plerique extrà uterum, & in utero, cibo ſpirituali, & corporali ſunt refecti, & ipſa *Maria* dapibus ſupernis ſaginata te non inquietabat, ſed ad ſimile invitabat.

Maria Joannem ſuo adventu, & filii eius in utero manentis, & vox exultare fecit. Quantò magis tuam animam gaudio replevit, ut eam ferendo in utero gravedinem non haberes ſic durè, ut aliæ: ac Ipſam pariendo vix dolorem ſentires, immò cum gaudio hunc fructum conſiderando, quem pariebas, quantę eſſet virtutis, & efficaciæ, tam experientia propria, quam atteſtatione Angelica Eliſabeth *Marià* prophetat: cur quid *Maria* effecit ſua interceſſione in extraneà, non fecit in te ſua matre? Quare in te, Ipſa favente ſuo merito, dolor partus eſt, etſi non totaliter, ſaltem prò parte mitigatus, tuus intellectus illuminatus, & tuus affectus inflammatus, non ſolùm ipſius in tuo utero baiulatione, ſed eius poſt ortum geſtatione, amplexu, & nutritione: quibus in te Ipſa, & ſuo patrocinio, effectis, meritò eius in ortu

gau-

gaudere poteras, & debebas. Si Sara gaudebat Iſaac, Lia ſuſceptione filiorum, Noemi de Obeth, & Anna de Samuele, multò fortiùs tu de tua filia meliore, ſanctiore, & perfectiore præfatis, & propter illa, quæ in te, Ipſa tecum ſtante, & in utero tuo manente, facta ſunt.

44 O Beata mater Anna qualem prolem edidiſti? Quia *Mariam* figuratam à Patribus, declaratam à Prophetis, optatam à Regibus, amatam à Deo Patre, ordinatam prò Filio, inhabitatam à Spiritu Sancto, præſervatam à macula peccati, ſanctificatam in utero, confirmatam in bono, nunciatam tibi per Angelum, & tot in mundo datam in patrocinium, ſpeculum, & formam virtutum, gratiarum, miſericordiarum, & donorum. Redde ergò ſummo Deo de tanto dono, pignore, & munere gratius, quia te prævenit in benedictionibus dulcedinis, & tuum Virum, ut talem fructum pareres acceptum Deo, Angelis, & hominibus. Dicas ergò ob hoc cum ipſa filia tua benedicta: *Magnificat anima mea Dominum.* Rationem pande, & cauſam ſecurè, quia tibi Dominus magna fecit: ut filiam haberes præ omnibus ſanctiorem, & perfectiorem. Regratiare ergò mater *Mariæ* Anna Domino, quia ipſa *Maria* bonis repleta, ſcilicet Spritu Sancto, & tu aliqualiter repleta fuiſti. Multa ergò fecit Deus benedictus animæ tuæ: quarè cum Anna, Iudith, Debbora, Dominum exalta in ſuis operibus, & Deum benedic, qui humiles exaltat, & ponit in ſublimi.

45 Sed quid dicendum eſt de Patre Ioachimo ipſius Beatæ Virginis? Nunquid lætatus eſt hujus Virginis in mundo editione? Et quis ſapiens oppoſitum valet cogitare, cum ipſe eſſet homo perfectus, divina præcepta ſervans, & mandata? Meritò ergò de *Maria* gaudere poterat, utpote data eidem in gaudium, ſolatium, directionem, lucem, & vitam. Nonnè quod Patribus erat promiſſum in ipſo eſt adimpletum, & quod diù erat optatum, huic timenti Deum eſt collatum? Gaude igitur, & exulta Pater Ioachim, cum filiam habeas tibi à Domino conceſſam, & donatam, qua domus David honoratur, perficitur, & exaltatur.

Hæc eſt Rebecca, quam Deus præparavit filio ſuo in Matrem. Hæc eſt Virgo, quam prædixit Eſaias intactam concepturam verum Emmanuel: quam dicit Jeremias, fœminam ſuper alias benedictam Virum circundantem: Ezechiel demonſtravit ſub ſpecie, & figura portæ, & per quam Deus intrare ad homines debebat. Hæc eſt filia tua illa, de qua Daniel dixit: ſummum Regem de ipsà progreſſurum ſinè manibus, & corruptione. Hæc eſt arbor, cujus fructus omnes paſcere, & reficere debebat: & ſic de aliis figuris, quibus hæc tua filia à Domino tibi data, eſt declarata, & monſtrata.

46 Quarè meritò gaudere debes, & exultare: ac tecum, cum filia tua ſit nunc Imperatrix omnium facta, ſecurè convoca Cœlum, & terram, ut unà tecum Deum laudent, quia miſertus eſt tui, & pauperum, tantum donum cunctis concedendo. Sed cùm filia tua in Zacharià Patre Joannis, cum ipſo tribus menſibus manendo, eum illuminavit, & Spiritu Sancto ſuis precibus replevit. Fecit nè tibi hæc filia tua benedicta tale? Firmiter credo quod ſic, etſi authenticè hoc in Scriptura non habeatur. Credo enim, quod ſi alios ſua interceſſione, & merito gratificavit: in bono ſolidavit, illuminavit, adornavit, & Deo præ ſolito acceptos reddidit: multò fortiùs in te, & circa te hoc egit, quia filia, & Deo in omnibus parens. Quare te ut ſuum Patrem diligens, quanta, & quæ valuit Ipſa in te, & circà te, exercuit, & perfecit.

47 Si ergò Tobiæ vita, poſt lumen perceptum à Domino, ſemper fuit in gaudio, certè & ipſius Ioachim, tanto percepto dono à Deo, cujus opere, & gratiam poſſidebat, & arrham tenebat jam hæreditatis æternæ. Iucundabantur ergò, & gaudebant *Mariæ* Parentes de eius ortu, & nativitate: & quod erat ad omnium lætitiam, eis non erat procul dubio ad triſtitiam. Quarè meritò, quia nova lux eis orta eſt, ideò gaudium, pax, honor, & tripudium eis fuit in præſenti, & nunc eſt in futuro, ſcilicet in gloria. Cogitando enim præſentia, quæ experientià videbant in *Maria*, & futura, quæ fienda erant ipſi benedictæ *Mariæ*, merito gaudebant. Sic ergò apparet, quomodò in *Mariæ* ortu, Cœleſtia jubilant, iuſti in limbo tripudiant, ac Parentes in mundo exiſtentes, indicibili ſuſcepta lætitia, laudes exhauſtas ſuperno referunt Creatori.

48 Si ergò tantum gaudium geſtiere Angeli, Patres, & Parentes: quid nos agere chariſſimi in Virginis *Mariæ* nativitate debemus? Certè oportet nos gaudere, & præcipuè in commemoratione tantæ ſolennitatis ortus Beatæ *Mariæ*. Ipsà enim oriente Mundo, propter eius inſignes virtutes, & conditiones, lux, & lumen ortum eſt nobis cœcis. Infirmis medicina; ignorantibus lux, & doctrina; oberrantibus via; peccatoribus venia, & propitiatio; deſperatis, & deſolatis confidentia; rectis corde lætitia; Angelis Domina; exulibus patria; naufragantibus portus; proficientibus exemplar, & auxilium; Sanctis, & juſtis, ut Cœlum aſcendant, ianua, porta, & ſcala. Quæ omnia patent, conſideratis operibus, viis, & miſericordiis, donis, & gratiis, quę aſſiduè in nobis porrigit ipſa Mater Dei *Maria*.

Quarè nos, quos delictorum catena conſtringit, terrenorumque obumbrat nebula, ſua arte diabolus aſſiduè illudit, & frangit, mundus blanditiis ſuis allicit, & carnalis ſemper titillat libido: In hujus Almæ exordio decet nos gaudere præ opere non ſolùm Angelorum, & iuſtorum exemplo, verùm etiam noſtra utilitate: ut eius, cujus gaudioſè ortum celebramus, intercedentibus meritis, triplici hoſte ſubacto, à peccatis purgati, gratia, & virtutibus adornati, ad eius felicem gloriam tranſeamus.

§. V.

Vndè ex Aminadab magnanimitatis, & fortitudinis Marianæ typus habeatur.

49 HEroas decet magnanimos eſſe, & fortes. Sinè fortitudine languet vigor, ſinè magnanimitate decolorantur geſta. Illa robur animi, hæc eſt lumen actionis. Illa nervus, hæc decor. Utriuſque ornamento decoratum Aminadab non dubitamus. Aminadab enim, juxtà Magiſtrum in hiſtoria ſcholaſtica, ut ſuperius diximus, maximæ magnanimitatis, & fortitudinis dedit exemplum, nam cùm Iſrael fugiens de Ægypto perveniſſet ad mare, & ingredi trepidaret, ille omnium primus ſinum maris ingreſſus, cæteros animavit ad tranſvadandum. Et licet Theſaurus in Patriarchis gloriam hanc dederit Naaſoni Aminadabi filio: illam nos ex ſuis verbis Parenti Aminadabo inſcribemus.

Primus ad Erythræum trepidante Turbà,
Inſolens vadum dividui maris intravit;
Et mendaci ſe credidit Elemento.
Dumque illi rubrum pelagus pallidi ſpeculabantur,
Hic Deo fretus, fretum deriſit.
Tanta hæc fiducia, ut anteceſſorem Angelum anteceſſerit.
Nam attonitum mare intrante Aminadabo,
Anteſignana columna ponè aciem receſſit.
Vel quòd Angelo audentior fuerit Princeps,
Vel quo Principis exemplum meliùs præluceret.
Aſſurgit inambulanti reverens unda:
Aqueo cæmento ſtipans altrinſecùs viam.
Hic terram prò fluctu, fluctum prò litore inveniens,
In undarum lubrico ſuam ſpeculatur ſoliditatem.
Neſcias utrum magis mirere,
Stantes undas, an euntem Ducem:
In Mari conſtantiam, an in Principe obſequium.
Exili virgà indomitum domari mare,
An Mare ſinè Mari, à Nautà ſine Navigio, tranſmitti.

50 Per hoc autem factum deſignatur magnanimitas, & fortitudo Mariæ in filii ſui paſſione. Paſſio enim Chriſti eſt mare rubrum, ſuo utique ſanguine purpuratum, ad quod cum perveniſſent Apoſtoli, territi, & trepidantes, vel in ipſo limine paſſionis, quaſi in Erythræi litore, omnes relicto Chriſto fugerunt: Virgo autem magnanimis, & fortis ingreſſa eſt mare paſſionis filii, ut cæteros ſuo animaret exemplo, & tam viriliter ſe geſſit, fragilis ſexus oblita, ut à filii Cruce divelli nequiverit: undè & notanter *Ioan.* 19. ſcriptum eſt: *Stabat juxta Crucem Ieſu, Mater eius.*

51 Multas cauſas tantæ magnanimitatis, & fortitudinis, qua *Maria* ſtabat juxta filii Crucem, aſſignat Albertus Magnus *lib.* 4. *de laudib. B. Mariæ c.* 18. *dicens.* Quia tanta fuit *Mariæ* charitas ad nos, ut quaſi gaudenter quodammodò ſuſtinuerit mortem filii, & cum ipſo deſideravit, ſi neceſſe eſt, mori ob redemptionem generis humani. Tunc enim *propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ad Epheſ.* 2. dedit unigenitum ſuum prò ſcelere noſtro, & fructum ventris ſui prò peccatis animarum noſtrarum. *Michææ* 6. Undè etiam ſtabat juxta Crucem filii, ſicut dicit Ambroſius, non ut dolorem filii conſideraret, ſed ut ſalutem mundi expectaret. Vel ad hoc forte venit ad Crucem, ut filium videret mortem tranſitoriè guſtaturum, qui de torrente in via bibit: ſed in æternum victurum, quia *reſurgens ex mortuis iam non moritur. Rom.* 6.

52 Vel hæc etiam venit, ut videret *Ieſum*, ideſt, *Salvatorem* ſalutem hominum procurantem, morientem mundo, ſed victurum Deo. Et hæc videtur cauſa præſtantior. Item alia de cauſa *Stabat juxta Crucem Ieſu Mater eius*: licet enim certiſſimè ſciret filium ſuum poſitum in ſtatera Crucis pretium eſſe ſufficiens prò peccatis totius mundi, tamen ſi quis calumniaretur pretium hoc minus eſſe ſufficiens, preſtò erat ſeipſam impendere, dùm tamen ſic poſſet divinæ voluntati ſe conformare. Sicut venditor piperis intantum lucri avidus eſt, quòd piperi poſito in ſtatera licet ſufficienter, paratus eſt adhuc adiicere, ſi illud additamentum emptorem viderit refutare: & hoc piè intelligendum, & ad intellectum noſtrum referendum eſt. Ad hoc autem ſe interpoſuit Cruci, & Aquiloni, nè diabolus ſignatus per Aquilonem poſſet eos impedire, qui venire vellent per fidem ad brachia Salvatoris extenſa, ſicut fecit latro

dexter, & ſicut videtur feciſſe Centurio ille, & hi qui cum eo erant, qui videntes ea, quę fiebant, dixerunt: *Verè Filius Dei erat iſte*. *Matth.* 27.

53 Sed & Iacobus de Voragine *ſerm.* 57. de Beata Virgine, meritò magnanimam eius fortitudinem, quę in adverſis filii ſui ſuſtinendis maximè enituit in ea, laudat, & commendat, dicens. Eius fortitudo fuit in ſuſtinendo fortiter adverſa. Iſtud patuit maximè tempore paſſionis Chriſti. Unde Apoſtoli Chriſtum reliquerunt, & fidem perdiderunt. Ipſa autem immobilis ſtetit, & fidem inconcuſſam ſervavit. Unde *Iob* 19. in perſona Chriſti dixit: *Pelli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodò labia mea circa dentes meos*. Per os ſignificatur Chriſtus, qui intantùm fuit fortis, quòd potiùs potuit frangi per mortem, quàm per timorem inclinari. Iſtud os habuit pellem, dentes, & carnem. Dentes eius fuerunt Apoſtoli, qui doctrinam Chriſti ruminabant. *Cant.* 7. *Dignum Dilecto meo ad potandum, labiiſque, & dentibus illius ad ruminandum*. Carnes fuerunt Sanctæ mulieres, quę erant molles, & fragiles. Pellis eius fuit Virgo *Maria* quę ipſum os carne veſtivit, quæ multis tribulationibus expoſita fuit.

54 Dicit ergò Chriſtus: *Pelli meæ, conſumptis carnibus, &c.* Nam *Circa dentes*, ideſt, Apoſtolos, non remanſerunt niſi *labia*, ideſt, amoris verba. Quia enim ipſum mortuum adhuc diligebant, ideò loquebantur de ipſo, ſicut patet *Luc.* 24. de duobus diſcipulis eius euntibus in Emmaus, qui de ipſo ibant loquendo. Quia ſicut dicit Gregorius, amabant, & dubitabant. Carnes verò, ideſt, ipſæ ſanctæ mulieres, fuerunt conſumptæ, ideſt, à fide extinctæ. Os verò ſolummodo adhæſit pelli, & pellis oſſi: quia Chriſtus adhæſit Matri, ipſam de Cruce cognoſcendo, & eam diſcipulo commendando. Mater verò adhæſit filio, ipſum amando, ipſum in Cruce aſſociando, eius fidem illibatam ſervando, & pro eius amore mori deſiderando.

CAP. V.

Tertius Heroum Quinarius præclaras Virginis ſanctiſſimæ dotes repræſentans.

1 QUinque Parthenii Nominis literæ, non ſolùm quinque, ſed plura ſunt ſacramẽta. Tertium enim Heroum in eius elementis Quinarium habemus, ita quòd dicere poſſimus *Mariæ* Nomen, Virorum illuſtrium feraciſſimam eſſe Silvam. Nihil tamen ſilveſtre, ſed totum quod in ipſa eſt nobile prædicamus, nihil rude, ſed dotibus præclariſſimis totum excultum. Age ergo, & relege capitales Nominis characteres, & quinque alios præſtantiſſimos Heroas tibi dabunt. Ipſi enim Nomen hoc, quod eſt *Maria*, componunt, ſcilicet:

Moyſes.
Aaron.
Raguel.
Iacob.
Aſer.

Miraris fortè, quid in Moyſe Virgo Beatæ potuerit æmulari? Quid contulerit Aaron ad eius ornatum? Quas habuerit Raguel prærogativas, quibus ipſam quiverit adumbrare? Quid in Jacob excellens, undè illam poſſet deſignare? Quid denique adeò rarum in Aſer excelluit, ut de ipſo Virginis tam peregrinæ poſſent ſumi figuræ? Sed mirari deſine, nam ſinguli paragraphi de quolibet te docebunt, quid quilibet eorum ad præconium Virginis inſigne prętulerit. Quot Heroes, tot laudatores, impares ſemper tamen laudibus Laudatæ exæquandis.

§. I.

Moyſes pulchritudinis Marianæ Typus.

2 INclytum prodigiis Moyſen, & ſignis inſignem, vel ab ipſo ſuę nativitatis inſtanti ob formę elegantiam, & pulchritudinis dotem commendatum, & à nece præſervatum inducimus. Maximam quidem vim ad commovendos animos habet pulchritudo. Ediderat impiiſſimus Pharao immane mandatum, ut pueri Hebræorum vix nati flumine necarentur. Moyſes autem ubì cæteri naufragium, ipſe portum invenit. Nam à Matre ob eius ſpeciem elegantem, ſcirpea incluſus fiſcella, Niloque traditus, tanquam Lucifer pulchritudinis exortus ab aquis, ereptuſque diſcrimini, Regię Puellæ quievit in ſinu. Undè & pulchrè Theſaurus in Patriarchis de Moyſe ſic loquitur:

Hactenus Homines Natura genuit nunc Deos.
Provectiori Mundo Ingenium crevit.
Novi Regis odio flagrante,
Nova Hebræorum ſpes naſcitur, Moſes.
Ortu, Vita, Obitu,
Intrà fidem, ſuprà opinionem.
Vtero exactus flumini traditur;
Vt Lethes eſſet prò lavacro.
Sed iacturà caruit hic iactus.
Mergi non poteſt ſpectata Pulchritudo.
Inter papyros hærentem, ac biblos
(Iam tum Biblia meditabatur)
Regia ſpectans Puella,
Optat, educit; adoptat, educat.

3 Qualis autem, & quanta fuerit hęc Moyſis infantuli elegantia, adnotavit A Lapide in *Exod. c.* 2. exponens puerperę matris verba, *Videnſque eum elegantem, abſcondit menſibus tribus*: ubi ſic ait. Erat, inquit Ioſephus, infans hic tam ſpecioſus, ut aſpicientium oculos in ſe raperet, defixoſque teneret. Sanctus Stephanus *Act.* 7. *n* 20. prò *elegans*, vertit, *fuit gratus Deo*. Undè patet hanc elegantiam fuiſſe pluſquam naturalem, Moſique à Deo inditam, ſignificaſſe eum Deo placere, illi cordi, & curæ eſſe. Itaque per hanc elegantiam Moſis non tàm humanam, quàm divinam, in oraculo quod de Moſe acceperant, eiuſque fide confirmati ſunt Parentes, & animati ad eum occultandum; nec dubitarunt hac ratione eum ab aquis, Deo tutore, incolumem evaſurum. Et hoc eſt, quod ait Apoſtolus *Hebr.* 11. *n.* 23. *Fide Moſes natus, occultatus eſt menſibus tribus à Parentibus ſuis, eò quod vidiſſent elegantem infantem, & non ti-*

muerunt Regis edictum. Sanctus Ephrem in Oratione de Transfiguratione Chriſti, cenſet Moſen ſanctificatum fuiſſe in utero matris: hoc enim hæc corporis ejus elegantia, ex animæ elegantia promanans, indicare videtur. Verùm hæc conjectura eſt tenuior, quàm ut hoc ei privilegium, & à communi lege peccati originalis, in quo omnes naſcimur, exemptionem ſtabilire poſſit, præſertim cùm nemo alius hoc aſſeruerit.

4 Sanè Marſilius Ficinus in Platonis Sympoſium, *pulchritudinem* vocavit *bonitatis florem*: & Pacatus in Panegyrico Theodoſii. *Auguſtiſſima*, ait, *quæque ſpecies plurimum creditur trahere de Cœlo. Virtus tua meruit imperium; ſed virtuti addidit forma ſuffragium: illa præſtitit ut oporteret te Principem fieri; hæc ut deceret*. Addit Theophylactus in *Hebr.* 11. *n.* 23. Parentes voluiſſe Moſen exponere, cùm natus eſt, ſed puerum blandè arriſiſſe, & ob id ſervatum. Adeò, inquit, in ipſo omnia divina erant. Hactenus ille.

5 Sed & Divus Thomas lect. 5. in *cap.* 11. *ad Hebr.* hujus rei factum conſiderans, & Apoſtoli verba: *Fide Moyſes natus, occultatus eſt*, &c. inquit. Tangitur hiſtoria, quæ ponitur *Exod.* 1. Quòd Pharao mandavit occidi maſculos, nè multiplicarentur. Sęcundò habetur, quòd Parentes Moyſi videntes ipſum elegantem, abſconderunt eum menſibus tribus, quod attribuit Apoſtolus fidei ipſorum. Credebant enim aliquem naſciturum, qui liberaret eos ab illa ſervitute. Undè ex elegantia, æſtimabant aliquam virtutem Dei eſſe in illo. Ipſi enim erant rudes, & ruſtici, ſudantes in operibus luti, & lateris. *Eccli.* 19. *Ex viſu cognoſcitur vir*. Ex quo habetur, quòd licèt fides ſit de inviſibilibus, tamen per aliqua ſigna viſibilia poſſumus niti ad ipſam. *Marc. ult. Sermonem confirmante, ſequentibus ſignis*. Quòd autem ipſi hoc fecerunt ex fide, non ex affectu carnali, patet, quia non timuerunt Regis edictum. Undè exponebant ſe periculo perſonarum, quod non feciſſent, niſi credidiſſent aliquid magnum futurum de puero. *Matth.* 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, &c.

Sed contrà, quia ipſi poſteà expoſuerunt ipſum, ergò non propter fidem ſervabant ipſum. Reſpondeo. Dicendum eſt, quòd propoſuerunt ipſum non ad necandum, ſed nè ſurriperetur eis, undè poſuerunt eum in fiſcella, committentes eum divinę Providentiæ. Credebant enim probabiliter, quòd fuiſſet interfectus, ſi fuiſſet apud eos inventus. Hæc Divus Thomas.

6 Pulchritudo igitur liberavit Moyſen ab excidio, & fiſcella ſcirpea fuit ei firmum tutamen, ratis, & portus ſecurus. Sed Moyſe profectò longè pulchrior fuit Beatiſſima Virgo, & propter elegantium à communi erepta naufragio. Quaſi enim fiſcella ſcirpea fuit gratia Spiritus Sancti, quæ mira celeritate prius ipſam, quàm Natura, ſuſcepit, nè aquis culpæ originalis demergeretur, & Pharaonem infernalem triumphatum eluderet. Propterea Iuſtinianus ſerm. de Annunciat. Virginis inquit. Quis, oro, hujus Virginis gratiam ſufficit enarrare? Ab ipſa nanque ſui conceptione in benedictionibus præventa dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo, priùs eſt Sanctificata, quam nata. In ipſo enim utero materno jam poſita ſuper illam gratia ſanctificationis effulſit, utpotè ea quæ electa erat, ut pareret Deum. Noverat opus ſuum ille, qui fecerat, & quale futurum erat, certiſſimè agnoſcebat. Hinc eſt, quòd Virginem ipſam tàm largo imbre Spiritus irroravit. Erat planè ſicut à carnis colluvione immunis, ità & ab omni labe peccati extranea. Degebat quidem in carne, converſabatur ſuprà carnem, carniſque moleſtias neſciebat. Talis profectò erat, ut nulli uſui ſervaretur, niſi divino.

7 Eſt autem in *Maria* duplex pulchritudo, ſpiritualis ſcilicet, & corporalis, & ſecundùm utranque ſinè ulla proportione Moyſen ſuperavit, de quibus eſt ſigillatim dicendum. Spiritualis ergo *Mariæ* pulchritudo in virtutibus animæ conſiſtit, & ideò ei dicitur *Cant.* 4. *Tota pulchra es amica mea*. Quæ verba Albertus Magnus *lib.* 5. *de laudib. B. Mariæ* c. 1. in hunc ſenſum interpretatur, dicens. *Tota pulchra es*, in corpore, ſcilicet, & anima. In corpore per incorruptionis integritatem, & omnium ſenſuum illibatam puritatem. In anima nõ ſolùm *tota pulchra* per humilitatem, ſed per pulchra, ſive pulcherrima per virtutum omnium perfectam plenitudinem. Undè & dicitur *Pulcherrima mulierum*. *Cant.* 5. Et hoc bis dicitur ibi. Dicitur etiã *Pulchra ut Luna*, id eſt, univerſalis Eccleſia: quia quidquid alii Sancti pulchritudinis habent in parte, habet iſta in toto. Nemo enim Sanctorum inventus eſt ſimilis illi in humilitate, nemo in charitate, & ſic de ſingulis virtutibus. Verè enim pulcherrima, quæ tot habuit in ſe pulchritudines, quot virtutes, & ſingulas in ſuperlativo gradu. Et ideò verè dicitur *Singularis*. Siquidem Virginitas ab omni immunditia carnis, & ſenſuum Ipſam conſervavit immunem; ſcilicet oculos ejus, nè viderent vanitatem; aures, nè audirent linguam nequam; os, nè guſtaret quod guſtatum afferret mortem, & ſic de aliis ſenſibus. Interior autem humilitas perfectè excluſit ab ea ſuperbiam totius ſpiritualis vitii genitricem.

8 Aliter: *Tota pulchra es.* Tota enim pulchra eſt anima, cui nihil ineſt ſpiritualis turpitudinis, id eſt, vitii, & peccati, & cui nihil deeſt ſpiritualis pulchritudinis, id eſt, gratiæ, & virtutis. Talis verè fuit glorioſa Virgo, quæ nec primam ſimilem habitura eſt in utroque. Propter primum dicitur de ea *Sap.* 7. *Sincera eſt, & ideò nihil inquinatum incurrit in illam*. De ſecundo dicit Ipſa 24. *Eccli. In me omnis gratia*, &c. Et bene dicit: *Omnis gratia*: nulla enim defuit ei virtus, nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec ſcientia Prophetarum, nec patientia Martyrum, nec ſobrietas Confeſſorum, nec innocentia, aut humilitas Virginum. Item de his duobus dicit Fulbertus Carnotenſis, in illa homilia: *Approbatæ conſuetudinis:* Confidenter aſſerimus, quòd nullo genere virtutum vacabat, cui pulchritudinẽ ineſſe gratię Dei nũcius aſſerebat. Conſtanter etiam aſſerimus, quòd anima ipſius & caro, quã elegit, & habitaculum ſibi fecit Sapientia Dei Patris, ab omni immunditia, & malitia puriſſima fuit, atteſtante Scriptura, quoniam *in malevolam animam non intrabit Sapientia, nec habitabit*

in corpore ſubdito peccatis. Sap. 1.

9 Aliter: Tota pulchra dicitur *Maria* principaliter ex Filii divini Verbi generatione, qui eſt *ſplendor Paternæ gloriæ*. Ad *Hebr. 9. Qui eſt candor æternæ lucis, & ſpeculum ſine macula. Sap. 7. In quem deſiderant Angeli proſpicere. 1. Pet. 1. Cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur*: ſicut dicit beata Agnes. Tota pulchra. Sicut enim ferrum ab igne extractum, non ſolùm ignitum, immò totum eſt ignis: & ſicut aer illuſtratus à Sole, qui dum inflammat aerem, ſuum ei imprimit calorem, induitque colorem, totus Sol efficitur: & velut aquæ gutta dolio vini optimi infuſa, tota tranſit in ſaporem, in odorem, & in colorem vini: & ſicut vitrum candidum, & purum illuſtratum à Sole, tranſit in ſplendorem, & colorem Solis: & ſicut lana pura, & candida tincta in ſanguine muricis, vel conchilii, tota coloratur ſecundùm qualitatem tincturæ: Sic anima *Mariæ* Spiritu Sancto repleta, & maximè luce illa cœleſti, id eſt, Filio Dei in eam deſcendente, non ſolùm luminoſa eſt jam effecta, ſed tota eſt deificata.

10 Si quis autem, ſubjungit Albertus Magnus cap. 2. ejuſdem libri, quærat de pulchritudine corporali Beatæ Virginis, congruentiſſimè mihi videtur poſſe dici, & credi eam præ filiabus hominum ſpecioſam, quæ ſpecioſum forma non ſolùm prę filiis hominum, ſed etiam prę millibus Angelorum, ſuæ carnis ſubſtantia veſtivit unigenitum; non enim convenienter tota pulchra, & ſine macula appellaretur, niſi ſecundùm diſpoſitionem, & figuram corporis, & colorem faciei, pulcherrima, & ſine macula appareret. Sed fortè, ſicut in apochrypho de infantia Salvatoris ſcriptum reperitur, nemo plenè poterat ipſius faciem intueri. Undè dicitur *Matth. 1.* quod Joſeph accepit *Mariam*, & non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, &c.

11 Et dicit Chryſoſtomus, ut quidam aſſerunt, quòd in Evangelio Nazaræorum legitur, quòd Joſeph *Mariam* videre non poterat facie ad faciem: quia Spiritus Sanctus eam à conceptione Filii Dei penitùs impleverat, ita quòd non cognoſcebat eam propter ſplendorem vultus ejus. De iſto decore eleganter dicit ei quidam proſaicè:

Tu decorem induiſti,
Tu plùs Sole refulſiſti,
Cùm beata membra Chriſti
Tuæ carnis protexiſti
Polimitâ tunicâ.

Alii dicunt, quòd ex quo Ioſeph cognovit, & credidit *Mariam* de Spiritu Sancto concepiſſe, in tanta eam habebat reverentia, quòd nunquàm auſus eſt contemplari faciem ejus: undè non cognoſcebat cujuſmodi eſſet vultus ejus. Simile legitur de Moyſe *Exod. 3.* & *1. Corinth. 3.* quòd non poterant filii Iſrael reſpicere in faciem Moyſi propter gloriam vultus ejus: quia cornuta apparebat facies ejus ex conſortio ſermonis Domini. Si ergò tàm pulchra apparuit facies Prophetæ ex conſortio ſermonis Domini, quid æſtimas de facie Matris ipſius Verbi?

12 De pulchritudine verò, & excellentiſſima membrorum ejus honeſtate loquitur quidam ſic. Ad membrorum B. Virginis excellentiam ſingularem laudes humanas addere neceſſe non eſt, cùm ex vita illius Sacratiſſima, & totius virtutis forma reſplendeat: ejus quippè in terris converſatio & omnibus Sanctis imitanda proponitur, & etiam Angelis admiranda efficitur, quæ ſiquidẽ non ſolùm delectabat, ſed & divinos provocabat aſpectus. Quid enim aliud membra illius erant, niſi quædam ſpirituales linguæ, quas Spiritus Sanctus ſui plectro temperans modulaminis, ſuæ dignitatis præſentia movebat in harmoniam Angelicæ ſimilitudinis. Idem nanque Spiritus, qui ejus animam ſui fervore caloris accenderat, membrorum quoque officia in eandem habitudinem ſuſpendebat. Undè nihil aliud in ſuis motibus reſonabat, niſi nectar divinæ, humanæque ſapientiæ, expreſſum de illa ineffabili ſuavitate, quam in Trinitate Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, majeſtatis divinę Eſſentia communicat, vel concordia. Ad hujus puritatis excellentiam, nullam alicujus Sancti pertingere ſcimus ſanctimoniã, niſi ſolius *Mariæ*, quæ tantò Sanctæ Divinitati erat vicinior, quantò Spiritus Sancti muneribus ornatior, qui membra ejus velut in quadam virginitate, id eſt, omninò in ſanctitatis integritate cuſtodiebat, ut nulli omninò ſubjacerent corruptioni, dùm mundanæ vanitatis, vel carnalis illecebræ nulla colluvio, ſibi aliquid ex eorum uſurparet officio. Et hæc ſufficiant de ſpirituali, & corporali *Mariæ* pulchritudine: fuit enim pulchra, & ſancta corpore, & ſpiritu; & Moyſe venuſtior, ac ſpecioſior ultrà quàm credi poſſit.

§. II.

Quædam Aaronis inſignes prærogativæ in Virgine Beatiſſima reſplendent.

13 ET Tu quidem Aaron inclytus es dicendus, & magnus, nam ſummus Pontifex Iudæorum nihil niſi quod eſſet auguſtum habuiſti. Quædam tamen illuſtria Inſignia in te emicant, quibus Auguſtiſſimę Dei Matris vel æmulator, vel typus es factus. Prælibabimus igitur illa ex Maſculo in Encomiis Virorum illuſtrium, qui vigeſimum ſecundum tibi inſcripſit

Encomium.

Te ſacrum olim geſtante Logeum,
Et aureæ Apicem Tiaræ,
Nihil in terris Sol vidit Auguſtius.
Pontificium in veſte circunferens Mundum,
Ipſo major viſus es Mundo.
Vndique fuiſti Verendus,
Vel oris dignitate, vel muneris.
Non aliundè petebas Oracula,
Quam à Te ipſo.
Quàm fuiſti Cordatus,
Qui tuum conſulebas pectus,
Vndè Doctrina fulſit, & Veritas?
Sapientior Tu cum Logèo,
Quàm cæteri ſub Lycèo.
Quàm immenſus, & amplus dicendus es Heros,
Qui ſacro intextum Indumento
Tergeminum tuliſti Orbem?
Quidam poſteà Mundum incluſit vitro,
Sed nobiliùs Tu anteà gemmis, & auro.

Quantum Mundus debuit Tibi,
Qui feciſti, nè nomen, quod ab ornatu dedit Græcia,
Videretur inane.
Solis inſtar eſt viſus,
Cùm ſigniferum geſtaſti pectore
Biſſenis lucidum gemmis.
Sed meliora tuus habuit Signifer deſtuvia,
Quippè ut mitia faceres Sidera,
Tuo foviſti pectore.
Docuiſti haud quaquàm ab iis humana contexi,
Quæ Tu veſte ferebas intexta,
Vndè proferebantur effata,
Veriora quàm Fata.
Tuas Sapientia ſe recepit in ulnas,
Nè fieret inſipiens:
Quam univerſa capere nequivit Græcia,
Brevi complexus es pectore.
Terris quoque profuga Veritas
Eodem ſe recepit hoſpitio, &c.

14 Hæc Aaronis Inſignia, ſi libet, perſcrutemur in Virgine. Quid enim unquàm auguſtius, quàm Dei Matrem, Sol aſpexit in terris? An non Deipara viſa major eſt Mundo, cùm Archetypum in utero ſuo circunferebat Mundum? O quàm venerabilis, immò & adorabilis, tum oris majeſtate, tùm Divinæ Maternitatis dignitate! Quid ſacratiùs illo pectore, in quo ſupremum, ac Sacrum Numen degebat, & à quo cœlica Doctrinæ, & Veritatis habebantur oracula? Immenſa profectò, & perampla Herois eſt dicenda, quæ infinitum Divinitatis Orbem uteri ſui anguſtiis capere potuit, atque intelligibilem Divini Verbi Sphæram indumento de ſanguinibus ſuis intexto circunveſtire. Rideo Archimedem circulis vitreis Mundum compilaſſe: Virgunculam admiror ſphærulis carneis immenſum Divinitatis Orbem coarctaſſe. Tunc etenim apparuit etiam Rota in medio Rotæ, cùm Virgo Verbum Dei conceptum geſtavit in gremio. Quidni quoque inſtar Solis effulſit, dùm juſtitiæ ſolem concepit, à cujus radiis ſupra modum humanum irradiata, ultrà homines enituit. Zodiacum autem vitæ ſuo collegit ſinu, id eſt, æternitatis, & temporis auctorem, à quo tot ditata gemmis, quot dotes accepit: ut jam maximum Dei Sidus, rigidum olim ſeveritate juſtitiæ, molli indutum carne, ad dulcedinem flexerit miſericordiæ. Illud verò præcipuè eſt ſingulare, quòd divinam Sapientiam, quæ propter nimiam charitatem ſanctè, & ſapidè deſipuit ad hominum redemptionem, brevibus ulnis complexa, ipſam quoque æternam, & immenſam Veritatem anguſto uteri ſui recepit hoſpitio.

15 Sunt & quædam alia prænotanda de Aaron in Virginis typum: & primò miraculoſa ipſius Aaron Virga, quæ inter duodecim Procerum Iſraelis virgas ſola floruit, præ prodigio prorſus ſtupente Natura, cùm aridus induit ſe ſtipes in florem, & fructum, ut *Numer. 17.* habetur: *Sequenti die regreſſus invenit germinaſse Virgam Aaron in domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt*. Hæc planè Virga, Virgo eſt, interprete Alberto Magno *lib. 12. de laudib. Beatæ Mariæ cap. 6. §. 20. num. 20.* Virga, inquit, Aaron, quæ ad dirimendam contentionem, quam quidam movebant contrà Moyſen, & Aaron, fronduit, floruit, & fructm fecit, eſt Virgo *Maria*. Hujus virgæ frondes, boni mores: flores, virtutes: fructus, bonæ operationes. Siquidem hæc Virga peperit amygdala, quæ ſunt cibus infirmantium: quia pietatis opera Chriſto, qui dicit: *Infirmata eſt in paupertate virtus mea*: de propria ſubſtantia exhibuit; nec ceſſat unquam membris ejus hujuſmodi opera miſericordiæ exhibere.

16 Aliter. Virga Aaron Beata Virgo, quæ inſtar illius virgæ aridæ ſine humore virilis ſeminis peperit amygdalum, id eſt, genuit Chriſtum. Quæ ſcilicet Virga floruit conſentiendo, fronduit gignendo, fructificavit pariendo. In amygdalo tria. Cortex fragilis, & quaſi laxualis, & deformis, humanitas Chriſti, cui in paſſione non fuit ſpecies, neque decor, ſed tunc reputatus eſt ut leproſus. *Eſa. 53.* Teſta dura, Deitatis ſoliditas. Nucleus dulcis, cibus infirmorum, id eſt, verè pœnitentium dicentium cum Propheta Ieremia: *Sana me Domine, & ſanabor*. Sed plena refectio Angelorum, qui fruuntur. Et hic nucleus homines paſcit in Sacramento altaris.

17 Aliter. Virga Aaron Virgo *Maria*, circa quam Virgam magna magni notatur figura Sacramenti. Fuit enim hæc Virga Aaron Summi Sacerdotis, & ſecundum *Eſa. 11.* dicitur *Virga Ieſse*, à quo immediatè ortum habuit Tribus Regia: quia Ieſſe fuit Pater David, ad præfigurandum, quòd *Maria* erat illum paritura, qui eſt Rex, & Sacerdos. Undè cùm dixiſſet Pſalmiſta, quaſi loquens Chriſto: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*; paulò poſt ſubjunxit: *Tu es Sacerdos in æternum*, &c. *Pſal. 109.* De hac virga dicit Auguſtinus in quodam ſermone de Incarnatione. Virga hæc protulit quod antè non habuit, non radicata plantatione, non defoſſa ſarculo, non animata ſucco, non fœcundata ſeminario. Et cùm illi deeſſent univerſa jura naturæ, protulit virga, quod nec ſemine ſuggeri potuit, nec radice, &c. Et hoc dicit contrà Judæum quærentem: quomodò Virgo peperit?

18 Peperit autem hæc Virga ſuprà naturam, & contrà naturam, id eſt, contrà ſolitum curſum naturæ, & non ſimpliciter contrà naturam: quia ſicut dicunt quidam magni Theologi, & benè; nihil eſt naturalius naturæ, quam obedire ordinationi Creatoris ſui. Undè Iſidorus *lib. 11. etymol. cap. 3.* ubi diſſerit de portentis. Non ſunt contrà naturam, quæ divina voluntate fiunt: cùm voluntas creatoris cujuſque conditæ rei natura ſit. Undè & legitur *Apocal. 4. Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.*

Peperit, inquam, *amygdala*, vel *nuces*, ſicut dicit alia translatio: per quæ videlicet amygdala, vel nuces ſignantur multorum juſtorum millia, quos ad vitæ novitatem ſuo quotidiè convertit exemplo. Vel per nucem, aut amygdalum Chriſtus, in cujus perſona triplex ſubſtantia. Cortex amarus, caro, quæ paſſa eſt amaritudines paſſionis. Nucleus dulcis, anima, in qua fuit dulcedo fruitionis: nàm fuit ſimul in unum Viator, & Comprehenſor. Undè dicit: *Providebam*

Dominum in conſpectu meo ſemper. *Pſal.* 15. In teſta Divinitas utrique unita, in qua fortitudo inſuperabilis, quæ abſcondita fuit in paſſione. *Abac.* 3. Propter hoc igitur appellat Eſaias hanc Virginem Virgam, ut nos tranſmittat ad hanc figuram. Hæc Albertus Magnus.

19 Aliud denique magnum in Aaron eſt conſiderandum: Cùm enim in perduelles incendium divinæ vindictæ ſæviret, ipſe indutus podère, oblato thymiamate, flammam divinitus accenſam extinxit, ut habetur *Numer.* 16. *Cùm Aaron cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam jam vaſtabat incendium, obtulit thymiama; & ſtans inter mortuos, ac viventes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit*. Quòd autem podèrem induerit, & reſpectu Pontificii Paludamenti ipſum ſit flamma reverita, expreſsè dicitur *Sap.* 18. *Cùm enim jam acervatim cecidiſſent ſuper alterutrum mortui, interſtitit, & amputavit impetum, & diviſit illam, quæ ad vivos ducebat viam. In veſte enim podèris, quam habebat, totus erat orbis terrarum: & Parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta: & magnificentia tua in diademate capitis illius ſculpta erat. His autem ceſsit qui exterminabat, & hæc extimuit*.

20 Et quid hoc facto ſignificatur? Dicam animi mei conceptum. Non poſſum enim non gratulari meo Carmelo, qui veſtem poderis, hoc eſt, à Dei Matre Parthenium Scapulare accepit, cujus ſuffragio ejus Alumni è Purgatorii flammis eripiuntur. Et de tam inſigni privilegio Ordini Carmelitarum conceſſo, Sacra Rituum Congregatio per hæc verba teſtatur. *Non in hoc*, inquit, *tantùm ſeculo Ordinem ſibi tam acceptum multis prærogativis Beatiſſima Virgo inſignivit; verùm & in alio (cùm ubique & potentia, & miſericordia plurimùm valeat) filios in Scapularis ſocietatem relatos, qui abſtinentiam modicam, preceſque paucas eis præſcriptas frequentarunt, ac pro ſui ſtatus ratione caſtitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne purgatorio expiantur, ſolari, ac in cœleſtem Patriam obtentu ſuo quantocyus piè creditur efferre*. O mirabilem Mariani Paludamenti virtutem! Deipara enim ſtans inter mortuos, & viventes, pro populo ſuo deprecatur, & oblato precum ſuarum thymiamate, flammarum impetum amputat, Cœloque quamprimum refert Scapularis podère paludatos.

21 Quid ergo de ſacra dicam hac veſte, quam timet, cui cedit exterminans flamma? Planè Regium, ac cœleſte indumentum, in quo Parentis noſtræ magnalia deſcripta, & quadrifidi Mundi plagæ depictæ viſuntur. Nec aureum Phrixi vellus his lanis, quas Matris noſtræ ſapientia nevit (quæſivit enim lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum) ſe audeat comparare: nec thorax Amaſis Ægypti Regis apud Herodotum lib. 3. opere phrygio elaboratus, & multis venationibus, variarumque ferarum, arborum, hominumque figuris ſubtiliſſimis intertextus, cum hoc cœlico amictu ſe conferre præſumat.

22 Admirabilis ſanè Scapularis ſacri textura, cujus lanas Virgo Mater de aurato Arietis, hoc eſt, Agni filii ſui vellere ſumpſit, & multarum ejuſdem varietate virtutum picturavit. Dicat ergò Salomoni de hac muliere forti *Prov.* 31. *Quæſivit lanam, & operata eſt conſilio manuum ſuarum*. Nam ejus induſtriæ, conſilioque in elaboranda Scapularis veſte aptiſſimè conveniunt ea, quæ ſcribit Albertus Magnus lib. de Muliere forti c. 4. §. 1. ubi propoſita perpendens verba, ſic inquit.

Notandum eſt quid ſit lana. Lana eſt quæ tondetur ab ove. Ovis Dominus noſter Jeſus Chriſtus eſt, de quo dicitur *Eſa.* 53. *Sicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum*. Et *Ioan.* 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ab iſta ove mulier hæc accepit ſex genera lanæ. A nativitate duplicem ſumit, ſcilicet recognitionem exilii, & contemptum mundi. Chriſtus enim in exilio natus eſt: quia licet Bethleem ſua eſſet, tamen dicitur *Ioan.* 1. *In propria venit, & ſui eum non receperunt*. Similiter tunc mundum contempſit: quia non de Regina, ſed de paupercula: non in aula regia, ſed in ſtabulo natus eſt. Natus autem nõ operitur purpura, & byſſo, ſed panniculis: nec reclinatur in cunabilis, ſed reclinatur in pręſepio: ſicut dicitur *Luc.* 2. quòd *peperit Maria filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio*. A profectu vitæ duplicem accepit lanam, ſcilicet humilitatis, & manſuetudinis: ſicut dicitur *Matth.* 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris*. Ab exitu etiam accepit duplicem lanam, ſcilicet obedientiæ, & patientiæ. De obedientia dicitur *Matth.* 26. *Non mea voluntas, ſed tua fiat*. De patientia dicit Petrus 1. *Canon.* 2. *Cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur*. De utroque horum dicitur ad *Philip.* 2. quòd *factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis*. De iſto vellere Agni facta eſt tunica inconſutilis Chriſti, quà induitur Eccleſia ad retinendum calorem charitatis.

Vides quàm ſint miri virtutum colores, & picturarum pulchræ varietates, quibus veſtem ſuam Podèris Carmelo donatam Virgo Mater variegavit.

§. III.

Quid de Virgine Raguel præfiguret.

23 PLura Raguel Sacerdos Madian, & Moyſi ſocer ex ſui nominis interpretatione ad Virginis præconium exhibet pertinentia. Nam ubi in aliquibus geſta deficiunt, Nominum ſupplent interpretationes. *Raguel* ergo, ſecundùm Hieronymum de Nominibus Hebraicis, interpretatur *Paſtor Dei*, vel *ægrotans Deo*: ſive *paſcens Deum*, aut *pabulum ejus Deus*. Quæ quidem interpretationes tàm aptè Virgini Beatæ quadrare videntur, ut in ipſis exactiſſimè Dei Mater, ejuſque munia videantur eſſe deſcripta. Cùm enim *Paſtor à paſcendo* dicatur: in quo nàm etymologia meliùs adimpletur, quàm in Beatiſſima Virgine, quæ proprio lacte Chriſtum Dei filium, & ſuum pavit, & aluit in innocentia cordis ſui? Verè igitur *Maria* paſcens, lactans Deum incarnatum: undè Eccleſia canit in hymno:

Qui te creavit providè
Lactaſti ſacro ubere.

24 Ex

24 Ex quibus verbis Placidus Nigidus in expoſit. hymni *O glorioſa Domina, &c.* meritò deducit Deiparam ſuper Angelos exaltatam, quia vera Creatoris Mater, nutrix, altrixque Dei fuit. Undè inquit. Lactaſti Creatorem. Ac ſi. Quia Mater fuiſti Creatoris tui, novo miraculo, & maximo. Non igitur mirum ſi ſic exaltata. Quod ſi mirum, non immeritò. Qui creavit te, requievit in tabernaculo tuo. Sed eſt quod ait, *lactaſti ubere?* Non potiùs concepiſti? Peperiſti? Cauſam per effectum exprimit, & quidem certiſſimum: nam ſi lactavit Virgo, certè & peperit. Undè enim Virgini deſuper lac, niſi quia Mater? Et quia quidem vera Mater, verum lac; miraculosè quidem infuſum, at non miraculoſum, ideſt, alteriùs generis. Quarè quod canit Eccleſia: *Vbere de Cœlo pleno*: niſi quia ſacrato adhuc tactu vitæ, & deputato in alimentum filii Dei, & materiam ſanguinis redemptionis humanæ, & quia Virginis plenæ gratiæ.

25 Sed & propter aliam cauſam, ait: *lactaſti*: ut ſignificet meritò exaltatam, quia lactavit: nam ſi lactavit, lactari & ipſa debuit legibus grati animi à Deo, qui ait: *Ad ubera portabimini*: cujus ubera, beatitudo. Rursùm, ut ſignificet meritò exaltatam ſuper Sidera, ideſt, Angelos, quia lactavit: nam ſi lactavit præ cæteris, præ cæteris debuit exaltari. Ac ſi ſtrinxit hìc ad pectus Deum, debuit ibi, illis ipſis legibus grati animi, à Deo ad pectus ſtringi. Ex quo poſſumus intelligere, quantum ſit exaltata ſuper Angelos, nimirùm quod uſque ad ſinum, & pectus Dei. Simili argumento uſa Eccleſia, legit in Aſſumptione, illud: *Excepit illum in domum ſuam*; ut intelligatur ex eo, quibus ipſa deindè ſit à Ieſu officiis in Cœlum excepta, quæ in utero illum in terris excepiſſet.

26 Non caret autem Sapientià quod dicitur: *lactaſti Creatorem*: ut ſignificetur ille verè *Mariæ* filius, verè parvulus, verè homo. Rursùm Virginem de Deo ab initio benè merentiſſimam fuiſſe. Sed quo cum iungendum illud: *Providè*? An creavit providè? An verò lactaſti providè? Cum utroque videtur commodè: nàm providè creavit Deus Virginem. Provida Virgo Deum lactavit. Ille prædeſtinans, ut Mater eſſet filii ſui, exemplar boni, lex virtutum, prima pulchritudo creata. Hæc ſedula, officioſa, intelligens muneris ſui, ac dignitatis. Hactenùs ille.

27 Nonnè ergò rectè dicitur Virgo paſcens Dei filium, & nutriens eum ubere de Cœlo pleno? Hoc etiam intellexit mulier illa devota, quæ *Luc.* 11. extollens vocem, ubera virginea beatificavit, quæ lactaverunt Chriſtum Dominum, & ventrem, qui tulit eum, dicens: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti*. O verè beata ubera, quæ noſtram aluerunt beatitudinem! Dimitto enim ventrem prò alio tempore, & loco. Nunc autem cum Alberto Magno in *Luc. c.* 11. ubera beatificata contemplor, quæ Beatorum gloriam nutrivere. Laudat hæc mulier, ait Albertus, in Matre membra quæ nutrimentum miniſtraverunt. *Vbera* autem *ab ubertate* dicta ſunt: eò quòd ubertim fundunt lac dulcedinis conceptæ. Ubera autem de Cœlo plena laudat: & ideò indeficientem miniſtrantià ubertatem. *Cant.* 8. *Soror noſtra parvula eſt, & ubera non habet*, fracta libidine: ſed habet ubera de Cœlo, rorem pietatis, & dulcedinis concipientia, & ubera profundentia liquorem ad Chriſti nutrimentum miniſtratum.

28 Et quis crederet ubertatem eſſe in Virginis ubere niſi de Cœlo miniſtratam? *Geneſ.* 21. Quis auditurus crederet, quod Sara lactavit filium, quem peperit ei jam ſeni. *Sara*, inquam, *Princeps* Virgo *Maria* lactat filium magno Patriarchæ, Patri multarum Gentium, quem peperit ei ad virtutem eius demonſtrandam jam ſeni in fine mundi. Non enim datur hoc naturæ, quòd uber arens, non infuſum ſemine viri, lac miniſtret ubertim filio naſcenti. *Cant.* 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ. Vbera tua botris.* Palma enim dulcedinem habet in ſummo, de Cœlo concipiens eam: & botrus ex Solis reſpectu concipit, & fundit gaudii ubertatem. Tamen ſicut dicitur *Cant.* 1. *Meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis*. Nihil enim auſteritate pungens, nihil per libidinem inebrians eſt in uberibus illis: ſed unguentum fragrans, ex humore nutriens Chriſtum unctum, & omnes ſanans noſtras infirmitates.

29 Hæc enim tria ſecundùm naturam ſunt in ubere, ſcilicet converſio ſanguinis in nutrimentum candens, nutrimenti abundantia, & medicamentum infirmitatis. De primo dicitur *Exod.* 3. quod promittitur nobis terra lacte manans, & melle. Quæ terra præcipuè Beata Virgo eſt, habens in ubere ſuæ pietatis, undè nutriat Chriſtum in gremio, & in cordibus fidelium, mellito lacte cordis ſui: à quo ubera ſua dependent. De ſecundo dicitur *Iudic.* 5. *In phiala Principum butyrum*. Phiala enim iſta uber Virginis eſt: quod propinavit pinguedinem lactis, quæ eſt butyrum, in Chriſti nutrimentum. Et Siſaræ, hoc eſt, diaboli, in ſoporationem, & interfectionem.

De tertio autem Medicorum eſt ſcientia, quòd papula uberis in os infantis immiſſa, contrà omnem valet infirmitatem infantis: & ideò dicuntur *fragrantia unguentis optimis*, ſicut jam antè eſt expoſitum. Ideò dicitur *Cant.* 7. *Ibi dabo tibi ubera mea*. Et ibidem antè. *Duo ubera tua ſicut duo gemelli capreæ hinnuli*. Gemelli enim ex eodem conceptu ſunt: ſicut ubera Virginis ſunt geminum habentia conceptum cœleſtem. Sunt autem hinnuli abſconditi capreæ, quæ acutum habet viſum propter abſconditum Sacramentum Virginis: quod niſi Capreæ Cœli, hoc eſt, videntes limpidè divina, videre potuerunt.

30 Hæc igitur ſunt ubera Virginis Beatæ, ò Chriſte, *quæ ſuxiſti*, ad vegetationem, & nutrimentum. Non enim lactis edulium perficitur maſticatione, ſed ſuctione. Hæc eſt enim hujus cauſa beatitudinis: quia ſuxiſti. Quaſi enim modò genitus infans, rationabilis, ſinè dolo, lac concupivit virgineum: ut in eo creſceret ſecundum corpus, & proficeret, qui ſecudùm animæ perfectiones ab inſtanti conceptionis ſemper fuit perfectus. Attendendum autem eſt quòd mulier hæc dixit: *Suxiſti*; & non *comediſti*. Quod enim comeditur, durum eſt, & ſolidum, dentibus diviſum, & molaribus tritum, & humiditate ſalivali infuſum, & liquore potus ad liquidum con-

ver-

verſum : ut per membra, & ad membra currere poſſit : & venis epatis, quæ meſeraicæ vocantur, ſuctum, & tractum; ut poſteà per venas ad membra deducatur. Lac autem, ſicut dicit Philoſophus, ſolum eſt, quod ſufficienter naturam præparat ad nutrimentum.

31 Et præcipuè lac virgineum de virtute cœleſti uberibus infuſum, Spiritu Sancto purificatum: quod totum erat nutrimentum conveniens Dei Filio. Et ideò non comedendo, ſed ſugendo, ſtatim ad membra dirigitur ex Virgine ſuctum. Et ideò incorporandum ad nutrimentum corporis, quod divinitati eſt unitum. Undè *Eſa. 7. Butyrum, & mel comedet: ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*. Butyrum enim adeps lactis, lac eſt virgineum. Mel autem, ros cœleſtis eſt, linguis apum collectus: & ſignat nutrimenti hujus dulcedinem. Cum enim nihil nutriat niſi dulce, ſecundùm Medicorum expertam rationem: penſandum eſt, quantæ dulcedinis fuit lac virgineum, quod Dei membris conveniens exhibuit nutrimentum. Hoc lac, ros convenienter vocatur: quia de Cœlo ſicut ros miniſtratur. *Eſa. 26. Ros lucis, ros tuus*. *Deuter. 33. Cœli caligabunt rore*. De Cœlo ergò ſic miniſtrata dulcedo lactis mellea, ros vocatur.

32 Hæc eſt dulcedo, quæ nos omnes infundit, ex Chriſto capite in nos diſtillans. Et hoc eſt, quod dicitur *Eſa. 66. Ad ubera portabimini, & ſuper genua blandietur vobis*. Adhuc enim Mater Virgo in multorum cordibus formatum, ſuà lactat dulcedine, & niſi lactaret, periret recenter formatus. Undè *Eſa. 66. Eccè ego declinabo in vos ſicut flumen pacem: & tanquam torrentem inundantem gloriam Gentium, quam ſugetis*. Gloria enim omnium Gentium, dulcedo eſt conſolationis Beatæ Virginis, ubertim ex uberibus gratiæ eius in nos infuſa, quandiu ſumus parvuli ab uberibus eius dependentes. Et hoc eſt, quod in conſolationem Eccleſiæ dicitur *Eſa. 66. Gaudete in ea omnes, qui lugebatis ſuper eam: ut ſugatis, & repleamini ab uberibus conſolationis eius: ut mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.* Sic igitur beata ſunt ubera, quæ ſuxiſti Domine Jeſu.

33 Altera autem *Raguelis* interpretatio, ſcilicet quod dicatur *ægrotans Deo*, ad tenerrimos Deiparæ præ divino amore ægrotantis amores, atque languores evolvendos, ſtylum compellit. Quales ægritudines amans Virgo languentis tulit amoris! Eius flammigeræ dilectionis, & præ nimio deſiderio languentis, in Deum, & filium ſuum verba ſunt *Cant. 5. Filiæ Ieruſalem nunciate Dilecto meo, quia amore langueo*. O ægrotatio ſuavis, atque deſiderabilis, ubi amor eſt languor! Et quam dulcis, & delectabilis amoris languor, cum præ amore languendo deficiat. Undè Albertus Magnus *lib. 4. de laudib. B. Mariæ c.* 18. loquens de amore Deiparæ in filium, inquit. Idcirco convenienter potuit ipſi dicere: *Defecit caro mea, & cor meum*. Et ideò tu Dominus cordis mei pars mea deinceps eris in ęternum. Et ideò inter cæteras aves comparari poteſt ſpecialiter *Philomenæ*, quæ dicitur à *Philos*, quod eſt *amor*, & *Mene*, quod eſt *defectus*, quaſi *deficiens præ amore*. Undè Maria potuit dicere Patri: *Defecit in ſalutare tuum anima mea, &c. Pſal.* 118. Salutare Patris, & noſter Salutaris Filius Dei eſt.

34 Sed tria quærenda ſunt de amore *Mariæ*. Primò, utrum amor ipſius fuerit languor. Secundò, undè cauſatus fuit, ſivè proceſſit iſte languor. Tertiò, quarè ſic languebat Maria amore filii. Tres has quæſtiones ſolvit Ioannes Raulinus Cluniacenſis *ſerm.* 1. de Aſſumptione Virginis, dicens.

Igitur ad primum quæſitum, utrùm amor *Mariæ* fuerit languor, videtur quòd non, quia amor *Mariæ* fuit occaſio pulchritudinis eius, ſicut hodiè canit Eccleſia, dicens: *Iſta eſt ſpecioſa inter filias Ieruſalem, ſicut vidiſtis eam plenam charitate, & dilectione*: ſed languor vultum pallidum facit, & per conſequens deformem. Cùm igitur Ipſa fuerit tota pulchra, ſequitur, quod eius amor, non fuit languor. Reſpondetur, quod amor *Mariæ* languor dicitur ad languoris corporalis ſimilitudinem propter quatuor; quia languor corporeus quatuor facit. Primò immutat ſtatum. Secundò pulſum. Tertiò vultum. Quartò guſtum.

35 Primò igitur immutat ſtatum. Qui enim ſanus erat priùs, per languorem in infirmitatis ſtatum, & ſtratum protinùs decidit. Sic amor elatos inclinat, & humiles facit, cum ſit pondus in ſpiritibus, juxtà illud Auguſtini: *Amor meus, pondus meum: eo feror quocunque feror*. Qui enim ſuper ſe pondus portat, neceſſe habet inclinari, & humiliari. *Maria* verò licet habuiſſet undè potuiſſet extolli ſuper omnes mulieres, tamen nec indè elata eſt, ſed amoris ſui pondere ita inclinata eſt, ut ille, qui humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit, reſpexerit humilitatem Ancillæ ſuæ.

Secundò pulſum immutat. Neque enim languenti, & ſano, medicorum teſtimonio, eſt idem pulſus; ſed moderatus eſt ſano; & velox nimiùm, aut tardus ægro. Per pulſum verò, quem immutat amoris languor, bonorum operum motum intelligimus. Cùm enim amor ignis ſit, & ignis inter omnia elementa maximè activus exiſtat, amor ſemper in motu bonæ operationis conſtat. Nam, ut vult Gregorius, amor neſcit eſſe nocioſus. Operatur enim magna, ſi eſt. Si autem operari renuit, amor non eſt. Sed pulſus *Mariæ* tantus, tamque continuus fuit, ut indefeſsè Chriſtum imitaretur, & ſequeretur Agnum, quocumque ibat. Immò tàm celeri pulſu, aut motu agitata eſt, ut Gigantem illum geminæ ſubſtantiæ, qui exultavit ut Gigas ad currendam viam, non ſolùm per cuſtodiam præceptorum, ſed etiam conſiliorum comprehenderit. *Prov. 31. Operata eſt conſilio manuum ſuarum*.

36 Tertiò vultum immutat. Nam qui ſanus apparuit rubicundus, & pulchra facie, ipſe idem languens pallidus vultu marceſcit. Sic *Maria* rigore abſtinentiæ, vigiliis, ac jejuniis pallens, vultum virgineum ad Solis calorem in paſſione mutavit. Nam nemo ad Solis aſpectum ferventiſſimum diu ſe exponeret, quin fuſcaretur, aut denigraretur eius facies. Quantò magis *Maria* vultum mutavit, dùm propè Crucem in ipſo fervore diei, Soli juſtitię proxima corde, & corpore, ore nihilominùs dicere poterat. *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem. Nolite conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolo-*

colo-

coloravit me Sol. Cant. 1.

Quartò mutat guſtum, ità ut dulcia judicentur amara; & omnem hujus mundi dulcedinem, tanquam amaritudinem judicaret. Cor enim languidum nauſeat. Sic anima *Mariæ* nauſeabat ſuper cibo iſto leviſſimo, ſcilicet bonis hujus mundi, quæ verè ſunt cibi leviſſimi, quia parum, aut nihil reficiunt, & citò velut fumus tranſeunt, & evaneſcunt. Cor autem *Mariæ* omnia hæc tanquam amara reſpuebat, quia *Eccli.* 14. *cor quod novit amaritudinem, in gaudio eius non miſcebitur extraneus*. Quia verò in languore deſiderata ſanitas nec dùm attingitur, nec penitùs deſperatur, ſed ſub incerto, & pendulo, & alteriùs ſcilicet Dei voluntate expectatur: ideò non eſt mirandum, ſi *Maria* deſideratam præſentiam filii expectans, ut ab hoc languore ſanetur, mandat per cives Ieruſalem: *Filiæ Ieruſalem nunciate Dilecto, quia amore langueo*. Et hæc de primo quæſito.

37 Ad ſecundùm quæſitum, undè ſcilicet fuerit cauſatus iſte languor *Mariæ*: Reſpondetur, quod quia ſecundùm Philoſophum oppoſita juxta ſe poſita ſenſibiliora fiunt: ideò ſi videamus undè cauſatur languor peccatoris, videbimus undè cauſetur languor animæ ſanctæ. Dico igitur, quod languor peccatoris ex amore mundano cauſatur, qui frigus eſt, ſecundùm illud Salvatoris *Matth.* 24. dicentis, quod *in noviſſimis diebus refrigeſcet charitas multorum*. Quod autem amor iſte ſit frigus patet tripliciter.

Primò ſecundùm Guillermum Pariſienſem, quia frigus ex natura ſua coagulat, & congelat ea, quæ ſunt ejuſdem naturæ, ut aquam congelat, & aquam aquæ conglutinat. Amor verò mundi non ſolùm temporalia bona, quæ quaſi ſunt ejuſdem naturæ, quia omnia mobilia ſunt, & caduca, adunat per avaritiam, verùm etiam tam diverſa, ut ſunt mentes humanæ, & corporalia bona, agglutinat, & unit, adeò ut avari temporalia bona membra ſua reputent, nec erubeſcant dicere de grangia, vel furno, vel molendino: hoc eſt meliùs membrum, quod habeam.

38 Secundò, quia ſecundùm naturales calor exterior quandoque facit evaporare, & mortificari calorem interiorem naturalem, ut patet in aceto, in quo calor exterioris aeris corrumpit, & mortificat calorem interioris ſubſtantiæ; & ſic illud quod erat vinum, efficitur acetum, & quod erat calidum, efficitur frigidum. Sic multi habent tantum caloris, & ardoris exterioris ad bona temporalia, vel exterius in fallaci apparentia, vel exteriùs ad lubrica, quod interius in ſubſtantia, ideſt, in conſcientia remanent frigidi per indevotionem. Et ſic amor mundi, & quicunque alius à divino amore, frigus eſt, & infrigidat conſcientiam.

Tertiò, quia frigus reddit membra impotentia ad operationem. Languor quippè peccatoris febris eſt continua ex frigido cauſata. Undè & ſicut languidus guſtum non habet, actum non exercet, non lucratur paſtum, nec evitat temporis iacturam: ſic nec peccator ſpiritualia guſtat, nec in illis delectatur, nec virtutum actus exercet, nec meretur, aut præmium æternum acquirit, ſed omne tempus perdit, & damnationem acquirit. Huic autem ſic languido opus eſt homine, qui habeat eum mittere in piſcinam pœnitentiæ, exemplo Paralitici languidi, qui erat circa piſcinam expectans, qui ſe excuſavit, quia hominem non habebat, qui eum mitteret in piſcinam: quod cedit in maximum Prælatorum vituperium, & periculum, propter quorum negligentiam adhuc reſtat multitudo hominum languidorum.

39 Languor verò animæ ſanctæ ex amore divino procedit, qui calor eſt, ſicut ſentiebat anima illa ſancta, quæ dicebat: *Concaluit cor meum intrà me, & in meditatione mea exardeſcit ignis. Pſal.* 38. Is autem amor ex multis cauſis in animabus ſanctis procedit.

Primò, ex verbi Dei quaſi ignis inflammatione, de quo *Pſal.* 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer*. Verbum enim Domini eſt ſicut facula ardens, quo igne ardebant diſcipuli, cum dicerent: *Nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis de Ieſu, dum loqueretur in vià. Luc.* 24. Quo ardebat cor *Mariæ* conſiderans verba dulcia, quæ ad populum, quæ ad diſcipulos, quæ ad ſeipſam, dum viveret ipſe dicebat. Dicere enim poterat illud *Cant. 5. Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus loquutus eſt*. Liquefieri enim ad congelari opponitur. Cùm igitur mens eius liquefiebat amore, conſequens eſt, ut calefacta omnem congelationem non pateretur approximare.

Secundò, ex nimio labore quandoque cauſatur febris iſta languoris. Sancti enim ex nimiis laboribus, & pœnis, & tribulationibus incidunt in languorem, & faſtidium huius ſæculi, & deſiderium regni, quemadmodum Job tribulatus, qui dicebat *c.10. Tædet animam meam vitæ meæ*. Sitiunt enim laborantes, & ſicut Cervi dum venantur aquas, ita Sancti ſitiunt ad Deum fontem vivum. Sic *Maria* laboribus, & opprobriis multis in ſeculo agitata, ut ſcribit Ignatius ad Joannem de opprobriis Scribarum, & Phariſæorum, quæ patiebatur; ideò non eſt mirum, ſi æſtuabat ad illam cœleſtem patriam.

40 Tertiò, ex optimo Cœleſtium guſtu. Languens enim nonniſi corde, ore, & oculis ſe communiter juvat. Sic anima ſancta ex toto corde diligit Deum, non de alio loquitur, non ad aliud aſpicit, ſemper Deum habens præ oculis. Sic *Maria* ita guſtavit cœleſtia, quòd hæc terrena ſibi amara fuerunt. Unde Seneca teſte: *Languentis eſt ſtomachi plurima deguſtare, & in nullo delectari*. Plurima enim in mundo vidit, & in nullo delectabatur, dicens illud *Pſal. 76. Renuit conſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum*. Similiter oculi eius ſemper ad Dominum. Si enim Martinus ex dilectione Dei legitur ſemper habuiſſe oculos erectos in Cœlum, quantò magis *Maria*, quæ ampliùs in dilectione exceſſit. Similiter corde ſemper converſabatur in Cœleſtibus. Illic enim converſabatur, ubi cognoſcebatur. Tunc autem in terris minimè cognoſcebatur, ſed Angelis erat familiaris. Non enim dicit Evangeliſta, quòd turbata ſit in viſione Angeli, ſed in ſalutatione eius.

Quartò procedit ex nimia bibitione, aut repletione gratiæ, ob quam omnia faſtidit homo momentanea bona, ſicut qui repletus eſt cibo, omnem alium faſtidit. Sic enim ſæpè cauſatur febris continua propter nimiam repletionem. Quidam autem

tem

tem quandoque habent hunc amoris calorem quaſi febrem tertianam, qui ſcilicet in tempore recedunt, & in tempore tentationis recedunt, quidam quaſi quartanam, qui poſt annum, vel duos torpent: ſed languent amore, quaſi febre continua, quorum calor inoſſatus eſt, juxtà illud *Thren.* 3. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis*: quorum bibitio cœleſtis dulcedinis lachrymam venire facit ad oculum, ſicut in illo, qui dicebat: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte. Pſal.* 41. Sic *Maria* cœleſtis patriæ deſiderio ita æſtuabat, quòd ſe continere non valebat, quin per caminum oris, ignis Sanctorum ſuſpiriorum, & deſideriorum exiret ad dilectum.

41 Ad tertium dicitur, quod non debet eſſe mirum, ſi *Maria* ſic langueret amore filii ſui; quoniam fortis erat ut mors eius dilectio: & hoc patet octo modis. Primò quia mors ità fortis eſt, quod nullum eſt tam forte vinculum, quin facile diſrumpat, ut vinculum amoris uxoris, & viri, vinculum Patris, & filii, & vinculum adhuc fortiùs corporis, & animæ. Sic *Mariæ* amor ità fortis fuit, quod propter amorem Domini, omnia terrena mundi vincula dirumpens, omnem concupiſcentiam abiecit, ut ipſi ſoli Deo in virginitate ſerviret; domui paternæ relinquere hæredem, & genus ampliare ſucceſſione prolis oblivïſcens, juxtà quod ſibi fuerat inſpiratum, dicente Propheta: *Obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui: & concupiſcet Rex decorem tuum. Pſal.* 44. Sic enim fuit amor eius fortis, quòd propter illius Regis amorem quantuncunque fortia vincula fregit, nè teneretur ut caſtitatis amatori occurreret.

Secundò quia ſicut nihil eſt tam forte, quod non morte proſternatur. (Nam ut plurimùm fortiores citiùs morte ſternuntur.) Sic *Mariæ* amori nihil erat impoſſibile, ſed omnia erant ei facilia propter dilectum ſuum, ut puta labores in miniſtrando ſibi, in ſequendo prædicantem, & poſt eius aſcenſionem, peregrinationes, & ſimiliter opprobria, quæ à Judæis patiebatur. Et ita levia erant, ut dicere poſſet illud Bernardi ſuper Cantica. Onus meum vix eſt unius horæ, & ſi plùs eſt, non ſentio præ amore. Non enim oneroſi videntur labores amantium, ſed etiam multùm delectabiles, ut patet in venatoribus, & aucupibus, qui maximos labores in feris capiendis nihil reputant propter amorem, quo ducuntur. Indè dicebat Auguſtinus ſuper *Canon. Ioan. homil.* 4. Homo quid laboras amando avaritiam? Cum labore amatur quod amas: ſinè labore amatur Deus. Et hoc ideò eſt, quia amor Dei in Sanctis ſuis omnem laborem facilitat: ut etiam mors nihil eſſe videatur propter Deum. Undè Origenes ſuper *Epiſt. ad Rom.* Anima noſtra à Chriſto munere charitatis accepto, etiam ſi tradat gladio corpus, non ſentit vulnera carnis præ vulnere charitatis. Si hæc faciat amor divinus ſucceſus in amicis Dei, ut etiam mortem optent, & deſiderent, & ad ipſam ſe exponant ſuperandam, quamvis ſit fortiſſima, quomodo hoc non fecerit Mariæ amor divinus multò fortior, & ardentior?

42 Tertiò, quia mors quem ſemel arripuerit, nullo pacto dimittere poteſt, aut etiam ab eo ſeparari, quin eum teneat. Sic tantus, tamque fortis fuit *Mariæ* amor, ut nullatenus à dilecto ſuo ſeparari potuerit, nec etiam gladio, nec ipſa morte, ut etiam dùm lancea tranſverberaretur cor filii, penetraretur anima eius, quæ à corde ipſius nequibat avelli. Si enim Viri Sancti à Dei amore nulla violentia ſeparari potuerunt, quemadmodùm dicebat unus *Rom.* 8. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque Creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Quid de Matre Domini dicemus, in quà multo plùs abundavit amor? Si ſic diligebat miles Regem, quomodo non ampliùs Regina? Si ſic ſervus Dominum, quomodò non ampliùs Mater proprium filium. Indè eſt, quod amor Dei inſuperabilis eſt, amor verò mundi citò deſtruitur. Nam, ut inquit Auguſtinus, periculoſum eſt vivere cum eo, à quo neceſſe habes ſeparari. A terrenis enim neceſſe habet homo ſeparari, ideò periculoſum eſt in eis amorem ſuum ponere.

Quartò, quia ſicut mors ità fortis eſt, quod nunquam moritur: ſic *Mariæ* charitas nunquam excidit. Ac ſi dicat filio illud *Ierem.* 31. *In charitate perpetua dilexi te*: ſic ſcilicet quod etiam in morte filii ſui ab omnibus derelinquebatur, ſi fuiſſet ipſius beneplacitum, parata erat mori prò eo, nec vitę ſuę pepercisſet, ut viſa ſit dixiſſe eum David. *Quis mihi det, ut pro te moriar, fili mi?* 2. *Reg.* . . . Si ſic deſideravit David prò filio perverſo, & perſequente Patrem, & hoc inſtigante flamma amoris eius: quid dicemus de Matre Domini ſic honorata à filio, & tali filio? Nonne deſideravit etiam amore eius mori prò eo?

43 Quintò, mors ità fortis eſt, quod nullum patitur vivere, quin ſtatim interficiat. Sic amor *Mariæ* vitam mundanam ſecum non compatiebatur, ſed ei ſolùm vivere Chriſtus erat. Ille quippè amor omnē alium amorem extinxerat. Quod patet primò: quia diviſum cor ex toto diligere Deum non poteſt; ſed *Maria* ex toto corde Deum diligebat, dicens illud *Pſal.* 118. *In toto corde meo exquiſivi te*. Non igitur amorem alienum in corde ſuo ſuſtinebat. Secundò: quia cor diviſionem non patitur, ità ut ſi dividatur, ſtatim moriatur homo. Sic de illis, qui diviſum cor habent, ut nunc Deum, nunc terrena diligant, dicitur *Oſeæ* 22. *Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Tales enim in gratia Dei diu permanere non poſſunt, juxtà illud *Geneſ.* 49. *Ruben effuſus es ſicut aqua, non creſcas.* Sed Maria tota plena erat gratia, ut nulla cordis eius particula vacua relinqueretur: igitur nullum alium amorem ſecum compatiebatur. Tertiò: quia Gloſſa dicit ſuper illud 1. *Ioan.* 2. *Nolite diligere mundum*: Unum cor duos ſibi adverſarios amores non capit. Hinc Cyprianus ait. Mundi amor, & Dei pariter in uno corde habitare non poſſunt: quemadmodum oculi pariter Cœlum, & terram nequaquam aſpiciunt. Sed Maria erat tota plena amore divino, igitur mundanum amorem ſibi contrarium non capiebat. Quartò: quia dicit Bernardus in epiſtola ad Fulconem. Non poteſt quis ſimul calicem Chriſti, & calicem dœmoniorum bibere. Sicut enim ignis, & aqua ſimul eſſe non poſſunt: ſic ſpirituales, & carnales deliciæ in eodem ſe non compatiuntur. Ubi enim crapulam ructantis inter pocula ſenſerit Chriſtus, vina ſua dulciora ſuper mel, & favum propinare non dignatur. Cùm igitur *Maria* continuè calicem Chriſti biberet, cogitando labores, & ſudores, quos ſuſtinebat prò genere humano, nullo modo bibit de calice dæmoniorum, de amore ſcilicet voluptatis, & mundi.

44 Sextò: mors ſic fortis eſt, ut uno ictu hominem dividat in duas partes, quarum alteram mittit in Cœlum, ſi fuerit juſtus, qui mortuus eſt, alteram verò, ſcilicet corpus quantumcunque validum proſternit in terram. Sic divinus *Mariæ* amor, ſic dividebat eam, ut corpore in terris peregrinante, anima ſurſum in cœleſtibus habitaret. Amor enim ejus ignis erat, immò currus ille igneus, qui Eliam rapuit in Cęlum, in hoc differens ab amore terreno, quia terrenus amor viſcus eſt ſpiritualium pennarum. Hinc Gloſſa, ſuper *Pſ.* 121. Alligata anima terreno amori viſcum habet in pennis, volare non poteſt. Sed divinus amor ad Cœleſtia juſtorum mentes elevat, adeò ut converſentur in Cœlis. Quantò magis *Mariæ* amor, quæ tota cœleſtis erat? Sicut enim ignitum ferrum alteri ignito facilè conjungi poteſt; ſic *Mariæ* cor ignitum facilè jungi, & trahi potuit ſurſum, ad cœleſtia ab igne amoris filii ſui. Non autem ſic nos, qui amore, & devotione frigidi ſumus. Nam frigidum vix calido jungi poteſt. Ideò nec nos converſari cum Deo, nec aſcendere cum eo volumus, ſed uſque ad mortem quantùm poſſumus, reſiſtimus, & differrimus.

45 Septimò: mors nec amicis, nec inimicis parcit; ſed omnes indifferenter proſternit. Sic *Mariæ* amor non parcebat unigenito ſibi dilecto, quin in Cruce exiſtentem vulneraret amoris jaculo, quandò ſe videbat Dominus non ex toto derelictum, ſed illam ſibi dilectam Matrem præſentem. Sed nec inimicis ſuis pepercit; quin prò eis oraverit. Si enim Stephanus Chriſti imitator ità legitur feciſſe, quantò magis *Mariam* credendum eſt oraſſe, quæ multò propiùs imitabatur quē multò magis diligebat. Sed nec nunc parcit, quin bonis, & malis ſubveniat. Ratio eſt, quia Ipſa eſt electa ut Sol à Domino; Sol autem oritur, & lumen ſuum effundit ſuper bonos, & malos. Similiter quandiu vitalis calor eſt in corpore, operatur & in humores bonos, & malos. Amor autem calor eſt animæ, quo extincto nihil vitæ ſpiritualis relinquitur in anima, juxta illud 1. *Ioan.* 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et ita Mariæ amor in bonos, & malos ſuæ compaſſionis opera ſemper exercet, non amatoribus falſis ſimilis, qui ſenſu compaſſionis nihil ſentiunt adverſorum, quæ amicis accidunt, de quibus *Amos* 6. *Optimo unguento delibuti nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Si enim propter amorem Dei, ſancti Viri tot, & tanta operati ſunt, etiam uſque ad mortem, ut ſi interrogarentur propter quid illa fecerunt, & quotidie in clauſtris faciunt, reſpondebunt, quòd propter amorem Dei. Quanta putamus *Mariam* geſſiſſe in amicos, & inimicos Chriſti, ut ipſum imitaretur, qui prò amicis, & inimicis mortuus eſt. Et hoc apparet ex virtute miraculorum, quæ quotidie ad ſubventionem hominum fiunt ab ea. Sicut enim virtus, & diſpoſitio cordis in pulſu brachiorum per motum ſpirituum percipitur; ſic *Mariæ* amorem per ſubventiones, & miſericordiæ opera, quæ quotidie nobis exhibet, percipimus.

46 Octavò: mors eſt inſatiabilis, ſic quòd à principio non ceſſat omnes indifferenter invadere, & deglutire, nec in fortitudine ſua diminuitur, immò videtur fortior, & impetuoſior, quàm in principio, ubi ſolebat homines expectare per centum, vel ducentos, immo per octingentos annos, nunc verò vix expectat ſexageſimum annum, & in paucis, quin eos deglutiat. Sic Mariæ amor ità inſatiabilis erat, quòd licèt fuiſſet gratia plena, & ſuperplena in conceptione filii Dei, tamen præ conſideratione dulcedinis filii ſui, & beneficiorum, quæ prò reparatione generis humani contulerat, non poterat ſatiari. Quia enim illa guſtaverat, quàm ſuavis eſt Dominus, qui de ſe teſtatur illud *Eccli.* 24. *Qui edunt me, adhuc eſurient.* Ideò amor Marię erat ille *ignis*, qui *nunquàm dicit: Sufficit. Prov.* 30. Sed eam præ ſiti ſæpè cogebat cum ſuſpiriis dicere: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Pſal.* 41. Sicut enim fons vivus ſemper novas ſcaturit aquas, ſic filius ejus, qui eſt fons vitæ, jugiter ei miniſtrat de ſeipſo delectationes novas.

47 Hæc ergò Deiparæ vita tàm longo amoris languore traducta (ſiquidem languor, longus eſt angor) quem finem habuit? Nùm mors doloribus ſuis violentas illi manus injecit? Nùm fera mors, pœnarum afflictione, ſanctiſſimam illam ſeparavit, & à corpore abire coegit? Minimè quidem Philomena noſtra, dolorifero mortis occidit telo, ſed febriens amore, præ amore defecit. Quæſtio quidem dulciſſima, quam proponit Joannes Raulinus Cluniacenſis ſerm. 2. de Aſſumpt. Virginis, dicens. Quæritur quo languore *Maria* naturæ tributum ſolvit. Et videtur, quòd languore doloris. Tum, Primò: quia mors *Mariæ* morti Chriſti debuit eſſe conformis; ſicut vita ejus, vitæ Chriſti ſimillima fuit: Sed mors Chriſti inter omnes fuit in dolore exceſſiva, igitur & mors Mariæ. Secundò: quantò complexio eſt tenerior, & temperatior, & delicatior, tantò conjunctio fortior, & ſeparatio amarior; ſed complexio *Mariæ* fuit temperatiſſima, igitur ſeparatio animæ à carne fuit amariſſima. Tertiò: Inter quæcunque eſt major pax, ibi eſt delectabilior commanſio: ſed inter corpus, & animam *Mariæ* fuit maxima pax, quia caro adversùs ſpiritum non concupivit: igitur fuit eorum delectabilis commanſio, & per conſequens dura eorum ſeparatio. In oppoſitum arguitur per ea, quæ dilecto ſuo mandat *Cant.* 5. dicens: *Filiæ Ieruſalem nunciate Dilecto meo, quia amore langueo.*

48 Prò hujus quæſtionis deciſione, ut ſciamus languorem, quo obiit. Notandum eſt, quòd vehemens amor ſolet in amante quatuor exercere actiones, ut vult Richardus de Sancto Victore in quodam ſermone. Primò amor vulnerat amantem. Secundò ligat. Tertiò eum languere facit. Quartò defectum inducit, & mortem. Quibus quatuor gradibus *Maria* eſt inflammata.

Primò vulnerat vehemens amor Dei, juxtà quod dicit Sponſus Eccleſiæ *Cant.* 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa.* Secundùm enim Anſelmum in epiſt. de Incarnatione: Amor acutus eſt,

omnia tranſit, omnia penetrat, donec ad dilectum perveniat. Ubi enim erat impetus ſpiritus, illic gradiebantur animalia. *Ezechiel.* 1. Sicut enim à vulnerato exit ſanguis in abundantia, æſtuat febre interiùs, & clamat præ dolore exteriùs: Sic amore Dei vulnerati loco ſanguinis lachrymas emittunt, & longa ſuſpiria, deſiderio, & affectu ardent, ita ut opera exteriora deſiderii æſtum diſſimulare nequeant. Sic vulnerata Maria Magdalena, ut ſanguis lachrymarum per oculos efflueret. Sic beatus Franciſcus in corde, ut per ſtigmata exteriora interiùs vulnus appareret. Sic Paulus ità vulneratus eſt, ut nedum in mente, ſed etiam in corpore Domini ſtigmata portaret.

49 Sic *Maria* antè filii Dei conceptionem ità divino amore vulnerata eſt, ut oblita ſit populum, & domum Patris ſui. Inſuperabilis enim erat amor, qui ita cor ejus penetraverat, ut neque ſpe prolis habendæ prò populi multiplicatione, aut hæredis, aut ſucceſſoris, prò manutenentià domus paternæ, moveri potuit, ut ab incæpto virginitatis voto propter Deum deſiſteret, ſolum illum cupiens, ſolius illius amore vulnerata: ut ſicut inſaniens lubricus amator, relictis Patre, & Matre, amaſiam ſequitur; ſic *Maria*, relicta domo paterna, deſpectis omnibus mundi rebus, ad Dominum tanquàm ad Sponſum ſuum ex toto converſa eſt, adeò ut Angelis ſibi familiaribus dicere poſſet. Nunciate Dilecto meo, quia vulnerata charitate ego ſum. Quis enim ſeparabit nos à charitate, quæ eſt in Chriſto? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certè aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: propterea Rex concupivit ſpeciem ſuam, & eam in Matrem, & in amicam ſibi delegit.

50 Secundò ligat amor, qui quidem gradus à primo differt: quia primus penetrat mentem, & affectum, ut totus currat ad amatum, ſed non ligat mentem, id eſt, rationem: ſecundus verò mentem vinculat, & ligat, ut in omni cogitatu ſuo præſentem habeat amatum, juxtà illud *Pſal.* 15. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*. Secundò quia vulneratus citò poteſt evadere, & fugere hoſtes; ſed cùm ligatus, effugere non poteſt. Sic peccator, aut quicunque homo ſolùm vulneratus amoris aculeo, ſæpè ad aliud cogitandum ſe transfert, & aliquandò amatum effugit, eò quòd non erat amoris vinculo innodatus. Sicut peccator cùm deflet amore Chriſti ſua peccata, tunc corpus ejus amore vulneratur, ita ut per oculos quandoque exeat ſanguis lachrymarum. Sed citò poſt hoc effugit amatum, & ad aliud cogitandum tranſit, & per hoc aliquandò cadit in peccatum. Quandò autem ligatur amoris vinculo, ut nihil cogitare poſſit, in quo Deum non habeat præ oculis; ſi actus, operatio, vel cogitatio occurrens diſpliceat, difficilè tunc vertitur in peccatum, cùm mens tota vinculata ſit in Chriſto.

51 His vinculis ligatus erat Dominus Jeſus ad columnam, & ad Crucem. Ferrum enim totius mundi eum tenere non potuiſſet, niſi vinculis charitatis alligatus fuiſſet Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Quibus amoris vinculis nos vult alligari, dicens *Oſeæ* 11. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Funiculi Adam, quibus nos ligare deberet divinus amor, niſi obſiſteret miſeria noſtra, ſunt bona naturæ, bona gratiæ, & bona gloriæ, quibus extrahitur omnis peccator de lacu miſeriæ, & de luto fœcis. Naturam enim Dominus dedit ipſi Adæ optimam, gratiam contulit, & gloriam repromiſit. Eccè funiculum triplicem, qui licet difficilè rumpatur *Eccli.* 4. homo tamen, ut dicitur *Ierem.* 2. à ſeculo confregit jugum, rupit vincula: ideò adjecit ſuper nos Dominus multiplicare vincula.

Contulit enim nobis ſeipſum, & bona, ſive beneficia redemptionis, eruditionis, & doctrinæ ſalutaris, & prò vobis pertulit mala, & in talibus funiculis charitatis, & amoris captivam duxit captivitatem, quòd miſer eſt homo, quem tot charitatis vincula tenere non poſſunt. Videmus enim amatores mundi ad nihil aliud cogitare præter quã ad divitias, quas amant, nec eſt vinculum, quod poſſit eos retinere, quin poſt eas currant; non uxoris, non liberorum, non domus ſuæ vinculum eos detinet: & homo ad Deum, qui fecit illum, creavit, redemit, per amorem, & charitatem, nec ad minimum converti poteſt. Sic enim eſt de carnali amore, ut videat velut canem cum liciſsà ligatos concubinarium cum concubina, ut nullo præcepto, nulla taxata pœna, ab invicem ſeparentur: & miſer homo tàm facilè ſe ſeparat ab amore Dei ſui. In hoc itaque amoris gradu mens adeò ligatur, ut nihil aliud, quàm Deum, aut propter Deum cogitet. Nec mirum: quia ſicut muſcæ non inſident ollæ bullienti, ſic nec cordi inflammato divino amore cogitationes immundæ.

52 Hunc ſecundum amoris gradum *Maria* conſcendit in conceptione filii Dei. Quod perſuaderi poteſt tripliciter. Nam non minùs creditur ligata per amorem *Mariæ* mens menti Salvatoris, quàm unius eorum humanitas alterius humanitati, cùm ſecundùm præſuppoſuerit primum. Non enim juncta fuiſſet humanitas Salvatoris humanitati *Mariæ*, niſi priùs ei mens per amorem copulata fuiſſet. Sed in conceptione filii Dei ligata eſt humanitas ejus humanitati *Mariæ*, ſicut fructus arbori: igitur à fortiori tunc ligata eſt mens *Mariæ* voluntati Chriſti, ut de nullo alio, quàm de ipſo, aut propter ipſum cogitare poſſet. Ex hoc dicunt Doctores, quòd poſtquàm concepit filium Dei nullo modo de lege poſità peccare potuit.

Secundò ad idem, quia à tempore conceptionis omnia, quæ agebat *Maria*, aut cogitabat, ſive activam vitam exercendo, ſive contemplativam, circa perſonam Dei agebantur; ubi aliæ ſanctæ Virgines, & Matronæ, & ſancti Viri circà proximum activam convertunt. *Maria* enim tunc gerebat circa idem, ſcilicet circà Dominum, perſonagium Mariæ, & Marthæ. Igitur à tempore conceptionis perfecto amore cum illo colligata fuit.

Tertiò ad idem hoc experientia docet. Nam unquàm filium ſuum dimiſit, nunc redeuntem, nunc prædicantem, nunc patientem, ut etiam in morte coram ejus patibulo compareret, quod nunquàm legitur mater feciſſe. Manifeſtum eſt igitur Ipſam & tunc perfecto amore cum filio

filio fuiſſe ligatam, quandò poſuit *Maria* dilectum ſuum ſicut ſignaculum ſuper cor ſuum, & velut ſanctum, & mundum animal ruminabat per jugem recordationem omnia Redemptoris beneficia, & conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Sic enim Chriſto ligata erat, ut avelli ab ejus Cruce nequiret, & in vulneribus ejus tanquàm in foraminibus petræ mens ejus vulnerata amore latitaret.

53 Tertius verò amoris gradus, quo languet anima amore Dei, eſt quandò non ſolùm ardet affectus, ligatur cogitatio, ſed etiam affectu nihil præter unum diligit, nihil præter unum quærit, nihil præter illud ei ſapit. Undè illud concupiſcit, in ipſum ſuſpirat, & ſolum eſt, in quo requieſcit, & reficitur, & nihil dulceſcit, niſi hoc uno condiatur, & quicquid ultrà occurrit, reiicitur, & cùm illud habuerit, omnia pariter ſe habere credit, & ſine illo ſordent univerſa. Tunc enim ſingularis eſt amor, qui ſocium non recipit, nec in alio delectatur, ſed mundus totus in comparatione ad amatum ſordeſcit, ita ut ſecundùm ſententiam Sapientis *Cant.* 8. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ prò dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*. Tunc enim anima omnia arbitratur ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciat. Ad hunc gradum conſcenderat Paulus, cùm omnia detrimentum arbitrabatur, ut Chriſtum lucrifaceret. Undè Auguſtinus loquens ad Dominum: Minùs, inquit, te amat, qui aliquid præter te amat, quod non propter te amat.

54 Ad hunc gradum amoris aſcẽdit *Maria* maximè poſt filii ſui reſurrectionem, & aſcenſionem. Si enim languet quandoque lubricus amans propter libidinis ardorem, qui ſecum multos habet adnexos dolores, & multas contrarietates habet, ut patet de languore Amon filii David propter Thamar ſororem ſuam 2. *Reg.* 13. Quantò magis elanguit *Maria* propter pudicum amorem multò plùs inflammatum, & nullum habentem dolorem admixtum, & nullam contrarietatem? ut vult ipſemet Ariſtoteles 2. Ethic. & in fine 1. Topicor. de amore, & delectatione habita in contemplatione primæ cauſæ.

Secundò ad idem. Tunc dicitur animus languere, quandò ligata mente, & affectu vulnerato, omnia propter Deum contemnuntur; & præter unum, nihil vult, nihil meditatur, nihil diligit anima, niſi fortè quantùm exigit neceſſitas: Sed *Maria* ex toto corde dilexit Dominum, ut neque cum eo divitias, neque delicias, neque honores terrenos diligeret, ſed contemneret: igitur amore languebat, ut diceret: *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectata ſum*. *Pſal.* 76.

Tertiò, quomodò non langueret Mater, quæ talis, ac tanti filii Mater erat? Dei ſiquidem, & hominis: & cũ Deus eſſet, & proximus, in eo erat omnis amoris ratio. Cùm etiam videamus Patres, & Matres ità ſuos diligere filios, ut omnia faciant, omnia acquirant ad ipſos ditandos, qui tamen non ita diligunt filios ſuos, ſicut glorioſa Virgo filium ſuum, & tamen adhuc parum eis videtur præ amore habito ad filios ſuos. Non eſt igitur mirum, ſi ex abſentia filii, & tanti filii longa expectatione langueret Maria.

55 Quartus amoris gradus eſt, quandò poſt languorem, defectum inducit, juxtà illud *Pſal.* 118. *Defecit in ſalutare tuum anima mea*. Dùm æſtuantis animi deſiderio nihil ſatisfacere poteſt, quia ex quo metas deſiderium exceſſit, creſcendi terminum neſcit, quia ſemper invenit quod concupiſcere poſſit, ita ut quicquid Deo, & propter Deum faciat, illud ſatisfacere non poteſt voto ſuo, ſed ſemper ſolicita eſt mens, quòd ſibi fiat, ut amor ipſe ſit inſatiabilis. Si enim avari ad hunc gradum pravi amoris perveniunt, ut inſatiabilis ſit oculus cupidi, ut nihil ſit, quod non aggrediatur prò obtinendo denario: quantò magis mens divino amore ſuccenſa, nihil eſt, quod non faciat prò Dei amicitia perpetuò conſervanda; ita ut tunc *fortis* ſit *ut mors dilectio*, quæ homini aufert ſeipſum, & in alterius jus tranſire facit, & *dura ſicut infernus æmulatio*, quia ſicut qui eſt in inferno, non eſt in poteſtate ſua, nec indè redire poteſt, ſic qui verè amat Deum, cum difficultate ab ejus ſervitio ſe ſubtrahere poteſt. Undè & Caſſiodorus: Bonarum rerum nulla ſatietas eſt, quæ more flagrantis incendii quantò ampliùs per arida ligna cucurrerit, tantò copioſiùs incendit.

56 Multi tamen, ut dicit Guillermus Pariſienſis, ſunt pravi negociatores, qui limitare volunt ipſum Dei amorem, quantùm ad opera, præfigentes apud ſemetipſos quæ, & quanta prò amore Dei facienda ſint ab eis, ultrà ſe extendere non volentes. Sed iſti non attendunt, quòd dicitur *Ioan.* 12. *Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum ſuum daret*. Immenſus autem eſt ejus unigenitus, ſicut univerſalis confitetur Eccleſia, dicens: *Immenſus Pater, immenſus Filius*. Sed *Ioan.* 15. dictum eſt à Domino: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*: hoc eſt abſque menſura, nè aliquis ſibi menſuram aliquam limitet in patiendo, vel agendo, amore ipſius. Qui enim bene amat Deum, nihil ei impoſſibile eſt, nihil difficile ad faciendum, vel patiendum, quia ſecundùm Auguſtinum lib. de verbis Domini, omnia ſæva, & immania, prorsùs facilia, & propè nulla facit amor. Nihil enim eſt in comparatione ad magnam fornacem, quod non citò conſumatur, & faciliter. Sic nihil amori Deo perfecto impoſſibile, aut difficile.

57 *Maria* igitur hoc amore perfectiſſimo, & ſuprà quàm credi poteſt inardeſcens, jam propè terminum vitæ accedens, præ amore in ſeipſam deficiebat, dicens in contemplatione ſua dilecto ſuo. *Velociter exaudi me Domine, quia defecit ſpiritus meus. Impleat me Spiritus tuus, quia nihil eſt hic, quod ſpiritum meum implere poſſit, quia jam defecit ſpiritus meus, in ipſis nullam inveniens requiem. Defecerunt inſuper oculi mei in eloquium tuum, dicentes: quandò conſolaberis me? Non enim ſatis eſt oculis cordis mei, divinis eloquiis, & promiſſionibus paſci, niſi & viſione tua conſolentur. Non ſatis eſt amico, ut amicum in ſpeculo videat. Oſtende Te igitur Matri tuà Fili, ut videaris facie ad faciem ſicuti es, & ſalva fiet anima mea. Nam quid mihi eſt in Cœlo, niſi Tu ſolus; & à Te, quid aliud volui ſuper terram? Tu es Deus cordis mei, & pars mea Deus in*

æter-

æternum. Certè ut verbis utar Eccli. . Melior eſt requies æterna, quàm languor perſeverans; melior etiam eſt dies una in atriis tuis ſuper millia; illic habitabo, quoniam elegi eam. Vos igitur ò Cœleſtes Civos dicite Dilecto, quia defecit in ſalutare ſuum anima mea: dicite, quia vulnerata charitate ego ſum. Ipſe enim eſt, qui vulnerat, ſed etiam medetur. Idcircò filiæ Ieruſalem nunciate Dilecto meo, quia amore langueo.

58 Denique dicitur ſecundò principaliter ad quæſtionem, quòd licet omnibus viatoribus hujus ſeculi indicta ſit mortis amaritudo in tranſitu ſuo, juxtà illud *Eſa.* 51. *Poſuiſti profundum maris viam, ut tranſirent*; id eſt, magnam mortis amaritudinem: tamen hoc Mariæ fuit privilegium, ut piè creditur, quòd ſine dolore migravit ab hoc ſeculo. Patet, quia quicquid natum eſt inducere languorem, natum eſt reducere mortem, ſed amor inducit languorem in *Maria*, juxtà illud: *Amore langueo*: igitur & mortem. Tunc enim fortis erat ut mors dilectio. Undè & legitur, quòd quædam mulier, tempore Annibalis, ſubitò obviando filio ſuo, quem mortuum in bello, & occiſum credebat, præ amore ſubitò mortua eſt.

Præterea ſecundà Albertum in devoto homine morituro, ſunt duo motus, unus fortior, alius debilior, quo ſecundùm Apoſtolum *Epheſ.* 5. nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam, & hic inclinat ad manendum in corpore: alius eſt gratiæ, & charitatis fortior, ad eſſendum, ſicut Apoſtolus ait, cum Chriſto per diſſolutionem à carne. Naturale autem eſt, quod motus majores expellunt minores, ut dicit Ariſtoteles lib. de ſenſu, & ſenſato. Cùm igitur Virgo migratura Chriſtum vidit, tanta accendebatur charitate, & delectatione Spiritus, ut naturæ motus non ſentiret. In ſignum cujus Moyſes propter abſtractionem Spiritus ſecundùm actum à viribus inferioribus, non ſenſit defectum ſitis, & famis 40 diebus, & 40. noctibus; & ſimili modo Elias. Si igitur delectatio ſpiritus, & talis contemplatio in hujuſmodi hominibus, tàm abſtraxerit ſpiritum, ut non ſenſerint motus paſſionum in anima, neq; dolorem; multò magis *Maria* abſtracta fuit in contemplatione, quæ multò perfectius, quàm illi, contemplatur.

Nec eſt ſimile de morte Chriſti, & de morte *Mariæ*: quia mors Chriſti debebat eſſe in ſummo ſatisfactoria, quia prò infinitis peccatis, ideò ſummè penalis eſſe debebat: non autem ità debuit eſſe de *Mariæ* tranſitu, qui ad nullam ſatiſfactionem ordinabatur.

§. IV.

Quam excellentiam Iacob in Maria præſignet.

59 IN Iacob inſignem tolerantia Virum, & Deo, Angeliſque familiarem habemus. Ita illum in utroque eminentem ejus ipſa facta declarant, quæ tanquam in quodam brevi epilogo, vel ſpeculo, ipſius duplex nomen includit: nam quidem & vocatus eſt Jacob, & appellatus eſt Iſrael. Et hoc notavit A Lapide in *Geneſ.* 35. dicens. Credit Abulenſis eum ex fortitudine, & victoriis duo illa nomina ſortitum, *Jacob*, & *Iſrael*, *luctator* ſcilicet, ac *videns Deum*: nam velut alter Hercules luctatus eſt cum plurimis laboribus, cum fratris minis, cum ingratitudine Laban: rurſum cum timore fratris, cum Angelo tota nocte, cum ſeditionibus liberorum apud Sichimitas, cum nece Joſeph illata, ut putavit, à fera peſſima, cum famis acerbitate, cum dolore ob Beniamin ductum prò alimonia, ut omittam alia.

Verus planè *Iacob*, verus *luctator*: ſed nihilominus *Iſrael* verus, verus *Deum videns*; nam ſepties Deum, ſive Angelum vidit. Primò, cùm apparuit ei in ſcala, *Geneſ.* 28. Secundò in Meſopotamia, cùm demonſtravit fœturam pecorum, *Geneſ.* 30. Tertiò, cùm juſſit eum Deus abire è Meſopotamia, *Geneſ.* 31. Quartò, cùm caſtra Angelorum vidit ad ſui defenſionem parata, *Geneſ.* 32. Quintò, cùm ſpecie viri luctantem expertus eſt. Sextò, cùm poſt cœdem Sichimitarum juſſit eum Deus abire Bethel, & ibi ſacrificare, *Geneſ.* 35. Septimò, cùm iterum impoſuit illi nomen Iſrael, *Geneſ.* 35. Fuerunt autem hujuſmodi viſiones, cùm ſpecialibus gratiæ favoribus conjunctæ, quibus Deus laborum intermiſtas amaritudines egregiè temperabat; adeoque factum eſt, ut idem homo Iacob ſimul, & Iſrael, quaſi quædam luctarum, viſionumque Dei ſtatera fuerit.

60 Eccè quàm magnus Heros Iacob ſimul, & Iſrael ex laboribus, & gaudiis, ex luctaminibus, & viſionibus, ut mirabiliter telam geſtorum Deiparæ repreſentet. Ipſa ſiquidem *Iacob*, id eſt, *luctatrix*, vel ab ipſo conceptionis exordio, per gratiæ præventionem, ſingulari privilegio, caput ſerpentis antiqui contrivit, & nobilis victoriæ lauro eſt coronata. Ipſa velut alter Hercules hydram multorum capitum tenella adhuc eliſit manu, & in vitæ progreſſu cum plurimis decertavit laboribus. Iam fœta Deo, anxiam Sponſi de ſuo pudore, antequàm incarnationis myſterium cognoſceret, dubitationem ſuſtinuit: celeriter verò in montana perrexit, ut amicum Verbi, & Præcurſorem è jugo diaboli Ioannem eriperet. Vix partum divinum effuderat, cùm ut Tyranni ſævitiam, minas, ac cædem evaderet, cogitur in peregrinas, & barbaras terras abire. Ab exilio reverſa, quot prò filio adverſa ſuſtinuit? Quot ærumnas, ac ludibria devoravit? Luctata eſt cum ingratitudine Iudaici populi, qui prò beneficiis à filio ſuo acceptis, ipſum morti devovit. Luctata eſt cum opprobriis, & ignominiis, cùm dilectiſſimum pignus vidit à Iudæorum plebe, ac Senatu inſaniente deriſum. Luctata eſt denique cum mortis, atque inferni doloribus, cùm natum ſuum à feris peſſimis laceratum, & in cruce morientem aſpexit.

61 Verùm ſi Iacob in lucta, fuit etiam Iſrael in viſione Dei, & Angelorum. Et quis unquam ut Ipſa Deum habuit tàm familiarem, & facie ad faciem vidit? Non in ſpecie Angeli quidem, ſed Chriſtum in utraque natura Deum, & hominem, Angelorum Dominum, magnique Conſilii Angelum continuis hauriebat obtutibus, & non unius tantùm diei, vel noctis, ſed perennem cum eo luctam exercebat amoris. Quibus autem ditata benedictionibus, & muneribus fuerit aucta, Ipſa no-

novit, cui præ cæteris datum eſt experiri, quam dulcis, & ſuavis ſit Dominus. Non autem ſepties tantùm viſionibus Angelorum gaviſa eſt: eos enim habebat arbitros ſuæ mentis, domicilii vigiles, ephæbos in obſequiis, famulos in miniſteriis, & in perambulando apparitores. An non igitur meliùs de Deipara, quam de Iacob dicemus, quod una, & eadem Virgo, Iacob ſimul, & Iſrael facta, quædam luctarum, viſionumque Dei, & Angelorum trutina fuerit?

§. V.

Aſer in benedictione ſua Virginis benedictionem præfiguravit.

62 VLtima litera Heroum Parthenii Nominis eſt linea benedictionis. Et rectè ſequitur gratiarum concluſio, cùm in Ipſa fuerit maledictio nulla. Quid igitur Aſer Mariani Nominis quintus Heros? Præſagium quoddam profectò benedictionum, quas Beata Virgo de Cælo eſt conſecuta. Cum enim Iacoq moriturus, filiis ſuis benediceret, ad Aſer dixit: *Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus. Geneſ.* 49. Quid autem præfiguraverit iſta benedictio, & qua ratione quadret Virgini Beatiſſimæ, exponit Albertus Magnus *Quæſt.* 176. ſuper Miſſus eſt, dicens.

Sequitur de benedictione Aſer. *Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus*. Gloſſa: Aſer quanvis multum eſuriat panem juſtitiæ, dedignatur eum comedere, niſi ſit conſperſus oleo miſericordiæ. Ex multa enim divitiarum affluentia, quæ ſibi ſuperabundant ex ſpoliis hoſtium, prò frequenti victoria, multùm eſt delicatus effectus: nec ei jam ſapit panis ullus quantunlibet nitidus, niſi ſit oleo conſperſus, intantùm ut de eo Scriptura nunciet manifeſtè, dicens: quia *Aſer, pinguis panis eius*.

63 Si enim gaudium eſt in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quanta tunc ſolemnitas erit ſuper quolibet iuſto prò juſtitia libenter moriente. Verè *Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus*. O qualis panis, panis eius! O quales deliciæ! Deliciæ, quæ tantum ſapiunt Regibus, Regibus talibus. Certè Reges iſti jam ad nuptias Agni introierunt; jam ad illud æternum convivium ſederunt; jam illo Angelorum pane, deliciiſque æternis paſcuntur; jam torrente voluptatis inebriantur; & adhuc hujus Aſer delicias inſatiabiliter eſuriunt. Sed undè ei tanta divitiarum abundantia, niſi (ut dictum eſt) de hoſtium ſpoliis in tam frequenti victoria? Conſtat nanque, quia quantò ampliùs atteruntur hoſtes juſtitiæ, tanto uberiùs cumulantur gaudia conſcientiæ. *Gloria, & divitiæ in domo eius*, ait Pſalmiſta. Et Apoſtolus de hujuſmodi gloria, & divitiis, quaſi exponendo loquitur ità: *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ*.

64 Hoſtibus itaque fugatis, civibuſque pacificatis, nil jam obſtat, ut arbitror, quin illa noſtra Civitas experiatur, quæ ſit illa Dei pax, quę exuperat omnem ſenſum, & quam ſit magna multitudo dulcedinis, quam abſcondit Deus diligentibus ſe. Quid ergo mirum, ſi eam quilibet mundi amator neſcit, quam Deus diligentibus ſe abſcondit? Qui enim in bonis falſis, & deceptoriis ſpem figunt, quæ ſint vera bona invenire non poſſunt: unde eſt quod dicunt; *Quis oſtendit nobis bona*? Eſt enim manna abſconditum, & niſi guſtantibus omnino incognitum. Mens enim, quæ in laude hominum delectatur, quid ſit internum gaudium experiri non meretur.

65 Ex his intelligitur, quod per Aſer exprimitur morum juſtificatio, cujus hic novem proprietates ponuntur, quæ benedictionem Aſer complectuntur. Prima eſt eſuries prò juſtitia. Secunda eſt delectatio in miſericordia. Tertia eſt divitiarum abundantia. Quarta eſt deliciarum affluentia. Quinta, hoſtium frequens victoria. Sexta, cœleſtium conviviorum præparatio. Septima eſt conſcientiæ exultatio. Octava, ſupernæ pacis experientia. Nona abſconditæ dulcedinis prægustatio. Harum autem duæ omnium aliarum ſunt cauſæ, ſcilicet eſuries juſtitiæ, & frequentia victoriæ, quibus intenſis intenduntur omnes alię proprietates.

66 Conſtat autem, quòd in Beatiſſima Virgine in ſummo fuit eſuries juſtitię, & frequentia victoriæ, ſicut & divitiarum, & deliciarum ſpiritualium, & conviviorum celeſtium, & pacis, & delectationis eminentia: Utpotè quæ nos iuſtificavit: miſericordiæ Mater extitit: Serpentem præ omnibus contrivit: omnes filias ſupergreſſa, divitiis abundavit: deliciis affluens, innixa ſuper dilectum, Cœlos aſcendit: panem Angelorum, & vinum omnibus mixtum dedit: prę omnibus conſortibus, ſivè participibus, oleo exultationis uncta fuit: per quam pax vera deſcendit de Cœlo, & verum manna novem menſibus in ſe abſconditum habuit, & tunc omnibus hominibus manifeſtavit in cibum, & donavit. Et ſic iterùm benedictio ſua benedictionem Aſer includebat.

CAP. VI.

Heroidum Fœminarum laudes, & perfectiones Mariam in ſe collegiſſe probatur.

1 DElectentur animæ noſtræ in laudibus Mariæ, tanquam in agro omnium florum generibus picturato, & omnigena odoramentorum varietate referto. Quid enim nobis aut utiliùs ad profectum, aut honeſtiùs ad morum exemplum, aut delectabiliùs ad ſuavitatem ſpiritus eſſe poteſt, quam illius Virginis enarrare, imitari, & prægustare virtutes, quæ in ſe excellentiori modo omnium hominum, atque Angelorum habuit perfectiones? Profectò poſt Chriſtum pars noſtra hæc eſſe debet, ut de Virgine ſemper loquamur: immò ut & ſimul cum Chriſto de Deipara meditemur, quam enim Deus Pater antè ſecula filii ſui Matrem prædeſtinavit, fas non eſt eam à filio ſeparare. Adde, quod inter Matrem, & Filium eſt ordo relationis intrinſecus, ut ſi dicas *Mariam* eſſe Matrem filii Dei, jam intelligas ipſam ad Dei filium

filium relatione maternitatis referri : ſi verò enuncies Chriſtum *Mariæ* filium , jam ſcias filium Dei relatione filiationis ipſam ut veram Matrem reſpicere . Sed de his aliàs . Hactenùs licet paucis exemplis vidimus Heroas , Viroſque inſignes ad compoſitionem Parthenii Nominis concurriſſe : nunc verò , nè quid deficiat ad commendationem fœminei ſexus , etiam Heroidum Matronarum dotes in Mariano Nomine penſare debemus . Et primò quidem ſub quadam generalitate virtutum , deinde in particulari , quibuſvè virtutum inſignibus inſignes Matronæ effulſerint .

2 De hac igitur univerſitate Spiritus Sanctus *Prov.* 31. dicit Mariæ : *Multæ filiæ congregaverunt divitias , tu ſupergreſſa es univerſas* . Age ergò , & videamus , quænam ſint hæ divitiæ , non utique temporales , terrenæ , corruptibiles , & ſeculares , ſed æternæ , ſpirituales , incorruptibiles , & Cœleſtes , quas plurimæ filiæ multo labore , ac ſtudio cumularunt : Ipſa verò omnes in multitudine divitiarum ſpiritualium excelluit . Albertus Magnus *lib.* 4. *de laudib. B. Mariæ erit nobis Interpres* . Exponens igitur verba præcitata : *Multæ filiæ , &c.* inquit . Verſus iſte continetur ſub litera *Res*, quod interpretatur *Sapientia* , per quam ſolam ſpirituales divitiæ congregantur , & laudi Mariæ ſpecialiter convenit , cui ſpecialiter datur , & attribuitur laus Eccleſiæ , cum ipſa ſit honeſtiùs membrum , & pulchriùs ſub capite in toto corpore Eccleſiæ : & præter Gloſſarum ſeriem ſic exponi poteſt de Virgine glorioſa .

3 *Multæ filiæ* , ideſt , virtutes Angelicæ , quibus ipſa dicit *Cant.* 5. *Adiuro vos* , *filiæ Ieruſalem* , *&c.* Vel *multæ filiæ* , ideſt , Virgines ſacratæ : undè in *Pſal.* 44. *Myrrha* , *& gutta* , *& caſia* , *&c. ex quibus delectaverunt te filiæ Regum* , *&c.* Vel , *Multæ filiæ* , id eſt , pœnitentes animæ , de quibus dicitur : *Et filiæ Tyri in muneribus* . *Pſal.* 44. Vel , *Multæ filiæ* , ideſt , animæ confitentes peccata ſua , & & laudes Dei , quæ ſunt filiæ Judæ . Vel *Multæ filiæ* , ideſt , animæ contemplativæ , quæ ſunt filiæ *Sion* , ideſt , *Speculationis* .

De primis , ideſt , virtutibus Angelicis , dicit Beatus Bernardus . Virginitas quidem in ea fuit , qualis Angelorum , ſed in corpore fragili , quod non Angelorum . Undè & omnium divitias ſupergreſſa , evidentiùs evehit Cœleſtis Inſigne originis , dùm videmus ab ea & Angelicam ſimilitudinem in regione diſſimilitudinis retineri , & gloriam Cœlibis vitæ in terra & ab exule uſurpari . Hieronymus : Profectò in carne , & præter carnem vivere , ideſt , præter vitia carnis , non terrena vita eſt , ſed cœleſtis . Undè & in carne Angelicam gloriam acquirere , maioris eſt meriti , quam habere . Eſſe enim Angelum felicitatis eſt ; eſſe verò Virginem , virtutis ; dùm hoc obtinere viribus nititur cum gratia , quod habet Angelus ex natura . Utrumque tamen , & eſſe Virginem , vel Angelum , non terrena vita eſt , ſed cœleſtis . Virginitati autem aliarum annexa eſt ſterilitas , & inſidiatur ſuperbia : ſed hujus virginitatem ſervavit humilitas , & decoravit fœcunditas .

4 De ſecundis , ideſt , de Virginibus ſacratis poteſt dici , quod ſi illæ Virgines , hæc Virginum , quæ prima (inter mulieres) vovit virginitatem abſque omni humano præcepto , conſilio , & exemplo : undè & hoc nomen promeruit , ut Virgo virginum , ſivè Regina Virginum deinceps vocaretur : & ab ea omnes aliæ exemplum accipiunt , hæc autem à nulla . Et cum omnes aliæ ſint ſteriles à fructu carnali , hæc Virgo ſimul , & Mater . Et ſi aliæ ſint humiles , hæc eſt humillima : & quantò omnibus humilior , tantò omnibus ſublimior : quia nec primam ſimilem viſa eſt , nec habere ſequentem .

5 Item ſi aliæ miſericordes , hæc eſt Mater miſericordiæ , habens quaſi duo ubera , quæ debemus petere jugiter ad ſugendum , ſicut filii ubera matris ſuæ . Hæc ſunt puritas carnis contrà luxuriam , & humilitas mentis contrà ſuperbiam . Undè petimus : *Nos culpis ſolutos* , *mites fac* , *& caſtos* . Et ſic : *Vitam præſta puram* .

Item ſi aliæ plenæ bonis operibus , quæ aliis impendant pauperibus , tamen hæc faciunt de aliena ſubſtantia : ſed *Maria* non ſolùm alicui pauperi , immò ipſi Filio Dei , de quo illud *Pſal.* 40. ſpecialiter exponitur : *Beatus qui intelligit ſuper egenum* , *& pauperem* : omnia impendebat opera miſericordiæ de ſubſtantia propria , implens illud *Prov.* 3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia* . Et ideò ſuper omnes benedicta : undè dictum eſt ei *Luc.* 1. *Benedicta tu inter mulieres* , ideſt , *ſuper omnes mulieres* .

Item ſi aliæ commendantur de fide , hæc multò magis , quæ ad primum verbum Angeli credidit , quod in ſe poſſet impleri , quod nunquam auditum fuerat , nec in Cœlo , nec in terra , ſcilicet quod poſſet concipere , & parere manens Virgo . Undè per magnanimitatem fidei reſpondit : *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum* . *Luc.* 1.

6 Item ſi aliæ commendantur de eo , quod anguſtiantur prò peccatis propriis , ſcilicet filiæ *Tyri* , quod interpretatur *anguſtia* : hæc multò plùs commendanda eſt , quod intantum compaſſa eſt mundò peccatori , quod libentiſſimè cum filio compaſſa fuiſſet prò ſalute mundi : nam ſi prò mundo non poſuit animam , expoſuit tamen : & quod potuit , fecit , & ad hoc ſtetiſſe creditur juxtà filii Crucem .

Item ſi aliæ , ideſt , filiæ Judæ commendantur de confeſſione peccati , & laudis : hæc multò digniùs cantat canticum divinæ laudis , ſequens Agnum quocunque ierit : nam peccata non habuit , quæ poſſet confiteri .

Item ſi aliæ commendantur de gratia contemplationis : Ipſius contemplatio verè ſingularis .

Item ſi aliæ pulchræ , & prudentes : hæc *pulcherrima mulierum* . *Cant.* 6. & prudentiſſima deſignata per Abigail , quæ erat prudentiſſima , & ſpecioſa . 2. *Reg.* 25. Et ſic poteris aſſignare de chariſmatibus omnium virtutum .

7 Dicitur ergò : *Multæ filiæ* , ideſt , virtutes Angelicæ , & Animæ ſanctæ *congregaverunt divitias* diverſarum virtutum , & operum , meritorum , & præmiorum . *Tu* diſcretivè , ò Beata Virgo , *ſupergreſſa es univerſas* , excellentià humilitatis , virginitate fœcunditatis , & fœcunditate virginitatis : nam virginitas non excluſit in te fœcunditatem , nec fœcunditas virginitatem violavit , quod eſt tibi gloria ſingularis . *Tu ſupergreſſa es* : quia ſicut

cut

lilium inter ſpinas , *ſic amica mea inter filias* : dicit Chriſtus de *Maria* , *Cant.* 2. Siquidem ſpina licet flores proferat , lilio tamen incomparabilis eſt . Omnis autem homo ſpina , cui terra corporis ſui , & conſcientiæ ſpinas germinat , & tribulos , excepta Virgine glorioſa . Vel ideò dicitur *Maria* univerſas filias ſupergreſſa : quia ſicut dicit Hieronymus , cæteris per partes data eſt gratia , Mariæ verò ſe totam infundit gratiæ plenitudo . Vel ſic : *Tu ſupergreſſa es univerſas* : & hoc tripliciter . Per ſanctificationem , qua depurata es ab omni fœtulentià terrenæ corruptionis : per cognitionis plenitudinem , qua ab omni nubilo erroris : per ſummam contemplationem , qua ab omni tumultu mundanæ actionis .

8 Aliter . *Multæ filiæ* , *&c.* Prævidens Salomon dignitatem , & excellentiam Beatæ Virginis , virtutes quas ſingillatim aliis attribuit , illi univerſaliter ineſſe aſſerit , dicens : *Multæ filiæ* , ideſt , Virgines . Non dicit *omnes* ; quia ſunt fatuæ Virgines , quæ continent pro laude humana : prudentes verò ſolius interioris Arbitri oculis placere appetunt . Quarè dicitur : *Filiæ congregaverunt* . Ex ipſa expoſitione vocabuli uſum notat liberi arbitrii cum gratia ; quia coadiutores Dei ſumus , qui miſericorditer operatur in nobis velle , & proficere : quia non eſt volentis , neque currentis , ſed miſerentis Dei . *Divitias* non corporales , ſed ſpirituales . *Tu* ſingulariter , & diſcretivè *ſupergreſſa es univerſas* merito , & præmio : quia ſicut dicit Hieronymus , cæteris per partes datur gratia , *Mariæ* ſe totam infudit gratiæ plenitudo . Undè dicta eſt *gratia plena* .

9 Aliter : Per hoc , quod Salomon ponit tempus præteritum , dicens : *Congregaverunt* : videtur hoc debere intelligi de Sanctis mulieribus Veteris Teſtamenti , quibus ipſa figuratur , quæ diverſis virtutibus claruerunt . Commendatur Sara à fidelitate . *Hebr.* 11. *Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit* . Sed *Maria* fidelior Sarà , quæ de promiſſo dubitavit , Ipſa verò non . *Luc.* 1. *Beata quæ credidiſti* : quia nunquam de promiſſo Angeli hæſitavit . Rebecca à ſpecioſitate *Geneſ.* 24. quæ fuit Virgo pulcherrima . Sed *Maria* ſpecioſior . *Sap.* 7. *Eſt enim ſpecioſior Sole* . Rachel ab amabilitate *Geneſ.* 29. *Quam diligens Iacob* , *&c.* Sed *Maria* amabilior , in qua conſummatus eſt ille amor , per quem revocata ſunt antiqua odia . Propter hoc in *Canticis* tam ſæpè vocatur *dilecta* .

Lia à fœcunditate , *Geneſ.* 29. & 30. Sed Maria fœcundior : quia etſi non genuit niſi unum , tamen in illo uno genuit ſalutem omnium . *Matth.* 1. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum* , *&c.* Debora à ſapientià . Undè & Prophetes erat , & populum judicabat . *Iudic.* 4. Sed Maria ſapientior , quæ ædificata eſt in domum ſapientiæ . *Prov.* 9. Eſther ab humilitate , & deteſtatione gloriæ mundanæ quæ dicebat Domino : *Tu ſcis* , *quod abominer ſignum ſuperbiæ* , *&c.* *Eſth.* 14. Sed *Maria* multò humilior , cujus humilitatem reſpexit Deus & per eam veterem deiecit ſuperbiam diaboli . Iudith à fortitudine : quia occidit Holophernem . *Iudith* 13. Sed *Maria* fortior , quæ contrivit caput ſerpentis antiqui . *Geneſ.* 3. *Ipſa conteret caput tuum* . Propter hæc omnia , & multa alia dicitur : *Benedicta inter mulieres* , ideſt ſuper omnes mulieres , ſicut gloſſat Hieronymus .

10 Pulcherrimè quidem hucuſque Albertus Magnus virtutes , ac dotes Heroidum fœminarum ſub quadam univerſalitate in unà Dei Matre collectas eſſe deſcripſit : ſed & Bonaventuræ calamus in ſpeculo B. Virginis eaſdem ſimili modo , & pervenuſto delineat ſtylo , textum *Prov.* 31. exponens . Et primò quidem *c.* 2. Speculi inquit . Fuit in *Maria* multitudo meritorum , & præmiorum : ità ut nullus Angelus , nullus Sanctorum ei æquari poſſit , in multitudine , & congregatione bonorum Cœleſtium , iuxtà illud *Prov.* 31. *Multæ filiæ congregaverunt divitias* , *Tu ſola ſupergreſſa es univerſas* . Si filias iſtas intelligamus Sanctas Animas , vel intelligentias Angelicas , nunquid non ſupergreſſa eſt divitias Virginum , Confeſſorum , Martyrum , Apoſtolorum , Prophetarum , Patriarcharum , & Angelorum ? Cùm ipſa ſit primitiva Virginum , ſpeculum Confeſſorum , roſa Martyrum , regiſtrum Apoſtolorum , oraculum Prophetarum , filia Patriarcharum , Regina Angelorum ? Quid enim de divitiis omnium horum ei defuit ? Hieronymus enim ait : *Mariam* ſi diligentiùs aſpicias , nihil virtutis eſt , nihil ſpecioſitatis , nihil candoris , & gloriæ , quod in eà non reſplendeat .

11 Deinde *c.* 8. exponens illa verba Angeli ad Virginem dicta : *Dominus Tecum* : ſic ait . Attendite , quod Dominus univerſalis , qui cum Marià eſt , ipſe eſt Dominus opulentiſſimus proprietate , ſicut benè de iſto Domino Propheta teſtatur , dicens : *Domini eſt terra* , *& plenitudo eius* , *orbis terrarum* , *& univerſi* , *qui habitant in eo* . *Pſal.* 23. Domini enim certè eſt non ſolùm terra , & plenitudo eius , immò etiam Cœlum , & plenitudo eius . Tui enim Domine ſunt Cœli , & tua eſt terra ; quia Cœlum Cœli Domino . Domini hujus omnia ſunt propria , Cœlum , & terra , corporalia , & Spiritualia , omnis natura , omnis gratia , omnis Cœleſtis gloria , omnia ſunt Domini propria . Dominus ergò ditiſſimus eſt , ſicut etiam Apoſtolus ait . Ideò *Dominus omnium* , *dives in omnes* , *qui invocant illum* . *Rom.* 10.

Ecce Maria , quantus Dominus eſt , quàm opulentiſſimus Dominus eſt , qui tecum eſt . Et quia Dominus opulentiſſimus , opulentiſſimè eſt tecum ; ideò Tu es opulentiſſima , ſivè ditiſſima ſecum , itaut verè tibi dici poſſit illud *Prov.* 31. *Multæ filiæ congregaverunt divitias* , *Tu ſupergreſſa es univerſas* . Filia Agnes , filia Lucia , filia Cœcilia , filia Agatha , filia Catherina , & multæ aliæ filiæ , & multæ aliæ Virgines ſanctæ , multæ Animæ juſtæ congregaverunt divitias virtutum , & gratiarum , divitias meritorum , & præmiorum , ſed tu *Maria* univerſis divitiis ſupergreſſa es excellentiſſimè univerſas . O quam dives eſt *Maria* in glorià , quæ tam dives fuit in miſerià ! O quam dives eſt in Cœlo , quæ tam dives fuit in mundo ! O quam dives eſt in animà , quæ tam dives fuit in carne ! Ut etiam Beatus Bernardus exclamans dicat : O dives in omnes , & ſuper omnes *Maria* , de cujus ſubſtantià modica pars aſſumpta , totius mundi ſufficit ſolvere delicta ! Dominus ergò tecum , ò *Maria* opulentiſſima .

12 Ter-

ſtræ Nomen ſervile, ſed liberum, neque unquàm charactere ſervitutis inuſtū, ſed ſemper ingenuum.

Vel ſi aliter interpretari velis, dic cum Brunone Aſtenſi in *Exod.* 15. Quid enim Maria Prophetiſſa, niſi ſancta Eccleſia intelligitur? Hæc autem in tympano cantat, quia in carnis maceratione Deum laudat. Nam quia ex mortuorum animalium pellibus tympana fiunt, ideò prò carnis mortificatione ſæpè ponuntur. Hanc autem cæteræ mulieres cum tympanis, & choris ſequuntur, quoniam & ipſæ carnem domant, pulchroque, & regulari ordine vitæ Domino ſerviunt: in choro enim, & ordinatè ſtatur, & conſonanter canitur. De his autem mulieribus Pſalmiſta dicit: *Adducentur Regi Virgines poſt eam. Pſal.* 44. Ideſt, poſt *Mariam*, ab hac nanque noſtræ Virginis nomen deductum eſt, quæ quoniam poſt Filium ſuum, totius Eccleſiæ caput eſt, non immeritò cæteræ tympaniſtæ eam tympanizantem ſequuntur.

§. II.

Quid prætendat Agar in figuram Mariæ.

8 ET tu quoque Agar Dei Genitricis meruiſti eſſe figura. Hiſtoria vitæ tuæ, tela actionum Deiparæ fuit. Factorum ſeries tuorum, geſtorum Virginis intemeratæ pictura. Longus tuorum ordo laborum, omnium tribulationum, quas ſuſtinuit Maria, compendium. Jam videamus agones tuos, ò Agar, ab hiſtorico ſacro *Geneſ.* 21. deſcriptos. *Surrexit Abraham mane, & tollens panem, & utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ ejus* (Agar ſcilicet) *tradiditque puerum, & dimiſit eam. Quæ cum abiiſſet, errabat in ſolitudine Berſabee. Cumque conſumpta eſſet aqua in utre, abjecit puerum ſubter unam arborum, quæ ibi erant. Et abiit, ſeditque è regione procul quantum poteſt arcus iacere. Dixit enim: non videbo morientem puerum: & ſedens contrà, levavit vocem ſuam, & flevit. Exaudivit autem Deus vocem pueri: vocavitque Angelus Dei Agar de Cœlo, dicens: Quid agis Agar? Noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri de loco, in quo eſt. Surge, tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum. Aperuitque oculos ejus Deus: quæ videns puteum aquæ, abiit, & implevit utrem, deditque puero bibere. Et fuit cum eo: qui crevit, & moratus eſt in ſolitudine, factuſque eſt iuvenis ſagittarius.* Hæc eſt hiſtorica narratio.

9 Sed pulchra allegoria ſub litera latet. Allegoricè enim, inquit Pepinus in *Geneſ.* 21. clauſula 5. *Agar*, quæ interpretatur *feſtum ſuſcitans*, ſignificat digniſſimam Chriſti Matrem, quæ naſcendo feſtum ſuſcitavit toti mundo, ſecundùm quod de ea canit Eccleſia, dicens: *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo gaudium annunciavit univerſo mundo*: & hoc ideò ſupple *quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter, qui ſolvens*, &c. Poſuit autem tunc Abraham ſuper ſcapulas ipſius Agar panem, & utrem aquæ, quandò cibavit eam pane vitæ, & intellectus, & aquà ſapientiæ ſalutaris potavit eam: etiam præ cæteris puris creaturis. *Eccli.* 15. Vel dic, quòd per panem intelligitur Chriſti corpus: & per utrem, abundantia gratiæ. Tunc ergò Abraham, ideſt, Deus Pater poſuit ſuper humeros Agar panem, & utrem aquæ, quandò fecit Beatam Virginem concipere ejus filium; qui dicit *Ioan.* 6. *Ego ſum panis vivus*. Item tunc replevit utrèm ejus aqua: quandò implevit animam ejus Spiritus Sancti gratia. Tradidit autem tunc illi Abraham, id eſt, Deus Pater puerum, quandò fecit eam concipere, & parere filium: qui eſſet utrique communis: ſecundùm tamen diverſitatem naturarum.

10 Tunc autem Agar quaſi errabat in ſolitudine Berſabee cum filio ſuo: quandò quidem ſtatim poſt illius nativitatem ad vocem Angeli tulit eum in Ægyptum. Deindè poſt annos ſeptem, mortuo Herode Agrippa, indè eum reduxit: & ſeceſſit in Nazareth, ut dicitur *Matth.* 2. Tunc etiam hęc Agar quaſi errabat, quandò requirebat filium ſuum inter cognatos, & notos. Quem non inveniens, regreſſa eſt in Jeruſalem requirens eum: quem poſt triduum invenit in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. *Luc.* 2. Tandem autem tunc conſumpta eſt aqua in utre, quandò quidem Chriſto pendente in arbore crucis, facta eſt pia Mater exanimis, tùm præ dolore, tùm ex lachrymarum abundantiſſima reſolutione. Tunc etiam ipſa ſedebat, ſivè potiùs ſtabat è regione, id eſt, ex oppoſito, cùm penderet filius ſuus in Cruce. Dicebat autem quandoque tunc: *Non videbo morientem puerum*. Sed mox eam revocabat vis amoris: ità ut non poſſet eum relinquere, potiùs cum ipſo mori parata; quàm vivere.

11 Tunc etiam levavit vocem ſuam meliùs quo potuit, & flevit amariſſimè, atque abundantiſſimè, & diutiſſimè, quia uſque ad horam Dominicæ reſurrectionis: & tunc exaudivit Dominus, id eſt, Deus Pater vocem pueri de loco, in quo erat, ſcilicet de ſepulchro: quandò quidem eo dicente ad Patrem illud *Pſal.* 138. *Tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam*: id eſt, ſicut approbaſti mortem meam: ſimiliter debes approbare reſurrectionem meam. *Quæ utilitas in ſanguine meo*: id eſt, in morte mea: *dùm*, id eſt, ſi *deſcendero in corruptionem*, ſcilicet more aliorum hominum? *Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam*, id eſt, futuram reſurrectionem aliis? Sequitur. *Audivit Dominus*, ſupplè Pater, *vocem meam* prò mea reſurrectione: *& miſertus eſt mei*: & Dominus, inquam Pater, *factus eſt adjutor meus*, educendo animam meam de inferno, & corpus meum de ſepulchro. *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi*, faciendo me reſurgere. *Conſcidiſti ſaccum meum*, id eſt, reparaſti corpus meum, quod fuerat in cruce ſciſſum in pluribus locis: *& circundediſti me lætitia*; id eſt, ex omni parte tàm animæ, quàm corporis repleſti me gaudio. Nunc quoque exultabunt Domino oſſa mea, ſupple priùs humiliata. Eccè ergò quomodò Deus Pater exaudivit vocem pueri de loco, in quo erat.

12 Quod autem ſequitur: *Surge, tolle puerum, & tene manum ejus; quia in gentem magnam faciam eum*: hoc totum poteſt referri ad manifeſtationem Dominicæ reſurrectionis factam per Angelum Gabrielem Beatæ Virgini, cui dixit: *Regina Cœli lætare: quia quem meruiſti portare: reſurrexit, ſicut dixit*: ideſt, promiſit. Qui cùm hæc illi diceret; ſubitò affuit Chriſtus in forma glorioſa: & tunc dixit eidem Virgini prædictus Gabriel: *Surge, tolle puerum, & tene*, &c. Quod autem ſubditur: *In gentem magnam faciam eum*: referendum eſt ad Deum Patrem, qui fecit filium ſuum poſt ſuam reſurrectionem in gentem magnam, quandò dedit ei poteſtatem in Cœlo, & in terra, & quandò multiplicavit populum Chriſtianum ſuprà numerum ſtellarum Cœli.

Quod autem ſequitur: *Quæ videns puteum aquæ, abiit, & implevit utrem*: referendum eſt ad illud ingens gaudium, quod habuit dicta Agar de reſurrectione filii ſui, quod tantum, ac tale fuit, ut repleret utrem cordis ſui: ita ut meritò dicere poſſet filio ſuo illud *Pſal.* 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum*, quos ſupple habui de tua paſſione: *conſolationes tuæ*, quas habui de tua glorioſa, & jucunda reſurrectione, *lætificaverunt animam meam*. Eccè quomodò noſtra Agar replevit utrem cordis ſui de gaudio reſurrectionis filii ſui. *Deditque puero*, id eſt, filio ſuo *bibere*: quandò perfectè, & ſine titubatione credidit dictam reſurrectionem. *Et fuit cum eo*, ſcilicet corporaliter, & localiter ad tempus. Item ſemper ſpiritualiter per fidem, & charitatem. Nunc verò ſemper, & in ævum, per æternam felicitatem. Undè poteſt illi dicere illud *Luc.* 15. *Fili tu ſemper mecum es; & omnia mea tua ſunt*: & è converſo.

13 Quod autem ſequitur: *Qui crevit, & moratus eſt in ſolitudine*: referendum eſt ad Chriſti aſcenſionem in Cœlo, ubi ipſe moratus eſt in ſolitudine reſpectu habitationis mortalium. In cujus rei ſignum dixit Angelus mulieribus venientibus ad Chriſti monumentum: *Quid*, inquit, *quæritis viventem cum mortuis? Luc.* 24. Fiet autem iſte puer Juvenis *ſagittarius* in die judicii: quandoquidem mirabiliter ſagittabit contrà reprobos, dicens illud *Matth.* 25. *Ite maledicti in ignem æternum*. Hæc enim ſagitta penetrabit reprobos de parte in partem, tàm ex parte animæ, quàm corporis. *Pſal.* 44. *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis*. Poſteà verò completo ſcilicet judicio, iterùm aſcendet dictus puer in Cœlum cum multitudine electorum, & habitabit perpetuò in deſerto, id eſt, in ipſo Cœlo, quod dicitur deſertum propter cauſam prædictam. Accipietque illi Mater ſua, id eſt, divina ordinatio, uxorem de terra Ægypti, id eſt, Eccleſiam triumphantem, quæ priùs habitavit in Ægypto, id eſt, in mundo iſto, cùm ſcilicet adhuc militaret in terris: de qua *Apocal.* 21. *Veni, oſtendam tibi Sponſam uxorem Agni*.

14 Ex his igitur patet, quàm benè Agar præfiguraverit *Mariam*. Verum ſi aliam ejuſdem Agar nominis interpretationem volumus ſequi: interpretatur enim *Agar*, *vultur*: mirè interpretatio Deiparæ quadrat. Beata ſiquidem Virgo eſt vultur in optimo ſenſu. Nam ut inquit Berchorius *lib.* 7. *Reduct. Moral. cap.* 75. ſecundùm Iſidorum nidos vulturum nemo attingit, prò eo, quod in altiſſimis rupibus nidificant. Undè etiam ſecundùm Ariſtotelem dicitur, quod vultur propter volatum altiſſimum ſola dicitur avis Dei. O verè Agar, ò verè vultur, Virgo Beata, quæ ex altiſſimo virtutum volatu, per humilitatem præcipuè, ſola meruit dici, & eſſe avis Dei, id eſt, Deipara. Ita quoque altè per contemplationem aſcendit, & nidum ſpei ſuæ in Deo, & in Paradiſo poſuit, quòd nullus inimicus ſpiritualis potuit ad eam per tentationem attingere: undè & de Ipſa verificatur illud *Iob* 39. *In præruptis ſilicibus commoratur in rupibus inaceſſis*.

15 Sunt etiam vultures, teſte Ariſtotele, præcellentes in olfactu, ſicut aquilæ in oculorum acumine: quapropter juxtà Iſidorum vi olfactivæ potentiæ odorem cadaverum ultrà mare ſentire, & ſtatim ad illa pervolare dicuntur. Sic Beatiſſima Virgo, olfactu pietatis, & miſericordiæ, perſentiens cadaverum odorem, id eſt, peccatorum, ad eos celerrimo volatu accurrit, non ut laceret, ſed ut ſalvet, ipſoſque eripiat à miſerabili ſtatu peccati.

16 Tres denique vulturis proprietates, quas Berchorius lib. 7. Reduct. Moral. c. 75. in fine recenſet, in Beata Virgine poſſumus conſiderare. Et prima quidem eſt: quòd vultur ſecundum aliquos ſinè concubitu naſcitur; & habet hanc proprietatem, quòd os ejus involutum in pelle leonis, vel lupi, liberat ſe portantem à lupis, & leonibus. Vultur, qui ſine concubitu naſcitur, Chriſtum ſignificat, qui de vulture, id eſt, de Virgine ſine virili ſemine de Sancto Spiritu conceptus eſt. Os ejus igitur in pelle leonis, ſive lupi involutum ſignificat divinitatem, quæ fuit involuta in pelle humanitatis in Incarnatione: & illa certè hominem hanc geſtantem per devotionem, liberat ab incurſibus luporum infernalium, & leonum. De hoc ſcribitur *Eccli.* 51. *Liberaſti me ſecundùm multitudinem miſericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad eſcam*.

17 De ſecunda ſubjungit Berchorius. Dicit Plinius, quòd penna vulturis appoſita pedi ſiniſtro mulieris parturientis, facit eam parere. Sic verè ſi imitatio Chriſti, virtutum ejus, & perfectionum, apponatur pedi ſiniſtro, ideſt, affectioni animę prægnantis, & dolores parturientis, (illius quidem animæ, de qua loquitur Pſalmiſta. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Pſal.* 7.) ſi hæc inquam vitæ Chriſti perfectio tali affectioni inordinatæ alligetur, facit eam parere, non peccatum quod ex carne conceperat, ſed virtutem quam eam Spiritus Sanctus docuerat. *Eſa.* 60. *Nunquid ego parturiam?* Tu verò eadem quæ dicta ſunt de Chriſto, Beatiſſimæ Virgini potes applicare.

18 De tertià denique ſubdit. Secundùm Plinium lingua vulturis ſine ferro avulſa facit portantem ſe gratioſum. Sic verè lingua, locutio, oratio, & interceſſio Virginis Mariæ glorioſæ, quæ more vulturis ſine carnali copulà peperit, & concepit, quandò ſine ferro, id eſt, ſine peccati duritia imploratur, facit & in verbis, & operibus gratioſum: & ideò Prædicator in principio ſermonis iſtam linguam, vel gratiam petit: & indè eſt quòd pro gratia impetranda dicitur *Ave Maria*. Sic igitur habes, quæ de Virgine Beatiſſimà præſignaverit Agar.

§. III.

Quæ fuerit in Raab perfectio, per quam Virgo Beata ſit prænotata.

19 FLos alter Matronarum è Gentilitate oritur Raab, quæ tamen merito fidei, & pietatis in Redemptoris ſtemmate meruit inſeri. De flore quippè tranſivit in ſtellam, ut in Chriſti genealogia cùm reliquis ſideribus Solem juſtitiæ coronaret. Quidni hoc illa mereretur elogium, quæ patriorum larium hoſtibus prodeſſe potiùs voluit, quàm obeſse? Superno nimirùm afflatu vim veri Numinis agnoſcens, patriam Imperatori donavit Deo, & duumviros regionis exploratores, ſuis exceptos ſedibus, levi ſtipula tectos, à concivium protexit gladiis, quibus eos petebant ad necem: dumque eos liberos dimiſit per funem, animos illigavit, & nè caperetur, fecit pietate captivos. Reliqua Maſculus in Encomiis proſequitur hujus præconia mulieris, dicens.

Mirum omen, Pignus voluiſti Salutis
Concolorem ſanguini Coccum;
Rubrum appoſuiſti Signum,
Nè inter Cruentas Civium cædes,
Rubeſceres Vulnere.
Ardens color domum ſervavit à Flamma.
Per intorta fila ſtamen produxiſti vitæ.
Cùm periret naufragio Patria,
Sola ſtetiſti ſpe firma,
Quia ſacram Anchoram jeciſti per funem.
Inaudito evaſiſti Conſilio;
Quia nè vincireris ab Hoſte victore,
Obtuliſti ei funem.

20 Non ignoro Paſchaſium *lib. 1. in Matth. Evang.* dicere cum aliis Patribus Raab figuram Eccleſiæ fuiſse, quam verus Salmon, ideſt, Chriſtus ſibi deſponſavit in fide. Per quàm nimirùm Raab, inquit Paſchaſius, rursùs Eccleſiæ Sacramentum ad memoriam reducitur, ut idem ſemper figuris, & ænigmatibus promiſsus inſinuetur, qui jam per Patriarchas, ex quorum carne futurus erat, ſibi Eccleſiam non ſolùm de Judæis, verùm etiam ex Gentibus clementiſſimè copulabat. Ipſe enim verus erat Patriarcha in Patriarchis, qui & verus Propheta in Prophetis. Ipſe denique Iudex in Iudicibus, ſicut & ſæpè in Angelis, Angelus eſt appellatus. Undè liquidò conſtat in Salmon jam tunc ducem veræ confeſſionis fuiſse, & illam tribum, de qua fuerat repromiſsus, ex Ægypto eduxiſse, quia Chriſtum non niſi veri Confeſſores ſequuntur.

Qui denique Raab, id eſt, Eccleſiam de Gentibus, ſubverſis muris Iericho, ſibi in conjugio copulavit. Non enim ex omni illa civitate quidpiam ſalvatur, niſi tantùm domus Raab, & omnia quæ in ea fuiſse probantur. Quia nimirùm extra ſanctam Dei Eccleſiam quidquid eſt, anathemate percutitur; & ſi exindè amore quidpiam Deo præfertur, tormento mortis acriùs exquiritur. Quoniam quicunque voluerit eſse amicus hujus ſeculi, inimicus Dei profectò conſtituitur. Iericho quippè præſens deſignat ſeculum, ſeptem vitiorum muris circunvallatum, quod per ſeptem dierum circulum tubis doctrinarum Dei clangentibus jugiter circunluſtratur; donec in noviſſima tuba omnes vitiorum muri corruant, & noviſſima mors deſtruatur, eò quòd jam tunc abſorpta ſit in victoriam.

Interdum autem ſola ſalvatur Raab, videlicet Chriſti Eccleſia, ejuſdem ſanguine rubricata, quia nuncios veri Ieſu ſola ſuſcepit. Et ideò non ſolùm inter Iſrael Dei connumeratur; verùm etiam Principi ex Iuda, Chriſto ſcilicet, velut Matrona pulcherrima, quæ fuerat ſordida flagitiis, copulatur. De cujus nimirùm ſanguine Chriſtus naſci non erubuit, ſcilicet ut qui peccatores venerat quærere in terra, de peccatoribus carnem traheret: quatenus ejus uniti corpore per fidei Sacramentum, jam ultrà peccatores non eſſent. Quod Sacramentum Matthæus benè intelligens, eò quòd & ipſe de Publicano factus fuerat Evangeliſta, omnes peccatrices commemorando, facinoroſos quoque ad pœnitentiam invitat.

21 Nos verò in omnibus, excluſo ſolùm peccato, dicimus Raab veram fuiſse Mariæ figuram: Ipſa enim in domo protectionis ſuæ peccatores abſcondit, nè percutiantur à Deo. Nam, ut inquit Albertus Magnus in Biblia Mariana *lib. Ioſue*, Ipſa eſt evaſionis feneſtra. *Ioſue* 2. Dixerunt exploratores ad Raab: *Innoxii erimus à juramento, ſi ſignum non fuerit funiculus iſte coccineus.* Gloſsa: id eſt, ſanguine ſuo rubricatus: *& ligaveris eum in feneſtra, per quam dimiſiſti nos.* Ipſa eſt etiam feneſtra, quæ per funiculum, id eſt, per filium ſuum, peccatores ut evadant, dimittit, & juſtos attrahit. Hæc ille.

Sed quid eſt, quòd ſola Raab in communi urbis Iericho ſalvatur excidio, niſi quia ſola Beata Virgo ab univerſali originalis culpæ naufragio, quod univerſum genus demerſit humanum, per gratiæ privilegium liberatur, & per unum ſalvatur coccineum funiculum, per crucis, & paſſionis Chriſti ſignaculum?

22 De Raab autem *Ioſue* 2. dicitur, quòd *appendit funiculum coccineum in feneſtra.* Quem quidem funiculum ab exploratoribus poſtulavit in ſignum ſalutis, ut ibidem habetur: *Detis mihi verum ſignum, ut ſalvetis Patrem meum, & matrem*, &c. De quo ſigno Rupertus in *Ioſue* lib. 1. Comment. c. 22. Signum iſtud, funiculus iſte coccineus in feneſtra ligandus, titulus eſt paſſionis Dominicæ inter oculos Eccleſiæ jugiter pingendus: coccineus, inquam, funiculus, ſanguineum eſt crucis ſignaculum, jugiter pingendum in fronte ejus. De eodem ſigno etiam Iſidorus in allegoriis Veteris Teſtamenti. Raab figuram habet Eccleſiæ, quæ per coccum, id eſt, per paſſionis Dominicæ ſignum, ab interitu mundum liberavit.

23 Et ego in hoc cocci ſigno, ni fallor, myſterium Parthenii Scapularis intueor, quòd à Beatiſſima Virgine in ſignum ſalutis fuit Carmelo donatum. Lætare, exulta Carmeli vertex, & Liberatricem, & Protectricem tuam exalta, quæ tibi lanas de vellere Agni, ejuſdemque Agni cruore rubricatas prò ſigno dedit ſalutis, & in periculis prò ſalute. Appende funiculum iſtum coccineum, Dominicæ ſignum Paſſionis, teſſeram ſalutis, & pretium libertatis: ipſo ſiquidem mediante, ab interitu liberaris. Per intorta lanarum fila, tibi ſtamen pulchræ, & ſempiternæ vitæ producitur. Unum, & eundem funiculum prò firma habes Anchora, qua naufragium evadis, & in diſcrimine prò defenſionis clypeo, qui te à periculis reddit ſecurum.

24 In manu igitur Virginis noſtræ Raab vexillum ſalutis, vitæ ſignum, & tuitionis emicat ſcutum. Ipſa enim, teſte Alberto Magno in Biblia Mariana *lib. Ioſue* eſt clypeus defenſionis, quantum ad nos, & clypeus interfectionis, quantùm ad dæmones. *Ioſue* 8. *Dixit Dominus*, ſcilicet Pater, *ad Ioſue*, Chriſtum filium ſuum: *Leva* ſuper omnem creaturam puram in ſanctitate, dignitate, pietate, utilitate, *clypeum*, ideſt, *Mariam*, peccatorum defenſatricem, dęmonum impugnatricem, *qui in manu tua eſt contrà Hai.* Gloſſa: *Hai* interpretatur *Chaos*, vel *habitaculum eorum*, ideſt, dæmonum, qui in abyſſo regnant. *Cumque elevaſſet clypeum*, ideſt, *Mariam*, in annunciatione Ipſam in Matrem aſſumendo, & in aſſumptione ſecum in throno collocando, *non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat*, *tenens clypeum*, ideſt, *Mariam*, nobis in conſolationem, diabolo in occiſionem, & peccatis in deletionem, *donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Gloſſa: de quibus nullum debemus relinquere, ſed omnes perimere.

§. IV.

Quam Virginis excellentiam denotet Ioſabeth ex ſignificatione ſua.

25 HIeronymus in opere de Hebraicorum Nominum interpretatione, quo Sacris Literis non ſpernendum contulit ornamentum, affirmat *Ioſabeth* uxorem Ioiadæ, *Domini ſaturitatem*, vel *Domini iuramentum* interpretari. Quæ quidem interpretatio duplex ad Deiparę commendationem ex duplici capite valdè conducit. De primo igitur videamus rationem, propter quam verificatur, quod Beata Virgo fuerit *Saturitas Domini*. Saturitas relationem dicit ad refectionem, & quandò quis reficitur cibo dicitur ſaturari. Undè cum Beata Virgo lacte ſuo aluerit Deum infantem, rectè dicitur *Saturitas Domini*. Quale fuerit lac illud Virginis Matris, quo Dei Filius eſt ſaturatus, optimè advertit Iacobus de Voragine *ſerm.* 74. de Beata Virgine. Notandum, inquit, quòd lac eſt ſanguis excoctus. Nàm primò excoquitur in venis, ſecundò in mamillis: & ex tali decoctione ſanguis trahit albedinem, ſaporoſitatem, & ubertatem. Lac igitur Beatæ Mariæ habuit albedinem, quam traxit ex duplici decoctione. Secundò, habuit ſaporoſitatem, quam traxit à Spiritus Sancti depuratione. Tertiò habuit ubertatem, quam traxit à duplici decoctione.

26 Primà decoctio facta fuit ab igne Spiritus Sancti in utero matris ſuæ, quandò Spiritus Sanctus eam ſanctificavit. Secunda facta fuit in filii incarnatione, quandò Spiritus Sanctus in eam ſupervenit.

Secundò, eius lac habuit ſaporoſitatem, quam traxit à Spiritus Sancti depuratione. Nunquam fuit aliqua mater quæ habuerit ità ſaporoſum lac, ſicut fuit lac Virgineum. Et ratio eſt, quia lac aliarum mulierum multum habet impuritatis, & idéò non poteſt eſſe multum magni ſaporis. Lac autem Beatę Virginis ſic fuit à Spiritu Sancto depuratum, & purificatum, quod factum eſt dulciſſimum, & nimium ſaporoſum. Et quia fuit optimi ſaporis, ideò fuit optimi nutrimenti. De iſto lacte Virgineo dicit Auguſtinus in *ſerm.* de Annunciatione. Lacta *Maria* creatorem tuum, panem Cœli, pretium mundi: præbe lactenti mamillam, ut ille prò te percutienti præbeat maxillam. Lacta qui fecit te, qui talem fecit te, ut ipſe fieret in te.

Tertiò habuit ubertatem à Cœleſti ſubminiſtratione. Non enim fuit lac ſuum à natura propinatum, ſed de Cœlo largiter ſubminiſtratum. Undè cantat Eccleſia: *Ipſum Regem Angelorum ſola Virgo lactabat ubere de Cœlo pleno.*

27 Eccè ergò quàm verè dicitur, quod dùm *Maria* ſuo lacte Chriſtum puerum enutrivit, fuit ſaturitas Domini. Sic & tu ſpiritualiter eris ſaturitas Domini, ſi ſpirituali modo Deum ſaturabis infantem. Neceſſe eſt enim, ut inquit Raulinus Cluniacenſis *ſerm. 6. in Nativit. Domini*, quod puer iſte paſcatur: & hoc vel in membris ſuis per miſericordiæ opera corporalia, vel per paſtum verbi Dei, & eloquia Domini dulciora ſuper mel, & favum,: vel in ſeipſo, dùm paſcitur teneritudine cordis, & virtutibus, & donis ſuis, quæ in creatura ſua repoſuit. Hinc *Eſa.* 7. *Butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Nam butyrum eſt flos, & pinguedo lactis. Indè Caſeus factus poſt butyrum, eſt macer, & inſipidus, & ſiccus. Ideò per butyrum ſignificatur teneritudo, & dulcedo cordis. Tali cibo debet nutriri Chriſtus *Eſa.* 7. Præ ubertate lactis comedet butyrum.

Mel verò eſt cibus dulcis deſcendens de Cœlo: Apis enim mel non facit, ſed colligit: & ſignificat gratias, & virtutes venientes de Cœlo: & tali cibo etiam nutriri debet Chriſtus. Undè quandò deſcendit in perſonam gratià, & virtutibus plenam, poteſt ei dici illud *Prov.* 25. *Mel inveniſti: comede.* Et ſequitur in textu: *Vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Sicut enim faciens butyrum, dimittit macrum, & ſiccum, & inſipidum: ſic Chriſtus corda inſipida, & ſicca, ſinè devotione, ſecundùm illud *Pſal.* 32. *Nationem filiorum tuorum reprobavi.* Et ſicut Apis non eligit in flore, niſi quod meliùs eſt, ſcilicet mel: ideò ſi quandoque tranſeat ſuper florem nihil habentem mellis, non quieſcit ibi, nec moratur. Sic Chriſtus eligit quod meliùs eſt in corde tuo, ſcilicet gratiam, & virtutes; & in perſona nihil habente gratiæ, & virtutum, ſed potiùs odio, & rancore plenà, non ſiſtit, nec moratur, licet quandoque tranſeat per os ſuum.

28 Secunda interpretatio *Ioſabeth* erat quod dicitur *Domini iuramentum.* Sed nunquid Deipara fuit Domini juramentum? utique, & quomodo? Si prò jura-

juramento intelligas fędus,pactum,vel teſtimonium & teſtamentum. Ipſa enim Virgo fuit *Arca fœderis Domini*: undè & in eius laudibus lætanter Eccleſia canit:*Fœderis Arca*.Nimirùm,ait Placidus Nigidus *Opuſc.* 2. *Fœderis Arca*, non temporalis, ſed ſempiterni; ut propterea mirum ſit, quantum in te, Virgo, hominibus lætandum ſit. Arca, & vera Arca veras legis Tabulas continens, Virgamque, & Manna. Hæc autem in uno; nimirùm Chriſtum Dominum auctorem continens, charitatis, & gratiæ plenum, legem Ipſum, ipſamque legem, & regimen; corpuſque illud ſacratiſſimum, quod nobis in cibum datum eſt, omne delectamentum in ſe habentem ſuavitatis. *Fœderis Arca*, Deo architectante eodem, & conſtruente facta, naturà, & gratià ſupremis miniſtris, & ſuprema conantibus. *Fœderis Arca* de lignis imputribilibus, ſinè corruptione peccati, & à gratia levigatis. *Fœderis Arca*, in oculis, in admiratione, in tutelà Angelorum, & Dei ipſius; in terrorem, & exterminium hoſtium, & inimicorum noſtrorum. Eſto, Virgo, noſtrum refugium, & virtus.

29 Quidni igitur Virgo Beata, *iuramentum Domini*? Cùm de Ipsà verè dicatur illud *Numer.* 10. *Arca fœderis Domini præcedebat eos*. Jure enim, inquit Albertus Magnus *lib.* 10. *de laudib. B. Mariæ c.* 1. *num.* 10. *Maria* dicitur *Arca Teſtamenti*, vel *Teſtimonii*, ut *Apocal.* 12. habetur, quia ſcilicet in ea poſitum erat Teſtamentum,ideſt, lex fœderis Domini: quia fœderavit nos toti Trinitati. Appropriatur enim Patri maieſtas, Filio ſapientia, Spiritui Sancto bonitas. Et nos offenderamus Patrem per ſuperbiam, Filium per inſipientiam, Spiritum Sanctum per malitiam. Iſta enim tria concurrerunt in primo peccato. Superbia, quà Adam voluit eſſe ſicut Deus. Inſipientia, quà credidit poſſe fieri ſicut Deus. Malitia, quà contradixit ei, quod præceperat Deus, vel conſenſit ei, quod prohibuerat Deus. Sed *Maria* per humilitatem ſuam reconciliavit nos Patri, quandò ipſe reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Ubi enim amor, ibi oculus. Sed Filio nos univit, quem credendo concepit, ut impleretur Spiritu Sancto, qui eam replevit, ut *de plenitudine eius acciperent univerſi gratiam prò gratia. Ioan.* 1. Ipſa enim eſt fons, undè procedunt rivuli gratiarum.

30 Item alio modo *Arca fœderis*: quia per eam ad nos Dei fœdus firmatum eſt. Antè enim quàm fieret hæc Arca, ideſt, *Maria*, eramus inimici, & firmatum erat Chaos magnum inter nos, & Deum, ut qui vellent hinc tranſire ad Deum, non poſſent. Et ideò per Virginem venit Filius Dei ad nos, & factus eſt *Emmanuel*, ideſt, *nobiſcum Deus*, ut tàm Filius, quàm Mater reduceret nos ad Patrem. Solet etiam fœdus maximè contrahi per nuptias, & Chriſtus generi noſtro ſeſe immiſcuit, naturam noſtram ſibi in Virgine copulando, ut ſi Pater de cætero cogitaret aliquid contrà nos, videns nos Filii ſui fratres eſſe, manum retraheret à genere ſuo. Undè in horis Beatæ *Mariæ* Virginis ſic dicimus Chriſto: *Memento ſalutis auctor*, *&c.* Et eidem dicere poſſumus, qui eſt verus David, illud 2. *Reg.* 5. *Os tuum, & caro tua ſumus*. Et illud *Daniel.* 9. *Propter temetipſum inclina Deus meus, & audi*, *&c.* Item Rom. 8. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit*, *&c. ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*. Item illud *Ierem.* 14. *Tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos*: quia à Chriſto Chriſtiani. In his nuptiis fœdus ſempiternum, cùm clamatum eſt, ſcilicet *Pax hominibus bonæ voluntatis*: quia Chriſtus *eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum. Epheſ.* 2. ſcilicet quæ in Cœlis, & quæ in terris, in ſe reconcilians ima ſummis.

31 Denique *num.* 15. ſubdit Albertus Magnus, quod Beata Virgo eſt *Arca Teſtamenti*: undè *Apocal* 12. *Apertum eſt templum Domini in Cœlo, & viſa eſt Arca teſtamenti eius in templo eius*. Et dicitur *Arca ab arcano*; *& Maria* ſecretum Dei eſt. Undè dicit de eà per *Eſa.* 24. *Secretum meum mihi*: quia hanc Arcam clauſit ille, qui claudit, & nemo aperit. *Apocal.* 3. Quædam enim ponuntur in arcam ad cuſtodiendum, & celandum: & Chriſtus in hac arca cuſtoditus fuit, & celatus diabolo, & principibus: quia *ſi eum cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent* 1.*Corinth.* 12. & ita non eſſemus redempti. Homo non vidit in ea, nec manum appoſuit: quia non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine Verbum Dei factum eſt caro, ſicut dicit Ambroſius. Dives Arca, in qua fuerunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi *Coloſſ.* 2. Undè dicit ei quidam:

Ave dives Arca Chriſti,
Quæ theſaurum effudiſti,
Quo ditantur omnia.

Ad theſaurum, quem hæc Arca cuſtodit, in omnibus neceſſitatibus, ipsà Arcà mediante, recurrendum eſt. Sed de his alibi ſermo redibit.

§. V.

Anna uxor Tobiæ ſedulitatem operis, & divitiarum contemptum in typum Dei Matris expreſſit.

32 QUintus illuſtrium flos Matronarum adeò odoroſus eſt; ut ſuavem ſeduli operis ſpiret odorem, & terrenarum opum neglectum. De eius ſedulitate in operando dicitur *Tob.* 2. *Anna verò uxor eius ibat ad opus textrinum quotidiè, & de labore manuum ſuarum victum, quem conſequi poterat deferebat*. Et in hoc commendatur labor, & induſtria optimæ, & honeſtæ Matronæ, quæ in ocio marceſcere neſciat, ſed intenta operi, ſedulò ſtudeat laborare. Undè & Salomon loquens de muliere forti, *Prov.* 31. dixit: *Manum ſuam miſit ad fortia; & digiti eius apprehenderunt fuſum*. Ubi Caietanus. Iuxtà hebræum, inquit, habetur: *Manus ſuas miſit ad vertibulum: & manus eius fulſerunt colum*. Quamvis arduis operam daret, minima tamen opera non eſt aſpernata. Hoc enim ſignificatur per hoc, quod non eſt dedignata nere. Rectè igitur in Scriptura Sacra ex operis ſedulitate Anna uxor Tobiæ laudatur.

33 At non etiam Beata Virgo hoc eodem dignior erit encomio? Verè ſi eius vitam à teneris unguiculis, & pueritiam ſpectemus in templo traductam, nihil ignavum, & ocioſum in illà eſt reperire, quippè quæ labori erat ſemper intenta, & utriuſque vitæ exercitio activæ ſcilicet, & contemplativæ ità ſedulò incumbebat, ut nec actio contemplationem minueret, & contemplatio non desereret actionem. *Vndè Caniſius lib.* 1. *de Maria* Deipara Virgine *c.* 13. ex quodam Epiphanio Præsbytero Conſtantinopolitano refert, *Mariam* cùm adhuc Pater viveret, Hebraicas literas didiciſſe, fuiſſeque εὐμαθῆ καὶ φιλομαθῆ, hoc eſt, ingenio ad diſcendum & facili, & cupido: & quanvis orbatam Parentibus, non ſolùm in ſacris literis, ſed etiam in lana, lino, ſerico, & byſſo laboraſſe: illam prætereà in Sapientià, & intelligentià ſuper omnes illius ſeculi adoleſcentulas cunctis admirationi fuiſſe, quæ & nere conſueverit ea, quarum uſus in templo eſſet Sacerdotibus, &c.

34 Et paulò infrà ſubdit. His non malè conſonant, quæ Anſelmi operibus adſcripta hoc modo leguntur. *Maria* Dei Genitrix didicit Hebraicas literas, adhuc Patre eius Joachim vivente. Erat docilis, amans doctrinam, & circà Sacram Scripturam perſeverabat. Opus verò manuum eius erat lanę, lini, & ſerici. Erat itaque locus diſtinctus in domo Domini, ſcilicet in templo, propè lævam altaris: Ibi ſtabant Virgines ſolæ, & divino officio peracto ibant omnes ad propria. *Maria* verò perſeverabat, & cuſtodiebat altare, & templum, Sacerdotibus miniſtrans. Mos eius erat modicæ loquelæ, expeditę obedientiæ, mundæ converſationis: ſinè audacia, ſinè riſu, ſinè turbatione, ſinè ira, benignè ſalutans; eloquentiam eius homines mirabantur. Fuſcos habebat oculos, rectos aſpectu; nigra ſupercilia: mediocrem naſum: vultus eius longus, longæ manus, longi digiti, mediocris ſtatura: perſeverans in orationibus, ferens pannum proprii coloris, lectioni, jejuniis, & labori manuum, & omni bonæ, virtuoſæque operationi ſe dederat, &c.

35 Denique in fine ſubiungit. Quid verò ſi Poetam Chriſtianum, pium, & diſertum adſciſcamus, qui hoc nobis caput abſolvat, ſimulque ſuo carmine Mariæ in templo ſtudia, & mores exponat? Is Baptiſta Mantuanus eſt, in hunc modum non minùs verè, quam eleganter canens *lib.* 1. *Parthen.* Marianæ.

Aſſiduis veterum ſtudiis oracula divùm;
Pervigilique legens curà Moſenque, piumque
Eſaiam, maſtiſque Virum qui verſibus urbem
Plorat, ab ingenio curas, à lumine ſomnos
Sedula pellebat, parvo ſua vota Sacello
Supplicibus palmis narrabat, & ore ſupino
Ocia nulla die carpens, nulla otia nocte,
Cura cibi, ſomnique brevis, quæ paſceret artus,
Pauperibus menſis genium fraudabat, & ora,
Et caſtigato tolerans jejunia ventre,
Carmina diſcebat, Sanctique poemata Regis,
Qui tetricis olim fidibus cantabat ad aras,
Sacraque fatidico pſallebat ad organa cantu.

Et paulò poſt:

Nunc lanam pingebat acu, nunc penſa trahebat
Serica, & immiſſis per licia pendula filis
Vela Sacerdotum ſacros texebat in uſus.
Terrenum nihil ore ſonans, incluſa, latenſque
Plena Deo pectus, toti gratiſſima Cœlo,
Nervoſæque animo vires: ſemperque voluntas
Iuſtitiæ, rectique memor, moderamine certo
Diſcordes animæ motus, luxumque domabat.
Qualis purpureo radians carbunculus ore
Obſcuros inter lapides, gemmaſque minores
Splendet arenoſo quà cingitur India Gange;
Parthenice mea talis erat, &c.

36 Verè mulier prudens, & fortis, multùm pro operis ſedulitate laudanda, ut meritò Salomon de illa *Prov.* 31. prophetaſſe dicatur: *Quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum*. Quorum ſenſum verborum licet Caietanus, ex lectione hebraica ſecundæ particulæ, *Et fecit in voluntate manus ſuas* (ubi Vulgatus legit interpres: *Et operata eſt conſilio manuum ſuarum*) appropriet providentiæ œconomicæ Matris familias, quæ per familiæ manus operatur ea quæ vult prò libito ſuæ voluntatis. Undè ibi inquit. *Quæſivit lanam, & linum, &c.* Secunda particula juxtà hebræum habetur: *Et fecit in voluntate manus ſuas*. Hoc eſt ex lana, & lino fecit operari manus ſuas in voluntate: hoc eſt ea quæ voluit. Manus enim ſuas appellat manus familiæ ſuæ ad opera lanæ, & lini. Hujuſmodi enim opera ad providentiam Matris familias ſpectant. Propriiſſimè tamen verba prædicta etiam juxtà hebraicam lectionem intelligenda ſunt de Deipara, quę ſe in operibus, lanę, lini, & ſerici exercebat.

37 Et ò quam ingenioſè manus ſuas, non aliorum, fecit operari in voluntate! Nunc nendo: digiti enim eius apprehenderunt fuſum: nunc puerulo Ieſu tunicam inconſutilem texendo: nunc telas, aut ſericum acu pingendo. Huius operis linteum Partheniis manibus elaboratum, inter ſacras, & pretioſas Reliquiarum Gazas Modoetię in Eccleſia inſigni Sancti Ioannis Baptiſtæ aſſervatur, & colitur, linteum inquam ad latitudinem, & altitudinem palmi unius circiter cum dimidio, acu pictum, & punctis, aut ſericis aſteriſmis, ſivè rubentium linearum ſinuoſis labyrinthis variegatum. Dignæ ſceptro manus, quæ nè ocio torperent, colum, & fuſum, lanam, & linum, telas, & ſericum, filum, & acum, magnà ſedulitate tractabant. Verè fortis mulier, quæ conſilio manuum ſuarum operabatur, & in voluntate manus ſuas opera ingenioſa parere faciebat.

Quapropter jure merito Joannes Petrus Gluſſianus Patricius, atque Sacerdos Mediolanenſis in Hiſtoria Vitæ S. Ioſeph noſtræ Deiparæ Sponſi, quam Mediolani edidit anno 1616. typis Joannis Baptiſtæ de Alzate, propè finem *cap.* 14. in quo perquirit, ubinam Divus Joſeph habitaret, dùm morabatur in Ægypto; & quam ſedulò cum prædilectà Sponsà ad victum ſibi comparandum, operi manuum inſudaret, mentionem faciens, dignum duxit prædictæ Reliquiæ Virgineæ memoriam non omittere: cujus verba Italico idiomate conſcripta ad rei confirmationem referre non moror. *Quivi*, ipſe inquit, *ſi fermò S. Giuſeppe trattenendoſi come povero nell' arte ſua per acquiſtarſi il vitto; & il ſimile faceva Maria Santiſſima, la quale era peritiſſima nel lavorar con l'ago, come ſi puote vedere da un pezzo di tela, che gli ſerviva per eſemplare, nel quale come ſogliono le donne formava con l'ago alcuni lavori, che gli ſervivano poi per eſſempio, ò modello di quanto voleva fabricare in altri panni. E queſta ſa-*

ſacra Reliquia, come preziosiſſima, ſi conſerva honoratiſſimamente frà le numeroſe, & inſigni Reliquie della Chieſa inſigne di S. Giovanni Battiſta della Città di Monza, dono che fece San Gregorio Papa alla Regina Teodolinda Fundatrice di detta Chieſa. Si degnarono quei Signori, che ne hanno la cura, farmi grazia di poter vedere quelle ſacre Reliquie, e particolarmente il detto panno (ſe bene è coſa difficile) con il Velo pure dell'iſteſſa Vergine, le quali non ſi poſſono vedere, ſenza una grandiſſima, e devotiſſima commozione interna. Quivi non devo tacere come frà le dette ſacre Reliquie ſi vede una Sportella da braccio fatta di gionchi, che era del fanciullo Gieſù, della quale poſſiamo credere ſe ne ſerviſſe appunto, quando era in Egitto. Hæc ille: quibus & ſuperaddo me ſacrarum earundem Reliquiarum oculatum inſpectorem, ac veneratorem fuiſſe.

38 Si verò de divitiarum contemptu loquamur, ò quàm magno ſplendore in terrenarum opum neglectu Anna uxor Tobiæ præfulſit! Quod quidem ex Scripturæ Sacræ teſtimonio patet. Nàm cùm Tobias Pater miſiſſet filium Tobiam prò recuperanda pecunia ad Gabelum, Anna Mater ingemiſcens, & opes execrans, prò quibus filii patiebatur abſentiam: *Cœpit flere, & dicere: Baculum ſenectutis noſtræ tuliſti, & tranſmiſiſti à nobis. Nunquam fuiſſet ipſa pecunia, pro qua miſiſti eum. Sufficiebat enim nobis paupertas noſtra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium noſtrum. Tob. 5.* Sed nunquid in Deipara maiores paupertatis emicuerunt fulgores? Nemo certè dubitare poteſt. Non alias amavit divitias, quam filium ſuum, quem ſciebat Sapientiæ, ac ſcientiæ Dei Patris eſſe theſaurum. Non alias computavit opes, quàm divinam ſuam videre prolem, quam omnibus divitiarum theſauris præpoſuit, & in comparatione illius, auri, argentique pondera, lapideſque pretioſos nihil eſſe duxit. O qualis temporalium deſpectus!

39 Audiant divites, qui paupertatem oderunt. Albertus Magnus *lib. 4. de laudib. B. Mariæ c. 20.* recenſet, quàm fuerit pauper, & inops Virgo noſtra, dicens. Paupertate, quę eſt contritio ſpiritus, ideſt, humilitas, non dubium paupertimam fuiſſe *Mariam*. Paupertate etiam, ideſt, abdicatione temporalium: undè & mulierem quæſtuariam appellat eam Hieronymus, quæ cum acu, & fuſo undè viveret, & nutriret Filium, lucrabatur, ut de ea ad literam videatur poſſe intelligi illud *Prov.* in fine: *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.* Et nota, quòd licet paupercula, non tamen legitur aliquid mendicaſſe, vel prò temporalibus filium exoraſſe, &c.

40 In hac autem tanta paupertate fuiſſe largiſſima comprobatur, quæ licet fuſum apprehenderit, ut victum quæreret, tamen manum ſuam aperuit inopi, & palmum ſuum extendit ad pauperem, non ſolicita de craſtino. Credendum eſt enim, quod illi beati Reges, qui Filium eius Cœli Regem, & Dominum cognoverunt, non modicum, ſed magnum quid obtulerunt ei largè. Undè dicitur *Matth. 2. Et apertis*, non burſis, ſed *theſauris ſuis, obtulerunt ei munera*: non munus unicum, &c. Et ſi quæras, quid de tantis muneribus fecerit *Maria*: reſpondet Albertus Magnus. Utique manum ſuam aperuit inopi, & omnia in uſus expendiſse creditur egenorum, nec de vigeſima octava purificationis die, quę ſequebatur, nec etiam de craſtino curam gerens.

Permaximum enim paupertatis eius extitit argumentum, quod filium ſuum ad templum deferens, undè unum ſolum agniculum emeret, non habebat: cum tamen in Terrà Sanctà multi agniculi inveniantur, & prò modico pretio habeantur. Quis enim dubitat, ſi agnum habere potuiſſet, juxtà præceptum legis *Levit. 12.* ipſum cum filio devotiſſimè obtuliſſet: immò certè ſi lex præciperet, & eos habere poſſet, centum, vel mille agnos. Legitur enim ibi ſic: *Cùm expleti fuerint dies purgationis eius prò filio, vel filia, deferet agnum anniculum in holocauſtum.* Compatiens autem Deus paupertati Matris ſuæ, & eam prævidens ſubintulit paulò poſt: *Quod ſi non invenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos Columbæ.*

41 Denique & Caniſius *lib. 4. de Deipara c. 9.* audiatur, quàm ſingularis fuerit Virginis, eiuſque filii paupertas. Propè finem enim inquit. Magna certè fuit paupertas Virginis Matris, quæ licet Regia Davidis ſtirpe, & ſumma nobilitatis gloria emineret, tamen humili fabro deſponſata, vitam in hoc mundo inopem duxit, ideoque poſt puerperium non divitum inſtar agnum, ſed cum pauperibus turtures tantùm, aut columbas ad altare obtulit. Maior eius paupertas, quod ad ſummam dignitatem, ut Dei Mater eſſet, electa, ſummumque Regem paritura, qui magnitudine ſua cœlum, & terram implet, nec hoſpitium, nec cubiculum reperire potuit, in quo lilium convallium, eſcam Angelorum, & odoratiſſimum illum floſculum Ieſum reponeret, ac pareret. Totum oppidum, quòd ebrioſos, adulteros, fœneratores, helluones ferre potuit, *Mariam* hoſpitam ferre non potuit: ſed illam vivam Dei Arcam excluſit, adeoque clauſa illi eſſe voluit omnia.

42 Neque commodiùs quidem cum Chriſto actum eſt; non habet ubi caput reclinetis, in quo vita, vigorque omniùm, quæ uſpiam exiſtunt, continetur, & qui cuncta verbo virtutis ſuæ portat, atque ſuſtentat. Undè Propheta, immò Chriſtus ipſe Bethleemitis, ac Judæis omnibus meritò exprobat: *Bos cognovit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognovit; & populus meus non intellexit. Eſa. 1.* Atque ut voluntariam Chriſti paupertatem magis perſpicias, patrium ſolum in vili eligit oppidulo, non in aula, ſed in caula potiùs, ac ſtabulo primam quæſivit ſedem: neque ſuaves, & molles cunas, aut plumas, ſed durum præſepe prò lecto amplexus eſt. Reliquit ſtaturam virilem, qua ex utero Virginis procederet, nihilque pompoſi, vel regii ornatus admiſit, ſed infans in lucem prodire, pannis vilioribus obvolvi, & in aſpero præſepio, ſimplicique fœno iacere, tota obſtupeſcente natura decrevit. Verè igitur de illo canimus: *Vagit infans inter arcta, conditus præſepia.* Hoccinè ſit pauperem eſſe, & in laboribus ab ipſa iuventute verſari, ſimulque colonum, ac viatorem agere, ſicut Prophetę fuerant vaticinati?

43 Sed enim quò magis in Chriſto, eiuſque Matre Sanctæ paupertatis elucent ſtigmata, eò

minùs *Mariæ* panniculi, Domini præſepe, ac ſtabulum nobis arrident: immò tantò nos propenſius divitias, voluptates, honores, omniaque carnis, & mundi oblectamenta ſectamur. Atque hoc eſt ſcilicet, Chriſtum Cœli, terræque Monarcham, qui cùm dives foret, propter nos egenus factus eſt, ſequi: hoc eſt illi gratias agere, qui una cum benedicta Genitrice ad extremam paupertatem ſeſe dimiſit, vitamque ipſam à contemptu rerum, quas mundus amat, & miratur, non ſolùm ordiri voluit, ſed & aſperrima cruce demùm abſolvit. Antiquum interim obtinet mundus ſemper immundus, dùm rebús terrenis affixus Chriſti Domini faſtidit exemplum, & ferreos Bethleemitas tàm ſtrenuè imitatur, ut neque *Mariæ*, neque Chriſti, neque pauperum cura, & miſeratione tangatur, ab omni propemodum hoſpitalitatis, & charitatis munere ubique gentium alienus.

CAP. VIII.

Secundus Quinarius illuſtrium Matronarum, quæ virtutes Mariæ figurarunt.

1 QUemadmodum in benè culto viridario plures diverſi generis flores inveniuntur, qui licèt omnes ſint ſpecioſi, alter alterum tamen excellit in pulchritudine, ita ut quilibet eorum venuſtate ſua propria concurrat ad cõflandam viridarii pulchritudinem integralem. Sic quidem in floribus Heroidum Matronarũ evenire mihi videtur; cùm enim ſingulæ per virtutes ſuas ſint pulchrę, & altera alteram in ſpecioſitate pręcedat; nihilominùs omnes ſuis donis, & gratiis decoris ad exornandam Parthenii viridarii venuſtatem conſpirant. Profectò *Mariæ* Nomen Paradiſiacus hortulus eſt, in quo ſemper flores novi renident, ità ut ipſæ literæ non ſint elementa, ſed flores, florenti veris honore, & odorę gratia Florę vernantes. Nam & de ipſis floribus, vel literis Parthenii Nominis, ut meliùs dicam, anatomen fieri poſſe nullum eſt dubium. Relege itaque literas, & ex literis quinque Matronarum flores, & integrum Nomen habebis, ex quibus Virginis Nomen, quod eſt *Maria*, componitur, videlicet:

M ichol.
A bigail.
R ebecca.
I ahel.
A biſag.

In ſingulis autem ſingulos virtutum floſculos cœleſtibus odoramentis fragrare percipies, ut ſequentes indicabunt paragraphi.

§. I.

Reſerantur myſteria, quæ Michol in typo Virginis denotavit.

2 MIchol filia Regis Saul, regio etiam clara conjugio, Virginis noſtræ fuit figura. At dices: In quo? Reſpondet Bernardinus Buſtenſis ſerm. 1. de Nominat. *Mariæ*. Beata Virgo figurata fuit per Michol, quæ fuit uxor David Regis, & Prophetæ; & intantum placuit David, quòd cùm diu fuiſſet extrà regnum Iſrael, noluit conjungere amicitiam cum Abner Principe militiæ populi Iſrael: niſi priùs ſibi præſentaſſet eam, ut dicitur 2. *Reg.* 3. Sic Beata Virgo intantùm placuit Altiſſimo, quòd Filius Dei per ſubtractionem gratię exiſtens extrà regnum mundi, noluit illud ingredi per incarnationem, nec amicitiam conjungere cum primo homine, & ejus deſcendẽtibus, niſi prius ipſa Virgo naſceretur in mundo. *Michol* enim interpretatur: *pietas*; & Ipſa fuit pietate pleniſſima. Hęc ille.

3 Aliter Albertus magnus l. 9. de laudib. B. Marię c. 6. philoſophatur, dicens. Maria deſignatur per *Michol* 1. *Reg.* 18. quæ interpretatur *aqua omnis*, vel *aqua ex omnibus*, quæ placuit David. Hæc eſt *Maria*, per quam habetur refrigerium contrà omne incentivum peccati, & ipſa eſt aqua omnis, quia habet omnem gratiam. Undè dicta eſt *gratia plena*. Qui vult iſtam Michol ſpirituali ſibi matrimonio copulari, debet eam deſpondere ducentis præputiis, ſicut David Michol, ut auferat à ſe omnem immunditiam carnis, & ſpiritus: quia non ſufficeret una ſine reliqua.

§. II.

Per Abigail prudentiam Virginis deſignari.

4 LAudatiſſima fœminarum propter ſuam prudentiam Abigail, Heroum potiùs, quàm Heroidum Choro adſcribenda eſſe videtur. Quantùm profuit mulier prudens etiam Viro ſuo *Nabal*, cui hebraicè nomen eſt *à ſtultitia*, ut ab eo necem averteret, quàm ſibi juſtè promeruerat inferendam à David? Verè cordata Matrona, quæ Marito providit excordi. Digna planè encomio, & in cujus laudem Maſculi calamus in texenda Panegyri elogiaſtica deſudaret. Ille igitur calamum acuit, ut Nabal ſtultitiam feriret, & prudentiſſimæ Uxoris ſapientiam extolleret, dicens.

Laudetur hæc Mulier & ſapienter, & jure,
Quæ fecit, nè ob unius ſtultitiam Viri
Tota periret Familia.
Mutavit Natura munerum vices,
In fœmina poſuit, quod maximè decet Virum,
Conſilium, atque Prudentiam.
Non eſt veritus ille vel Regem, vel Vatem.
Sed cùm hujus providere noluit vitæ,
Suum non prævidit exitium.
Cùm ſuperbo faſtu Regios ſprevit Faſces,
In ſe acuit Secures.
Nempè negavit fruges, quia homo frugi non erat:
Dùm recuſat extinguere Militum famem,
Accendit in eis ſanguinis ſitim.
At aluit hæc hoſtem, nè in ſe acciperet vires.
Quandiù languebat hic fame, habuit acrem,
Vbi cibo robur accepit, imbellem:
Depaſtus eſſet familiam Gladius,
Niſi ipſa paviſſet Armatos.
Sed abire non debuit impunè ſtultitia;

Repentè Vir divinitùs percuſſus interiit:
At quæ obtulerat alimenta tàm ſplendidè,
Illuſtrioribus digna tædis, ac nuptiis fuit,
Deinceps non famulo juncta ſed Regi:
Adhæſit Vitis Quercui ad coronas aptæ, non ſtipiti.

5 Sed ò Virgo quàm longè prudentior Abigail extitiſti, immò, & longè ſapientior, atque potentior, quę de manu Domini fulmen indignationis, atque vindictæ ſubripuiſti. Hoc me docuit Albertus Magnus in Biblia Mariana *lib.* 1. *Reg.* dicens. Ipſa eſt refrœnatrix irę Dei, quò ad peccatores, quæ *David*, id eſt, Chriſtum, ab interfectione æterna *Nabal ſtulti*, ideſt, peccatoris, refrœnavit, ſignata per Abigail, quæ 1. *Reg* 25. *cecidit ad pedes David*, ſe in omnibus humiliando. *Et dixit: In me Domine mi, ſit hæc iniquitas.* Gloſſa: Noli ulciſci. *Malitia ergò non inveniatur in te*, ſed potiùs bonitas diffuſiva, pietas ad condonandum, miſericordia attractiva.

6 *Et ait David ad Abigail*, placatus ejus interceſſione: *Benedictus Dominus*, ſcilicet Pater miſericordiarum; *qui miſit te* miſericordiſſimam, & prudentiſſimam *hodiè*, ſcilicet quandocunque intercedis prò peccatoribus, vel præcipuè in aſſumptione, *in occurſum meum*, ad placandum, ad refrœnandum, ac ad componendum inter me, & peccatores. *Et benedictum eloquium tuum*, pluſquàm omnium Angelorum, immò omnium Sanctorum. *Pſal.* 104. *Eloquium Domini inflammavit eum. Miſit Rex, & ſolvit eum*, id eſt, peccatorem. *Et benedicta tu, quæ probibuiſti me* ſæviſſimum contrà peccatores, ſicut dicit in *Oſeæ c.* 5. *Ego quaſi leæna, & quaſi catulus leonis: & ego capiam, & vadam.* Et *c.* 13. *Occurram eis, quaſi urſa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum, ulciſcar me manu mea*, graviſſima, & intolerabili. *Et niſi citò veniſſes in occurſum mihi*, quod factum eſt, quandò nata es, peccatorum tibi reconciliationem aſſumendo, *non remanſiſſet Nabal uſque ad lucem matutinam, mingens ad parietem*, quia totaliter deleviſſem eum.

7 Erat autem Abigail mulier prudentiſſima, & ſpecioſiſſima. Et dixit David ab Abigail: *Vade pacificè, exaudivi vocem tuam*. Sed quam vocem? Vocem miſerationis prò peccatoribus, vocem conſervationis prò juſtis, vocem fidelitatis prò ſervitiis exhibitis remunerandis. *Et honoravi faciem tuam;* in conceptione, te ſanctificando; in nativitate tua, mundum per te illuminando; in incarnatione mea; te in Matrem præ omnibus eligendo, & in aſſumptione tua, te ultrà omnes choros Angelorum in mea dextera collocando.

8 Pulchrè etiam Bonaventura in Speculo Beatæ Virginis cap.12. in rem eandem diſertiſſimè loquitur, & dicit. *Maria* benedicta eſt, quia per eam Deus homini placabilis eſt, ſicut ſignatum eſt in Abigail, de qua legitur; quòd cùm David offenſus occidere vellet Nabal ſtultum, Abigail occurrens offenſo, placavit eum. Qui placatus dixit: *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ probibuiſti me, nè irem hodiè ad ſanguinem, & ulciſcerer me manu mea.* 1. *Reg.* 25. Nabal ſtultus ſignat peccatorem. Omnis enim peccator ſtultus eſt. Sed heu, ſicut dicitur *Eccli.* 1. *Stultorum infinitus eſt numerus. Abigail Mariam* ſignat, interpretatur enim *Patris exultatio*. O quanta Patris cœleſti in Maria, & *Mariæ* in Patre cœleſti fuit exaltatio, cùm ipſa dixit: *Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.*

9 Sicut autem Abigail Dominam noſtram, ſic David Dominum noſtrum ſignat. David autem offenſus eſt ſtulto Nabal, quandò Dominus offenſus eſt homini impio. David Nabal ſtulto per Abigail placatur, quandò Dominus impio per *Mariam* reconciliatur. Abigail placavit David verbis, & muneribus: *Maria* placat Dominum precibus, & meritis. Abigail ultionem temporalem: *Maria* verò æternalem convertit: dùm illa humanum, iſta verò divinum gladium convertit. Propter hoc ait Bernardus. Nemo tàm idoneus, Domina, qui gladio Domini prò nobis manum objiciat, ut tu Dei amantiſſima, per quam primum ſuſcepimus miſericordiam de manu Domini Dei noſtri.

§. III.

Quid Rebecca prætulerit in Beatiſſimæ Virginis typum.

10 SAtis odorus flos iſte eſt, cùm ſuaviſſimos pudicitiæ ſpirat odores. Certamine quodam Natura, & Gratia dimicarunt, quænam earum pulchriorem Rebeccam efficeret. Verùm cùm Natura Gratiæ cedat: etſi pulchra corpore, pulchrior tamen moribus fuit. Eſto, fuerit corporeæ pulchritudinis flos: atquì virtutibus animi, tanquàm Roſa florum Regina præcelluit. Potiores nanque dotes mētis, quàm corporis. Sed quid moror illas referre è Maſculi Encomiis, cùm de nuptiis ejus cum Iſaac agens, ità infit.

Auſpicari præclariùs nuptias non poteras tuas,
Quàm, ut feciſti, Pietate:
Obtuliſti amanter Paranympho putei aquas,
Obtulit ille tibi amabiles Thalami faces.
Quàm purum eſſes initura Connubium,
Omen ipſæ fecerunt aquæ.
Tunc maximè tuus ſe prodidit pudor,
Cùm occurrens Sponſo faciem texiſti pallio.
Aperuiſti pudicam mentem,
Cùm operuiſti frontem.
Non alias attuliſti roſas, quàm genarum.

11 Sed quid Orator ille ab Abraham Rebeccæ deſtinatus prò nuptiis cum filio ſuo Iſaac contrahendis expreſſit, niſi cœleſtem Legatum, quem Deus Pater ad Virginem miſit, ut filius ſuus in ejus utero nuptias celebraret cum humana natura? Pulcherrima ſanè figura, quàm Thomas de Villanova ſerm. 1. de Annunciat. Virginis miris eloquentiæ coloribus adumbravit. Hujus autem, inquit, tàm eximiæ legationis figuram geſſit Servus ille fidelis Abrahæ, quem ſanctus Patriarcha in ſuam patriam deſtinavit, quærere filio ſuo unico uxorem, adjuratum priùs, nè de filiabus Chanaam vicinis accipiat: Qui pulcherrimam Rebeccam ad fontem reperiens, accepto priùs connubii, quod quærebat, indicio, quòd eum, & Camelos libenter adaquaſſet, eam inauribus, & munuſculis ſubarrhavit, & habito conſenſu Parentis, filio Domini ſui copulandam adduxit.

12 Quid huic cœleſti connubio ſimilius? Non dedignatur *Pater ſublimis* (hoc enim ſonat *Abra-*

Abraham) filio ſuo unico, de propinquis Angelorum cuneis quamlibet deſponſare naturam, ſed longiùs Legatum fidelem mittit ad terram, ut de cognata ſibi natura, & ad ejus imaginem facta, aliquam filio ſuo accipiat uxorem: *nuſquam* enim *Angelos apprehendit*, Paulo authore, *ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Hebr.* 2. Venit ergò Legatus ad mundum, Virginem ad fontem aquarum reperit, id eſt, divinas Scripturas rimantem, & de profunditate literæ mirificos haurientem hauſtus. Miratur cœleſtis Paranymphus tantum puellæ decorem, & tam eximiam Virginis pulchritudinem: qualis nanque fuerit, Scriptura commemorat. *Puella* (inquit) *decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita Viro, deſcenderat ad fontem, & impleverat hydriam aquâ, & revertebatur. Geneſ.* 24.

13 Humilitate deſcenderat, virginitate placuerat, hydriam ſuam aquâ repleverat: ſic nanque eam Angelus ſalutat: *Ave gratia plena*. O plenam, & pleniſſimam hydriam, ex qua omnis potatur rationalis creatura! Bibit Nuncius, bibunt incurvi Cameli: Angelos, & homines ex tua plenitudine ſatiaſti *Maria:* quis enim ex hac tua non potatur hydria? Ex hac Angelus gloriam, juſtus gratiam, peccator veniam, mœſtus lætititiam, captivus indulgentiam bibit. Omnes bibunt ex ea, neque minuitur hydria. Bibit quoque Omnipotens ipſe, & inebriatus amore, oblitus majeſtatis properat ad dilectam: ac velut unicornis filius, gremio Virginis capitur, carnis nexibus irretitur: ſicut ſcriptum eſt *Pſal.* 28. *Dilectus quemadmodum filius unicornium.* Hanc ſacram Virginem inauribus argento vermiculatis, divitis, potentiſque Domini Nuncius ſubarrhavit, virgineis auribus miranda ingerens ſermone polito myſteria, datoque conſenſu, filio Domini ſui perpetuo connubio deſponſavit, ut in ejus ſacro uteri thalamo, Deus, & homo, jam non ſint duo, ſed una caro, una perſona, unus Deus, & homo, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Dei naturam, & hominis, in ſeipſo indiſſolubili nexu copulans, hypoſtaſi beatâ.

14 Sed non minùs præclarè Albertus Magnus in Biblia Mariana *lib. Geneſ.* Virginem in Rebecca depingit, aut ex Rebecca per ſimilem geſtorum ſeriem undequaque figurat, ut in Scripturæ ſpeculo perfectiſſima ejus imago refulgeat. Ipſa, inquit Albertus, eſt fontis vitæ hauſorium, & animarum ſitibundarum refocillatrix. *Geneſ.* 24. *Rebecca*, quæ interpretatur *patientia*, id eſt, *Maria, egrediebatur*, ſcilicet in nativitate, quando nata eſt, *habens hydriam in ſcapula ſua*. Gloſſa: Verbum Dei humiliter ſuſceptura, *puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita Viro. Deſcenderat autem ad fontem.* Gloſſa: vitæ, ad quem ſe inclinaverat hauriendum, & *impleverat hydriam*, cordis, gratia, venia, gloria. *Dixitque ſervus ei: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum:* Gloſſa; de ſalute animæ, *præbe de hydria tua:* quia de mundi hydria hauſi vanitatem, de hydria diaboli iniquitatem. *Quæ reſpondit: Bibe Domine. Celeriterque ei dedit potum; & adjecit: Quin & Camelis tuis hauriam aquam gratiæ, veniæ, lætitiæ, donec cuncti bibant. Cant.* 5. *Bibite, & inebriamini chariſſimi*, &c. Hauſtum igitur omnibus Camelis dedit, unde & largiſſima eſt.

15 Ipſa eſt etiam vagantium animarum hoſpitatrix. *Geneſ.* 24. *Dixit Eliezer ad Rebeccam: cujus es filia? Indica mihi. Eſt in domo Patris tui locus ad manendum? Quæ reſpondit: Filia ſum Bathuelis; palearum quoque, & fœni plurimum eſt apud nos, & locus ſpatioſus ad manendum.* Gloſſa: Per latitudinem charitatis. *Et ait Laban frater Rebeccæ: Ingredere benedicte Domini. Cur foris ſtas? Præparavi domum, & locum Camelis tuis. Et introduxit eum in domum.* Rebecca etiam *Maria:* frater Rebeccæ, Chriſtus, qui nos in regnum introduxit.

Ipſa etiam eſt Sponſa, & Mater propitiationis, quam Deus Pater præparavit ab æterno, Filio in Matrem, reo in reconciliationem, juſto in pręmium. *Geneſ.* 24. *Dixit Eliezer: Veni ad fontem aquæ, & dixi: Virgo, cui dixero, da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua: & illa dixerit mihi, & tu bibe, & Camelis tuis hauriam: Ipſa eſt mulier, quam præparavit Dominus filio Domini mei.* Undè ipſa dicere poteſt: *Ab æterno ordinata ſum. Prov.* 8.

16 Ipſa etiam eſt ſoror noſtræ profeſſionis, defenſionis, fidelitatis, & exaltationis. *Geneſ.* 24. *Dimiſerunt ergò eam*, ſcilicet quandò aſſumpta eſt à nobis in Cœlum, imprecantes proſpera ſorori ſuæ, dicentes: *Soror noſtra es* ex humanitate, fidelitate, & dignitate; *creſcas in mille millia*, ultrà omnes choros Angelorum aſcendendo; & *poſſideat ſemen tuum*, id eſt, nos vermiculi, *portas* empyrei, *inimicorum ſuorum*, dæmonum, qui indè eiecti ſunt.

Ipſa eſt etiam æternæ benedictionis procuratrix. *Geneſ.* 27. Dixit Mater Rebecca ad Iacob: *In me ſit*, ait, *iſta maledictio, fili mi, tantùm audi vocem meam*, monentis, conſulentis, vocantis: *& pergens, affer quæ dixi;* ſi quo modo hanc benedictionem promereatur. *Eccè odor filii mei, ſicut odor agri pleni.* Gloſſa: Pleni virtutibus, *cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore Cœli.* Gloſſa: id eſt, de contemplatione. *Et de pinguedine terræ* bonorum operum *abundantiam*, ſcilicet *frumenti*, charitatis, *& vini*, fervoris Spiritus Sancti, *& olei*, miſericordiæ.

§. IV.

Iahelem Virginis ſtrenuitatem præſeferre, propter quam fuit benedicta.

17 ET Iahel flos eſt, non Floræ, ſed Martis. Etiam flores ſub bellicis ſignis pugnare noverunt. Didicit florum pulchritudo, bellico pulvere, ſed non indecoro, ſordeſcere. Verùm diſpar floris, & militis ſpecies. Ille mollis, ſtrenuus hic. Ille amictu niveo, ſi lilium, vel purpureo, ſi roſa; hic ferrea indutus lorica. Ille charites, hic furiales ſpirat minas. Ille folia tenera, hic duros gladios portat. Ille vitæ odores, hic mortis exhalat horrores. Non igitur Jahel & flos, & miles eſſe poteſt, vel utriuſque ſaltem officia ſimul adimplere. Sed nec à floris laude recedit, nec militis encomio caret: flos, quia ſummo floruit honore virtutis: bellatrix, quia robur hoſtile malleo, & clavo confixit. Meritò igitur floridæ, bellantiſque Matronæ lauro victoriali tempora coronantur:

nec ejus laureas Maſculus in Encomiis Virorum illuſtrium, & Fœminarum proferre retardat.

Confeciſse per te nova dicitur bella
Imperator Deus,
Quòd ab imbelli fœmina ſit parta Victoria.
Plùs egiſti domi, quàm foris:
Domus & Campus tibi, & Capitolium fuit.
Malleum accepiſti prò Gladio,
Non modò ut ferires Hoſtem,
Sed ut ſculperes tibi ſigna Victrici,
Non alio facta tua cœlata ſunt malleo,
Quàm quo celatum ſtramine contudiſti Hoſtem.
Præclariùs de te facinus memorata fama,
Quàm de Alcide.
Meliùs tu monſtra domuiſti ferreo clavo,
Quàm ille lignea clavà.
Confixiſti tempora,
Quæ videlicet ille deſtinaverat lauro.
Non viruit frons fronde, ſed rubuit cæde.
Vxor parabat victori Pyramidem,
Tu victo Pyram.
Illa genialem ſternebat torum,
Tu emortualem.
Lac propinaſti, ut eliceres ſanguinem.
Invicta dici poſses Amazon,
Niſi mammis lacteſceret virtus,
Quibus partam aluiſti Victoriam.

18 Sed à nobis ore pleno invicta prædicetur Amazon, quæ ob animi ſtrenuitatem, & benedictionem meruit, & *Mariæ* referre figuram, ut in Speculo Beatæ Virginis c. 13. probat Bonaventura. Audiamus, inquit, quomodò benedicta ſit *Maria* prò ſtrenuitate contrà acediam. Acedioſi enim maledicti ſunt, qui opera Dei ſtrenuè, & fideliter non agunt. Undè *Jeremias* 48. dicit. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter*. Contrà corporis maledictionem, *Maria* meruit rigoris benedictionem. Ipſa nanque per illam Iahel ſignata eſſe poteſt, quæ clavo Siſaram interfecit. Propter quod in *lib. Iudicum* dicitur: *Benedicta inter mulieres Iahel*, &c. *Iudic.* 5. *Iahel* interpretatur *aſcendens*, quod convenit *Mariæ*, quæ non ſicut acedioſi deſcendit: ſed ſtrenuè de virtute in virtutem, de inferioribus ſemper aſcendit, juxtà illud *Cant.* 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi?* Ipſa benedicta Iahel quid fecit? Certè clavo tabernaculi Siſaram interfecit. *Siſara, excluſio gaudii* interpretatur, & benè diabolum ſignat: quia à gaudio cœleſti excluſus etiam alios excludere feſtinat. Immò heu nos omnes excluſerat per Matrem generis humani; cujus excluſionis maledictio, excluſa eſt per benedictam Matrem Salvatoris. Undè benè venerabilis Præsbyter Beda ait: Benedicta tu inter mulieres, per cujus partum virgineum, à natis mulierum maledictio primæ Matris excluſa eſt.

19 Sed quid per clavum ſignatur, quo caput Siſaræ perforatur. Quis eſt clavus iſte, niſi rigor diſciplinæ? Quid eſt enim rigor diſciplinæ acedioſis, niſi quaſi quidam clavus in oculis? Rigor utique diſciplinæ clavus eſt diabolum acerrimè pungens, clavus eſt diabolum rigidiſſimè configens. Benedicta itaque Iahel caput Siſaræ clavo interficiente confixit, quandò benedicta *Maria* virtutem Satanæ rigore diſciplinæ in ſe extinxit. Benedicta ergò inter mulieres Iahel, benedicta inter mulieres *Maria*. Inter quas mulieres, audi Bedam, qui dicit: Non ſolùm benedicta tu in mulieribus, ſed inter mulieres benedictas, majori benedictione ſpecialiter inſignis. Hactenùs ille.

20 Quidni Iahele excellentior Deipara noſtra, quæ omnium in ſe habuit virtutum ſpecimen, & benedictionem? Neque vero Iahel unquàm ſic extitit glorioſa, quàm cùm Siſaram interfecit, quia Deiparæ prudentiſſimæ, & ſtrenuiſſimæ typum geſſit, quæ prudentia, & ſtrenuitate ſuà percuſſit diabolum, & ſuperavit. Quarè non immeritò Guillelmus Pepinus in *Roſario Aureo B. Virginis ſerm.* 23. de Roſa Prudentiæ, pulcherrimo diſcurſu prudentiſſimam Dei Matrem in hieroglyphico Iahel oſtendit, dicens. Principaliter Virgo *Maria* oſtendit ſuam prudentiam in ordine ad diabolum. Ipſe enim prout conſueverat aliis mulieribus facere, voluit eam ſeducere per ſuperbiam, proponens coram oculis ſuis, quanta gloria digna eſſet, quæ Regem Cœlorum genuerat, & pepererat. Sed ipſa tanquàm prudentiſſima reſpondit ei quod in Cantico ſuo legitur, & ſunt verba ejuſdem. *Depoſuit*, ſupple Deus, *potentes*, id eſt, ſuperbos, *de ſede, & exaltavit humiles*. *Luc.* 1. Item alia Scriptura dicit *Eccli.* 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus*. Item voluit eam ſeducere per avaritiam, præſertim cùm vidit Reges offerentes filio ſuo tot, & tanta munera, videlicet aurum, thus, & myrrham. Sed ipſa tanquàm prudentiſſima reſpondit ei, dicens: quòd Deus *eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes*. Item alia Scriptura dicit *Eccli.* 10. quòd *avaro nihil eſt ſceleſtiùs*. Item voluit eam ſeducere per luxuriam, proponens ei carnis delicias. Sed ipſa tanquàm prudentiſſima reſpondit ei, dicens: *Virum non cognoſco:* id eſt, propoſui nunquàm carnaliter cognoſcere. Item alia Scriptura dicit: *Vovete, & reddite*. *Pſal.* 75. Sed ſic eſt, quòd vovi perpetuam virginitatem Domino, ergò debeo eam illi reddere.

21 Eccè quomodò Virgo hęc ſacratiſſima oſtendit ſuam prudentiam ad diabolum, & ad allegationes ejus. Undè de ea poteſt dici illud *Iob.* 26. *Prudentia ejus percuſſit ſuperbum*, videlicet diabolum, qui anthonomaſticè *ſuperbus* dicitur. In cujus figura legitur *Iudic.* 4. quòd cùm Siſara declinaſſet ad domum Iahel uxoris Aber: Ipſa noctis ſilentio infixit clavum intra caput ejus, & ſic occidit eum. Ad propoſitum, & breviter. *Siſara*, qui interpretatur *excluſio gaudii*, rectè deſignat diabolum, qui propter ſuam ſuperbiam excluſus eſt de loco gaudii, quia de Cœlo. *Iahel* verò, quæ interpretatur *aſcendens*, ſignificat Virginem *Mariam*, quæ in præſenti aſcendens ſemper de virtute in virtutem, tandem aſcendit, tracta tamen à filio, ad ſuperos. Hæc igitur Iahel per ſuam aſtutiam, & prudentiam ſuperavit diabolum, & de illo triumphavit, qui eam ſuperare moliebatur modis prædictis. Sed quid ſignificat clavus, quem ipſa infixit capiti Siſaræ? Profectò deſignat prudentes reſponſiones ipſius Virginis ad ſingula tentamenta ipſius maligni ſpiritus, de quibus priùs dictum eſt. Poſſumus ergò de eà dicere illud, quod canit Eccleſia de communi Virginum: *Hæc eſt Virgo ſapiens, & una de numero prudentum*.

22 Sed iterum eadem repetatur figura triumphi, & ex alia nominis interpretatione, titulo etiam illuſtriore clareſcat. Primò enim Iahel Siſaræ *aquam petenti lac dedit, atque in phialà Principum obtulit butirum*, *Iudic.* 5. Et poſtmodùm clavo fortiter infixo terebravit caput ipſius. Undè Berchorus *lib. Moralit. in Iudic.* inquit. Talis mulier eſt Beata Virgo, quæ reverà *Iahel*, ideſt, *Dei aſcenſio* dicitur, prò eo quod in ipſa Deus carnem aſſumendo aſcendiſſe probatur. *Eſa.* 19. *Aſcendit Dominus ſuper nubem levem, & ingredietur Aegyptum*. Iſta enim lacte ſuo mediante, quo ſcilicet nutrivit Chriſtum, in ligno Crucis cum clavis, & lancea ſuffragante, quibus ipſe Chriſtus mortem ſuſtinuit, ipſum Siſaram, ideſt, diabolum ſuperavit: & ideò victoriam contrà ipſum ipſi ſoli ſancta Mater Eccleſia attribuit.

§. V.

Quid Abiſag nupta David Regi iam ſeni præſignaverit de Virgine.

23 FLorere non minùs, quàm olere Virginitatis flores perſentio. Nuptialem thalamum Abiſag intueor, ſed virginalem, & undequaque ſic floridum totum, ut flos pudoris nullo modo lædatur. Mirandæ planè thalami faces, quæ non ad Venerem, ſed ad pudicitiam inflammant. Sponſales hæ tædæ floribus florem non demere, ſed ſervare, ſed augere noverunt. Quàm igitur laudabilis, & laudanda Abiſag pudicitia! Nàm cùm David ſenio languidus refrixiſſet, conjuncta eſt illi toro, ſed ità, ut virginitatis intactum florem, illibatumque ſervaverit. Neſcias, magis nè mirum in nivibus flores enaſci, aut flammis non aduri. In Abiſag prodigium utrumque videtur. Digna quidem, quam Maſculus in Encomiis Virorum illuſtrium, & fœminarum, ſingulari commendaret elogio.

Omnes undique carpat Eloquentia flores,
Vt tibi debitam componat Corollam.
Regi conjuncta, qui frigeſcebat ſenio,
Velut in media effloruiſti bruma,
Corporis illibato Pudore.
Nupſiſti verendo canicie Regi,
Vt candor appareret inter Capitis nives.
Iuncta es venuſtate, non Venere.
Hoc explenduerunt illuſtriùs tædæ,
Quod non arſerunt:
Plùs ad laudem luce valuere, quàm flammà.
Nunquam tantum accepit roboris Pudor,
Quàm cum commiſſus eſt languido ſeni:
Nunquàm tàm immotus, ac ſtabilis,
Quàm cum creditus trementi:
Non timuit, nè caderet,
Firmatus hujus vel bacillo, vel Sceptro.
Fuiſti à Procis expetita, ſed fruſtrà,
Habiti enim ſunt Rei affectatæ Purpuræ,
Qui tuum inficere voluere Candorem:
Regii damnati ſunt ambitus,
Qui torum ambiere Reginæ.
Antequam nuptiales accenderent faces,
Extincti ſunt morte.
Tumulus eos excepit, antequàm Thalamus.

24 Quid ergò Abiſag Virgo nupta David, niſi Dei Mater in figura. Planè Albertus Magnus in Biblia Mariana *lib.* 3. *Reg.* hanc figuram exponit, dicens. Semper excellentiſſima Virgo *Maria* deſiderio Sanctorum Patrum, & ardore optata, & quæſita fuit, ut Regem Regum foveret per incarnationem in gremio, ut ipſum recipiendo calefaceret, in conſervatione totius vitæ Chriſti, in hoc mundo ſibi miniſtrando, & ſtaret in Cœlo empyreo prò peccatoribus exorando. 3. *Reg.* 1. ſignificatur Virgo *Maria* per *Abiſag Sunamitidem*, quę interpretatur *Pater meus abundans*, vel *Patris mei rugitus*, de cujus laude dicitur: *Dixerunt ſervi David*, ideſt, Sancti Patres. *Quæramus in omni terra creaturam rationalem, quæ ſub Cœlo eſt, Domino noſtro Regi adoleſcentulam Virginem, dignam, quæ ſtet coram Rege, & foveat eum, dormiatque in ſinu ſuo*, Rex Regum, *& foveat eum*, per incarnationem in gremio ventris ſui, *dormiatque in ſinu ſuo*, apud mundiſſimam mundiſſimus, in Creatura Creator, in filia Pater, in ancilla Dominus.

25 *Quæramus* etiam Virginem ſapientiſſimam, charitate ardentiſſimam, quæ ipſum Deum ad liberationem, & miſerationem inflammet: habetur enim ibi; *& calefaciat Dominum noſtrum Regem*. Quæramus & Virginem ſapientiſſimam, quæ ſciat, velit, & poſſit ſtare ut interpellatrix coram Rege ad refrænandum, ad excuſandum, ad judicandum, ad placandum. *Et invenerunt*, licet difficillimè, *adoleſcentulam ſpecioſam in omnibus finibus Iſrael, Abiſag Sunamitidem*, ideſt, *Mariam*. Hanc omnes eligamus, ſecundùm illud Poetæ:

Elige, cui dicas, tu mihi ſola places.

Quæſita fuit in lege, & Prophetis, tempore Patriarcharum, & Prophetarum, ſed inventa in Nazareth ab Archangelo Gabriele *Luc.* 1. in tempore gratiæ, in annunciatione. Hæc Albertus Magnus.

26 In eodem quoque ſenſu Berchorius *lib.* 11. *Moralit. c.* 1. *in lib.* 3. *Reg.* eandem figuram exponit, niſi quod novo acumine aliam nominis Abiſag interpretationem adducit, ex qua conceptum figuræ confirmat. Undè à litera priùs incipiens, & poſtmodùm ad myſticum ſenſum deſcendens, ait. Rex David ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies. Cumque cooperiretur veſtibus, non calefiebat: quapropter Servi eius quandam Sunamitem Abiſag nomine adoleſcentulam, Virginem pulcherrimam, de cunctis filiabus Iſrael quæſiverunt, ad hoc ut ſtaret coram eo, & foveret eum, dormiretque cum eo, & calefaceret: ipſe verò Rex in ſinu puellæ dormiret; ipſa autem eidem per omnia miniſtraret ſibi; & eam adduxerunt. Adducta igitur ad Regem, omnia præmiſſa fecit: & quamvis ipſam Rex diligeret, ipſam tamen carnaliter non cognovit.

27 Rex iſte ſignificat Chriſtum, qui ſcilicet ætatis habebat plurimos dies, quia ſicut dicitur *Mich.* 5. *Egreſſus eius à diebus æternitatis*. Qui tamen dato, quod multis veſtibus, ideſt, multis Sanctorum bonis operibus, à principio operiretur, nun-

nunquam tamen adhuc per charitatis incendium ad aſſumptionem carnis caleſiebat, quouſque per omnes fines Iſrael Virgo cæteris pulchrior, & mundior, ſcilicet *Abiſag*, quæ interpretatur *Patris incendium*; *Sunamitis*, quæ interpretatur *mortificata*, & *beneficiata*; ideſt, Virgo *Maria*, quæ ſcilicet iſtum Dominum Patrem, & Creatorem ſuum per charitatem incendit, & ſe per pœnitentiam, & humilitatem mortificavit, quæ ſibi divinitùs fuit quæſita, & ad eius obſequium ordinata.

Ita enim coram eo ſtetit per orationem, ſibi miniſtravit per ſubiectionem; ipſum fovit per devotionem, cum ipſo dormivit per contemplationem, & ſic eum calefecit per dilectionem, & hoc intantùm quòd eum inclinavit ad beatam incarnationem. Iſta igitur propriè *Abiſag*, ideſt, *Patris incendium*, dicta fuit: quia Patrem ſuum Deum per amoris incendium intantum calefecit, quod ipſum Regem Cœli, & Dei filium in ſinu ſuo, ideſt, utero virginali, per beatam incarnationem dormire, & reclinare coegit; & abſque hoc quòd carnaliter cognoſceretur, in ſeipſa Deum hominem, & hominem Deum fecit. Ideò benè dicit *Pſal.* 44. *Audi filia, & vide, &c.* Et infrà. *Concupivit Rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus.*

CAP. IX.

Tertius illuſtrium mulierum quinarius plectitur in ſertum ad coronandam Dei Matrem.

1 EX literis Mariani Nominis quinque alii flores exurgunt, qui Deiparæ capiti in coronam texantur. Vel fortè hujus generis flores ſtellas appelles, cùm & in Cœlo Sidera florum obtineant vicem. Etenim nihil prohibet hortorum floſculos ſtellulas micantes, Cœli verò ſidera ſtellantes dicere flores. Et *Maria* Nomen eſt Cœlum, & quot elementa, tot ſtellas, ſeu Matronarum flores habere probatur. Age ergò, & revolve nobis tertium Heroidum Matronarum quinarium in literis Parthenii Nominis nedum latentem, ſed elucentem. Et eccè juxtà ordinem literarum, quinque Heroidum floribus, ſivè ſtellis aut redimitur, aut formatur Sacratiſſimum Nomen: nempè

M artha.
A xa.
R achele.
I oanna.
A ppià.

Dubitas has Matronas olidiſſimos fuiſſe flores, aut micantium ſiderum more, radiantibus moribus, & dotibus præfulſiſſe? Ipſæ tibi ſingulis, & eximiis donis ſuis auferent dubitationem. Et primo loco fidem faciet Martha.

§. I.

Vnde, & in quo Martha referat Virginis Typum.

2 ALbertus Magnus *lib.* 11. *de laudib. B. Maria c.* 2. devotiſſimus Deiparæ laudator, pulchrum in Martha revelat myſterium, quod in Maria virtute Spiritus Sancti peractum eſt, cum ille *Luc.* 10. exponens verba: *Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam*: inquit. Quodlibet verbum pondus habet proprium. *Maria, mulier*: quia Deum *mollivit*, nec ceſſat adhuc emollire. Et benè, cum Evangeliſta tractat de incarnatione Dominica, appellat *Mariam*, mulierem: quia tunc Dominus, priùs durus, emollitus eſt per eam. *Quædam*, ideſt, ſingularis, pare carens, & ſimili: quia nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.

3 *Martha nomine*. *Martha*, ſecundum Iſidorum, interpretatur *irritans*, vel *provocans*. Syro autem ſermone interpretatur *dominans*, & ſignat *Mariam*, quę Syriacè interpretatur *Domina*, quæ cum filio ſuo dominatur in Cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Interpretatur etiam *provocans*: quia merito humilitatis, & voto virginitatis *provocavit*, ideſt, *porrò*, hoc eſt, *certè vocavit* ſpecie ſua, & pulchritudine divinos aſpectus, quandò videlicet Altiſſimus Dominus reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Undè dicit ei *Eſa.* 62. *Complacuit Domino in te.* Vel ideò *provocans*: quia merito humilitatis ſuæ provocavit Deum ad carnis aſſumptionem, quando viſus eſt ei dixiſſe: *Tu mihi ſola places*. Provocavit etiam Angelos ad admirationem. Undè dicebant, videntes eam aſcendentem *Cant.* 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, &c.* Provocat etiam homines ad imitationem virginitatis, humilitatis, paupertatis, & cæterarum virtutum.

4 Interpretatur etiam *irritans*: & eſt *irritare* idem quod *evacuare*: ſuis enim orationibus, & meritis evacuat, & evertit iram Dei à creaturis. Eſt etiam *irritare* idem quod *provocare ad iram* ſub alia verbi ſignificantia: quia beneficiis, quæ nobis impendit, dæmones provocat ad latratum, & rictum ſicut canes: nam ipſa ille fons eſt, qui per aquæductum fluebat in civitatem Bethuliæ, ideſt, Eccleſiam, & fidelem animam, quem Holophernes præcepit incidi. *Iudith.* 7.

5 Merito ſiquidem harum virtutum elegit eam Deus, & prælegit, & poſuit in ea tabernaculum ſuum. *Excepit illum*, eo modo quo auris excipit verbum; vitrum, vel aer Solem; locus concluſus vocem; & oculus ſanus Solis radium, & claritatem. *Excepit*, inquam, *illum* venientem de ſupernis *in domum ſuam*, ideſt, in uterum virginalem, qui eſt illa domus, quam ſapientia ædificavit ſibi. *Prov.* 9. Et hoc, quandò fœmina circundedit Virum. *Ierem.* 31. Et quandò *Maria* gyrum Cœli ſola circuivit. *Eccli.* 34. Et nota, quod literaliter dicitur Domus fuiſſe Marthæ: quia Martha magis erat operoſa, & vicinis utilior, & magis nota.

6 Verùm Guillelmus Pepinus, *ſerm.* 2. *de Aſſumpt. Beatæ Virginis*, retinet quidem primam nominis

interpretationem, ſed aliter de ea circa Virginis dominationem philoſophatur, & quam mirabiliter Deipara fuerit domus Marthæ in incarnatione filii Dei ex utero ſuo. Ideò & ipſe exponens verba Lucæ prædicta: *Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam*, inquit. Ubi notandum, quod *Martha* Syriacè interpretatur *Dominans*, ſivè *dominatrix*: quæ quidem interpretatio valdè benè convenit Virgini *Mariæ*. Ipſa enim dominata eſt tribus. Primò quidem filio ſuo, qui erat, & eſt verus Deus. Undè *Luc.* 2. dicitur, quod ipſe *erat ſubditus illis*, ſcilicet Matri ſuæ *Mariæ*, & Patri putativo Ioſeph: Nonnè Ipſa benè dominata eſt filio ſuo, quandò membra eius pannis involuta alligavit? Item, quando manus eius, pedeſque, atque crura ſtricta cinxit faſcia.

Secundò Ipſa dominata eſt diabolo, quia nihil in ea habuit. Undè meritò dicere poterat illud *Ioan.* 12. *Venit princeps mundi hujus*; ideſt, diabolus; *& in me non habet quicquam*. Illius ergò dominium ſuper ſerpentem antiquum præoſtenſum fuit in illis verbis Domini ad ſerpentem, *Geneſ.* 3. *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te, & mulierem, & Ipſa conteret caput tuum*.

7 Tertiò ipſa *Maria* dominata eſt carni ſuæ ſivè appetitui ſenſitivo, quantum ſcilicet patitur ſtatus vitæ præſentis. Non enim caro in ea concupiſcebat adverſus Spiritum, ſicut in cæteris hominibus, ut dicit Apoſtolus ad *Galat.* 5. Propter quod poſſumus illi veraciter dicere illud *Pſal.* 147. *Poſuit*, ſupple Deus, *fines tuos pacem*. Fines ſunt, ſpiritus, & caro Virginis *Mariæ*, inter quos Deus ex quadam peculiari prærogativa poſuit pacem. Patet ergò, quàm congruè *Maria* poteſt appellari Martha, & hoc juxtà nominis interpretationem.

8 Hæc igitur mulier Martha nomine excepit Ieſum in domum ſuam, quandò in utero eius carnem aſſumpſit. Quæ quidem domus habuit tres ſingulares conditiones. Primò fuit mundiſſima. *Pſal.* 92. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo*. Secundò fuit ampliſſima: quia quem Cœli capere non poterant, ſuo gremio contulit. Hinc eſt, quod *Eccli.* 24. Ipſa de ſe loquens, ait: *Gyrum Cœli circuivi ſola, &c.* Tertiò fuit admiratiſſima: quia ille, qui creavit eam, requievit in tabernaculo ſuo. Quod fuit valdè mirum, & novum. Undè *Pſal.* 86. *Homo natus eſt in eà, & ipſe fundavit eam Altiſſimus*. Hactenus ille. Iam benè Martha ſuam adimplevit figuram. Succedit altera, quę licet ſecunda, à multis tamen ſeculis eſt antiquior.

§. II.

Quid Axa ſignificaverit de Maria.

9 NIhil ornatiùs floribus invenitur. Suaptè enim natura naſcuntur ornati. Vividus color, gratus odor, ſpecioſa, & naturalis pulchritudo, vera eorum ſunt ornamenta. Nullus illis fucus, niſi quem dedit natura, qui tamen ſinè fuco, ut aſcititios arguat mulierum fucos. Quidni igitur Axa dicenda flos pulcher, quæ vel in nomine juxtà etymon hebræorum geſſit ornatum? A Patre Caleb iure naturæ ſplendorem accepit: vel ſi quid acceſſit ornamenti, hoc habuit ab Othoniele Sponſo, Cariatſepher, hoc eſt, civitatis literarum, victore: non aliis enim uxores, quam maritorum radiis decet coruſcare. Sed Axa quam dignè mereatur has laudes, Maſculus proferat ipſas in eius encomio.

Ab ornatu puella es meritò dicta,
Cui & Pater, & Vir ornamento fuere,
Ambo inclyti bello Duces.
Nulli Sponſæ tàm ampla dos obtigit,
Capta videlicet urbs literarum;
Non mundum quæſiviſti muliebrem,
Sed; quæ dominatur in mundo, Sapientiam,
Pulchriùs hac inceſſiſti ornata, quam gemmis,
Prò thalamo ingreſſa Muſeum.
Nullæ nuptiæ tædas habuere tam claras,
Nullum initum tàm auſpicatò coniugium:
Quippè Pronuba fuit induſtria;
Diſcriminalis acus acumen ingenii;
Cœlibaris haſta non una,
Sed quotquot à Viro infixæ ſunt pectori Hoſtium.
Non eſt datus cœco Cupidini locus,
Vbi perſpicacitas fulſit mentis.
Literarias tunc duxit choreas in orbem
Encyclopædia.
Hoc tamen unum præter ſpem accidit,
Quod inter perennes Sapientiæ fontes
Aridum inveniſti ſolum,
Sed impetraſti aquas à Parente per lachrymas:
Quot ocelli maduère, tot meruiſti ſcatebras, binas.

10 Sed quid Axa ad typum *Mariæ*? Audiatur Bonaventura in Speculo Beatæ Virginis *c.* 13. quàm eruditè, in Axa pulcherrimum *Mariæ* ſchema proponat. Sed prò ſchematis fundamento loquitur de benedictione, quam ex humilitate Beata Virgo promeruit, dùm contrà ſuperbiam humilitate pugnavit, & præmium benedictionis reportavit. Audiamus, inquit, quomodò benedicta ſit *Maria* prò humilitate contrà ſuperbiam. Superbi enim maledicti ſunt, ſicut ſcriptum eſt *Pſal.* 118. *Increpaſti ſuperbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Contrà hanc ſuperbiæ maledictionem, *Maria* obtinuit humilitatis benedictionem. Undè Ipſa per vallem illam ſignari poteſt, de qua in *lib. Paralip.* dicitur: *Vocaverunt locum illum, vallem benedictionis*. 2. *Paralip.* 20. Si omnis humilis eſt quædam Dei vallis, juxtà illud *Eſa.* 30. *Omnis vallis exaltabitur*: quantò magis vallis fuit Maria, quæ tanta fuit humilitate profunda? quid mirum, ſi Ipſa fuit vallis vallium, quæ fuit humillima humilium?

11 O quantis hæc vallis benedicta benedictionibus eſt exaltata prò humilitate ſua, tàm profunda, tàm utili, tàm grata. Undè beatus Auguſtinus ait. O verè beata humilitas *Mariæ*, quæ Dominum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, Cœlos innovavit, mundum purificavit, Paradiſum aperuit, & hominum animas ab inferis liberavit! Vallis quantò humilior, tantò receptibilior eſt aquarum: ſic & *Maria* gratiarum. Vallis autem irrigationes aquarum recipit, quandoque à ſuperiori, quandoque ab inferiori. A ſuperiori quidem, per pluvias de monte defluentes: ab inferiori verò, per aquas de fonte effluentes. Simi-

militer humilis *Maria* quaſi de ſuperiori, & inferiori, quaſi de monte, & fonte irrigata eſt, cum de divina, & humana Filii ſui natura, tanta gratiarum benedictione infuſa eſt.

12 Hæc itaque benedictio eſt, de qua legitur in *lib. Iudic. c.* 1. Quod cum Axa diceret Patri ſuo: da mihi benedictionem; dedit ei Pater ſuus irriguum ſuperiùs, & inferiùs. Axa *Mariæ* typum gerit, quæ irriguam à Patre cœleſti benedictionem ſuſcepit. Dedit enim ei Deus Pater irriguum ſuperiùs in Chriſti divinitate, inferiùs verò in Chriſti humanitate. Item ſuperiùs in mente, inferiùs in ventre. Item ſuperiùs in charitate Dei, inferiùs in charitate proximi. Item ſuperiùs in contemplatione, inferiùs in actione. Vel certè Pater eius cœleſtis dedit ei benedictionem ineffabilis irrigui ſuperiùs in Cœlis, inferiùs in terris, ut in Cœlis benedictionem gloriæ, in terris verò benedictionem gratiæ poſſidens, benedicta eſſet tam in Cœlo, quàm in terra; ſecundùm quod beatus Bernardus, innuens dicit. Memento *Maria*, quòd Chriſtus maledictionem pertulit Crucis, qui te ſuam Matrem benedixit in Cœlis: ſed & in terris ab Angelo benedicta, & à cunctis terræ generationibus meritò benedicta prædicaris. Hæc ille.

13 Axa igitur noſtra, ſcilicet Virgo Beata poſſidet irriguum ſuperiùs, & inferiùs, ut ipſa ſcilicet tanquàm arbor ſpiritualis mittere poſſit radices in cordibus noſtris. Et hoc eſt, quod maximè Joannes Raulinus Cluniacenſis *ſerm. de Nativit.* Virginis conſiderabat, cùm inquirebat quid requireretur ad hoc, quòd Beata Virgo radicetur in corde noſtro. Et reſpondet. Primum eſt bonus humor interior. Hoc requiſivit *Maria* in figura Axæ filię Calef *Iudic.* 1. quæ ſedens ſuper aſinam petiit à Patre, ut poſt terram arentem jungeret ei irriguam. Sed *Maria* priùs habuit terram arentem, Judæam ſcilicet, de quà orta eſt, quæ non niſi tribulos, & ſpinas germinavit filio ſuo, & ſibi. Terram enim quondam fructiferam dedit in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Quæſivit igitur à Domino, ut adiungeret irriguam, & adiunxit irriguam devotum populum Chriſtianum, de qua dicitur *Eccli.* 24 *Rigabo hortum plantationum mearum*, rore gratiæ, quia in me omnis gratia viæ, & veritatis, ſcilicet viæ Paradiſi, & cognitionis eiuſdem, & pluvia devotionis. Ut dicant nunc fideles: *Ad te clamamus exules filii Evæ: ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle.*

14 De his enim, qui ſic ſunt in valle miſeriæ, maximè curandum fuit. Undè & quandò aliquis habet hortos diverſos, unum plantatum magnis arboribus, maximè clauſum, & irrigatum, de illo non multùm curat, nec ſolicitatur. Sed quandò habet alium hortum minimè irrigatum, & noviter plantatum in terra ſicca, ſolet de illo ſpecialem curam habere, & ſibi de aquarum beneficio providere, ne plantulæ novellæ areſcant. Sic Deus cœleſtis hortulanus, qui ità Magdalenæ viſus eſt, habet diverſos hortos, ſcilicet Eccleſiam triumphantem plantatam Angelis, quos per præſentiam fluminis impetus lætificat. Sed eſt hortus Eccleſiæ militantis in terra deſerta ſitus, quaſi clamaret: *Anima mea ſicut terra ſinè aqua tibi. Pſal.* 62. Ideò Dominus providit eis de fonte humectante, qui eſt Mariæ fons, de quo *Cant.* 4. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium.* Indè eſt, quod dicit: *In terra deſerta, invia, & inaquoſa, ſic in Sancto*, ſcilicet corpore Virginis, *apparui tibi. Pſal.* 62. Si igitur humorem miniſtrat *Maria* in cordibus noſtris, nil propterea mirum, ſi ſic in cordibus noſtris radicetur.

Præterà. Quis filius non habeat Matrem radicatam in corde ſuo? Ipſa enim Mater noſtra eſt, collata in paſſione Chriſti. Quis igitur non habebit eam in corde ſuo radicatam? Si beatam eam dicunt omnes generationes, omnes ſiquidem generationes Cœli, & terræ: maximè credendum eſt eam beatificare populum Chriſtianum, per quam tot bona proceſſerunt, ut poſſit dicere de ea illud *Sap.* 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa:* ſcilicet Dominus Ieſus, qui eſt omne bonum.

15 Mirabiliter igitur eſt radicata, & non niſi propter humorem, qui eſt in cordibus Chriſtianorum. Eſt autem duplex humor. Aliquis enim eſt humor, qui venit ab extrinſeco, ſcilicet ab operibus pietatis extrinſecis; & tali humore humefacti ſibi grati ſunt; quia diligit ſibi ſimiles, & pios, & miſericordes. Alius eſt humor, qui procedit ab intrinſeco, ſcilicet humor devotionis, qui procedit à gratia interiori. Qui alterum iſtorum humorum non habet, nec *Mariam* habet in corde radicatam. Alii poſſunt eſſe humores in corde, ſed magis noxii, & impeditivi vitæ ſpiritualis, quæ nobis per Virginem miniſtraretur, & conſervaretur. Undè ut dicit Averroys, multi fortes, & robuſti ſunt, & tamen citò moriuntur, ubi multi debiliores diutiùs vivunt, & nihilominùs conſimilis ſunt regiminis: ſed differentia procedit ex corde repleto malis humoribus. Sic multi perfecti non perveniunt ad longitudinem dierum vitæ æternæ, quæ medio Virginis daretur, propter indiſpoſitionem cordis, ſicut erat de quo *Pſal.* 45. *Cor eius congregavit iniquitatem ſibi.* Sed alii habent cor benè diſpoſitum: ideò *vivent corda eorum in ſeculum ſeculi. Pſal.* 21.

16 Secundò requiritur influentia cœleſtis, & maximè Solis. In multis enim locis arbores odoriferæ non poſſunt creſcere, quia non habent convenientem Solis aſpectum. Sicut in iſtis partibus non poſſunt creſcere ſpecies, & alia hujuſmodi, quæ deportantur à locis calidiſſimis. Vix etiam radicantur in terra Norvegiæ vites, quia Sol nimis diſtat. Ideò neceſſe fuit Solem appropinquare ad nos per eam. Eſt enim, ut dicitur in quibuſdam hiſtoriis, arbor Solis, ideſt, quæ Solem produxit.

Hanc tamen cœleſtis influentia hodiè produxit nobis. Primò ad decorem totius Eccleſiæ. Eſt enim plantula decorans hortum Eccleſiæ; quia cunctas illuſtrat Eccleſias. Secundò ad divinam ſuſcipiendam influentiam gratiæ. Undè ſecundùm prophetiam *Eſa.* 5. Hodiè *vinea facta eſt dilecto*, ſcilicet Chriſto: quæ ſcilicet facta dicitur in *Pſal.* 79. *Plantaſti radices eius, & implevit terram.* Et benè quidem implevit, quia nobis attulit plenitudinem omnis boni, ideſt, Chriſtum, qui eſt *ſufficientia noſtra* 2. *Corinth.* 3. In cuius nativitate incœpit tempus plenitudinis, quo venit

Chriſtus plenus gratiæ, & veritatis; quo venerunt Sancti pleni gratia, & fortitudine; quo venit Ipſa plena gratia: ut ſicut quondam fuerat diluvium aquarum, & vitiorum, ſit nunc diluvium ignis amoris, & gratiarum, &c.

17 Verùm quia devota, & fidelis anima ad imitationem Dei Matris mores ſuos componere debet, à propoſito non aberrabit, ſi per Axam in morali ſenſu etiam animam intelligamus, quæ duplex irriguum à Deo Patre ſuperius nimirum, & inferiùs petere debet. Ea propter Rupertus lib. 1. Commentar. cap. 3. in *lib. Iudic.* ex ſententia Gregorii ita diſcurrit. Cæterum & moraliter Axa ſuper aſinum ſedet, cùm irrationabilibus carnis ſuæ motibus Anima præſidet. Quæ ſuſpirans, à Patre terram irriguam petit: quia à Creatore noſtro cum magno gemitu quærenda eſt lachrymarum gratia. Sunt nanque nonnulli, qui jam in dono perceperunt, prò juſtitia liberè loqui, oppreſſa tueri, indigentibus poſſeſſa tribuere, ardorem fidei habere: ſed adhuc gratiam lachrymarum non habent. Hi nimirùm terram auſtralem, & arentem habent, ſed adhuc irriguà indigent, quia in bonis operibus poſiti, in quibus magni, atque ferventes ſunt, oportet ad minùs, ut aut timore ſupplicii, aut amore regni cœleſtis, mala etiam quæ anteà perpetraverunt, deplorent.

18 Ea licet in multis ſpeciebus conpunctio dividatur, quandò ſingulæ quæque à pœnitentibus culpæ planguntur, undè & voce quoque pœnitentium Ieremias *Thren.* 3. ait: *diviſiones aquarum deduxit oculus meus:* principaliter tamen compunctionis genera duo ſunt, quia Deũ ſitiens anima, priùs timore compungitur, poſt amore. Prius enim in lachrymis ſe affligit, quia dum malorum ſuorum memoriam recolit, prò his perpeti ſupplicia ęterna pertimeſcit. At verò cùm longà męroris anxietate fuerit formido conſumpta, quædam jam de præſumptione veritas naſcitur, & in amore cœleſtium gaudiorum animus inflammatur. Et qui priùs flebat, nè duceretur ad ſupplicium, poſtmodùm amariſſimè deflet, quia differtur à regno.

19 Contemplatur enim mens, qui ſint illi Angelorum chori, quæ ſocietas ſanctorum Spirituum, quæ majeſtas æternæ viſionis Dei; & ampliùs plangit, quia perennibus bonis deeſt, quæ flebat priùs, cùm mala interna metuebat. Sicque fit, ut perfecta compunctio formidinis tradat animum compunctioni dilectionis. Quod benè in hac ſacra, veracique hiſtoria, figurata narratione deſcribitur. Quia ergò, ut dixi, duo ſunt compunctionis genera, dedit ei Pater ſuus irriguum ſuperiùs, & irriguum inferiùs. Irriguum ſuperiùs accipit anima, cùm ſeſe in lachrymis, regni cœleſtis deſiderio, affligit. Irriguum verò inferiùs accipit, cùm inferni ſupplicia flendo pertimeſcit. Et quidem priùs irriguum inferiùs, ac poſt irriguum ſuperiùs datur: ſed quia compunctio amoris dignitate præeminet, neceſſe fuit, ut priùs irriguum ſuperiùs, & poſtmodùm irriguum inferiùs commemorari debuiſſet. Hæc Rupertus cum Gregorio.

20 Denique Berchorius *lib.* 6. *Moralit. c.* 12. *in Iudic.* 15. in eandem ſententiam concludit, dicens. Quid ergò? Prò certo iſta Axa, ideſt, Anima, ſedens modò in aſino corporis, dùm hic vivit, ad inſtinctum viri ſui Chriſti debet à Patre ſuo Deo ſpirituale irriguum poſtulare, dicens. Terram arentem, ideſt, cor indevotum, & ſiccum dediſti mihi: junge & irriguam, ideſt, da mihi mentem humilē, & devotam: & ſic Pater ſuus Deus dabit ſibi irriguum ſuperiùs, & inferiùs, ideſt, devotas lachrymas prò dilatione patriæ ſuperioris, & prò incolatu miſeriæ inferioris; vel prò bonis omiſſis, & prò malis cõmiſſis; vel prò amiſſione gloriæ, & acquiſitione pœnæ infernalis.

Vel illud duplex irriguum ſignificat dulcedinem cogitationis in intellectu, & dulcedinem dilectionis in affectu. Vel duplex irriguum, ideſt, duplex gratia: ſcilicet ſuperiùs, quod eſt amor Dei, & inferiùs, quod eſt amor proximi. Vel iſta ſunt, viſio Deitatis, & viſio humanitatis. Iſta enim ſunt quædam irrigua, prò quibus habendis devota Dei filia gemebunda ſuſpirat, & ipſa toto corde deſiderat, & affectat. Undè *Iob.* 3. *Antequàm comedam, ſuſpiro, & quaſi inundantes aquæ rugitus meus*, &c. Et ſic de iſta filia, ſcilicet de Anima, & de ſuis irriguis poterit dici illud *Ierem.* 31. *Erit Anima eorum quaſi hortus irriguus, & ultrà non eſuriet.*

§. *III.*

Quæ ſit Rachelis relatio ad Virginis typum.

21 ET tu quàm pulchra, & formoſa Patriarchæ Jacob, Rachel es viſa, ut immenſos prò te potienda non dubitaverit ſubire labores. Flos quippè pulchritudinis eras, tamen ſinè faſtu, ut te ab earum numero ſegregares, de quibus cecinit quidam:

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturque ſuperbia formam.

Animi ſiquidem in te potiùs dotes, quàm corporis dotem, aut prædiorum amavit Iacob. Quidni inter Heroidum flores meritò fulgeas, quæ ſic Patriarchæ oculis placuiſti, ut ſibi multi dies laboris, & famulatus, antequàm tuas perveniret ad nuptias, pauci præ amoris magnitudine viderentur? Quid moror tuam hanc venuſtatem efferre, quam Maſculus in Patriarcharum celebravit encomiis? Stylum ille exornavit, ut te venuſtam brevi panegyri, talique modo deſcriberet.

Eximia tua ſpecies fecit,
Vt Amor, qui cæteris imperat, ſerviret.
Ovis tibi nomen eſt, ſed, te ut haberet unam,
Sponſus ſocero pavit multas.
Vrgebatur æſtu, ut acciperet tædas:
Volucres viſi ſunt dies,
Vt pennatum conſequi Amorem poſſet.
Brevis eſt viſa orbita Solis,
Vt potiretur te Luna.
Tali te ſpecie filius vidit in ſomnis,
Te Matrem Lunam, ut Genitorem Solem.
Quid te nobiliùs, aut illuſtrius Matre?
Eum ſortita filium,
Cui ſe prona ſubmittere viſa ſunt ſidera.
Attuliſti Viro prò dote Pietatem.
Furata Parenti es Deos impios piè,
Feciſti divinitatis fures obnoxios furto.
Cilicinà illos pelle texiſti,
Vt aſperè tractati vileſcerent:

Deluſiſti Parentem, illuſiſti Diis,
Vt eſſent illi ludibrio.
Hoc mirum, quòd Lunæ, hoc eſt, Lucinæ ſimilis viſa,
Tamen obiiſti parturiens:
Nec tamen tibi quicquam ſiniſtri obtigit morte,
Quia peperiſti filium dexteræ.

22 Sed quænàm Rachel tàm ſpecioſa, quam Jacob tàm ardenti amaret affectu? Rachel eſt *Maria:* Iacob eſt Chriſtus. Hanc valdè ſpecioſam Chriſtus tàm ardenter dilexit, ut de Cœlo propter ipſius amorem ad tot venerit ſubeundas ærumnas. Hanc ſibi maximo ardore quæſivit in ſpōſam, & Matrem aſſumere, & longo æternitatis itinere confecto, ubi advenit plenitudo temporis, per incarnationem in ejus gremio requievit. Tunc autem Iacob Rachelem, ideſt, Chriſtus *Mariam* eſt oſculatus, cùm divinam, & humanam naturam cœleſti conjugio, carnem de Virgine ſumēs, in hypoſtaſi Verbi copulavit. An nō Chriſtus ſe ſpontaneo ſervitio tradidit prò Rachele, id eſt, prò Maria ducenda? Et quænàm fuit ſervitus, qua ille ſervivit? Nempè illa, de qua dicit Apoſtolus *Philip.* 2. *Quia cùm in forma Dei eſset, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet ipſam exinanivit formam ſervi accipiens.* An non ſervire fuit, æſtu per diem, gelu per noctem aduri; ſitim, & famem; ſudores, & laſſitudinem pati?

23 Ex quo enim in utero Virginis factus eſt homo, ſimul omnes humanæ naturæ defectus aſſumpſit, præter ignorantiam, & peccatum. Ignorantia quidem in illo locum habere non potuit, quia ipſe eſt ſapientia Patris: & *omnis ſapientia ab ipſo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum. Eccli.* 1. Bernardus 4. de conſideratione. Deus ſcientiarum Dominus, & ipſe ſolus neſcit ignorantiam, quia totus eſt lux ſinè tenebris, totus oculus, qui minimè vel nunquàm clauditur. Oculi enim ejus multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem. Nec peccatum, aut peccati ſcintillationem habuit, quia corpus ejus per arcam Noe figuratur, in qua omnia animalia fuerunt pacata. Unde 1. *Pet.* 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Licet factus ſit in ſimilitudinem carnis peccati, quia ſimilis complexionis ad carnem peccatricem, ſicut ſerpens æneus erat ſimilitudo ſerpentis venenoſi, in eo tamen nullum erat venenum. Quo modò in eo venenum eſſet peccati, qui ad inſtar ſerpentis ænei omnia peccati venena extinguit in his, qui per veram fidem ad eum reſpiciunt?

24 Sed ad noſtram Rachelem redeamus. *Rachel* quidem interpretatur *ovis Dei,* & ex hoc *Mariam* præfiguravit. Et cur non *ovis Dei* Virgo Beata, quæ omnes in ſe habuit, & adimplevit ovis proprietates? Unde non ſine ratione Iacobus de Voragine *ſerm.* 1x1. *de B. Virgine* inquit. *Ovis Dei* eſt Virgo *Maria,* quæ dicitur ovis propter fœtum, propter paſtum, propter ſimplicitatem veram, propter obedientiam ſpontaneam, & propter cognitionem mutuam.

Primò igitur dicitur ovis propter fœtum. Oves enim multum ſunt fœcundę; ſic & Ipſa fuit fœcunda, quia unum fructum protulit, qui totum mundum ſatiavit, de quo Ipſa dicit *Eccli.* 24. *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris.* Ubi notatur, quòd iſte fructus eſt ſuaviſſimus in ſapore. Ideò dicit: *Fructificavi ſuavitatem.* Eſt amœniſſimus in odore. Ideò dicit: *Odoris.* Eſt honorificus, & honeſtiſſimus in ſpecie, ſive decore. Et ideò ſubdit: *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis.* Et dicitur flos propter amœnitatem: fructus propter ſatietatem.

25 Secundò dicitur ovis quantùm ad paſtum. Ovis enim non comedit herbam putridam, nec herbam ſiccam, ſed viridem. Herba putrida eſt amor peccati, qui facit animam putreſcere, & fœtere. *Ioel.* 1. *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo.* Herba ſicca, & arida eſt amor mundi, quia citò ſiccatur, & areſcit. *Iacob.* 1. *Exortus eſt Sol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit.* Herba virens eſt amor Dei, qui facit animam virentem, Deo gratam, & placentem. Primam herbam *Maria* abhorruit: ſecundam contempſit: tertiam germinavit. *Geneſ.* 1. *Germinet terra herbam virentem.* Iſta terra eſt Virgo Maria, quæ herbam virentem germinavit, quia Dei amore ſuperplena fuit. Iſtum paſtum iſta ovis Dei habuit in hac vita: modò in alia habet paſcua glorioſa, de quibus dicitur *Ezechiel.* 34. *In paſcuis uberrimis paſcam oves meas, & in montibus excelſis requieſcent, & in herbis virentibus, & paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſrael.*

Ubi notatur, quòd ejus paſcua ſunt pinguia, uberrima, & virentia. Sunt quidem uberrima; quia paſcitur in cognitione ſummæ veritatis; quia ſive ingrediatur ad contemplandam divinitatem, ſive egrediatur ad contemplandam humanitatem, ubique invenit uberrimam ſatietatem: & ideò ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet. Secundò paſcitur in delectatione ſummæ ſuavitatis: & iſta ſunt paſcua pinguia. *Pſal.* 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* Item *Pſal.* 147. *Ex adipe frumenti ſatiat te;* illius ſcilicet frumenti, de quo dicitur *Ioan.* 16. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit.* Tertiò paſcitur in virore ſummæ æternitatis. Et iſta ſunt paſcua virentia, quæ nunquàm ſiccari poterunt, ſed ſemper perpetua erunt.

26 Tertiò dicitur ovis propter ſimplicitatem veram. Habuit enim ſimplicitatem Ovinam, Aquilinam, & Columbinā. Simplicitas Aquilina eſt, quia ſimplici intuitu Aquila reſpicit cœlum, & Solem, & pullos quos viderit cum uno oculo reſpicere ad cœlum, & cum alio ad terram, tanquam degeneres abjicit. Maria autem intuitu cordis ſui ſemper reſpexit ad Deum, nec unquàm oculos ſuos ad terram deflexit: & ideò ſemper lucida opera habuit. *Matth.* 6. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Secundò habuit ſimplicitatem Columbinam. Columba enim caret felle, & diligit comparem ſimplici corde. Ideò dicitur *Matth.* 10. *Eſtote ergò prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut Columbæ.* Iſtam ſimplicitatem columbinam Maria habuit, quia caruit felle amaritudinis, & tota fuit plena melle dulcedinis, & ſuavitatis. *Eccli.* 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Tertiò habuit ſimplicitatem ovinam. Ovis enim nullum lædit, ſed omnibus ſervit: quia de lacte ſuo nutrit, de carne paſcit, & de lana veſtit. Iſtam ſimplicitatem

habuit *Maria;* quia nullum unquam læſit: ſed nos nutrit ſuis doctrinis, paſcit ſuis meritis, & veſtit ſuis exemplis.

27 Quartò dicitur ovis propter obedientiam ſpontaneam. Oves enim multum ſunt obedientes voci Paſtoris. *Ioan.* 10. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Magna obedientia eſt audire vocem Dei præcipientis. Major eſt audire vocem Dei conſulentis. Maxima audire vocem Dei inſpirantis. *Maria* autem tanquàm bona ovis omnibus iſtis vocibus obedivit, ſcilicet, Deo præcipienti, conſulenti, & inſpiranti. Præceperat enim Deus *Exod.* 25. quòd ter in anno, ſcilicet in Aprili, & Iunio, & in Septembri, tria feſta celebrarent, ſcilicet, Paſcha, Pentecoſte, & Scenophegia. Et in iſtis tribus feſtis Ieruſalem aſcenderent, & templum viſitarent. Iſtud præceptum *Maria* ſervavit. Undè etiam ad feſtum Paſchæ aſcendens, puerum Ieſum, qui erat duodecim annorum, ſecum duxit, ut habetur *Luc.* 2. Secundò obedivit Deo conſulenti. Servare enim virginitatem non erat ſub præcepto, ſed ſub conſilio. Undè dicitur 1. *Corinth.* 7. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Iſtud autem conſilium Maria ſervavit, quæ virginitatem ſuam Deo devovit. Ideò dixit Angelo: *Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco:* id eſt, me non cognoſcituram propono. Tertiò obedivit Deo inſpiranti. Cùm enim Angelus Gabriel ſibi adventum filii Dei denunciaſſet; illa tàm grandia, & inſolita, ſcilicet quòd Virgo pariat, quòd Virgo Deum concipiat, credere non potuiſſet, niſi ſibi Deus inſpiraſſet. Et ideò divinæ inſpirationi acquieſcens, continuò obedivit, dicens: *Eccè Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Luc.* 1.

28 Quintò dicitur ovis propter cognitionem mutuam. Oves enim cognoſcunt Paſtorem ſuum, & è converſo: ideò dicitur *Ioan.* 10. *Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Sic etiam Chriſtus cognovit Matrem ſuam in vita ſibi tanquàm filius obediendo. *Luc.* 2. *Erat ſubditus illis.* Cognovit poſt mortem ſuam, eam ad æternam pacem deducendo, & eam ad ſuam dexteram collocando. Et quoniam Chriſtus eſt verè Agnus, qui Matrem ſuā ter agnovit; ideò in Miſſa *Agnus Dei* ter cantatur. *Agnus Dei* dicitur Latinè ab *agnoſcendo,* vel Græcè ab *agnon,* quod eſt *pium:* tanquàm ſi dicat Eccleſia. Agne, qui agnoviſti Matrem ſibi obediendo, miſerere nobis. Agne, qui agnoviſti Matrem, eam diſcipulo commendando, miſerere nobis. Agne, qui agnoviſti Matrem tuam, & ad æternam pacem perduxiſti, dona nobis pacem. Similiter Mater cognovit filium, eum novem menſibus confovendo: agnovit extrà uterum, ipſum lacte virgineo nutriendo: agnovit in mundo, ſibi tanquā Mater fiducialiter imperādo. Undè dixit *Ioan.* 2. *Vinum non habent.* Ac ſi dicat. Miraculum facias, aquam in vinum convertas, & ſic vinum impendas. Agnovit, in patibulo ipſum aſſociando. *Cant.* 2. *Dilectus* intendit *mihi, & ego illi.* Item 7. *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.* Hactenus Voragines.

29 Eſt nè quid aliud, in quo Rachel *Mariam* adumbret? Ita quidem. Nam eum Rachel aliter interpretatur, ſcilicet *viſum principium,* vel *videns Deum,* & *munda,* plurimam nobis de Deipara materiam ſuggerit differendi. Et ut ab ultimo incipiamus interpretationis vocabulo, quod eſt *munda:* quid hoc eſt, niſi quòd vera Rachel Dei Mater eſt ſinè macula, ſine ruga, ſine obliquitatis errore, tota pulchra, tota ſimplex, tota candida, lucida, & clara? Et quidem adeò pulchra, & munda, ut nihil unquàm habuerit inquinamenti, adeoque oculis divini Iacob arriſerit, & in ejus munditia, & pulchritudine taliter ſibi complacuerit, ut de illa diceret *Cant.* 6. *Pulchra ſicut Ieruſalem.* Neque ſolùm pulchram, ſed ſuavem, & decoram appellat, ut pleniùs de tali, ac tanta pulchritudine conſtet: *Pulchra es,* inquit, *amica mea, ſuavis, & decora ſicut Ieruſalem.* Fortè quid magnum latet in hac forma laudandi pulchritudinem Sponſæ, quod ad illud inquirendum excitet animum.

30 Et quidem Placidus Nigidus opuſc. 4. de Beata Virgine ſerm. 1. in illa *Ioannis* 19. verba: *Stabat juxtà Crucem Ieſu Mater ejus:* aliquid penetraſſe videtur; cùm relatum canticorum locum pertractans, inquit. Et quid habet illud: *Pulchra ſicut Ieruſalem?* Aut in quo eſt collatio illa Sponſæ ex comparatione illius urbis? Habent id maximæ Urbium, quod parvæ, atque tenues non habent; ſed & nec mediocres; ut quibus abundant formoſitatibus, atque pulchritudinibus, in copia multarum, & divitum rerum, atque effloreſcente, & effluente varietate: ſcatere ſemper videantur, novis, & quæ nunquàm anteà videantur in oculis, conſpectuque fuiſſe. Quò fit, ut meritò theatra, atque ſcœnæ, & totius orbis terrarum forum, atque nundinæ ab Oratoribus dictæ ſint. *Romam Romæ quæro* uſurpabant quidam: eo fortaſſe conſilio, ut ſignificaretur Roma Romæ non reperiri; propterea quòd aſpectus ſcatentium ſemper, & erumpentium formoſitatum ejus, nequeat exhauriri. Quamquàm & eò referre dictum poſſit, ut in novis ædificiis exſtare adhuc veteris Romæ, & jacentis veſtigia ſignificata ſint.

31 Et Ieruſalem quidem Metropolis totius orbis terrarum fuit, & Cœli, nè dùm terræ, theatrum univerſi, vel ſola magnificentiſſimi templi, atque diviniſſimi ſtructura, & dignitate: Ipſomet Deo architecto, admiratore, cultore. *Pulchra* igitur, Sponſus ait, *ſicut Ieruſalem.* Semper, ſcilicet novarum virtutum, & dignitatum ſpecie, atque forma exſtans, atque renidens. Et mihi quidem eò gratior, atque jucundior es Sponſa, quò oculatior mens, atque aſpectus meus; & in ea, quæ intùs fiunt, id eſt, in capita ipſa virtutum, ac fontes, potentior penetrare.

32 Iam dignè, atque clarè de Matre Dominus ſemper ſenſit: ſed in Cruce magis, tunc ſcilicet, cùm averſus à Ieruſalem illa terrena, & à ſe propter ingrati animi vitia, & deformitates rejecta; ad aliam, nimirùm hanc, quæ Virgo erat, quæ gratiſſima, atque conſtantiſſima in fide adſtabat, converſus, ea loqui oculis, conſpectuque videbatur ad illam, quæ & veritatem cum pietate, & pietatem cum veritate maximè haberent.

Tu mihi vera Ieruſalem, atque unica, & ſingularis: abjecta hac, & ingrata. Tu, inquam, Ieruſa-

lem, ad quam erit ſemper, ut & fuit converſio mea. Tu urbs fortitudinis noſtræ,& cum hominibus deliciarum mearum: In te proiectus ſum ex utero, ut in te,atque ex te decorem regnaturus induerem. Tibi omnes fontes mei, atque in te exornandam,& in omnem Paradiſum efficiendam, derivati,ut te,tuiſque bonis perfruerer. Tu igitur deliciæ, atque lætitia animi filii, in Cruce tolerantis, & à moleſtiis ingratiſſimi populi, atque urbis, ſuaviſſimum perfugium,ac ſingulare.

33 Equidem ad aliam Jeruſalem relata à filio, atque in aliam illi proſpectum, cùm hæc uſurpavit, crediderim; nimirum in cœleſtem illam, atque ſupernam, quæ & Mater noſtra eſt; nam hæc terrena, noverca. Illi benè aſſuetus videndæ filius, atque illius formoſitates, & pulchritudines longè digniores,& divinioris ſtructuræ,atque magnificentiæ, optimè callens, & tenens auctor, id ſumpſit, ut Sponſam ſuam pulchram, ſicut Jeruſalem diceret, & illi ſimilem ex comparatione faceret. Spectacula ibi ſemper, & ſemper nova, nunquàm moleſtiæ quicquam conſuetudine videndi afferentia; jucunditatis potiùs, & novæ, & antiquæ plurimum; Deo digna exhibentur. Sicut audivimus igitur de illa, ita & in hac vidimus Domini Civitate, Domini virtutum, & Domini Dei noſtri,cùm adſtitit morituro Deo,& in oculis eſſe voluit, ad omnem conſolationem, extrema tolerantis. Et de illa quidem glorioſa audivimus: & quòd præter morem humanorum, non habeat amaritudinem converſatio ejus; & quòd nova ſemper ſit, & ſcatens formoſitatibus. Itaque ſicut vera Ieruſalem Virgo, ſtans juxtà Crucem. Hæc ille. Quid ergò mirum,ſi hanc Rachelem divinus adamaverit Iacob, quam ſic mundam,ſic claram, & pulchram videbat, ut novis ſemper venuſtatibus effloreret.

34 Verùm quid illud eſt, quòd *Rachel* interpretatur *viſum principium*, vel *videns Deum*? Et quidem quod attinet ad *viſum principium* (nam alibi *videns Deum* interpretatum eſt) illud fuit Virgo Beata viſum principium, qua mediante primum Principium non patens ſenſibus, Deique inviſibile Verbum factum eſt viſibile in humanis. Liber quidam intelligibilis, & idealis character eſt Verbum divinum, ſed inviſibilis oculis noſtris: ſed in charta Virginea viſibilis effectus eſt, admirabili, atque nova ſcriptura. Et hoc undè, vel quo Interprete, & duce molimur? Adeſt gravi, eleganti, & theologico diſcurſu Thomas de Villanova, qui ſerm. 1. de Nativit. Virginis exponens illud *Matth.* 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti*: tale nobis ediſſerit myſterii Sacramentum.

35 O magna, inquit, Dei clementia, ò mira Dei providentia! Agnovit Dominus ruſticitatem, & hebetudinem noſtram, & ruditatem, & quòd non poſſumus neque ejus dicta intelligere, & ſapientiam revelatam capere, quia parvuli ſumus. Undè motus pietate, quæcunque docuerat in libro naturæ, & in libro Scripturæ theoricè, practicè nobis deſcripſit in alio libro exemplari, & oſtenſivo, & Ideali: more eorum, qui cùm exprimunt aliquam formam domus, & ut intelligatur, deſcribunt, & formant eam in pergamena chatta: & ſic Geometræ circino depingunt in charta quod docent, ut videatur oculis quod aures non capiunt.

36 Hic liber eſt Verbum incarnatum, in quo nobis depicta eſt omnis vita ſpiritualis, & Chriſtiana, quæ in Evangelio, & aliis libris traditur, ut in eo legamus charitatem, pœnitentiam, humilitatem, manſuetudinem, caſtitatem, contemptum mundi, & cæteras virtutes. Hic eſt liber juſtorum: hoc reſpiciunt,hoc Enchiridion ſemper in manibus,& præ oculis habent. De quo *Iob* 31. *Quis mihi tribuat auditorem, & librum ſcribat, ipſe qui judicat*: id eſt, in ſeipſo Iudex ſcientiam vitæ quam habet ſcribat: per ſingulos gradus meos pronunciabo illum: ſivè negotians,ſemper præ oculis habebo exemplar iſtud, & quali principio offeram eum. Erit mihi liber ad legendum, & ſacrificium ad offerendum.

Scriba hujus libri Deus, calamus Spiritus Sanctus, uterus Virginalis pergamena charta, atramentum ſanguis puriſſimus ejus. In ejus utero ſcriptus, compaginatus, compoſitus eſt hic liber: ex illis ſanguinibus formatus eſt ille ſacratiſſimus character Verbi divini. De hoc *Pſal.* 44. *Eructavit cor meum verbum bonum*, ſed Angelis: & placuit ſcribere illud prò mortalibus, ut in uno, eodemque libro Angelus, & homo legeret. Sic ſolemus nos conceptus noſtros inviſibiles, ad memoriam, & eruditionem aliorum, literis formare, & in literis effigiare, & quaſi in vaſculis reponere ſervandos.

37 Sed quomodò ſcriptus ſit, attende. *Lingua mea calamus ſcribæ* facta eſt *velociter ſcribentis*. *Pſal.* 44. Quæ eſt iſta lingua? Attende. *Non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Sanctus, qui loquitur in vobis Matth.* 10. Et in ſymbolo: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, qui locutus eſt per Prophetas*. Hæc lingua factus eſt calamus, effigians, & formans in utero Virginis. *Spiritus Sanctus ſupervenit in te. Luc.* 1. Velociter ſcribentis,& quàm velociter ſcribentis. Quam velociter? In uno inſtanti formatum eſt corpus, & organizatum, animatum, plenum gratia, & ſapientia, & gloria: ſicut modò in Cœlo neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. O præclaram Scripturam! O pulcherrimum characterem, in quo tale latet Verbum æternum! O ſcriptum egregium, quod modò omnibus Mortalibus proponitur ad legendum! In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi. Hæc ſcriptura tam pulchra, quæ & qualis ſit; ſequitur: *Specioſus forma: diffuſa eſt gratia*, &c. *Pſal.* 44. Hæc, inquam, ſcriptura tam pulchra, in quo libro, in qua papyro ſcripta eſt? Utique in pergameno Virgineo puriſſimo, ſine nota, & nævo peccati. Undè benè,& aptè in themate dici poteſt, *liber generationis Ieſu Chriſti*. Optima comparatio.

38 Duas optimas comparationes legis de Virgine in Scriptura; unam, qua comparatur velleri, *Pſal.* 71. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*: quam exponit Hieronymus. Quoniam vellus de carne ortum non habet vitia carnis. Et ſic Virgo, licèt carnea ſit, ſic tamen carnea, quaſi argentea, ſinè omni macula, & concupiſcentia. In hoc vellere ſilenter ſe infudit ros ille Dei, id eſt, Verbum æter-

æternum, dùm medium ſilentium tenerent omnia. Eam totam perfudit Spiritus Sanctus, purpura excellenti tinxit, ut ex illa fieret purpura Regis, caro illa Chriſti ſacratiſſima.

Bona comparatio, ſed non inferior iſta, qua comparatur pergamenæ chartæ puriſſimæ: in qua, & de qua ſcriptum eſt Verbum æternum. Undè de illa exponi poteſt figura illa de Tiara Pontificis, quæ ſuper omnia ornamenta ponebatur in fronte Pontificis ex auro puriſſimo, in qua ſculptum erat *Sanctum Domini*. *Exod.* 18. Hæc Virgo tota aurea, tota divina, ſuper omnia veſtimenta, ſuper duodecim lapides, ſuper tunicam talarem, & rationale, & humerale, in fronte Pontificis, ſuper omnes Apoſtolos, Martyres, Doctores, Patriarchas, Prophetas, per veſtes illas deſignatos, locatur: ſicut ipſa ait *Eccli.* 24. *Ego in omni gente, & in omni populo primatum tenui*. In qua opere cellario Spiritus Sancti, Sanctum illud Domini ſculptum eſt, de quo Angelus *Matth.* 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*. Ac propterea meritò omnibus Sanctis præponitur. O mirabilis fœmina, in cuius utero formatum eſt Verbum, quod ſinè tempore æternaliter in ſinu Patris tenebatur occultum! Sed de Rachele in typo Mariæ jam ſatis: properemus ad alia.

§. IV.

Quid myſterii ferat Ioanna ad Virginem figurandam.

39 INter mulieres famoſas, atque devotas, quæ de facultatibus ſuis Domino cum hominibus converſanti miniſtrabant, ſecundo loco à *Luca* Evangelio *c.* 8. commemoratur *Ioanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis*. Felix mulier, quæ bona ſua in ſuſtentationem Chriſti erogabat. Fortunatæ manus, quæ diſperſerunt, & dederunt Salvatori omnium pauperrimo, cum tamen ditiſſimus omnium, quia non ex accidenti, ſed per naturam, & per eſſentiam dives. O temporales Joannæ facultates beatæ, quibus à Chriſto redditæ ſunt ſuorum inæſtimabiles donorum, & gratiarum vices. Neſcio quid in eius nomine tanquàm umbra præluxit. Si enim nominis eius ſignificationem,ſecundùm Hieronymum de interpretatione nominum Hebraicorum, inveſtigemus, profecto *Ioanna* nomen interpretatum ſonat, *Dominus gratia eius*, vel *miſericors Dominus*: id eſt, qui Joannam magna gratia ditaverit, eamque divitiis miſericordiæ ſuæ cumulaverit.

40 Quæſo, qui pulchrior *Mariæ* typus. Sed longè excellentior veritas, quam umbra. De Deipara enim ad unguem, & perfectiſſimè verificatur illud: *Dominus gratia eius*. Undè enim Angelus eam ſalutaret: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, *Luc.* 1. niſi Dominus eſſet gratia eius, hoc eſt, Ipſam ſua repleret gratia, & ſecum eſſet non ſolùm per gratiam, verùm etiam per incarnationis myſterium, & per aliam multiplicem unionem, ut ex dicendis patebit. Cùm enim Virgo aſſumeretur ad dignitatem Matris Dei; Angelus in illà ſalutatione, & præmiſit idoneitatem Mariæ ad conceptum Verbi Dei, cùm dixit: *Ave gratia plena*: & expreſſit conceptum, cum ſubdidit: *Dominus tecum*. Utrobique autem Maria & antè Chriſti conceptum, & poſt ipſius conceptum affluentibus divinæ gratiæ muneribus ditatur. Quæ duo à nobis conſideranda ſunt cum Joanne Raulino Cluniacenſi *ſerm.* 10. *de Annuntiatione Domini*.

41 Prò primo puncto principali, inquit, notandum, quòd ſola gratia fecit Virginem idoneam ad concipiendum Chriſtum, ſinè qua nec fuiſſet grata Deo, nec digna ipſum concipere. *Ave*, inquit Angelus, *gratia plena*. Quod autem *Maria* fuerit plena gratia, vel ſaltem capax plenitudinis gratiæ, patet ex ſignis, vel ex his, quæ requiruntur ad hoc, quòd aliquod vas plenitudinem alicuius boni liquoris contineat.

Primò enim requiritur, quod tale vas ſit vacuum. Sic vas *Mariæ* omni peccato vacuum fuit. 2. *Reg.* 3. Vaſa vacua replevit Eliſæus oleo gratiæ; quam plenitudinem non habent ſuperbi: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: Et tantam ei donavit gratiam,quod nihil in ea vacuum fuit. Omnis enim Creatura aliquid vacuitatis habuit, quia maiorem gratiam recipere potuit. Ipſa autem ſic gratia plena fuit, ut ultrà cuique creaturæ communicari non potuit, nec ei maior exhiberi,niſi Divinitati uniretur.

Secundò requiritur, quod vas ſit mundum: ideò luxurioſi non poſſunt ipſam recipere, & qui cor habent plenum rancore. *Sap.* 7. *In malevolam animam non introibit ſapientia*. Sic in *Maria* vas cordis mundiſſimum fuit per virginitatem. Candor enim puriſſimus Virginalis fuit in ea fundamentum plenitudinis ſpiritualis, ſicut in picturis albus color eſt campus aliorum colorum. *Eccli.* 22. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata*.

Tertiò, quòd vas ſit versùs Cœlum erectum, quia ſi versùs terram eſſet incurvatum, non poſſet impleri. Propter hoc cupidi, & avari, qui ad terrena incurvantur, quorum oculi non niſi terram reſpiciunt, hanc plenitudinem non poſſunt recipere. De quibus *Pſal.* 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*. Et *Prov.* 17. *Oculi ſtultorum in finibus terræ*. *Maria* autem erectum habuit cor à terrenis per apertiſſimam paupertatem, de quà Hieronymus. Colo, & acu acquirebat, de quo ſe, & Salvatorem ſuſtentabat.

Quartò requiritur, quod ſit ſolidum. *Eccli.* 24. *Quaſi vas auri ſolidum*. Nam ſoliditatem facit charitas,quę conſolidat,& confirmat cor in amore Dei; & propterea dedit eam Deus ad abundantiam *Mariæ*, ut per eam charitatem ſuam omnibus elargiretur. Non ſic ſeculi divites, quibus cùm multa dederit Deus, nihil tamen effundunt. Et ratio eſt, quia talia bona non replent cor, ſed arcam. Ideò cùm tangitur cor eorum, nihil effundunt. Maria autem plena eſt corde omni gratia, ideò pulſata facilè effundet.

42 Hìc quæruntur duo. Primò, quare Deus *Mariam* præ cæteris ſua gratia adimpleverit. Reſponſio. Duplex eſt cauſa. Prima eſt vaſis eius capacitas cœlo latior, quæ illum, qui Cœlum, & terram continet, circuivit *Eccli.* 24. *Gyrum Cœli circuivi ſola*. Licet enim Sol illuminet omnem hominem, plùs tamen unum, quàm alium, iuxtà ſui

ſui viſus capacitatem . *Matth.* 25. Diviſit illis bona ſua unicuique ſecundùm propriam virtutem. Hanc autem capacitatem operata eſt in *Maria* humilitas , juxtà illud *Iacob.* 4. *Deus humilibus dat gratiam. Maria* autem fuit omnium maximè humillima . Humilis verò, ut dicit Guill. Pariſienſis , ſemper dicit : Reple ſaccum meum . Se enim reputat omnibus bonis exinanitum . Igitur Maria maximè gratia plena fuit . Conſuetum eſt autem , quòd vas plenum, cum pulſatur , facilè fundit aliquid de plenitudine ſua ſuper illum , qui pulſat. Propterea , *Mariam* pulſemus oratione , ut ſuper nos gratiam effundat . Cùm enim vas illud non poſſit tantum comprehendere : oportet vas illud ſtillare undique . Habet tamen in ſtillando virtutem mirabilem , quia licet pluvia corporalis germinare faciat herbam terræ infixam , & adhærentem, non tamen abſciſſam , & eradicatam . Pluvia autem *Mariæ* non ſolùm juſtos, ſed etiam infideles, & peccatores à Deo ſeparatos germinare facit.

43 Secunda cauſa fuit ex parte dantis , diverſitas doni ſecundùm beneplacitum eius : quia cùm donans donet ſecundùm rationem , & ratio reſpiciat finem : maius donum dat , cum dat ad maiorem finem : ut Imperator magis dat ei , cui daret eſſe Senatorem , quàm cui daret eſſe ſimplicem Civem . Sic Beatiſſimæ Virgini datum eſt eſſe Matrem Dei ; reliquis datur gratia , ut ſint ſervi Dei : ergò ſicut improportionabiliter maiùs eſt eſſe Matrem Dei , quàm eius ſervum , ſic dedit maiorem gratiam ei . Auguſtinus *lib. de Gratia* . Illa Virgo ſingulari grâtia præventa eſt, quæ & ipſum haberet ventris ſui fructum , quem habuit univerſitas Deum . *Luc.* 6. *Menſuram bonam , confertam , coagitatam , & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum* . Bona menſura eſt , quandò datur alicui tanta gratia, quæ ſufficit ad ſui iuſtificationem ; & hæc eſt bona pars , quæ datur omnibus juſtis . Menſura conferta eſt , quandò datur alicui tanta gratia, ut non ſolùm iuſtificetur eà, ſed etiam alios ſalvet , & hæc eſt melior , quæ fuit in Apoſtolis . Menſura coagitata eſt , quando alicui datur tanta gratia , ut nunquam ab ea cadere poſſit , quæ fuit in ſanctificatis in utero , & in Apoſtolis miſſione Spiritus Sancti , & hęc eſt optima. Supereffluens eſt , quæ de ſua plenitudine aliis effluit, ut in Chriſto ſolo , & *Maria* .

44 Secundò quæritur quare *Maria* non dicitur *plena gratiarum* , ſed ſolùm *gratia plena* . Cum tamen dicat Eſther Aſſuero : *Facies tua plena eſt gratiarum* . *Eſther* 15. Reſpondetur primò , quia Maria dicitur plena gratia , non gratiarum : quia cum pleni gratiarum aliqui dicuntur , multas habent gratias , quibus omnibus ſimul pleni ſunt, ſed nulla illarum plena eſt. *Maria* verò omnibus gratiis ad ſufficientiam videtur eſſe plena:quia non ſolum omnibus gratiis ſimul ſumptis plena erat, ſed unaquęq: earum ſic plena erat,ut eam totam occuparet. Verbi gratià adeò plena erat humilitate , ut nullus in eà relinqueretur locus ſuperbię . Quam plenitudinem non habent Sancti Viri , quin etiam cogitatione cor eorum aliquandò occupet ſuperbia . Quod in ea privilegium fuit, ut nec in ea quicquam occuparet etiam vel cogitatione ſuperbia . Sic plena caſtitate , ut nec cogitatione eam unquàm occuparet luxuria , quæ in Sanctis Viris interdum nec ſola cogitatione contenta , etiam per pravos motus in affectionem irrumpere nititur . Undè dicitur *Pulchra ut Luna* , ideſt , ut univerſalis Eccleſia ; quia in ea omnes aliarum Creaturarum perfectiones inveniuntur.

45 Dicit ſecundò , quòd rectè *Maria* dicitur gratià plena , quæ triplici bonorum affluentià dotata eſt. Primò bonorum naturalium,quandò Spiritu Sancto inſpirante,integritate naturalium, ſecundùm dignitatem primę conditionis obſervatà , ſola inter filias Evæ fecunditatem accepit . De qua *Cant.* 6. *Vna eſt Matri ſuæ , electa Genitrici ſuæ* . Secundò ſpiritualium chariſmatum , quandò Chriſto in eà incarnato , tantis virtutum appodiamentis ſuffulta eſt , ut ampliùs peccare non poſſet . Tertiò cœleſtium donorum, quia virtute contemplandi quodammodò patriæ cœleſtis donata eſt . Quantum enim diſtat inter odorem , & guſtum aromaticum ſpeciei , tanta inter Contemplationem *Mariæ* , & aliorum Sanctorum diſtantia eſt . Sicut enim ſingularem à Chriſto activã accepit eius humanam naturam portando , lactando , pannis involvendo , fovendo , nutriendo , cæteraque humanitatis officia exhibendo ; ſic etiam ſuæ divinitatis dulcedinem Matri ſingulariter experiendam indulſit .

46 Propter quod plenitudini gratiæ ſubiunxit Angelus : *Dominus tecum* : quaſi fons in ea ſubminiſtrans plenitudinem undique effluentem . Ricardus de S. Victore . Rectè dicta es , *gratia plena* , de qua ortus eſt fons gratiæ. Ideò nobis totum quodammodo à te, quod per illum nobis eſt , qui natus eſt de te . Si enim prudentes Virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus : Tu prudentiſſima Virgo Virginum non unum tantùm vas habuiſti oleo repletum gratiæ , quo lampadem tuam inextinguibilem nutrires , ſed aliud geſtabas vas redundans , & indeficiens , ex quo effuſo oleo miſericordiæ omnes orbis lampades illuminares , & vaſa omnium ad ſummum repleres , in illo nihil minuens . Prudens ergò fuiſti , ut tibi provideres, & aliis ſubvenires , non dicens , ſicut & cæterę Virgines : *Nè fortè non ſufficiat nobis , & vobis , ite potiùs ad vendentes , & emite vobis* . *Matth.* 25.

47 Cur ergò ad hanc fontis plenitudinem non accedemus , ut hauriamus ? Si quis eſſet juxtà fluvium , & magnam aquæ haberet penuriam , dici poſſet , vel quod laborare nollet ad hauriendum, vel vas non haberet , quo haurire poſſet . Propè eſt nobis fluvius iſte abundans dulcedine , ſed vel laborare nolumus vigilando , orando , bonis operibus inſudando , & petendo nobis neceſſaria: vel vas cordis , idoneum non habemus receptaculum infuſioni gratiæ , quando immundum eſt per luxuriam , vel ruptum per avaritiam . *Prov.* 12. *Qui bonus eſt , hauriet ſalutem à Domino: qui autem confidit in cogitationibus ſuis , corruet* . Iſta eſt navis Inſtitoris Chriſti,qui quidem mercator omni inſtantia , qua potuit , navem ſuam mercibus pretioſis oneravit . Cur ergò ad illam navem non properemus , merces empturi de longè venientes ?

48 Prò ſecundo puncto principali , in quo exprimitur conceptus Virginis , dicit ei Angelus : *Dominus tecum* : nunc quidem ſolùm in tua mente, ſed

ſed paulò poſt futurus corporaliter in ventre. Undè quadruplici unione fuit *Maria* cum Domino , & Dominus cum ea . Primò unione ſpirituali , per gratiam , de qua in Evangelio *Luc.* 1. *Inveniſti gratiam apud Dominum*: propter quam dicit : *Dilectus meus mihi , & ego illi* . *Cant.* 2. Secunda perſonalis Verbi ad corpus , non quidem *Mariæ* , quia non ipſum aſſumpſit , ſed portionem carnis eius , in unitatem perſonę ſibi ſociavit , quandò illud *Pſal.* 48. impletum eſt : *Simul in unum dives , & pauper* . Tertia naturalis , ſcilicet arboris ad fructum , Matris ſcilicet ad filium . Quarta Sacramentalis . Fuit enim tanquàm thalamus Sponſi , in quo celebratum eſt coniugium inter divinam Sapientiam , & humanam naturam in mutuo conſenſu , cùm reſpondit : *Eccè Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* . Et tunc fuerat divina Sapientia , & Virgo , unus ſpiritus , & una caro . Si Eva dicta eſt una caro cum Adam , quia de coſta eius tantumodò formata , & educta , & in nullo ab eo nutrita : multò meliùs caro Chriſti dicitur eſſe una cum carne Virginis , quia non de coſta , ſed de puriſſimis ſanguinibus , ut vult Damaſcenus , & non extrà , ſed intrà viſcera eius, novem menſibus educata . Benè ergò dixit Angelus Virgini : *Dominus tecum* : qui tam multiplici unione cum ea fuit .

49 Poſſumus quoque ſic exponere , *Dominus tecum* , *ſingulariter* quidem . Primò ſingulariter ab aliis Sanctis , quia cum Angelis fuit , & eſt per gratiam; cum Sanctis hominibus non ſolùm per gratiam , ſed etiam per naturam aſſumptam. Cum Beata Virgine non ſolùm per gratiam , & naturam humanam aſſumptam , ſed etiam per aſſumptę carnis ipſius portionem , ut ei dici poſſit : *Tecum principium* , ille ſcilicet Dei filius , qui dixit *Ioan.* . . . . *Ego principium, qui & loquor vobis : in die virtutis tuæ* , ideſt , in illa die , in qua virtute divina concepiſti .

Secundò Dominus fuit ſingulariter cum ea, quia tota Trinitas fuit in ea aliter , quam in aliis Sanctis . Nam Pater fuit cum ea ſicut cum Sponſa : Filius cum ea ut filius : Spiritus Sanctus ut ſanctificator ſecretorum myſteriorum in ea . Ac ſi diceret Angelus . Pater tecum , qui filium ſuum facit tuum . Filius tecum , qui ad condendum vitæ mirabile ſacramentum miro modo tibi reſerat genitale ſecretum , & tibi reſervat integrum virginale ſignaculum . Spiritus Sanctus tecum , qui cum Patre , & Filio tuum ſanctificat uterum . Et ex hoc vocatum eſt nomen eius *Emmanuel* , quod interpretatur *nobiſcum Deus*. *Pſal.* 45. *Dominus virtutum nobiſcum , ſuſceptor noſter* , ideſt , noſtræ humanitatis .

Tertiò fuit Dominus cum ea ſingulariter , quia dùm ad eam miſit nuncium : nuncium ſuum hilariter ad hoſpitium hujuſmodi prævenit Deus. *Cant.* 2. *Eccè iſte venit , ſaliens in montibus* ; ideſt , in Patriarchis , & Prophetis . Saltus ſunt . *Abraham genuit Iſaac. Matth.* 1. Alius ſaltus . *Iſaac genuit Iacob.* Et alius ſaltus maximus , quandò dicitur : *Virum Mariæ , de qua natus eſt Ieſus , &c. Tranſiliens colles* : ideſt , Angelos , quia nuſquam Angelos apprehendit . Tranſilit itaque Gabrielem, & prævenit eum in Virgine , Angelo teſtante , qui ait : *Dominus tecum*. Non dixit ei , ſicut ſolent dicere præcurſores : Dominus meus venit , præpara ei hoſpitium : ſed quem in Cœlo reliquerat , apud eam invenit jam hoſpitatum . Hactenus ille . Ex cujus diſcurſu pateſcit, re adimpletum in Virgine , quod Joanna adumbravit ex nomine .

§. V.

Quæ ſit Appiæ figura ad oſtendendas Beatæ Virginis qualitates .

50 DElectabile quidem eſt inter flores expatiari : hinc enim oculi coloribus mirificè delectantur , illinc olfactus odoribus recreatur . Multos huc uſque vidimus Matronarum flores , & virtutum odoramentis pellecti , ſequimur odorum afflatus . Et hac ex cauſa Appia quoque inter Heroidum flores Mariani Nominis recenſetur , quæ tàm grati extitit odoris , ut nec Paulus hujuſmodi florem ſuis epiſtolis deeſſe ſit paſſus, ſed ad Philemonem ſcribens , & ipſi , *& Appiæ ſorori chariſſimæ* ſalutem mittens , Appiam in epiſtola tanquàm florem odoratiſſimum inſerere voluit. Sed Appia flos nè,an potiùs Apis ? Utrumque . Flos quidem , quia tanquàm flos de bruma Gentilitatis ad Chriſti fidem effloruit . Apis verò , quia ex etymo ſui nominis , *Appia* dicitur quaſi *Apis pia* . Nec ſinè ratione etymologiam hanc excogitavi ingenio meo : domus enim Appiæ , quæ uxor erat Philemonis , apiarium erat Eccleſiæ , ad quam fideles tanquàm apes confugiebant , ut in ipſa epiſt. ad Philemonem Apoſtolus indicavit his verbis : *Et Eccleſiæ , quæ in domo tua eſt* . Ipſa autem tanquàm Apis in alveario , bonorum operum intenta mellificio , re , & exemplo cæteris prælucebat .

51 Verùm quid differimus dicere *Mariam* veram *Appiam* fuiſſe , hoc eſt , *Apem piam* , quæ mel dulciſſimum , & melleum fructum , ideſt , Chriſtum mellificando produxit? Favum ſiquidem mellis ſuaviſſimum condidit , cum generavit Redemptorem . Et cùm Apis mellificium ore ſuo componat , non immeritò à ſponſo dicitur Sponſæ *Cant.* 4. *Favus diſtillans labia tua Sponſa* . Pulchrum ſanè piæ noſtræ Apis elogium . Nam Hugo de S. Victore *ſerm. de Maria* aſſumpta inquit . *Favus diſtillans labia tua* . Et plenitudinem , & ſuavitatem habent labia tua . Ideò favus diſtillans labia tua . Nam preſſa emittunt dulcedinem . Propterea ergò favus diſtillans labia tua . Omnia ad ſimilitudinem dicta ſunt , favus diſtillans labia tua . Favus mel , & ceram habet . Mel , divinitas eſt : cera , humanitas . Favus Verbum caro factum eſt in Virgine : ergò favus diſtillans labia tua . In te divina , & humana natura , ſoluta veteri diſcordia , ad perfectam plenitudinem , & æternam unionem , pacis oſculo coniunctæ ſunt . In te divinitas humanitati ſe infudit . Undè vera humanitate, & perfecta divinitate à te Deus , & homo Chriſtus exivit .

52 Ergò favus diſtillans labia tua . Ego , inquit , novi quod prædico : expertus ſum quod laudo : Favus diſtillans labia tua . Ego devinctus tibi charitate , oſculo oris mei labia tua preſſi , ſimul-

mulque dulcedinem infudi, & à dulci dulcedinem expreſſi. Valde enim expreſſi, & valdè impreſſi, quia plenè infudi, & perfectè ſociavi. Valdè ergò impreſſi dulcedinem, & verè expreſſi ſuavitatem, quandò meum tuo in te ſociavi, & per tuum à te cum meo pariter, & tuo exivi. Mea divinitas mel erat, & tua humanitas cera erat, & inde meipſum favum feci, & factus ſum. Et eccè favus diſtillans labia tua. Quod enim impreſſum eſt in te, aſſumptum eſt de te, & ipſum factum eſt dulcedine plenum in me. Modò ergò ſum quod ſum, & ſum quod factus ſum. Quod factus ſum, modò ſum: quod autem ſum, ſemper ſum, tamen utrunque verè ſum, & quod factus ſum, & quod ſum: alterum ex te, alterum antè te. Favus diſtillans labia tua. O quam dulcis, & ſuavis es! Quæ ſola digna eras, ut ſupernæ dulcedinis oſculum, in tuo conceptu ſuſciperes, & totius mundi ſuavitatem in partu ſtillares. Hactenùs ille.

53 Dulcis igitur favus, Chriſtus Deus, & homo. Undè & Albertus Magnus in *Luc.* 24. exponens illud: *obtulerunt ei & favum mellis*, inquit. Favus eſt cera virginea, ex qua mel diſtillat. Et ſignificat dulcedinem deitatis in puritate carnis. Hoc eſt quod dicitur 1. *Reg.* 14. quod apparuit ſuper faciem agri fluens mel: quia in agro humanæ naturæ apparuit dulcedo divinæ naturæ. *Iudic.* 14. *A comedente exivit cibus: & à forti egreſſa eſt dulcedo*. Chriſtus enim leo eſt de tribu Juda *Apocal.* 5. Qui comedens eſt, electos ſibi incorporans: fortis autem eſt, quia devicit mortem. Hunc ergò favum obtulerunt etiam ſibi, quandò & ſe, & alios ad hanc dulcedinem fidei converterunt. *Cant.* 5. *Comedi favum cum melle meo*. Mel enim naturaliter de ſublimi venit: quia ros eſt, linguis apum collectus. *Ioan.* 3. *Qui de Cœlo venit, ſuper omnes eſt*. Apes autem longè odorem dulcedinis hujus percipientes, ſunt Viri Sancti deſideria ad Dei Spiritum protendentes, & lingua doctrinæ hanc ipſam dulcedinem colligentes. *Pſal.* 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo*. *Eccli.* 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & favum*.

54 In Chriſto autem non ſolùm favum, ſed & flores habemus. Sed ad quid flores? Planè mihi reſpondet Bernardus Tract. de paſſione Domini c. 44. Licet flores comedi non ſoleant, ſuguntur tamen ab apibus, & de liquore è floribus expreſſo, dulciſſima ſibi mella conficiunt. Apes eiuſmodi ut puto, ſunt illi, qui pennis contemplationis elevari ſciunt, & poſſunt, ſuaque ipſorum poſſunt alvearia, hoc eſt corporis curam relinquere, & ad hortum deliciarum tranſvolare, in quo omniũ florum divitias, & divites delicias inveniunt. Hortus enim iſte Paradiſus eſt. Ità habes enim in Cantico amoris: *Emiſſiones tuæ*, ò Virgo *Maria* fœcundiſſima, *Paradiſus*. *Cant.* 4. Proceſſit enim hic Paradiſus ab utero virginali, omni flore, fructuque refertus, ſed fructibus interim dilatis. Flores iſtius Paradiſi videamus; legamus, vel potiùs ſugamus. Convenit enim, ut talis modi apes ſimus, quæ ſciant ſugere mel de petra. Idem enim hortus eſt, & petra, ideſt, Chriſtus. Si ergò flores quærendi ſunt, ubi potius quærentur, ubi promptiùs invenientur, quàm in dulciſſimo Chriſto? Manifeſti ſunt flores virtutum, & vulnerum eius. Stat eccè expaſſis manibus, nudo corpore, manibus ſimul, & pedibus perforatis, capite inclinato. Confortare nunc, & elevare anima mea, miſera, & infirma, & alis fidei, & ſpei ad hunc hortum charitatis enitere, & totum mentis intuitum per varia diſperſum in unum collige, ac apum ſedulitatem imitans ad conficiendum tibi mel devotionis, ad Paradiſum charitatis aſcende, accedens ad cor altum: quia eccè quem quæris, exaltatus eſt, & humiliatus. Non enim elevatus eſt in Crucem, ut ſe difficilem præberet accedere ad eum volentibus: ſed ut magis omnibus poſſet paratior inveniri &c.

55 Sed de his aliàs. Nunc alia, quæ in Appia latent, myſteria ſunt quærenda. *Appia* enim, iuxtà Hieronymum de Nominibus Hebraicis, interpretatur *libera*, vel *libertas* ſecundum alios. An Dei Mater, libera, vel libertas? Arbitror liberam, à ſervitio diabolicæ captivitatis exemptam dici, neque ſervilis eſſe conditionis, ſed liberæ, utpotè quæ nunquàm ſub peccati iugo captiva fuit. Libertatem arbitror dici dominatum, potentiam, ac poteſtatem, quam ad præſidium, & profectum humani generis habet ubique. Jam ergò te Dominam, cum Petro Damiano *ſerm.* 1. *de Nativit. Virginis*, compellabo. Subveni Domina, clamantibus ad te iugiter. *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te*. *Cant.* 6.

56 Tu benedicta, & ſuperbenedicta, revertere primò per naturam. Nunquid quia ità deificata, ideò noſtræ humanitatis oblita es? Nequaquam Domina. Scis, in quo diſcrimine nos reliqueris, ubi iaceant, quantum delinquant ſervi tui; non enim convenit tantæ miſericordiæ, tantam miſeriam obliviſci, quia & ſi ſubtrahit gloria, revocat natura; non enim ità memoraris juſtitię Dei ſolius, ut miſericordiam non habeas: neque ità es impaſſibilis, ut ſis incompaſſibilis. Naturam noſtram habes, non aliam; & iuſtum eſt, ut de rore tantæ pietatis diffuſiùs infundamur.

Revertere ſecundò per potentiam. Fecit in te magna qui potens eſt: & data eſt tibi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra. Quid tibi negabitur, cui negatum non eſt, Theophilum de ipſis perditionis faucibus revocare? Infelicem animulam, totum illud, quod in te factum eſt, proprio charactere denegantem, de luto fæcis, & miſeriæ ſublevaſti. Nil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt deſperatos in ſpem beatitudinis relevare. Quomodò enim illa poteſtas tuæ potentiæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem? Accedis enim antè illud aureum humanæ reconciliationis altare, non ſolùm rogans, ſed imperans; Domina, non ancilla. Moveat te natura, potentia moveat; quia quantò potentior, tantò miſericordior eſſe debebis. Poteſtati enim cedit ad gloriam, iniurias ulciſci nolle cum poſſit.

57 Revertere tertiò per amorem. Scio Domina, quia benigniſſima es, & amas nos amore invincibili, quos in te, & per te Filius tuus, & Deus tuus, ſumma dilectione dilexit. Quis ſcit, quoties refrigeras iram Judicis, cum Juſtitia virtus à præſentia Deitatis egreditur?

Revertere quartò per ſingularitatem. In manibus tuis ſunt theſauri miſerationum Domini, & ſola electa es, cui gratia tanta conceditur. Abſit ut ceſset manus tua, cum occaſionem quæras ſalvandi miſeros, & miſericordiam effundendi; neque enim tua gloria minuitur, ſed augetur, cùm pœnitentes ad veniam, juſtificati ad gloriam aſſumuntur.

Revertere ergò *Sunamitis*, id eſt, *deſpecta*, cujus animam pertranſivit gladius, quæ Fabri uxor appellata fuiſti. Ad quid? *Vt intueamur te*. Summa gloria eſt, poſt Deum te videre, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari. Audi nos. Nàm & filius nihil negans, honorat te, &c.

CAP. X.

Quartus Heroidum fœminarum quinarius Mariæ dotes, ac virtutes illuſtrans.

1 ALio ſchemate *Mariæ* Nomen deſcribitur in hoc capite, ut ſcias de eiſdem literis nova Matronarum pullulare decoramenta. Et Virginem cupiunt quidem decorare, ſed feliciùs decorantur ab ea. Ipſa enim eſt omnium fœminarum laus, & ornamentum. Quidni ergò ornet eas potiùs, quàm ornetur ab eis? Juvat tamen earum propalare perfectiones, ut ſi vel ipſæ ſiderea ſunt lumina, maximum videatur *Mariæ* ſidus micare, velut inter ignes Luna minores. Fulgent igitur ſuis radiis ſingulę Parthenii Nominis literę, & quælibet earum ſplendorem reverberat fulgidiſſimum. Et ſoli famulantur aſtra: nàm Solem ſuum ſua ſidera norunt. Utpote quæ à Sole lumen recipiunt, undè radiant. Sol igitur eſt *Maria*, & ſtellæ illuſtrium mulierum quarti Quinarii, quæ Nomen ejus efformant, juxtà elementorum diſpoſitionem, ſunt

M agdalena.
A nna Mater Samuelis.
R uth.
Iudith.
A bra.

Eccè quinque Stellæ, quæ Solem, ideſt, Virginis Matris Nomen coronant. Sed videamus, quos ſingulæ radios effundunt.

§. *I.*

Magdalena Chriſti Amica quem referat Virginis typum.

2 MAgdalenam dico Chriſti amicam, non mundi; novam ſcilicet, non antiquam; cœleſtem, & non terrenam. Cervam chariſſimam, quam divinus Amor charitatis telo transfixit. Charitum unam, quæ gratiarum donis abundat. Sunamitidem pacificam, & bellatricem: pacificam, quia facta eſt coram Deo pacem reperiens: bellatricem, quia terribilis ut caſtrorum acies ordinata contrà vitiorum, & Erebi phalanges. Solitariam, quia dedita Contemplationi. Angelorum familiarem, quia ipſi Contubernales ſui. Venatricem, quia Venatorem ſupercœleſtem, qui priùs ipſam cepit, retiaculo irretivit amoris. O quàm nobilis fuit hæc Magdalenæ converſio, de terrena in Cœleſtem, de profana in ſacram, de mundana in angelicam, de ferreo vitiorum vaſe in auream gratiarum phialam. Hanc Magdalenæ divinam metamorphoſim Aloyſius Iuglaris in Chriſti Ieſu celebravit elogiis, dùm Redemptor epulis accumberet Phariſæi, phariſaicis inferens menſis ſpectabilioris ferculi pompam, cum ſcripſit.

Parce ſumptibus, Phariſæe;
In Convivio tuo Chriſtus
Paſcendus eſt dape non tuâ;
Providit ille ſibi poſt ſe ſymbolum ſuum,
Et in arcanæ famis ſolatium,
Nobilem de venatione ſua feram adduxit.
Aſſueta inſidiari hominibus fœmina,
Inſidias nectit & Deo.
Nè ſedentis iudicia toleret,
Occupat recumbentem,
Et huiuſmodi violentiæ avidum
Capillis irretiens,
Licet ſe apud illum non depoſuerit,
Quia tamen Servator omnium eſt,
Repetit ab illo ſe perditam.
Conſcia graveolentiæ Spiritus ſui,
Non auſa ſinè antidoto lectiſſimi odoris accedere,
Adhuc procul à Dei naribus retrò ſe ſiſtit,
Phaleras, & fucos exoſa
Iam diſcipula veritatis,
Nullo ultrà cultu corporis diſſimulans
Maculas mentis,
Liberam ſe à Nugarum ſervitio
Soluta vinculis profitetur in Coma.
Contemplata quid fecit,
Renuit moderari quid faciat.
Vltro confeſſa ſe ſauciam,
Quæ cum unguentis properaret ad Medicum,
Pia quærit impudentia ſanitatem.
Vt accipiat gaudia,
Felici commutatione dat lachrymas,
Et Agricultura Sanctorum,
Plantas, à quibus fructum ſalutis decerperet,
Eliquato per oculos irrigat corde.
Quæ diù malè ambulaverat,
Veſtigia recta doceri Sanctis quærit à pedibus.
Silentio explicans plura, quàm voce potuiſſet,
Fletus, & oſcula
Fidos affectus ſui habet interpretes.
Amores Magdalena non exuit, ſed mutavit.
Seù de Virginibus una non eſſet,
Sumpſit tamen oleum ſecum,
Et nè excludi poſſet à nuptiis,
Se ſe ſponſi pedibus alligavit.
Miratur Phariſæus venientis audaciam,
Magis tamen indulgentiam admittentis.
Serio tamen per parabolam Monitus diſcit,
Exemplum quod improbaſſet,
Sibi ad imitationem propoſitum, non ad cenſuram.
In pace dimittitur,
Quę ſeipſa triumphata
Iam non haberet hoſtem, quem vinceret.
Audiri à Chriſto qui vis,

Quo eum ſitu alloquaris attende.
Habet & ille aures in pedibus,
Cœleſtis creditor totum debitum charitate compenſat,
Et ad incrementum totius fœnoris,
Amoris ſolius exigit, & requirit uſuram.

3 Quid igitur dicimus de Magdalena, ex quo Virginis typus dici poſſit. Illud certè unum, neceſſarium, optimum, & maximè appetendum, de quo *Luc.* 10. *Porrò unum eſt neceſſarium.* Et quid eſt hoc unum? Sedere ad pedes Ieſu, verbum Domini audire, & ab uberibus conſolationis ejus impleri. Hoc eſt illud unum, quod Magdalena exiſtimavit maximè neceſſarium, ſcilicet ut abjectis ſeculi curis, deflexiſque per contemplationem in Deum oculis, divinæ veritatis dulcedine ſaginaretur: undè & propter hoc infallibili increatæ Veritatis elogio commendatur, cùm de illa *Luc.* 10. teſtatum reliquit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum.*

4 Verùm qua excellentia hoc unum, ſive optimam partem in Deipara credimus eminere? Ea quidem proportione qua Sol immenſæ lucis abyſſo exiguum lucernæ lumen abſorbet, & mons altiſſimus arenæ granulum exſuperat minutiſſimum. Nolo fidem meis adhiberi verbis, ſed Thomæ de Villanova, qui Conc. 3. de Aſſumpt. Virginis ocium Mariæ contemplativum omni negotio majus examinat gravi, & ponderato diſcurſu. Hanc, inquit, partem optimam ſibi elegit *Maria*, *Maria* illa felix, maxima beatarum Mariarum, maxima fœminarum: *Maria*, inquam, illa, quæ neque ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Non de te, ò Virgo Beata, aliud opus legimus, niſi hoc: non erant tibi ampliſſimæ facultates, unde famelicos aleres, nudos veſtires, infirmos curares, indigentibus neceſſaria miniſtrares: non de te miracula, & portenta mirifica legimus, niſi poſt mortem tuam. Evangelium autem nulla de te ſcribit miracula, quibus vita tua in populis magnificaretur, & in oculis gentium illuſtraretur.

5 Omnis gloria filiæ Regis ab intùs, in fimbriis aureis, in puriſſimis cogitationibus, in ardentibus deſideriis, in ineffabilibus gaudiis, in cœleſtibus virtutum ſpiritualibus infuſionibus, & luciđiſſimis theoriis. Hæc erat vita *Mariæ*, uni ſoli neceſsario vacare, illi ſoli intendere, circa multa non ſolicitari. Quæ eſt omnis contemplatio, ſi ad ejus ecſtaſim; quæ eſt omnis devotio, ſi ad ejus Spiritum comparetur? Quis unquam Anachoritarum tam vivax, & potens viſu, ut irreverberata acie Solem lucidiſsimum ſpecularetur, ſicut hæc Aquila perſpicaciſsima, amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus?

Qualis fuit oculorum ejus pulchritudo, & venuſtas aſpectus, quæ Regem majeſtatis ſolo intuitu vulneravit? unde ait *Cant.* 4. *Vulneraſti cor meum Soror mea in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui*: & quaſi non valens aſpectum pulcherrimum ſuſtinere, vulneratus clamat: *Averte oculos tuos à me; ipſi me avolare fecerunt.* Unde avolare? Niſi à ſinu Dei Patris, in uterum Virginis Matris? Et iterum. *Eccè tu pulchra es amica mea, eccè tu pulchra: oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet.* Quoties, oculorum repetit pulchritudinem? Quoties viſus decorem exaggerat? Ut in illis ſe maximè captum, & delectatum oſtendat. Verè pulchra, & bis pulchra; pulchra facie, pulchrior fide; pulchra in corpore, pulchra in mente; pulchra interiori gaudio, pulchra exteriori obſequio; pulchra cùm gignitur, pulchra cùm genuit; pulchra in Ægypti exilio, pulchra in cœleſti Regno.

7 *Oculi tui Columbarum.* Propter quid Columbarum? Columbæ cùm in terra paſcuntur, oculos in terram non figunt, ſed raptim videntes granum, ſtatim viſum in cœlum attollunt. Tales ſunt *Mariæ* oculi, cuius obtutus raptim terrena tranſiens, cœleſtia frequentiùs perluſtrabat. Sic enim filii ſui, & ſponſi Ioſeph miniſterio incumbebat, ut cœleſtia ſemper intueri non deſineret. Columbinos oculos *Maria* habebat: Corvinos habent, de quibus ſcriptum eſt *Pſal.* 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.*

Jam verò interiorem quam diximus pulchritudinem, quoniam ſermo explicare non ſufficit, tacendo magis laudat, cùm ait: *abſque eo quod intrinſecùs latet.* Quaſi dicat. Quid in te, ſoror mea, foris eniteat, homines utcumque videre poſſunt: quid intus lateat, ſoli Deo perſpicuum eſt, tantorum munerum largitori. Solus quippè novit ſacratæ mentis ſecreta, gaudiorum exceſſus, amores extaticos, virtutum omnium divitias ineffabiles, quas ſpeciali quadam prærogativa in ea accumulare dignatus eſt.

§. II.

Quàm pulchrè Anna Samuelis Mater Beatam Virginem præſignaverit.

8 MAgna Parens Prophetæ magni diceris Anna. Herois ſcilicet Heroem genuiſti, & Prophetes Prophetam. Et claruit quidem partus, quia priùs orationis filius, quàm ventris fœtus. De Matre proceſſit ſterili, tanquam roſa de bruma. A ſobria Genitrice non niſi vir ſobriæ mentis poterat naſci. Meritò hac unà vel prole pio faſtu ſuperbeſcere potes, quam ut cœleſtem potiùs, quàm fatereris terrenam, nondum conceptam, editamque in lucem, priùs ſacris devoviſti aris, quàm vitæ tuæ ſolatio. Clareſcunt ergo pietate, & Religione tuæ gloriæ tituli, quos recenſere in Encomiis Judicum Maſculus hoc elogio glorioſum putavit.

Fœcundus laudum campus exuberat,
Etiam dum ſterilis Matrona laudatur,
Quia ſemper ejus eviruit virtus.
Non potuit non edere pulcherrimum germen
Tot irrigata lachrymis gleba.
Cùm ab æmulâ es proſciſſa convicio,
Lingua ceſſit in uſum vomeris,
Vt cultus ager faciliùs, & feliciùs pareret.
Ebriam te putarunt Orantem,
Sed incalueras merâ Pietate, non Mero.
Quin etiam Filius vixit abſtemius,
Quia de Matre ſobriâ.
Non ſine vaticinio peperiſti Vatem.
Penè aram attigit ille, antequàm Cunas:
Con-

Concepiſti antè vota, quàm prolem.
Tunc magis amaſti natum, cùm negaſti mammas:
Noluiſti aræ offerre lactentem,
Nè magis inhiaret tibi, quàm Deo.
Quem impetraſti cum lachrymis,
Reddidiſti cum gaudio.
Statim ac ſoluta es felici partu,
Illigaſti metro carmina.
Cùm unum edidiſſes infantem,
Plurimos te peperiſse dixiſti.
Quid ita? Quia fœcunda virtutibus.

9 Quid igitur? Anna Samuelem, Maria Chriſtum concepit. Illa ſterilis, hæc Virgo. Anna Prophetam, Maria Prophetarum Prophetam genuit, qui & quos vult facit Prophetas. Samuel maternarum proles ſupplicationum, & lachrymarum: Chriſtus profundiſsima Virginis humilitate, ardentiſsimiſque ſuſpiriis conceptus amoris. Quid hoc pulchrius typo? Undè Rupertus *lib.* 1. *Comment. in l. Reg. c.* 3. Annæ conceptum in myſticum animæ typum aſsumit, dicens. Eſt igitur orationis fructus, Samuel ſanctus magna fide, & largo fletu Matris comparatus. Habet in Matre ejus Annà virtutis exemplum, quod imitetur noſtra ſterilis anima, ſi Mater fieri optat, ſi verbi Dei, ſanctarumque virtutum cupit eſse fœcunda. In quo? In eo videlicet, quod dictum eſt: *Vultuſque ejus non ſunt amplius in diverſa mutati.* 1. *Reg* 1. Quod idem eſt, ac ſi diceretur. In tentatione perſtitit, orando perſeveravit. Hoc ergò fidelis anima imitetur, & quærens inveniet, petens accipiet, & pulſanti aperietur. Quod ſi hoc de Anna dixit Rupertus: potiori jure de Virgine Matre eſt dicendum.

10 Sed quæres: utrum Beata Virgo meruerit concipere filium Dei. Et videtur quòd ſic, quia canit Eccleſia: *Quæ meruiſti Chriſtum portare.* Sed quòd non apparet: quia cùm portare Chriſtum ſit meritum ſuper omne meritum, ſequeretur quòd plùs meruerit portando Chriſtum in ventre, quàm in mente, quod tamen eſt falſum. Ioannes Raulinus Cluniacenſis ſerm. 10. de Annunciat. Domini dubium ſolvit duplici ſermone. Reſpondetur, inquit, primò quòd duplex eſt meritum: *quoddam condigni*, quo quis ex tanta charitate tantam gloriam meretur; & hoc merito non potuit *Maria* mereri concipere filium Dei, vel eſse Mater Dei: quia hoc excedit omne meritum, & omnem ſtatum, qui debetur creaturæ, & tàm hoc, quàm illud benignitatis fuit, & gratiæ. Aliud eſt *meritum congrui*, quo peccatum dicitur ſibi gratiam mereri, cùm ad illam ſe diſpoſuit: & ſic *Maria* antè incarnationem meruit concipere filium Dei, quia pro nimia ſua benignitate, & humilitate idonea erat, ut efficeretur Mater Dei. Hoc figuratum eſt in vellere Gedeonis, quod ſolum cœleſtem rorem capiebat, & tota terra circumjacens ſicca manebat. Sic *Maria* ſola divino rore replebatur, & in mundo nulla alia digna inveniebatur.

Secundò dicitur ſecundùm Auguſtinum lib. de Virginitate, quòd beator fuit *Maria* concipiendo Chriſtum mente, quam carne: quia ex eo, quòd ſumus convincti Sanctis carnis propinquitate, non in hoc beati ſumus, nec in hoc ſtat meritum noſtrum, & bonum. Sed ſi doctrina, & bonis moribus, obediendo, atque imitando, Sanctis cohæremus, in hoc boni ſumus, & meremur. Undè cum diceretur Chriſto: *Beatus venter, qui te portavit;* reſpondit Chriſtus: *Quin immò beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Propter quod concludit Auguſtinus, quòd materna propinquitas nihil *Mariæ* profuiſſet, niſi feliciùs Deum corde, quàm carne geſtaſſet.

11 Lactavit Anna infantulum Samuelem: lactavit & Virgo Chriſtum infantem. Sed maximo fructu, & gratiarum incremento ipſa Virgo Mater nutriebatur à puerulo Jeſu, quem ipſa lacte virgineo nutriebat: undè & ejus ubera à pia muliere prædicantur beata; ſcriptum eſt enim *Luc.* 11. *Extollens vocem quædam mulier dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* Sed Placidus Nigidus *opuſc.* 4. *de Beata Virg. ſerm. de Præſentat. Mariæ* quærit: Et unde quidem beata hæc? Reſpondet. Et quia in beato corpore, beatiſſimæ ſcilicet vitis beati botri, ſive capreæ hinnuli: & rurſum quia de Cœlo plena. Sed in primis, quia lactaverunt æterni Patris filium. Nam cùm beatum ſit dare, beatiſſimum ſanè fuit dare lac in alimentum ei, à quo omne bonum, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione.

12 Beata ubera, beatitudinis fons ipſi Virgini. Sugebat Puer lac, idemque virtutem, quæ ex ipſo exibat, refundebat gratus in Matrem, omniaque genera gratiarum. Quare rectè dicitur Virgini *Cant.* 7. *Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli gemelli Capreæ*: ſiquidem applicita venæ vitæ, & fonti ſapientiæ, plùs ipſa ex Puero, quam ex ipſis Puer ſugebat. Rectè etiam additur: *Qui paſcuntur:* lac enim ſubminiſtrabat; ſolidum cibum ipſa hauriebant. Quod quidem compenſationis genus, cum uſura, vinci neſcius puer Ieſus perpetuò exercuit cum omnibus, à quibus beneficia accepit. Nam deinde portatus à ſene, ſenem ipſe portavit; & invitatus aluit melioribus cibis; petenſque aquam, meliorem cœleſtem ſcilicet, & divinam refudit.

13 Virtus de ſugente exibat, & ubera quidem non ſanabat, at ſanandi omnium virtutem ampliſſimam miniſtrabat. Hinc ſanati lacte illo multi: multi ad cœleſtem vitam allecti. O ubera! O lac! O mihi omni nectare, omni ambroſia ſuaviora! Neque enim mihi major ulla unquam, aut incenſa magis erit cogitatio, quàm ut applicer ſemel uberi illi, quod ab eo utique fuit de Cœlo plenum, cui cura fuit, ut Virginis uterus divinitus compleretur. *Sicut duo gemelli*, ait, *qui paſcuntur in liliis*: pendentia enim ex candido pectore Virginis Matris, & applicita adhuc candenti ori Virginis pueri, in liliis & paſcebant, & paſcebantur. O lac pretioſiſſimum in ſanguinem meæ redemptionis converſum! Quid, inquam, meæ? Virginis ipſiuſmet: quanquàm in illius nobiliore modo: quæ in os pueri inſtillavit. Dealbarunt Sancti in ſanguine Agni ſtolas ſuas, qui ſcilicet Virginis fuerat lac.

14 Qua verò pietate, qua fide, qua Religione puerum Samuelem Anna Deo dicavit? Fides, & Religio apparuit in victimis, hoſtiis, & oblationibus,

in quibus adduxit eum ad domum Domini in Silo, ut dicitur 1. *Reg.* 1. Devotio autem, & pietas emicuit in eo, quòd divinum obſequium privatæ antepoſuit utilitati. Sed quod de ſumma Virginis Matris pietate, pia devotione, devota fide, fideli Religione, & religioſa oblatione dicemus, qua tulit Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſteret eum Domino? *Luc.* 2. O pia, & religioſa Mater, quæ devotis manibus, & maxima cordis, & ſpiritus devotione unigenitum filium ſuum obtulit Deo! Et ipſe puer Ieſus, qui erat Deus, & homo perfectus, ò quam prompto animo, in illa infantili ætate ſemetipſum Domino immolavit! Et ad quid? Reſpondet Auguſtinus ſerm. de Purificat. Ipſe Dominus Chriſtus natus Puer eſt præſentatus in templo: exultent pueri, continentiam voventes puero. Ipſe integritatem pueritiæ conſecravit, qui ſuæ Matri fœcunditatem attulit, virginitatem non abſtulit.

15 Porrò Marcus Cardinalis Vigerius lib. 5. Decachordi cap. 9. agens de quinque Siclorum Sacramento quibus maſculi primogeniti redimebantur, eos Parentes acriter arguit, qui filios ſuos offerre Deo recuſant, eoſque retrahunt à Religionis ingreſſu. Grandè verò myſterium, inquit, & admirabile Sacramentum eſt, maſculinum hominis primogenitum redimi quinque ſiclis. Daturus erat Pater omnipotens prò humani generis ſalute primogenitum ſuum, qui per quinque ſui corporis vulnera noſtram ruinam ſiſteret, & amiſſam libertatem inſtauraret. Itaque primogenita hominum quinque ſiclis redimi conſtituit, juxtà numerum quinque vulnerum, quibus in Cruce pendens ejus primogenitus, prò ſalute hominum fuerat lacerandus. Cui nunc durum videri poteſt ſuum primogenitum Deo offerre, & redimere quinque ſiclis, id eſt, quinque ſenſibus proprii corporis domitis recuperare animam ſuam? Prò qua redimenda Deus ſuum primogenitum dedit: & quinque duris vulneribus affici voluit: quæ noſtri gratia idem Dei filius libenter excepit. Sed nos infelices, & minus quàm talpæ videntes, cùm primos filios noſtros arctioris vitæ diſciplinam in aliqua religioſa profeſſione ſuſcipere velle cognoſcimus, illos totis viribus retrahere ſtudemus: quos ſi revocare non poſſumus, quaſi mortuos lugemus amariſſimè.

16 O perditiſſimum ingratitudinis genus! Deus Pater de ſeipſo ſolo primogenitum ſuum miſit in terram. Mater quem de ſolo ſuo ſanguine genuit, & jam per quadraginta dies ſola lactavit, & bajulavit: præſentat in templo, prompta dulciſſimum filiolum in manibus relinquere Sacerdotum, Scribarum, & Phariſæorum, à quibus planè noverat duriſſimá eum morte necandum. Pater ſimul, & Mater, per quinque ejus vulnera, te, & filios tuos recuperare veriti non ſunt. Immò te per ejus mortem duriſſimam recuperaverunt. Tu filium tuum Deo donare recuſas? Et bonis viris, bonis moribus educandum tradere non vis? Quid quæsò efficit hoc? Nempè ingratitudo, nempè ſtultitia, nempè cæcitas tua.

17 Non te pigeret filium tuum in Principis momentanei tradere famulatum. Doles, luges, & plangis illum in obſequium tradere Regi Regum, Domino Deo univerſæ terræ, cœlorumque moderatori? Dares eum ad perdiſcendas leges hominum, quæ certè bonæ ſunt, ſi benè reguntur: ſed fraudum decipula facta eſt legum cura: das tamen filium, ut fraudes addiſcat, & nugas. Das ad mechanicas artes exercendas. Ut liberaliter vivere diſcat, doles, & dare recuſas? Reſipiſce miſer: diſce à Deo Patre, qui filium ſuum arbitrio Sacerdotum offerri patitur educandum. Diſce à Virgine matre, quæ primogenitum ſuum duriſſimis inimicis liberaliter offert. Diſce à Ioſeph, qui filium quem ſibi adoptaverat, & unicè diligebat, adhuc lactentem, immò lac ſugere quaſi incipientem ſuis manibus libens offert, & oblatum in templo relinquere non ſuſpirat. Iactavit *Maria*, jactavit & Ioſeph cogitatum ſuum in Domino. Cur tu non benè ſperas de filio tuo, qui viam ſecuritatis, ſalutis, & quietis ingreſſus eſt? Reſipiſce, & nè eſto ſolicitus de filio; ſed cum illo offer columbinam ſimplicitatem, & turturis pietatem hodiernæ feſtivitatis in fructus exemplo, per quam lætamur omnes puerum Jeſum in templo Sacerdotibus præſentari.

18 Poſt ethicum, & morale documentum, poſt oblationem pueri Ieſu ſub figura Samuelis in templo, redeamus ad Annam, quæ poſt infantem ſuum ſacris dicatum altaribus, prophetico afflata ſpiritu, Carmen Euchariſticum piè concinuit. Et ad quid? Rupertus *lib. Commentar. in Reg. c.* 4. reſpondet. Quæ canit hæc, Prophetiſſa eſt, & eadem, quà fœcunda facta eſt, gratià, & proprio nomine ſignificat. *Anna* quippè interpretatur *gratia*: non tam ſua præſentia propria, quam potius ſanctæ Eccleſiæ bona futura communia, prophetat, ac prædicat. Miror, ni & *Maria* plùs, quàm Anna, fuerit Prophetiſſa, quæ plena Deo, toti Eccleſiæ, humanæque generationi, non tàm futura, quàm præſentia bona prædicavit, illum ſcilicet, qui eſt omne bonum, jam in carne adveniſſe, quemque utero ſuo licet immenſum, & infinitum continebat. Confer utriuſque Canticum, & excellentiam unius ſuper alteram invenies.

§. III.

Quàm egregiè Ruth Beatam Virginem præfiguraverit.

19 O Quàm religioſa mulier, & Sancta, quæ è patrio ſuperſtitionis ſolo egreditur, ut in Judæà verum Numen adoret. Quàm ſedula, & diligens, quæ colligit reliquias ſpicarum in meſſe. Flos certè mulierum, nempè à proavis *Moabitis* deſcendens, qui *flores* interepetantur, vel quibus dantur *flores*, ut dicitur *Ierem.* 48. *Date florem Moab.* Et hæc mulier tanquàm flos ab ethnica ſuperſtitione eſt ad verum Dei cultum translata: vel ipſi datus eſt flos, cum ex eius ſtirpe prognatus fuerit flos Campi, liliumque Convallium. Eius ergò geſta, atque præconia brevi elogio in Encomiis Virorum, & fœmina-

rum

rum illuſtrium à Maſculo comprehenſa, & exarata non ſileantur.

Dum relictas à Meſſoribus colligis Spicas,
Fœcundior tibi meſſis obtigit Gloria.
Natali ſolo poſthabito,
Vbi falſa colebantur Numina,
Hoc præclarum conſecuta es decus,
Vt ex tuo Genere naſceretur verum:
Nempè id electorum dictum eſt triticum,
Tametſi prò Mortalium vita
Sivit ſe falce demeti mortis.
Spontè domeſticos damnaſti focos,
Vt orbi terrarum accenderes lumen.
Auſpicata es felicitatem ab exilio:
Peregrinando ſtraviſti tibi ad honorem iter.
Eas adamaſti connubii tædas,
Per quas diſcuteretur tetra caligo.
At is, qui noluit tecum iungi propinquior,
Abiecit de more calceum:
Scilicet nudo inceſſit pede,
Qui tanti Capitis nudatus eſt munere:
Cùm ceſſit Thalami juri,
Eius ſe progenie fraudavit,
Qui jura dat Mundo.
Vt Virum acciperes frugi,
Omen feciſti metendo.
Spicea Corona donareris, ut Ceres;
Niſi magis tibi frugalitas eſſet cordi quàm fruges.

20 Scio Proſperum Aquitanicum Parte 2. *de Promiſſ. & Prædict. Dei c.* 23. velle Ruth Eccleſiæ ex Gentilitate collectæ eſſe figuram, & dicere. Ruth in illo populo dicta eſt, quæ cum eſſet alienigena, ideſt, ex Moabitis veniens, ſub lege Dei, & populo poſita, ea egit, quæ figuram geſtarent Eccleſiæ venientis ex Gentibus. Cuidam enim ex populo hebræo ſe in coniugio matrimonii obtulit. At ille ſervans mandata legis, non ſpecie tractus iuvenculæ, non adoleſcentiæ ſuæ captus ardore, ſe ſe ingerentem ad eum mittit, cui propinquiori ex lege debebatur. Recuſat eam is: qui jure divino pulſatus eſt. Excalciandum lex cenſuit, qui propinquam accipere noluiſſet: qua nota iſte vexatus; illa illi ſociata eſt, qui locum in propinquiori ſervaverat. Sic Eccleſia Gentium etiam populo Iſraelitico in fide Chriſti Domini, in propinquiori ſe ſe obtulit, quam ſuſcipere nolens ritè excalciatus eſt gloria collatæ legis, & infamiæ nota inuſtus: quoniam noluit benedictionem, & longè fiet ab eo. Sicut Apoſtolus eidem populo dicit *Act.* 13. *Vobis primò oportuit annunciari verbum Dei: ſed quoniam expuliſtis illud, nec vos dignos vitæ æternæ judicaſtis, eccè convertimur ad gentes.* Domus enim excalciati in illo populo hoc crimine notabatur. Qui verò eum poſterior accepit, populus, eſt *calciatos pedes habens in præparatione Evangelii pacis. Epheſ.* 6. Quod Evangelium adnunciat *Matth.* 1. Booz, & Ruth Obed genuiſſe, cuius per ſucceſſionem ſeminis uſque ad Ioſeph, & *Mariam*, ipſiuſque Chriſti Domini nativitatem perventum eſt.

21 Proſper præclarè quidem. Sed Albertus Magnus in *Biblia Mariana* pulchram tabulam excellens pingit Apelles, in qua ex geſtis Ruth non tàm virtutes, quàm eximia *Mariæ* facta noſcuntur. Ipſa, inquit, Albertus, eſt ancilla electionis, & operationis. *Ruth* 2. *Dixit Ruth*, quæ interpretatur *videns, feſtinans, indeficiens: Vadam in agrum*, ſcilicet Eccleſię, *& colligam ſpicas*, id eſt, pauperes, cœcos, & claudos, more Filii mei, qui huiuſmodi libenter colligit, *quæ metentium*, ſcilicet mundi, & diaboli, *effugerunt manus*. Diabolus ferè univerſam terram congregaverat, mittens falcem ſuam in meſſem alienam: undè & gloriando dicit *Eſa.* 10. *Vniverſam terram ego congregavi.*

Colligit autem ancilla Dei in agro Eccleſiæ, humiliter: quia *ſpicas remanentes*: fideliter, quia *ſequens meſſorum veſtigia*, ut quod alii abiiciunt, ipſa ſumat. Undè *Pſal.* 26. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.* Perſeveranter, quia uſque in finem mundi, fideles ad ſe congregat. Undè ſequitur: *De manè uſque nunc ſtat in agro, & nec ad momentum quidem domum reverſa eſt.* Item *dixit Booz*, ideſt, Deus: *Colligentem*, ſcilicet *Mariam*, quæ colligit, quos vult, *nemo corripiat*. Item colligit ſapienter: undè ſequitur, *quæ collegerat virgà cædens*, ſcilicet tribulationis, *excutiens, invenit tres modios*, ſcilicet Coniugatos, Viduas, & Virgines: *quos portans* in ſinu miſericordiæ, & in dorſo patientiæ, *reverſa eſt in civitatem*, ſcilicet Ieruſalem Cœleſtem.

22 Item. Ipſa eſt, quæ ſe, & nos veſtivit, & cooperuit, & involuit pallio divinitatis, ſicut dicitur de Chriſto in Præfatione: *Vt nos divinitatis ſuæ tribueret eſſe participes. Ruth* 3. *Dixit Ruth ad Booz*, ideſt, ad Deum. *Ego ſum Ruth ancilla tua, expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es. Et ille: Benedicta*, inquit, *es à Domino filia. Noli metuere, ſed quicquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intrà portas urbis meæ, mulierem te eſſe virtutis. Nec abnuo me propinquum.*

23 Quid tu quoque Bonaventura de noſtra Ruth ſentis, quæ meliùs quàm Ruth antiqua, cum Angelus *Luc.* 1. illi dixiſſet: *Inveniſti gratiam apud Deum*: reſpondere potuit, & licet nos lateat, fortè dixit: *Vndè mihi hoc, ut invenirem gratiam antè oculos tuos, & noſſe me dignareris peregrinam mulierem? Ruth.* 2. Quid inquam, ſentis Bonaventura? Redolet mihi quoddam acutum, fortè meliùs ſapidum, ac dulce, Seraphici commentarium, cum Angeli dictum: *Inveniſti gratiam apud Deum*; exponit: & gratiæ à *Maria* inventæ ponderat utilitatem. Tribus modis gratiæ inventionem in ſpeculo Beatæ Virginis *c.* 5. examinaverat, & loquens de quarto ſubiungit. Quartò inquit, conſideremus chariſſimi gratiæ Mariæ utilitatem. De hac dicitur *Prov.* 11. *Mulier gratioſa inveniet gloriam.* Eccè utilitas gratiæ gratioſæ, *Mariæ* eſt inventio gloriæ perpetuæ. Utiliſſima certè fuit gratia *Mariæ*, & ſibi, & nobis. Utiliſſima, inquam, fuit gratia *Mariæ* ſibi ipſi. Gratia enim delicioſam, gratia miraculoſam, gratia glorioſam fecit *Mariam*. Delicioſam in animo, miraculoſam in filio, glorioſam in regno. Delicioſa certè fuit *Maria* in mente ſpirituali, miraculoſa in prole virginali, glorioſa in diademate æternali.

24 Gratia ergò mentem, & animam *Mariæ* fecit delicioſam deliciis ſpiritualibus, tanquàm Dei vivi ſpiritualem Paradiſum, juxtà illud *Eccli.* 40.

Gra-

Gratia ſicut Paradiſus in benedictionibus. Verè Paradiſus Dei fuit, in benedictionibus multiplicium deliciarum ſpiritualium. De quibus etiam beatus Bernardus ait. Quidni delicias dixerim decus virginitatis, cum munere fœcunditatis, inſigne humilitatis, diſtillantem charitatis favum, miſericordiæ viſcera, plenitudinem gratię, prærogativam gloriæ ſingularis. Item, gratia fecit *Mariam* miraculoſam in prole, miraculoſo conceptu, & partu, dùm miraculosè Virgo peperit, & miraculoſiùs Deum concepit, Deum peperit. Undè de hac eius gratia benè dicitur: *Inveniſti gratiam apud Deum, &c.* De hoc nomine beatus Bernardus ad Mariam loquens dixit. Intellige prudens Virgo, quantam ex nomine promiſſi Filii, & quàm ſpecialem gratiam inveneris apud Deum. Item gratia *Mariam* fecit glorioſam, propter quod benè ſuprà dictum eſt: *Mulier gratioſa inveniet gloriam Prov.* 11. O verè felix inventrix *Maria*, quæ tam magna in mundo, tam magna in Cœlo. Nulla pura creatura tantam gratiam in mundo, nulla tantam gloriam in Cœlo invenit. Et certè tam gratiam, quam gloriam invenit apud Dominum: quia ſicut in *Pſal.* 83. dicitur. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*.

25 Sed certè gratia *Mariæ* non ſolùm utiliſſima fuit ſibi ipſi, ſed etiam nobis, immò toti generi humano. Gratia enim *Mariæ* colligit malos, impinguat bonos, liberat univerſos. Colligit à culpa, impinguat gratià, liberat à morte æterna. Dico ergò, quod gratia *Mariæ* colligit ad miſericordiam, colligit ad Eccleſiam malos. Hoc benè ſignatum eſt in gratia, quam in colligendis ſpicis à meſſoribus derelictis invenerat Ruth, quandò dixit ad Booz: *Inveni gratiam in oculis Domini mei, &c. Ruth.* 2. Ruth interpretatur *videns, vel feſtinans.* Et ſignat Beatam Virginem, quæ verè videns in contemplatione, & benè feſtinans fuit in actione. Videns etiam noſtram miſeriam eſt, & feſtinans ad impendendam ſuam miſericordiam. *Booz* interpretatur *virtus*, & ſignat illum, de quo in *Pſal.* 146. dicitur: *Magnus Dominus, & magna virtus eius*. Ruth ergò in oculis Booz, *Maria* in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ipſa ſpicas, ideſt animas à meſſoribus derelictas, colligere ad veniam poſſit. Qui ſunt meſſores, niſi Doctores, & Rectores? O verè magna *Mariæ* gratia, qua multi ex eis ad miſericordiam colliguntur, qui à Doctoribus, & Rectoribus tanquàm incorrigibiles relinquuntur, &c.

26 Item gratia *Mariæ* bonos impinguat pinguedine gratiæ. Undè in *Eccli. c.* 26. dicitur: *Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum, & oſſa illius impinguabit*. Mulier ſedula *Maria* fuit, de cuius ſedulitate Bernardus ait: *Maria* ſecreta Dei ore tacito, vigili cum corde ſedula ſcrutabatur. Quis huius mulieris eſt Vir, niſi ille, quem Ipſa circundedit in utero? De quo dicit *Ieremias* 31. *Creavit Dominus novum ſemper terram, mulier circundabit Virum*. Huius Viri oſſa, ſunt quicunque in corpore eius, ideſt in Eccleſia fortes ſunt. Iſta oſſa ſuffragante gratia *Mariæ* impinguantur unctionibus gratiæ. Impinguantur inquam, pinguedine Spiritus Sancti, qua & ille impinguari cupiebat, qui dicebat: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea. Pſal.* 62. O quis æſtimare valeat, quam multæ animæ, opitulante gratia *Mariæ*, ſint per gratiam impinguatæ? Immò certè quis æſtimare valeat, quanta in ipſa *Maria* fuit impinguatio gratiarum, cuius gratia impinguata ſunt tot millia animarum? Cuius enim virtutis pinguedine Ipſa caruit, quæ omnium virtutum pinguiſſimum habitaculum fuit? Ait enim Joannes Damaſcenus: *Maria* in domo Domini plantata, & impinguata Spiritu, ut oliva fructifera omnis virtutis habitaculum facta eſt.

27 Item gratia Mariæ liberat à morte æterna univerſos, qui liberantur. Hoc benè ſignatum eſt in Eſther, de qua legitur ſic. *Adamavit eam Rex pluſquàm omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius. Eſth.* 2. Huius autem gratiæ, quam Eſther coram Rege habuit, duplex legitur fuiſſe utilitas. Una quod ipſa diadema regni obtinuit. Alia quod ipſa gētem ſuam morti addictam à morte eripuit. Sic certè Eſther noſtra Beata *Maria* tantam gratiam coram Rege æterno impetravit, quod per hanc non ſolùm Ipſa ad coronam pervenit, ſed etiam Generi humano morti addicto ſubvenit. Undè Anſelmus ait. Quid dignè referam Genitrici Dei, & Domini mei? Per cuius fecunditatem captivus ſum redemptus; per cuius partum de morte æterna ſum exemptus; per cuius prolem, perditus ſum reſtitutus; & de exilio miſeriæ ad patriam æternæ beatitudinis ſum reductus? O ergo Mater gratiæ, fac nos filios gratiæ; fac ut per tuam gratiam veriſſimam, colligamur ad veniam remiſsionis; impinguemur per gratiam devotionis; liberemur à morte damnationis.

§. IV.

Iudith bellatrice pulchritudine, atque virtutum choro belligeram Mariæ *venuſtatem, & virtutum acies præſignaſſe.*

28 NUdam, neque cultam alii pulchritudinem volunt: ego armatam, & benè cultam requiro. Talis venuſtas fuit in Judith, ut hoſtem proſtraret armatum. Pulchritudinem addità pulchritudine armavit, geminatis ſcilicet armis, quibus adverſarium impeteret, & belli Ducem inclytà victorià triumphatum eluderet. Erant in ipſa Charites ſine lenocinio, & Veneres ſine Venere, utpotè quæ caſtimonià loricatum pectus habebat. Quidni ergo reveheret illa triumphum, quæ virtutum choro præcincta pugnabat? Excordem bellatorem mulier cordata devicit. Nimirum quandoque viri deſipiunt, ubi ſeriò fœminæ ſapiunt. Gratiarum ceſtum ſecum ferebat Judith: quid infortunii timere poterat? Sed jam triumphalem, & bellicoſam pulchritudinem Judith tanquam in tabula videamus, quam Maſculus eloquentiæ pennicillo in Encomiis Virorum, ac Mulierum illuſtrium effinxit, non quidem fictis, ſed veris lineamentis.

Dux fœmina facti, ſed præclariſſimi facti.
Omnes hæc vicit Amazones
Vel virtute, vel gloria,

Quanquam Amazoniam non geſtavit Peltam,
In curvatæ ſpeciem Lunæ,
Nè Bellatorem aditura procacem,
Omen ſibi faceret maculæ.
Hoc conſilio non ſumpſit arma, ſed Lilia:
Benè ſibi eſt ominata Victrici,
Quod videlicet efflореſceret Virtus.
In Campum progreſſura cum Hoſte,
Campeſtria tulit inſignia:
Sed Lilia ſibi, non Roſas adſcivit,
Nè quid ſortiretur commune cum Venere.
Caſtos ſe induit in flores,
Vt vità ſpoliaret Inceſtum.
Accepit mundi muliebris ornatum,
Vt dedecoraret immundum.
Induxit aurea pedibus Sandalia,
Vt veſtigia pulchriora virtutis imprimeret.
Calcare voluit hoſtem non ſtrenuè modò, ſed pulchrè.
Cultum adſcivit ſibi, ut eum eriperet Diis.
Incedentem cum faſtu Ducem
Auguſtiore ipſa obſtupefecit inceſſu.
Non eſt cum hoſte congreſſa manu, ſed greſſu.
Captus eſt ille non tàm vultu, quam pedibus,
Sed his proterendus.
Vt urbem ille caperet, obſtruxerat fontes,
Sed manarunt uberiùs civium lachrymæ.
Cum iis negavit aquas,
Sitim accendit ſanguinis.
Occupavit hæc ebrium ſobria.
Diſtrinxit gladium, ubi vidit ſomno ſolutum.
Arripuit pendens è columna Telum,
Vt faceret ſibi omen Conſtantiæ.
Habuit ubi rem præclarè geſtam
Vel inſcriberet, vel incideret.
In molli iacentem purpurà duro ſtravit ferro.
Tumuit cervix non jam faſtu, ſed vulnere.
Rubuerunt oculi non irà, ſed ſanguine.
Victoriam, quam ſomniabat, amiſit.
Lectus ceſſit in feretrum,
Purpura in linteum ſepulchrale.
Ducta triumphalis eſt Pompa,
Hoc maior, quod hoſtis capite minor.
Epinicion non cecinit miles:
Sed Antiſtes Sacrorum,
Quia non arma vicere, ſed vota.
Nunquam litatum pulchriùs,
Quàm cùm Victima cruore turpata.
Nihil viſum in Pompà venuſtiùs,
Quàm Matrona procul à Venere,
Quæ proxima ſtetiſſet inceſto.
Lilia, quæ ſecum tulerat, retulit.
Inermis adiit pugnam,
Sed rediit armata cum Telo.
Novum ſpectaculum: turpè oſtentavit Caput,
Quod pulchro ſuperaverat pede.

29 Sed quo laudabimus elogio bellatricem Deiparæ pulchritudinem, & bellicoſos virtutum, & Gratiarum choros Ipſam circunſtantes quibus laudibus efferemus? Planè mihi videtur Albertum Magnum in Biblia Mariana de hiſtoria feciſſe picturam, & hiſtoriam de pictura, cum librum integrum Iudith aut in Maria deſcripſit, aut de Maria compoſuit; ut neſcias hiſtoriæ nè, an picturæ, potiorem des partem. Sivè ſit ergo hiſtoria, vel tabula picturæ, utrobique in Virgine Beata librum Iudith habes, & geſtorum annales. *liber Iudith*, inquit Albertus. Et quid continet liber iſte? Bellicæ venuſtatis heroica geſta, virtutum acta, earumque enarrat præconia.

30 In noſtra Iudith, ait Albertus, ideſt, in Virgine *Maria* commendatur pulchritudo admiranda, & ſapientia præ cunctis mortalibus veneranda. *Iudith* 11. *Dixerunt ſervi Holophernis*. Non ſolùm Servi Dei Ipſam admirantur, ſed etiam ſervi mundi, & diaboli, *alter ad alterum: Non eſt talis mulier ſuper terram*, immò nec ſuprà Cœlum, *in aſpectu*, quia etiam maculà peccati venialis caruit. *In pulchritudine* exteriori credimus eam pulcherrimam fuiſſe, & optimè diſpoſitam, quò ad Deum, quandò dixit *Luc.* 1. *Eccè Ancilla Domini, &c.* Quò ad Angelum, quandò dixit: *Quomodo fiet iſtud?* Quò ad homines juſtos, quandò *ſalutavit Eliſabeth.* Quo ad peccatores, quandò dixit miniſtris in nuptiis: *Quæcumque dixerit vobis, facite. Ioan.* 2. Quò etiam ad filium ſuum, quandò dixit *Luc.* 2. *Fili, cur feciſti nobis ſic?*

Commendatur etiam Domina mundi, nominis præclara excellentia. Ipſa enim eſt poſt Deum nominatiſſima. *Iudith.* 11. *Holophernes ad Iudith.* Gloſſa. Quæ interpretatur *confitens*, vel *laudans*, & ſignificat *Mariam*. *Magna eris, & nomen tuum*, ideſt, *Maria*, vel maris ſtella, *nominabitur*, quia nominabitur Mater Dei à Deo, ab Angelis, à iuſtis, à peccatoribus, à Patriarchis, &c. *in univerſa terra*, immò in univerſo Cœlo.

Commendatur etiam Sanctiſſima Virgo, ampliſſima charitate quæ conſideratur in hoc, quod non tàm propriam exaltationem, quàm noſtram quærebat liberationem. *Iudith.* 12. Iudith *orabat Dominum Deum Iſrael* ferventiſſime, *ut dirigeret viam eius ad liberationem populi ſui* captivi, & afflicti.

31 Commendatur etiam in ea maxima gratitudo. Gratias enim agebat indeſinenter, prò beneficiis ſibi collatis, & nobis per eam conferendis, ſcilicet ut diabolus ſuperaretur, peccatum deleretur, mundus liberaretur. *Iudith* 13. *Abſciſſo capite holophernis*, ideſt, diaboli, laudando Deum, & nos conſolando, dicit: *Aperite portas*. Gloſſa: ideſt, cordis devotionem, *quoniam nobiſcum eſt Deus*. Gloſſa: Ut carnem infirmitatis noſtræ in me aſſumens, divinitatis ſuæ nos participes faceret, ut propugnator, & victor à poteſtate diaboli nos eriperet. *Et concurrerunt ad eam omnes*, ſcilicet Angeli, quibus dedit lætitiam. Iuſti, quibus gratiam. Peccatores, quibus veniam impetrat. *Et illa aſcendens in eminentiorem locum*: Gloſſa: ad laudandum Deum prò beneficiis ſuis, auditores attollens, dixit: *laudate Dominum Deum noſtrum*. Gloſſa: Non me, *qui non deſeruit ſperantes in ſe*, quia fideliſſimus eſt: *& in me ancilla ſua* humili, devota, *adimplevit* mirabiliter, largiter, utiliter, & ſapienter, *miſericordiam ſuam*, quia incarnatus eſt in me propter peccatores, *quam promiſit* per os Prophetarum *domui Iſrael*, ideſt, Eccleſiæ. *Et interfecit in manu mea*, ideſt, per Filium, qui manus mea eſt, *hoſtem populi ſui*. Gloſſa: ideſt, diabolum *hac nocte* gratiæ, & miſericordiæ. *Ecce caput Holophernis*. Ipſa, de qua dicitur *Geneſ.* 3. *Ipſa conteret caput tuum*.

32 Commendatur etiam in eà maxima fortitudo.

do. *Iudith* 13. *Dixerunt univerſi*, ſcilicet Patriarchæ, & Prophetæ, & omnes fideles, *ad Iudith*, ideſt, ad Virginem glorioſam *Mariam*: *Benedixit te Dominus in virtute ſua*, tibi gratiam, & fortitudinem tribuens, *quia per te*, non per Angelorum, vel Sanctorum aliquem, *ad nihilum redegit inimicos noſtros*, diabolum ſuperando, peccata delendo, mundum vivificando. *Quia hodie*, ſcilicet in die annunciationis, quandò Mater Dei effecta eſt, vel in die aſſumptionis, quandò ſuper omnes choros Angelorum exaltata eſt, *nomen tuum*, Angelis reverendum, hominibus amandum, dæmonibus tremendum, *ita magnificavit* in Cœlo, & in terra, *ut non recedat laus tua de ore hominum*, & omnium Angelorum, *qui memores fuerint virtutis tuæ in æternum*, *prò quibus non pepercisti animæ tuæ*, in die amariſſimæ mortis prædilecti Filii tui, *propter anguſtias, & tribulationem generis tui*, miſerorum filiorum Adam: *ſed ſubveniſti* miſericorditer, viriliter, & fideliter, *ruinæ* magnæ, amaræ, & ignominioſæ, & æternæ, congregationis Dei noſtri. *Et dixit omnis populus*: *Fiat*, *fiat*. *Et ait Iudith ad Achior*: *Caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea*.

33 Commendatur etiam Regina Angelorum à maxima humilitate, quæ conſideratur in hoc, quod omnes vermiculos, perditos filios perditi Adam, fratres ſuos vocat. *Iudith* 14. *Ait Iudith ad omnem populum*: *Audite me fratres*; quorum Soror ego ſum ex natura. Item vocat alibi nos filios. *Prov.* 8. *Nunc ergò filii audite me*, tanquam Matrem: ſed hic audite me, tanquam fratres Sororem. *Suſpendite caput hoc*, crudele, nequam, omni fallacia plenum, quod ego abſcidi, *ſuper muros noſtros*. Gloſſa: in doctrina Evangelica, quæ eſt murus credentium *in illa parte*, in qua oſtendatis apertè, hoſtis ſuperbiam eſſe contritam *Cum exierit Sol*. Gloſſa: docet qualiter hoſtem noſtrum perſequamur. *Cum exierit* de utero meo, *tanquam Sponſus de thalamo ſuo*. *Pſal.* 18. quod factum eſt in nativitate Domini: *Sol*, ideſt, Chriſtus filius meus, illuminans cœcos, inflammans frigidos, fœcundans ſteriles; & ſe, ut Sol, omnibus largiens, & diffundens. *Exite cum impetu* nihil formidantes, ad pugnam contrà mundum, diabolum, & peccatum.

34 Commendatur etiam Beatiſſima Virgo à ſumma ſapientia, per quam diaboli regnum confudit, & caput ſuum contrivit. *Iudith* 14. *Vna mulier Hebræa*, ideſt, *Maria*, *fecit confuſionem* magnam, & inopinabilem *in domo Regis Nabucodonoſor*, ideſt, diaboli. Confudit enim ſuperbiam eius per humilitatem ſuam, aſtutiam per ſapientiam, & ſic de aliis.

Ipſa eſt illa, quæ traxit Filium Dei de Cœlo in uterum ſuum, ut ipſa ſibi Mater fieret incarnationis, & domus habitationis. *Iudith* 15. *Ioachim*: Gloſſa; qui interpretatur *Domini reſurrectio*, ſignificat Chriſtum, *qui de Ieruſalem venit in Bethuliam*. Gloſſa; ideſt, in uterum Virginis: *ut videret Iudith*. Gloſſa: ideſt, probaret fidem, & dilectionem. *Quæ cum exiſſet* per nativitatem, *benedixerunt eam omnes*, *una voce dicentes*: *Tu gloria Ieruſalem*, ideſt, illorum, qui ſunt in Cœlo: *tu lætitia Iſrael*, ideſt, dolentium, & gementium prò peccatis in hoc mundo: *tu honorificentia populi noſtri* abiecti: *quia feciſti viriliter*. Gloſſa: contrà principem mundi. *Et ideò eris benedicta in æternum* à Deo, ab Angelis, & hominibus. *Et dixit omnis populus*: *Fiat*, *fiat*.

Item Ipſa eſt comminatrix omnium lædentium ſervos, & ancillas filii ſui. *Iudith* 16. *Væ genti*. Gloſſa: in perpetuum, *inſurgenti contrà genus meum*, ideſt, cultores Dei. Hactenùs Albertus Magnus, qui Iudith librum integrum edidit de Beata Virgine.

35 Verùm & dictis ſuperaddere libet nonnulla ex Commentariis A Lapide in *Iudith c.* 13. ut continuetur figura. Undè inquit A Lapide. Holophernes typus eſt diaboli, cuius caput vera Iudith, ideſt, Beata Virgo contrivit juxta oraculum à Deo editum, *Geneſ.* 3. Iudith Holophernem terrorem orientis ſingulari certamine quaſi in duello, ſuo ipſius acinace ſinè vulnere velut ludibunda cecidit, & quod magis fuit arduum, pudicitiam è mediis impudicorum caſtris intactam, & opimis ſpoliis triumphantem reduxit. At Beata Virgo innumeras dæmonum phalanges duello ſingulari proſtravit, & in dies proſternit, & caſtitatis triumphum non tantùm in ſe, ſed in omnibus Virginibus, caſtiſque ſui aſſeclis celebravit, & celebrat: immò quod omnia jura naturæ ſuperat, Virgo ſimul eſt, & Mater Dei; ac uno trino cognomine gaudet.

Vna Dei pariter filia, *Sponſa*, *Parens*.

36. Iudithæ acclamarunt Aſſyrii: *Non eſt talis mulier ſuper terram*. Et: *nomem tuum memorabitur in univerſa terra*. Beatæ Virgini quotidiè in eius hymnis acclamat Eccleſia: *Beatam te dicent omnes generationes*.

Iudith forma fuit admirabili, ut ad eam omnes obſtupeſcerent. Beatæ Virgini accinit Eccleſia: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*, *ſpecioſa*, *& ſuavis facta es in deliciis tuis Sancta Dei Genitrix*: immò Chriſtus ipſe in Canticis. *Tota pulchra es amica mea*, *formoſa mea*, *Columba mea*. Porrò Iudithæ pulchritudo Holophernem excitavit ad luxuriam. At Beatæ Virginis forma intuentes excitabat ad caſtitatem. Audi ſanctum Ambroſium *lib. de Inſtit. Virg. c.* 7. Cuius (inquit loquens de Virgine) tanta erat gratia, ut non ſolùm in ſe virginitatis gratiam ſervaret, ſed etiam his, quos viſeret, integritatis inſigne conferret. Viſitavit Ioannem Baptiſtam, nec immeritò manſit integer corpore, quem in tribus menſibus, oleo quodam ſuæ præſentiæ, & integritatis unguento, Domini Mater exercuit. Ità S. Ambroſius. Et Sanctus Thomas 3. *Sent. diſt.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 4. Pulchritudo, inquit, Beatæ Virginis intuentes ad caſtitatem excitabat. Idem enim docet Gloſſa *ſerm. de Conceptione Beatæ Virginis*, quod quidem ex peculiari Dei dono conceſſum eſt.

37 Iuditham timuerunt, & fugerunt Aſſyrii: Beatam Virginem timent omnes dæmones, & impii. Undè S. Bernardus citatus à S. Bonaventura in ſpeculo Beatæ Virginis *c.* 9. Non ſic, inquit, timent hoſtes viſibiles quaſi cæterorum aciem copioſam, ſicut aereæ poteſtates *Mariæ* vocabulum, patrocinium, & exemplum, fluunt, pereunt ſicut cera à facie ignis, ubicunque inveniunt crebram

huius Nominis recordationem, devotam invocationem, ſolicitam imitationem.

Iudith clauſa in oratorio, Deum ſuis jejuniis, ciliciis, precibus, lachrymis Iſraeli conciliavit. Beata Virgo clauſa in cubiculo, ac jejuniis, & gemitis inenarrabilibus obſecrans Deum prò mundi reconciliatione, meruit Angelum pacis Paranymphum excipere, qui eam huius pacis mediatricem per Verbi in ea incarnationem annunciaret.

38 Et infrà interpretans verba acclamationis ab Onia Principe prolata ad laudem Iudith prò tanta victoria, atque trophæo: *Porrò Ozias Princeps populi Iſrael dixit ad eam*: *Benedicta es tu*, *filia*, *à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram*. Huc, inquit, alluſit Gabriel Archangelus ſalutans Beatam Virginem. *Ave gratia plena*, *benedicta tu in mulieribus*: Judith enim fuit umbra, & typus Beatæ Virginis. Undè ſequitur, *Quia hodie nomem tuum ità magnificavit*, *ut non recedat laus tua* (Græcè eſt *Spes tua*, ideſt, memoria, & laus ſpei tuæ, quà ſperans in Deum tantam victoriam Iſraeli peperiſti) *de ore hominum*. Tale prorsùs eſt Nomen Beatæ *Mariæ*, de quò Petrus Chryſologus *ſerm.* 146. Nomen hoc, inquit, prophetiæ germanum eſt, hoc renaſcentibus ſalutare, hoc virtutis inſigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium caſtitatis, hoc Dei ſacrificium, hoc hoſpitalitatis virtus, hoc collegium ſanctitatis: meritò ergò Matris Chriſti Nomen hoc eſt maternum. Hæc Chryſologus. Methodius Orat. in hypapantem: Tuum, inquit, Dei Genitrix, Nomen divinis benedictionibus, & gratiis omni ex parte refertum.

39 Denique in illa verba *c.* 16. *Dies autem victoriæ huius feſtivitatis*, *ab Hebræis in numero Sanctorum dierum accipitur*, *& colitur à Iudæis ex illo tempore uſque in præſentem diem*: poſt aſſertam temporis cronologiam, & Iudith elogium, concludendo figuram, bellicam fortitudinem Deiparæ bellatricis inſigni oſtendit exemplo. Dies autem, inquit, victoriæ Judith in Calendario Hebræorum aſſignatur 25. menſis noni, qui Caſleu dicitur, quo die pariter recolitur memoria dati ignis, & Encæniorum Machabæi, teſte Genebrardo, Torniello, Sigonio, & Saliano, qui & hoc elogium quaſi Epitaphium Iudithæ aſſignat.

Hæc eſt illa Iudith, *quæ mellitam linguæ facundiam*, *quæ Angelicam faciei dignitatem*, *quæ fulgurantes oculos*, *quæ frontis hilaritatem*, *quæ genarum purpuram*, *quæ corallina labia*, *quæ totius oris maieſtatem*, *in arma*, *& ſagittas convertit*, *quibus barbarus caperetur furor*, *& irrita potentia ſterneretur*. *Hæc eſt illa Iudith*, *quæ cum eſſet formæ prodigium*, *extitit nihilominùs miraculum caſtitatis*, *quam jejuniis*, *precibus*, *omnique corporis afflictione ità coluit*, *itaque adamavit*, *ut cum ætate floreret*, *careret liberis*, *divitiis abundaret*, *& gloria*, *ipſos ſeptuaginta quinque annos cælebs*, *atque intaminata fulgeret*. *Vixit à proſtrata Holophernis ſuperbià*, *& concuſſo Babyloniorum Imperio*, *annos duos*, *& ſeptuaginta*, *omninò autem pervenit ad centeſimum quintum*.

49 Judith eſt Beata Virgo, quæ urbes, & fideles ſibi devotos ab hoſtium obſidione liberat, uti liberavit Conſtantinopolim ſibi dicatam, & devotam, anno Domini 717. à triennali Saracenorum oppugnatione, cum illi præſideret S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ad quem proindè ſcribens Gregorius II. Pontifex *Epiſt.* 4. ita ait. *Pugnatricis illius Sanctæ*, *& omnium Chriſtianorum Dominæ miranda facta*, *quæ in ſe declarata ſunt*, *per quæ tu quoque inter hoſtes ſervatus es*, *non ſunt reticenda*. *Illi enim cum inſania multa tumultuarentur*, *tantum invenerunt in ſe adverſitatis hoſtilis*, *quantum eorum cauſa iniuſtitiæ habuit*. *Neque hoc tamen mirandum eſt*: *nàm ſi Bethulia per manus Iudith Iſraelitis ſervata eſt*, *cuius opus Holophernis erat ſublatio*, *& per ea tempora ob id ſalus Iſraelis vocata eſt*: *quomodò non oportebat & tuam Sanctitatem huiuſmodi Propugnatrice utentem hoſtibus Civitatis prævalere*, *ipſamque victoria coronare*, *&c.*

Maximè verò Beata Virgo quaſi vera Iudith defendit *Bethuliam*, quæ Hebraicè ſignificat *Virginitatem*. Ipſa enim cum ſit Virgo Virginum, Virgines quaſi clientes ſuos protegit, uti plurimis omni ſeculo exemplis oſtendit, & nominatim Virgines olim à Tyrannis ad lupanar damnatas (quod ſummum eis erat tormentum: malebant enim ad leonem, quàm ad lenonem damnari, ait Tertullianus in Apologetico) intactas ſervavit per Angelos, vel leones; uti ſervavit S. Agnetem, S. Dariam, S. Luciam, adeoque vix ullam ex eis violatam fuiſſe reperies. Cum ergò ſentis tentationes carnis, invoca Beatam Virginem, & victor evades.

§. *V.*

Quid Abra deſignet in Virgine.

41 TRiumphans Iudith præceſſit: Abra eius ancilla ſuccedit. Ipſa Comes, ipſa arbitra, & ſocia Iudith in tanto facinore, quod de triumphato Holopherne patravit. Ipſa ſpolium hoſtis triumphale, caput ſcilicet Holophernis, in pera ſua revexit; & periculorum, laudiſque conſocia nobilem triumphum peregit. Unde & ipſa non immeritò inter Matronas illuſtres nominatur, & inſita Parthenio Nomini tanquàm luciditſima ſtella refulget.

42 Sed quæritur. Utrum *Abra* ſit nomen proprium, ſivè perſonale. A Lapide in illud *Iudith c.* 8. *Stabitis vos ad portam nocte iſta*, *& ego exeam cum Abra mea*. Multi, inquit, putant τὸ *Abra* eſſe nomen proprium ancillæ Iudith: ſed errant: nam eſt commune ſignificans *ancillam*. Undè *c.* 10. *v.* 2. *& ſeq.* ubi Noſter verit *ancilla*: in Græco eſt *abra*, ergò dicitur quaſi *chabra*, id eſt, *ſocia*, vel potiùs quaſi *abra*, id eſt, *tranſiens*, *pediſſequa*: *aabar* enim ſignificat *tranſivit*. Ita Pagninus. Porrò non fuit hæc vulgaris ancilla Iudith, ſed *quæ omnibus* ejus facultatibus eſſet præpoſita, ut habet Græcus. Hinc Græci ancillas honoratas (quas Itali vocant *Cameriere*) ἄβρας appellant, ut patet ex Menandro in pſeudo-Hercule. Sic *Geneſ.* 24. *v.* 61. Ancillæ Rebeccæ vocantur ἄβραι æquè ac ancillæ filiæ Pharaonis. *Exod.* 7. *v.* 4. Addunt nonnulli *Abram* propriè dici *ancillam*, quæ commenſalis eſt, & amanuenſis, præeſſeque cellæ penariæ:

Hanc enim Spartanis ſignificat ἄβρα. Hæc ille. Catholicon quoque in Summa, nominis originem quærens, ejuſdem eſt ſententiæ, & dicit. Abra, ancilla libera. Et dicitur *Abra* quaſi *abara*: quia *Abaram* ſervum liberum faciebat ſecundùm Huguitionem. *Iudith* 10. *Impoſuit itaque Abræ ſuæ aſcopam vini*.

43 Sed cur ancillæ commune nomen adduxit Scriptura, & perſonale reticuit? Ea opinor de cauſa, ut ex communi ancillæ nomine, ejuſque ſignificatione, ſingulare quoddam, & prægrande agnoſceremus myſterium. *Abra* enim, ſecundum Hieronymum de Hominibus Hebraicis, interpretatur *Patris magiſterium*, vel *Patris exultatio*: ut jam non ſit commune, ſed antonomaſticum, & proprium *Mariæ* Nomen, quæ ſe Domini ancillam appellat. *Maria* quidem eſt *Abra*, id eſt, *Patris magiſterium*, & *exultatio Patris*. Deus enim Pater admirabili magiſterio condidit Matrem Filii ſui, eamque gratiis, & virtutibus ſic exornavit, ut quatenus Dei Mater eſt, nulla pura creatura perfectior Ipsà poſſit inveniri.

44 Et verè Dei Patris magiſterium *Maria*, quam ad Filii ſui præelegit maternitatem, eamque conſtituit thalamum nuptiarum inter divinam, & humanam naturam, cùm in ejus utero Dei filius humanæ naturæ tanquàm Sponſus Sponſæ ſupercœleſti conjugio copulatus eſt. Et quale apparuit Dei Patris magiſterium in hujus thalami ſtructura, ediſſerat nobis Albertus Magnus lib. 10. de laudib. B. *Mariæ*, c. 29. *Maria*, inquit ipſe, thalamus dicitur fabrè compoſitus, id eſt, artificiosè: quia ejus artifex, & conditor Deus. *Hebr.* 11. Ipſam etiam operata eſt ſapientia Dei, quæ eſt *omnium artifex*. *Sap.* 7.

Pulchrè depictus. Picturæ enim hujus thalami figuratæ fuerunt 4. *Reg.* 6. ubi legitur, quòd Rex Salomon omnes parietes templi per circuitum ſculpſit variis cælaturis, & torno. Et fecit in eis Cherubin, & palmas, & picturas varias quaſi prominentes, & quaſi de pariete egredientes. Pictor autem hujus thalami Spiritus Sanctus, de quo dicitur *Eccli.* 38. quòd aſſiduitas ejus variat picturam. *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ, & vigilia ſua perfecit opus*.

Variiſque coloribus aptè diſtinctus videlicet cãdidulo virginitatis, viridi perpetuę ſanctitatis, aureo pretioſiſſimę charitatis, lazurino voluntarię paupertatis, ſapphirino cęleſtis converſationis, hyacinthino contemplationis, liliaceo innocentiſſimę puritatis, roſeo verecũdię virginalis, livido compaſſionis, minio martyrii ſpiritalis, ſinopide patiẽtię ſingularis, croceo angelicæ aſſimilationis, nigredulo humilitatis, pallidulo mortificationis, birillo ſapientiæ cœleſtis, purpureo regiæ dignitatis, marmoreo varietatis omnium virtutum, gratiarum, & donorum.

Formis, & imaginibus decoratus. Habuit enim quaſi imagines Angelorum per concordiam, omnimodam puritatem Patriarcharum per fidem, & ſpem, Prophetarum per ſcientiam de futuris, Apoſtolorum per zelum, Martyrum per patientiam, Confeſſorum per temperantiam, Virginum per humilitatem, & innocentiam, omnium Sanctorum per juſtitiam, & virtutem omnimodam.

Multo deniq; decore venuſtus. *Non eſt enim factũ tale opus in univerſis regnis*. 3. *Reg.* 10. ſcilicet cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Eccè magiſteriũ Dei Patris in ædificio Virginis Dei Matris.

45 Sed nunquid *Maria* fuit exultatio Dei Patris? Exultatio quidẽ, voluptas, & amor Dei Patris: nam ſicut de Filio dixit Pater *Matth.* 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*; ita & potuit dicere de Maria: Hæc eſt filia mea dilecta, in qua mihi benè complacui. Unde Petrus Damianus ſerm. de Annunciat. B. Virginis, vocat eam locum voluptatis Dei. Locum voluptatis, inquit Damianus, uterum Mariæ intelligo, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus, de cujus deliciis Spiritus Sanctus admiratorio ſermone in amoris Cantico ſic eructat: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens?* *Cant.* 6. Nunquid in Angelis voluptatem habet Altiſsimus, in quibus ipſe reperit pravitatem? Nunquid in conſtellatione, vel ſcintillatione ſtellarum, quarum aliæ convertuntur in ſanguinem, aliæ cadunt de Cœlo, aliæ in tenebras obſcurantur? Nunquid in aere, vel igne, vel ventis? Nequaquam, quia non igne Dominus, non in commotione Dominus, non in ſpiritu Dominus: ſi verax eſt ille, qui curru igneo, & equis igneis eſt aſſumptus in Cœlum. 4. *Reg.* 2. Nunquid in aquis, ubi furens, & tortuoſus Leviathan immoratur; aut in terra, quæ ſub maledicto Adæ ſpinas emittit, & tribulos? Non eſt locus voluptatis, niſi uterus Virginis.

46 Beata enim Virgo nedùm eſt domus deliciarum, ac divitiarum, ſed & amoris, & complacentiæ Dei, ut pulchro diſcurſu Ioannes Raulinus Cluniacenſis ſerm. 2. de Concept. Virginis oſtẽdit, dicens. In ſacris Scripturis legimus Dominum triplicem domum, ſcilicet Cęlum, Mariam, & ęternam Beatitudinem habuiſſe. De prima quotidiè recipimus bona naturæ: de ſecunda bona gratiæ: de tertia bona gloriæ. Cœlum enim materiale quoddam cellarium eſt, à quo nobis effunduntur bonitates naturales: ut calor vitalis, vina, fruges, & cætera. Eſt quoque illa larga manus, de qua *Pſal.* 103. *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*.

47 Sed cùm illud non ſufficeret inopiæ noſtræ: cogitavit Dominus aliam facere domum ſibi, & nobis magis accommodam. Sibi, ut ibi hoſpitaretur: nobis verò, de qua nobis bonitates ſpirituales effunderet: dona ſcilicet gratiarum, & unguenta virtutum: quæ ſunt noſtrorum medicamenta morborum. Ædificavit etiam illam domum, ut nobis eſſet propinquior, & magis ad manum, quàm ipſum Cœlum, de quo fluunt nobis bona naturæ: quia magis indigemus bonis gratiæ, quàm naturæ, quantò anima noſtra dignior eſt, & neceſſarior corpore noſtro. Domus autem iſta eſt *Maria*, quæ nobis jamdudum fuit horreum frumenti, & cellarium vini altaris, & olei miſericordiæ: & apotheca totius medicinalis unguenti. Propter quod inanes, & famelici ad Dominum dicere poſsunt: *Replebimur in bonis domus tuæ*. *Pſal.* 64. Nam antè adventum Salvatoris in terra erat inopia, fames, & cariſtia in Ægypto, id eſt, in mundo: donec verus Ioſeph in Beatam Virginem quaſi in granarium ſuum frumenta congeſsit, quibus ſatiaretur Ægyptus tota, id eſt, mundus.

Iſtam etiam domum multum dilexit Deus Pater,

de qua in figura dixit ad filium 3. *Reg.* 9. *Sanctificavi domum iſtam, quam ædificaſti*, ut ſcilicet ponerem *nomen meum ibi in ſempiternum. Et erunt oculi mei ibi*: quia ubi amor, ibi oculus: *& cor meum cunctis diebus*, & non uno tempore tantùm: ubi eſt theſaurus, ibi eſt cor. *Maria* verò theſaurus Domini eſt, & theſauri ſui repoſitorium. Hactenus ille.

48 Felix igitur Abra, quæ ancillæ vocabulo, & interpretatione, Dei Matrem deſignavit. Felix Abra, quæ inclyti facinoris, & gloriæ particeps cum Iudith, triumphi lauream eſt conſecuta. Felix Abra Iudithæ Dominę ſuę pediſſequa, & honoraria ancilla, ad quam non exigua pertinet benedictio. Iudith quoque præ cæteris fortunata, eò quòd geſſerit *Mariæ* typum, quam omnes generationes beatam prædicant, eò quòd genuerit Deum Angelorum reſtauratorem, hominum redemptorem, dæmonumque victorem. Undè Albertus Magnus lib. 1. de laudib. Beatæ Mariæ c. 6. concludens. Et hoc eſt, inquit, quod dicitur *Iudith* 15. in perſona *Mariæ*. *Tu gloria Ieruſalem*, qua deſignantur Angeli, qui ſemper ſunt in viſione Dei, & pace. *Tu lætitia Iſrael*. Per Iſrael animæ beatorum, qui quandoque fuerunt *Iacob*, id eſt, *luctatores*, nunc autem *Iſrael*, id eſt, *videntes Deum* facie ad faciem. *Tu honorificentia populi noſtri*. Per populum ſcilicet Judæorum, id eſt, confitentium peccata ſua, & laudes Dei, & glorificantium Deum, animas juſtorum intelligo. *Quæ feciſti viriliter*, vincendo diabolum, ſicut prophetatum erat *Geneſ.* 3. *Inimicitias ponam*, &c. *Ipſa conteret caput tuum*.

49 Aliter primum, ſcilicet, *Tu gloria Ieruſalem*: vox eſt Angelorum, quorum ruina per eam reparata eſt. Secundum, ſcilicet, *Tu lætitia Iſrael*; vox eſt hominum, quorum triſtitia per eam lætificata eſt. Tertium, ſcilicet, *Tu honorificentia populi noſtri*: vox eſt mulierum, quarum infamia per eam deleta eſt Quartum, ſcilicet *Quæ feciſti viriliter*: vox eſt mortuorum exiſtentium in limbo, quorum captivitas per eam redempta eſt, & reducta.

Aliter. *Tu gloria Ieruſalem*, id eſt, innocentium. *Tu lætitia Iſrael*, id eſt pœnitentium. *Tu honorificentia populi noſtri*, id eſt, peccatorum.

Hæc eſt ergò beata plenitudo, & plena beatitudo Dominæ noſtræ, quæ fons, & origo totius noſtræ beatitudinis: quod enim beatitudinis ab illo magno mari, id eſt, ab illa infinita bonitate Dei Trinitatis ad genus humanum pervenit, totum per hanc venam defluxit: & ideò quidquid nobis mittitur de ſupernis, per gratiarum actionem ad eam referendum eſt, per quam mediatricem habemus proculdubio quidquid gratiæ obtinemus.

CAP. XI.

Extrema clauſula Mulierum illuſtrium, quæ in literis Virginei Nominis continentur, quibus Parentes ipſius Virginis, tanquàm epilogus, adnectuntur.

1 VIrginis Nomen pretioſum quoddam gemmarum dixerim eſſe monile, tot raris inſignitum lapillis, quot Heroides huc uſque Matronas commemoravimus. At nunc ſcintillant aliquæ gemmæ præclaræ, quæ ad admirationem oculos rapiunt intuentium, quaſi in ipſis aliquid magis peregrini refulgeat: inter quas tamen Ioachimum, & Annam Deiparæ Parentes, fulgore potiores eſſe cenſemus. Illos enim, quos Deus elegit Matris ſuæ Progenitores, excellentioribus chariſmatum donis ab ipſo præ cæteris locupletatos exiſtimare debemus. Nam ratione Prolis à ſe editæ, quæ fuit Dei Mater, congruum etiam videbatur, ut eos divina Bonitas eximiis gratiarum monilibus exornaret. Sed jam *Mariæ* Nomen evolvamus, & de ſingulis ipſius elementis ultimum Quinarium Perſonarum Heroidum eruamus. In hoc enim Nomine *Maria*, ſi benè conſideretur, quinque illuſtres Perſonæ inveniuntur, tanquàm gemmæ in pretioſo monili inſertæ, vel quæ ipſum Nomen efformant; videlicet:

Mater Machabæa.

Anna Prophetiſſa.

Reſpha.

Ioachim Pater Virginis.

Anna Mater Virginis.

Et eccè lapides quinque gemmantes. Quis eorum pulchritudinem, colorum varietatem, & virtutes dicendo aſſequi valeat? Nos ſi non omnia, aliquid ſaltem attingere conabimur.

§. I.

Quid expreſſerit Mater Machabæa, quo potuerit Virginem figurare.

2 SI quis virilem animi fortitudinem in Statuam effingere vellet, ejus Simulachrum in Matre Machabæa exculpere, vel potiùs jam exſculptum poſſet contemplari. Tantæ Matris virtus, & fortitudo, quæ in ſuſtinendis natorum martyriis ſtetit immota, toti mundo famoſa eſt, & ſua gloria totum mundum implevit. Statua quidem Mennonis Simulachro vocalior, quę ictibus plagarum in filiis percuſſa ſuaviorem omni Chely concentum edebat. Teſtis Ambroſius lib. 1. de offic. c. 41. Spectabat, inquit, læta filiorum, quot funera, tot trophæa; & morientium vocibus pluſquam pſallentium cantibus delectabatur: pulcherririmam ventris ſui cytharam (*ſeptem quodamodo fidibus inſtructam*) in filiis ſuis cernens, & pietatis har-

moniam omni lyræ numero dulciorem. Qua virtutem Gregorius Nazianzenus *Orat.* 22. incredibiliter admiratus: O virilem, inquit, animum in muliebri corpore! O ſacrificium, Abrahæ ſacrificio majùs, ac præſtantiùs! Nam ille unum alacri animo obtulit, hæc autem populum univerſum filiorum Deo conſecravit.

3 Sed quod, quæſo, Matris tàm generoſæ nomen? Non enim illud Scriptura memorat; ſed ſolùm dicitur 2. *Machab.* 7. *Suprà modum autem Mater mirabilis, & bonorum memoria digna*, &c. Reſpondet A Lapide, quòd in Græcorum Calendario nuncupatur *Salome*; à Joſepho *Salomona*; à Gorionide, & Genebrardo *Anna*, id eſt, *gratia*; à Divo Thoma *Machabæa*, quia *Machabæorum Mater*. Rurſum à Ioſepho *c.* 15. *Abraa*, quia, inquit, piæ Abrahami tolerantiæ filia recordata eſt; ac ſicut Abraham ſuum Iſaac, ſic ipſa ſeptem filios Deo immolavit. Hæc ille.

4 Hiſtoria martyrii filiorum ejus ſub Antiocho Tyranno in Sacris Machabæorũ libris nota eſt. De Matris autem fortitudine, atque animi conſtantia à Patribus in ejus laudem plura dicuntur. Cyprianus de exhortat. martyr. ad Fortunatum. Admirabilis quoque Mater, inquit, quæ nec ſexus infirmitate fracta, nec multiplici orbitate commota, morientes liberos ſpectavit libenter, nec pœnas illas pignorum, ſed & glorias computavit, tàm grande martyrium Deo præbens virtute oculorum ſuorum, quàm præbuerant filii ejus tormentis, & paſſione membrorum. Auguſtinus ſerm. 109. de diverſis c. 6. Diſcant fœminæ, de Matris illius tanta patientia, ineffabili virtute, quæ noverat conſervare filios ſuos. Habere noverat, quæ perdere non timebat. Iſti in ſe ſinguli ſentiendo, illa videndo in omnibus paſſa eſt. Facta Mater ſeptem martyrum, ſepties martyr: à filiis non ſeparata ſpectando, & filiis addita moriendo. Et c. 7. ait eam dixiſſe filio juniori: *Ibi te mihi ſervabit Chriſtus, unde non tollet Antiochus.*

5 Gregorius homil. 5. in Evangel. Non ergò hanc fœminam martyrem dixerim, ſed plùs quàm martyrem, quæ ſeptem pignoribus ad regnum præmiſſis, toties antè ſe mortua ad pœnas prima venit, ſed pervenit octava. Aſpexit Mater, & cruciata, & imperterrita filiorum mortem, ſpei gaudium tribuit, adhibuit dolorem naturæ. Timuit viventibus, gaviſa eſt morientibus. Optavit nullum poſt ſe relinquere; nè ſi quem haberet ſuperſtitem, non poſſet habere conſortem. Ambroſius lib. 7. de Iacob c. 12. Non ſic Luna inter ſtellas refulget, ut inter filios Mater: & cùm eos ad martyrium illuminatura deduceret, refulgebat, & cùm amplexata victores in medio filiorum jaceret. O verè Mater adamante fortior, melle dulcior, flore fragrantior! O indiſſolubile pietatis vinculum! O verè valida charitas ſicut mors dura, ſicut inferi zelus devotionis, ac fidei! Nulla tantarum diluvia paſſionum tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatum. Sicut arca in illo mundi diluvio, totius orbis ſpatiis innocua ferebatur, ita & tu adverſus fluctus tam gravium paſſionum, pietate immobilis reſtitiſti: & cùm poſſes, ſalutem filiorum eligere noluiſti.

6 Ambroſii vox adeò fortiter, & ſuaviter auribus meis inſonuit, ut jam me non Machabæam Matrem inter filiorum neces immobilem, ſed Deiparam tanquam fortiſſimam columnam juxtà Crucem filii ſui Jeſu ſtantem intueri conclamem. De cuius inflexibili fortitudine, atque conſtantia invincibili, cùm filii ſui atrociſſimam Paſſionem videret, Seraphicus Bonaventura in Speculo Beatæ Virginis c. 4. Vide, inquit, chariſſime, quòd *Maria* manſuetiſſima fuit per lenitatem, patientiſſima contrà omnem adverſitatem. Ipſa enim eſt *Maria*, quam Simeon ſic alloquebatur, ſicut in *Luca c.* 2. dicitur: Et dixit ad Mariam Matrem ejus. *Eccè poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, in ſignum cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Hic gladius, acutiſſimam filii paſſionem, ſive mortem ſignat. Gladius corporalis animam nec occidere poteſt, nec vulnerare; ſic acutiſſima paſſio Chriſti, licèt animam *Mariæ* per compaſſionem pertranſivit, ipſam tamen nec per odium occidit, nec per impatientiam vulneravit: *Maria* enim interfectores filii ſui nunquàm odivit: nunquàm contrà eos impatiens fuit. Nam ſi alii Martyres patientiſſimi fuerunt in martyrio ſuo corporali, quantò magis Martyr noſtra *Maria* in martyrio ſuo ſpirituali? De cujus nobili martyrio Hieronymus ait. Quia ſpiritualiter, & atrociùs paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti, plùs quàm Martyr fuit. O mira *Mariæ* patientia, & manſuetudo, quæ non ſolùm patientiſſima fuit, dùm coram Ipſa filius ejus crucifigeretur, ſed etiam dùm antè crucifixionem, propter ipſam filius ejus vilipenderetur, ſicut in Evangelio *Marci* dicitur *c.* 6. *Nonnè hic eſt fabri filius, & Mariæ?* Ubi poſt pauca ſequitur: *Et ſcandalizabantur in ea.* Reverà faber eſt Chriſtus, ſed qui fabricatus eſt Auroram, & Solem. Heu quàm longè à gratia mitiſſimæ Mariæ ſunt, qui tam immites, tam impatientes, tam iracundi ſunt, ſicut commenſales, & ſocii, & vicini ſæpè ſentiunt.

7 An non ſimulachrum fortitudinis *Maria*? An non conſtantis, & infracti animi ſtatua? Talem prorſus ante crucem recognoſcit Ambroſius lib. de Inſtit. Virg. cap. 7. dùm hæc clarè pronunciat. Stabat antè Crucem Mater, & fugientibus Viris ſtabat intrepida. Videte, utrum pudorem mutare potuerit Mater Ieſu, quæ animum non mutavit. Spectabat piis oculis Filii vulnera, per quem ſciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri Mater ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in Cruce Filius, Mater ſe perſecutoribus offerebat. Et hujus inconcuſſæ fortitudinis, ac ſtrenuitatis rationem reddens, paulò poſt ſubjungit: Non enim ignara fuit myſterii, quòd genuiſſet reſurrecturum.

8 Cur ergò non intuemur magnanimam ante Ieſum Matrem ſtantem, non dejectam; erectam, non inclinatam, & luminibus in Crucifixum defixis, ut abſolutiſſimum fortitudinis eſſet exemplar? At forte non Statua, ſed planta, quæ in Solem ſuos ſemper figit obtutus. Et neque ſymbolum a veritate dixerim alienum. Tali quippè ad oſtendendam Matris in Paſſione Filii conſtantiam Placidus Nigidus utitur hieroglyphico *opuſc.* 4. *ſerm.* 5. *de Beata Virgine ſtante juxtà Crucem.* Iam cui, inquit, aſſimilabo te, ſic amantem; ac cui terreſtrium, aut

cœ-

cœleſtium rerum, ſic ardentem, & defixam in Crucifixum, ſimilem faciam ex comparatione? An ſolari illi herbæ, quam herbam ſolis vulgò, latinè Elytropium dicimus? Huic ſanè ex omnibus, & meritò. O igitur pulcherrimam oculis meis, & ſuaviſſimam ob id unum Solis herbam, quæ mihi tantam Matrem, atque Parentem amoris, & dilectionis, ſic repræſentas!

9 Hæc, ut benè omnia teneatis, ejuſmodi herba eſt, atque ita à Naturà erga Solem affecta, in doctrinam hominum, & confuſionem, qui Deum Optimum non amamus, ut *Amantem Solis* Poetæ dixerint, & fabulati ſint, & præ nimio amore in herbam ex puellà converſa. Oritur Sol? Vireſcit planta & ipſa ad ortum Solis, & tanquam oritur fixa humi. Progreditur ille? Et hæc circà illum. Altum tenet ille in meridie, & ſtat? Stat & hæc, erecta foliis, & in radicem ſublimis. Ad occaſum pergit? Pergit & amans herba, Sole capta? Occidit? Occidit. Ità fit, ut ſimillima Soli planta (neque enim ſinè ſimilitudine, atque ſympathià accidunt hæc) ſimilior adhuc eſſe ſtudeat, & conetur. O pulcherrimam oculis meis, atque digniſſimam Solis herbam, & ex omnibus unam gratiſſimam, iucundiſſimamque, quæ mihi ſic tantam Matrem tanti amoris, atq; dilectionis, prę ſentem referens facis?

10 An ignoratis dilectiſſimi, quo affectu amoris per oculos expreſſo, & quò converſa, & in quod intenta oculis Virgo, filii amans pingenda ſit nobis? Equidem non ignoro, ſi mihi tempora varia variè definiatis. Antequam Verbum ad nos deſcenderet, ſuiſque ſe ſedibus contineret, intenta illa oculos in Cœlum ſemper habebat, atque in ſinum Patris, in quo ille erat, defixa. Ubi caro factum eſt & in uterum deſcendit ipſius; depreſſit eò oculos in uterum ipſa ſuum, & in loco ubi ſteterant pedes illius, adorabat quem unicè diligebat. Natus eſt? Erexit in illum oculos. Iacuit in præſepio? & amantis oculi iacuere. Inceſſit? Incedebant. Stetit in Cruce firmus, atque defixus? Stetere firmi, atque defixi. Id ſcilicet illud eſt Evangeliſtæ dicentis, quod *ſtabat iuxta Crucem Maria.* O pulcherrimam igitur oculis meis, & centies, millieſque oculis meis, mihi, & cordi meo gratiſſimam Solis herbam, & jucundiſſimam! Hactenùs ille.

11 Eſt nè ſpecies hæc fortitudinis, & amoris, ſeu fortis, & amoroſæ dilectionis? Quid blatterat ore blaſphemo Etherodoxus ille Brentius in *Mariam* contumelioſus, ut aſſerere audeat Virginem Matrem in Paſſione Filii à fide, & à fortitudine animi defeciſſe? Caniſius contra rabidum canem lib. 4. de Deipara c. 27. dignum duxit, immò neceſſarium, ſtylum ſuum acuere, & moloſſum mordère mordentem, eiuſque væſaniam vel ipſis hæreticorum collegarum ſuorum adversùs ipſum confutare ſententiis. Libet, inquit Caniſius, impudenti Brentio, ut aliàs ſæpè, ita nunc etiam in ordinem redigere Virginem ſacroſanctam, & quod auditu horrendum eſt, eam fide, ac fortitudine animi ſpoliare non veretur, velut Ipſa in ſupremo illo Chriſti agone mœrori ſuccubuerit. Qua in re non ille noſtris tantùm Theologis, quorum ſententias etiam vulgo notas repetere non attinet, ſed ſuis etiam collegis, ac ſociis, qui à Catholica Eccleſia ſæpè diſſentiunt, hic autem cum illa ferè conſentiunt, protervè adverſatur.

12 Etenim illi fidem integram, & inconcuſſam Virgini Matri, cùm iuxtà Filii Crucem aſtaret, perſpicuè largiuntur. Ex quibus Melanchton ingentes quidem dolores, & triſtiſſimas cogitationes fuiſſe ſcribit, cùm Virgo Mater cruci Filii præſens adeſſet, cùm corpus Filii mortui contrectaret, cùm genas, & manus oſcularetur, cùm corpus idem mortuum, ſicut alia cadavera, jacère videret. Sed hic dolor mixtus fide, & ſpe fuit, cùm ſciret Mater Filium eſſe Meſſiam, & per eum deleri peccatum, & mortem, juſtitiamque, & vitam reſtitui. *Ideò ſciebat*, inquit, *certò reſurrecturum eſſe.* Ac alibi rursùs docet, quòd *Maria* ſuſtentarit, & confirmarit animum fide reſurrectionis, quam certò, & brevi ſequuturam credebat. Monet igitur, ut in veris doloribus, & agone mortis ſimus ſimiles *Mariæ*, & cum illa Dominum ſub cruce iacẽtem intueamur. Quid verò Pellicanus? *ſtabat*, inquit, *iuxtà Crucem magnanimiter, Spiritu Sancto pectus eius dignè confirmante, & conſolante.*

13 Suffragatur Bullingerus in ſummo illo *Mariæ* dolore vividam fidem agnoſcens, animumq; illi firmum, & integrum tribuens, ut nimirùm morte Filii toti mundo ſalutarem æquiore animo ferre vellet, ac poſſet. Fatentur prætereà Centuriatores, quod neceſſe ſit excellentem in *Maria* fidem flagraſſe, cùm ſtaret ſpectatrix horrendi ſupplicii, & tormentorum in Filio, quoniam ſtatuerit illum iſta omnia ſuperaturum eſſe. Poſtremò Caſpari Crucigeri verba ſubiiciam. *Hìc cogitemus*, inquit, *de fide, & fortitudine Matris. Longè ſuperat robur humanum hæc fortitudo, quod adeſt Mater ſpectatrix talium ſuppliciorum Filii, & non extinguitur dolore. Nec credibile eſt ullam Matrem in toto genere humano tale ſpectaculum perferre potuiſſe, aut poſſe. Neceſſe eſt igitur magnã in ea lucem, & magnum robur fidei fuiſſe. Meminerat conceptum, norat Prophetarum prædictiones de ſacrificio Meſſiæ, & meliùs eas intelligebat quàm Apoſtoli.* Atque hæc ergò ſatis eſſe puto ad petulantiam Brentii proterendam, qui ſi veteres Theologos negligit, ſuos tantùm ſymmiſtas audiat, quorum teſtimonio ſtans Mater Domini juxtà Crucem, non ſolùm omni ſcandali, ac dubitationis notà vacabit, ſed etiam perfectam fidem, paremque animi fortitudinem cum ſummo illo mœrore coniunxit, &c.

14 Protervi novatoris ore contuſo, præſtat audire Hieronymum Vidam Albæ Epiſcopum, eundemque Poetam, & noſtrorum temporum Poetarum facilè Principem, heroico carmine *lib.* 5. *Chriſtiados* de *Mariæ* juxtà Crucem magnanimitate canentem. Ipſam enim ſtrenuam, & intrepidam hoc modo venuſtè depingit.

Vt verò informi mulctatum funere natum,
Affixumque trabi media iam in morte teneri
Aſpexit coram infelix, ut vidit ahenà
Cuſpide traiectas palmas, palmaſque, pedeſque,
Vulnificiſque genas, fœdataque tempora ſertis,
Squalentem ut barbam, turpatum ut ſanguine crinem,
Dejectoſque oculos durà jam in morte natantes,
Inque humerum lapſos vultus, morientiaque ora:
Alpino ſtetit ut cautes in vertice ſurgens,
Quam neque concutiunt venti, neque ſæva triſulco
Fulmine vis Cœli, aſſiduus neque diluit imber,
Hiſpida, cana gelu, longoque immobilis ævo.

15 O Deipara igitur plùſquam Mater Ma-

cha-

chabæa, & generoſa, & magnanima! An non fortis ſuper omnem fortitudinem Virgo Beata, cum ſtaret juxtà Filii crucem? Dicebat Salomon præ admiratione, & raritate, quod vix una mulier fortis reperiri poſſet: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul, & de ultimis finibus pretium eius. Prov. 31.* At reſpondet Placidus Nigidus Opuſc. 4. *ſerm.* 11. de Virgine ſtante juxtà Crucem. Inventa eſt una in Calvario, & effecta divina virtute, atque gratiæ cœleſtis effuſione. Rara avis in terra, immò & mira, atque ſingularis Phœnix. Et putas non effecta à Virgine juxtà Crucem mirabilia, & non manifeſtatam fortitudinem eius, natura adhuc mirante? Equidem puto longè admiratione maiore mirante, & venerabiliore, quàm anteà fuiſſe naturam admiratam; cùm ſcilicet juxtà Crucem ſtantem vidit, quàm cùm in præſepi parientem: enimverò parientem Cœlo vidit, meliore integra virginitate, ideſt, animo forti, & conſtanti in tormentis.

16 Jam verò Partheniæ fortitudinis Statuam ab Emmanuele Theſauro in elogiis Patriarcharum intueamur exculptam: nam calamo in ſcalprum converſo, pulcherrimam his notis exhibet in Maria Virgine Chriſti Matre *ſculpturam*.

Lauretana hæc Statua, Lucæ ſcalpellum ſenſit.
Vtinam vitæ quoque ſimulachrum calamo edidiſset.
Sed hiſtoriographi officium argumenti divinitas vertit.
Nam cæleſti calamo in ferreum cœlum degenerante,
De Scriptore Sculptor, pro verà effigie ligneam dedit;
Totamque exanimavit hiſtoriam.
Falleris, Viator. Figmentum hoc, Evangelium ſupplevit.
Facundus codex eſt caudex.
Atquì diù ſecum cogitabundus Artifex,
Animi Idæam ligno impreſſit.
Audi myſteria, & mirare.
Primùm, Cedri, Regiæ Arboris, trunco exciſa effigies,
Nobilitatem refert:
Quæ undeviginti luxurioſa Regibus, Virginem tulit,
Tanti Generis non tàm ſtirpem, quam ſtipitem.
Præterea, ex areſcente Materià ſculpitur.
Nam ſterili Matri ingenita eſt Virgo,
Quid enim mortua ex Venere gigneretur, niſi Virgineum?
Nullum in hoc Typo peccatum culpes;
Nullum in Prototypo.
Nè illud quidem Mundo cognatum.
Nàm ſola MARIA Adami lutum non oluit.
Iam ſi Templo Imago, Imagini Templum dicatum;
Templis etiam colenda MARIA, Templum coluit,
Cùm trimula caſtis Aris admota,
Ipſa Deo, ipſi Deus, virgineum florem ſervavit;
Munuſque impetravit, offerendo.
At quod Fabrili materiæ nubilis adhæret forma;
Specioſum cum Fabro coniugium refert:
Immò in coniugio cælibatum.
Nam ſi Statua nuberet, ſic nuberet.
Cernis eodem trunco
Exculptam cum Filio Matrem, cum Matre Filium,
Gemino, & uno corpore;

Vt

Vt dubites utrum ex alio naſcatur?
Habes prodigium illud maximum,
Cùm Deo genita Deum genuit:
Novoquè reciprocæ cognationis vinculo,
Dei Filia, Filii Sponſa, Sponſi Domina, Domini Ancilla;
Cæleſtia humanis, humana Cæleſtibus, compaginavit.
Sed heù brevis voluptas! Vide ut Chriſtifera Imago,
Infantem gremio ſtringit, atque ſcalpenti porrigit.
Sic Filium, Simonis gladio ſcalpendum, obtulit Mater.
Miraris Ægyptium Statuæ cultum, colorem, ſolutum crinem?
Non alià ſpecie profuga hæc Aſtræa,
Herodianam Vulpeculam latuit inter Aegyptios;
Gemino Sole felices.
Sic rerum arbiter, ne Tyrannum perderet, Filium proſcripſit.
Inſigni documento, excutiendos malos Principes,
Non cædendo, non cedendo, ſed recedendo:
Hoc ipſo miſeros, quòd Iuſtitiæ deſertores Iuſtitia deſerit.
Mirum potiùs, cur dexterà puerum ſuſtinente,
Vix dexteræ fidens læva medium amplectitur.
Nam pia Genitrix, in Templo recuperatà Prole,
Rapaces adhuc Synagogæ manus formidat:
Et inter voluptatem, & timorem,
Amplexus geminat, ut affectus.
Quæris divino ut amore flagraverit?
Habes calorem ex colore.
Fuliginoſum hoc lignum, Amoris torrem oſtendit.
Silentium quæris? Statuam taciturnam interroga.
Verecundiam? nil ſuis oculis ampliùs indulſit,
Quàm Statua ſuis.
Clementiam? Suſpice prolatam Chriſti dexteram,
Veluti miſeris benè precantem.
Hanc rogavit Parens; & quicquid rogavit, irrogavit.
Sanè primum, ac poſtremum Chriſti Miraculum,
A Partheniâ Matre impetratum conſtat.
Vt pervicacia ſit dubitare de cæteris.
Refert iam Opificem ſcitari,
Cur diſcriminatis ut in funere crinibus
Dolentem dolavit, ſed erectam.
Certè ſic ſtetit iuxtà Crucem, Cruce altior, & ſolidior.
Callidè igitur fœmineam Statuam ſculpſit Lucas.
Nam Filii mortem ut Fœmina ſenſit, ut Statua tulit.
Quin etiam Cedro ectypam Virginem elaboravit:
Simili cum Cruce ligno.

Nam

Nam Crucis inſtar, Cruci oppoſita;
Et altera alteri patibulum fuit.
Quid? ultima eius fata nil argutiùs exprimat,
Quàm incorrupta è Cedro Statua,
Exanimati, ſed incorrupti corporis typus.
Æterna hæc ſanctio, ut omnia pereant vel immerentia:
Damnata, quià nata.
Poſt omnium mortes, Mors ipſa morietur.
Adeò Parcæ, ne ſibi quidem ſunt Parcæ.
Sola Deipara periit, non putruit; & in ſcrobe refloruit.
Reſtabat erudito operi labor extremus,
Triumphalis ad Cælum Heroinæ curſus.
Hunc denique Imago refert,
Erecta, paludata, auro coruſca.
Tali ſiquidem pompà
Ad illum veniens, qui ad ipſam venerat,
Cælum addidit Cælo.
Quin operi coronam impoſuit Sculptor,
Dùm ſacrum Simulachrum coronavit.
Nimirùm, Cæli Auguſta Terras deſpiciens,
Regia ſemper munera
Optantibus donat, ignaris ingerit, ingratis obtrudit.
Neminem relictura miſerum, niſi qui eſse velit.
Dubitas? Statuam do teſtem.
Ante hanc nemo vacuus rogavit:
Ne Turca quidem.

§. II.

Quid de Virgine prophetaverit Anna Prophetiſſa.

17 Singulari præconio ab Evangelico calamo Matrona novi Teſtamenti, longevæ viduitatis ſtipendiis emerita, laudatur: nàm Lucas cum agit de hypopanti Redemptoris, eiuſque teſtimoniis, etiam Annæ Prophetiſſæ teſtationem inducit, & ut teſti maxima adhibeatur fides, non tam ſanguinis genealogiam, quam virtutum eius hiſtoriam, & vitæ ornamenta deſcribit. Et hæc quidem præmittimus, ut ex iis poſtmodùm quid de Virgine prophetaverit coniectemur. Lucas ergò hiſtoricus Evangelicus *c.* 2. inquit. *Et erat Anna Prophetiſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum Viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens die, ac nocte. Et hæc ipsà horà ſuperveniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.* Breve quidem, ſed multarum laudum operoſum compendium. Et ideò neceſſe eſt Interpretem, ſive adhibere commentatorem, qui per ſingula Capita illas nobis evolvat.

18 Adeſt igitur Albertus Magnus in Lucam, dicens. Nè qua profeſsio teſtimonio Chriſti deſit, aut ſexus, poſt teſtimonium ſenis, inducitur viduæ Annæ teſtimonium: ut ex eiſdem habeamus, & ex tot reparationem vitæ, ex quibus, & quot habuimus initium mortis. Vir enim, & mulier ſibi, & diabolo conſentientes, induxerunt mortem. *Sap.* 1. *Deus mortem non fecit: ſed impii manibus, & verbis acceſſierunt illam.* Similiter Vir, & mulier ſibi invicem, & Deo conſentientes, confeſsione ſua adduxerunt vitam: duo Virgines, Ioſeph, & *Maria*: duo Conjugati, Zacharias, & Eliſabeth prophetaverunt. Supererat de Viduis: & ideò venit ad templum Simeon viduus ut creditur: quia aliter cum uxore veniſset. Venit Anna vidua, nè aliqua vitæ profeſsio deeſset, & vel ſexus. Et hoc eſt: *Et erat Anna.*

Quia verò, ſicut dicitur *Eccli.* 15. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Et *Pſal.* 49. *Peccatori dixit Deus: Quarè tu enarras juſtitias meas, & aſsumis teſtamentum meum per os tuum?* Ideò hæc vidua primo à multis commendatur, & poſteà laudans Chriſtum perhibetur. Commendatur autem à Nomine, à Genere, à Longanimitate, à Caſtitate, & cultus divini devotione.

19 A Nomine quidem, quandò dicitur: *Et erat Anna*: quæ *gratia ejus* interpretatur. *Prov.* 11. *Mulier gratioſa inveniet gloriam.* *Ruth.* 2. *Inveni gratiam in oculis tuis: & noſse me dignatus es peregrinam mulierem.* *Exod.* 33. *Inveniſti gratiam coram me.* Quinque autem hujus Nominis leguntur excellentis famæ mulieres. 1. *Reg.* 1. legitur Anna Mater Samuelis. *Tob.* 7. Anna uxor Raguelis. *Tob.* 1. Anna uxor ſenioris, & Mater junioris Tobiæ. Non legitur autem in Canone, ſed ab omnibus perhibetur, & in Evangelio Nazaræorum legitur de Anna uxore Joachim, Matre B. Virginis. Hìc etiam legitur de Anna teſte Salvatoris. Prima poſtulatum à Deo accepit: Secunda oratione ſua dæmonium à filia compeſcuit: Tertia gaudium de ſupplementis neceſſitatum, & curationis infirmitatum per Angelum recepit: Quarta Filium Dei protulit: Quinta Chriſto teſtimonium perhibuit.

20 Significatur ſpiritualiter, quòd Gratia Dei hęc quinque in quolibet homine perficit, orationem ſcilicet exaudibilem. *Ioan.* 9. *Peccatores Deus non audit: ſed qui fecerit voluntatem ſuam, hunc exaudit.* Secundò prævalet diabolo contra tentationem. 1. *Corinth.* 10. *Fidelis Deus qui non patitur vos tentari ſuprà id quod poteſtis: ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Facit etiam defectus, & infirmitatis curationem. *Pſal.* 103. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.* *Iob* 5. *Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo.* Facit adhuc partum divinum, qui Deum concipit, & parit. *Ruth* 3. *Benedicta filia tu à Domino, & priorem gratiam poſteriori ſuperaſti.* Inducit ad laudem gratiæ. 1. *Corinth.* 9. *Gratias Deo ſuper inenarrabili dono ejus.*

21 Commendatur à Sancti Spiritus revelatione. *Prophetiſsa.* Et hic commendatur à Genere. Et quia nobilitas Generis decoratur virtute: ideò primò laudatur à dono Spiritus, quod in eam à Patre quaſi hæreditariè proceſſit. Hieronymus. Hoc ſolum video in nobilitate Generis appetendum, quòd quaſi quadam neceſſitate aſtringuntur, nè à majorum nobilitate degenerent. Secundò commendatur à Patre. Tertiò à Tribu.

A revelatione autem commendatur, cùm dicitur *Prophetiſsa*: cui Spiritus multa revelavit. *Sap.* 7. *Per nationes Spiritus ſapientiæ in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei, & Prophetas conſtituit.* Quatuor autem fœminæ Prophetę leguntur, & quatuor aliæ Prophetaſse. Et Prophetiſſæ: prima fuit Maria ſoror Moyſi. *Exod.* 15. Secunda fuit Debora. *Iudic.* 5. Tertia fuit Olda Prophetiſſa. 4. *Reg.* 22. Quarta eſt iſta. De quatuor autem prophetantibus. *Act.* 4. *Philippo erànt quatuor filiæ virgines prophetantes.*

22 Prima canebat canticum de redemptione populi, in figura redemptionis filii Dei. *Exod.* 15. *Sumpſit Maria Prophetiſſa tympanum in manu ſua: egreſsæque ſunt omnes mulieres poſt eam, quibus præcinebat.* Secunda prudentia ſua judicabat populum, & expugnavit diabolum in figura ſapientiæ Chriſti, & victoriæ diaboli. *Iudic.* 4. *Erat Debora Prophetis uxor Lapidoth, quæ judicabat populum illo tempore.* Tertia remiſſionem indicabat Regi Iudææ. 4. *Reg.* 12. *Dicite Regi Iuda, qui miſit vos: Colligeris ad ſepulchrum tuum in pace.* Et hoc fuit in figura pacis Chriſti, in qua dimitti ſe rogavit Simeon. Quarta. Iſta propalat ab aliis præfiguratam confeſſionem fidei.

Prima, *Maria* interpretatur *mare*, ſignans amaritudinem pœnitentiæ, & paſſionis, in qua ſubmerguntur ſpirituales Ægyptii. Secunda, *Debora* interpretatur *apis*, in ſignificationem dulcedinis ſapientię Chriſti. *Pſal.* 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Tertia, *Olda*, *diſcretio mea* interpretatur: quia per pacem Chriſti, mali à bonis diſcernuntur: quia *Eſa.* 48. dicitur, quòd *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Quarta, *Anna*, *gratia* dicitur: quia gratiæ Dei fert teſtimonium. *Ioan.* 1. *De cujus plenitudine accepimus omnes gratiam pro gratia.*

23 *Filia Phanuel. Phanuel, facies Dei* interpretatur: quia ita fuit divinus, ut facies Dei in ipſo reſultaret. Undè *Geneſ.* 32. *Vocavit locum illum Phanuel, dicens: Caſtra Dei ſunt hæc: & vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* 1. *Ioan.* 3. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt.* Hic ergò tàm divinus genuit Annam Dei gratiam.

De tribu Aſer. Eccè commendatio à Tribu. Hic autem Aſer fuit octavus filius Iacob, de Zelpha natus, qui ex ordine nativitatis ad beatitudinem pertinet: quia octo ſunt beatitudines per numerum meritorum. *Matth.* 5. quamvis ſint ſeptem per numerum præmiorum. *Ezechiel.* 40. *Octo gradibus aſcendebatur ad templum.* Et ſic pertinet ad teſtimonium novæ gratiæ, quę per octavam reſurrectionis conſecratur, veteri Teſtamento in ſeptenario terminato. *Eccl.* 11. *Da partes ſeptem, nec non octo.* *Aſer* autem interpretatur *beatus*, dicente adoptante eum Matre *Geneſ.* 30. *Hoc prò beatitudine mea. Ex hoc enim beatam me dicent omnes mulieres.* Quæ beatitudo in hac filia Anna confirmata eſt, quæ beatificanti omnes beatos reddidit teſtimonium. *Luc.* 1. *Beata quæ crediidiſti, quoniam perficientur quæcunque dicta ſunt tibi à Domino.* *Deuter.* 33. *Benedictus in filiis Aſer. Sit placens in fratribus ſuis.*

24 *Hæc proceſſerat in diebus multis.* Hìc commendatur à longanimitate piæ, & ſobriæ, & devotæ expectationis conſolationis iſtius. Et dicit: *Proceſſerat*: quia ſemper profecit. *Eccli.* 18. *Cùm conſummaverit homo, tunc incipiet.* *Pſal.* 76. *Dixi: Nunc cœpi. Hæc mutatio dexteræ Excelſi.* *In diebus* autem ponit: quia omnis vita ejus lux fuit virtutis, & nulla nox tenebrarum interpoſita. *Sap.* 18. *Sanctis tuis maxima erit lux.* *Rom.* 13. *Induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus.* Horum dierum multos habuit. *Geneſ.* 24. *Erat Abraham ſenex, dierumque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat illi.* Nondùm autem erat plena dierum: quia hoc donum plenitudinis datur in morte. *Geneſ.* 35. *Conſumptus eſt ætate bona, & appoſitus eſt populo ſuo ſenex, & plenus dierum.* Sic ergò fuit expectando ſalutare Dei promiſſum. *Hebr.* 6. *Sic longanimiter ferens adeptus eſt repromiſsiones.* *Rom.* 2. *An divitias bonitatis, & longanimitatis ejus contemnis?*

25 *Et vixerat.* Commendatur hic ab omni ſtatu caſtitatis. Primò quidem à ſtatu caſtitatis conjugalis: quia vixerat, non mortua fuerat, concupiſcentiis. 1. *Timoth.* 5. *In deliciis vivens mortua eſt. Cum viro:* concordiam notat ſubjectionis. *Eſt enim beneplacitum Deo, & probatum coram hominibus: Vir, & mulier ſibi conſentientes. Eccli.* 25. Notatur etiam in hoc thori fides, quæ Viro ſuo contenta eſt. *Tob.* 3. *Virum in timore tuo, & non in libidine meà conſenſi ſuſcipere. Annis ſeptem,* quaſi cum duce virginitatis ſuæ. *Ierem.* 3. *Dux virginitatis meæ es tu. A virginitate ſuà,* perdità. Et in hoc notatur laus caſtitatis virginalis, quàm antè Virum ſuum cuſtodierat. *Tob.* 3. *Nunquàm cum ludentibus me miſcui, nec cum his, qui in levitate ambulant, participem me feci.*

26 *Et hæc vidua.* Eccè commendatio à viduitate. Quod magnum eſt: quia dicit Ambroſius, quòd juvenes viduæ plùs quàm Virgines tentantur, propter recordationem delectationis expertæ. *Pſal.* 131. *Viduam ejus benedicens benedicam. Iudith.* 15. *Tu lætitia Iſrael, tu gloria Ieruſalem, tu honorificentia populi noſtri, quæ feciſti viriliter; & confortatum eſt cor tuum, eò quòd caſtitatem amaveris, & poſt Virùm tuum alterum neſcieris. Vſque ad annos octoginta quatuor ſuæ ætatis, quandò hæc facta ſunt, quæ hic narrantur.* Octoginta autem quatuor ſunt ſeptiès duodecim. Undè quantum fuit cum Viro in deliciis, tantùm ſe afflixit jejuniis, & viduitatis opprobriis, & penuriis. Hoc autem ſignificatur *Baruch* 4. *Quantum averſi fuerunt ſenſus undè ut provocaretis Deum: Decies tantum convertentes requiretis eum.* Hæc autem non tantùm decies requiſivit, ſed addidit, ut citiùs placeret, & meliùs. De licito uſu matrimonii pœnitentiam fecit, ut conſolationem divinam faciliùs inveniret; imitata Judith viduã, quæ ex quo mortuus eſt vir ejus, ſecretum cubiculum pro templo fecit in ſuperioribus domus ſuæ, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & cilicium habuit ſuper lumbos ſuos. Hæc autem duodecies ſeptem annis vidua fuerat, quæ octoginta quatuor faciunt: duodecim referens ad perfectionem Evangelicæ gratiæ, & ſeptem ad delicias expertas. *Matth.* 19. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.*

27 *Quæ non diſcedebat.* Laudatur hic à cultu: & ponit ſex; inſtantiam videlicet, cultum, afflictionem corporalem, orationis devotionem, ſervitutis obſequium, & obſequii cõtinuitatem indefeſſam. De inſtantià dicit: *Quæ non diſcedebat. Luc.* 11. *Oportet inſtanter orare, & non deficere. Rom.* 12. *Orationi inſtãtes, neceſſitatibus Sanctorum communicantes.* 1. *Theſ.* 5. *Sinè intermiſſione orantes.* Quærit autẽ Gloſſa. Qualiter potuit eſſe, quòd nõ diſceſſit? Sed ad hoc dicẽdum, quòd non dicitur diſcedere, quæ ſemel ſe templo devovit, & per contrarium actum devotionem illam non revocavit: ſicut in projectione lapidis, ſemel ictum facit manus, & hic impetus durat, quandiù lapis non cadit. Ita ergò dicitur, quod non diſcedebat. *Ruth.* 2. *De mane uſque nunc ſtat in agro, & nec ad momentum quidem domum reverſa eſt.*

28 *De templo.* Eccè tangitur cultus. Eccleſiæ enim ſanctæ debemus terere limina. *Pſal.* 83. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Pſal. eodem. Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. Pſal. eodem. Beati qui habitant in domo tua Domine.*

Iejuniis. Commendatio eſt ab afflictione corporali: *Apocal.* 18. *Quantum ſe glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum. Ioel.* 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra.*

Et obſecrationibus. Eccè commendatur à devotione orationis. Eſt autem *obſecratio, ob ſacrum petitio,* vel *oratio*: quia eſt *oratio adjurans Deum per Sacramenta, quæ exhibuit.* Ita & iſta orabat Deum, conteſtans eum per Sacramentum ſuæ veritatis; quia promiſit. *Eccli.* 36. *Da mercedem Domine ſuſtinentibus te: ut Prophetæ tui fideles inveniantur.* Et illud *Pſal.* 50. *Iuſtificeris Domine in ſermonibus tuis. Daniel.* 9. *Avertatur, obſecro, ira, & furor tuus à civitate Ieruſalem.* Et ibidem. *Propter te metipſum inclina Deus aurem tuam, & audi: aperi oculos, & vide deſolationem noſtram.* Sic enim Deum conteſtando ſæpè iſta vidua obſecrata eſt. *Tob.* 12. *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſina.*

Serviens nocte, & die. Eccè continuitas. *Pſal.* 41. *In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum ejus.* Die enim jejunabat, & operibus inſiſtebat, & nocte orabat. Dicitur autem *Serviens*, propter omnium præceptorum Domini ſui obſervantiam. *Pſal.* 42. *Servite Domino in timore, & exultare ei cum tremore. Rom.* 1. *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio filii ejus. Pſal.* 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Pſal.* 62. *Si memor fui tui ſuper ſtratum meum: in matutinis meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus.* Et ſimiliter in die. *Pſal.* 54. *Veſpere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo: & exaudiet vocem meam.*

29 *Et hæc ipsà horà ſuperveniens,* &c. Hic tangitur acceſſus ad prophetiam: & tangit tria: inſtinctum Spiritus Sancti, & confeſſionem Dei, & ædificationem proximi. Inſtinctum Spiritus Sancti tangit, quandò dicit: *Et hæc ipsà horà,* quandò Simeon in ulnas Puerum accepit, per inſtinctum Spiritus Sancti *ſuperveniens* ad alios. Undè Spiritu venit, non vocata: ſicut & Simeon. *Ezechiel.* 1. *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur: neque revertebantur, cùm ambularent.*

Confitebatur Domino. Secundum eſt de confeſſione laudis, & gratiarum actionis. *Pſal.* 108. *Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.*

Et loquebatur de illo. Eccè ædificatio proximi: quia de illo dicens prophetias loquebatur. 1. *Corinth.* 14. *Qui æmulatores eſtis Spirituum ad ædificationem Eccleſiæ, quærite, ut abundetis.* Et hoc eſt, quod ſequitur: *omnibus, qui expectabant* per ſpem. *Luc.* 24. *Nos ſperabamus, quòd ipſe eſſet redempturus Iſrael: redemptionem Ieruſalem.* Jeruſalem nominat, quia ipſa fuit metropolis: & eà redemptà, tota terra redempta intelligitur de manu Herodis, per quem diabolus intelligitur ſecundùm Gloſſam. *Act.* 12. *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Ierem.* 31. *Redimet Dominus Iacob, & liberabit*

eum de manu potentioris. Et eccè abſolutum Alberti Magni Commentarium, ſive Panegyris.

30 Sed nonnè omnia, quæ de Anna Prophetiſſa ſunt dicta, quædam de Deipara prophetiæ eſſe videntur? Ex Nomine, gratiæ plenitudinem, quæ in Beata Virgine ſupereſluxit, præſagivit. Ex ſanguinis Genere, Propheticam, & Regalem Dei Matris proſapiam. Ex dono Spiritus, ſuperventionem Spiritus Sancti in Virginem, qui ſpiritali unctione totam inunxit, & conſecravit. Ex revelatione, divinam Trini, & Unici Luminis ſuperni Apocalypſim in incarnatione Filii Dei in utero Virginis Virgini revelatam. Et quidem Anna vidua Prophetiſſa de Virgine prophetavit, quòd ipſa eſſet Prophetarum Parens, quæ genuit Deum prophetiæ largitorem. Anna ex Patre quaſi divino progenita, Mariam æterni Patris filiam prædixit. Ex Tribu verò originarià, Mariæ beatitudinem, de cujus utero Sanctorum beatitudo proceſſit. Mores autem, atque Annæ virtutes, nonnè typica fuerunt morum, atque virtutum *Mariæ* præſagia? Non immoror in his, quia clara, & perſpicua ſunt.

31 Sed ut aſſeram, & vindicem typicam veritatem à Novatorum falſitate, qui illam conviciis temerariis, & tenebrarum denſitate obruere conati ſunt, ad illos impugnandos me converto. Quid ergò? Nedum ut *Mariæ* typum, quem Annam præferre diximus, expungerent, hiſtoriæ puritatem contaminare ſunt auſi, ſed & ut ab Eccleſia jejunium, & bona opera removerent, de ſola fide ſine operum bonitate ſibi blandiri præſumpſerunt. Caniſius ergo lib. 4. de Deipara c. 12. hoſce tenebriones de utroque ſugillat. Nec de Brentio mihi, inquit, tacere fas eſt, qui mox adjunctam à Luca, planèque cohærentem de Anna hiſtoriam fœdè contaminavit. Deſcribit hanc Phanuelis filiam Evangeliſta, commendans illam à Generis nobilitate, & ſpiritus excellentia, quoniam fuerit de tribu Aſer Prophetiſſa, & à vitę ſanctimonia, ut quæ pudiciſſimam Virginem, honeſtiſſimam Coniugem, & demùm religioſiſſimam Viduam præſtiterit. Quid verò ad hæc Brentius? Primùm illuſtrem Generis Annæ nobilitatem in dubium vocat, ut Tribus ejuſdem humilitatem accuſet. Deindè tàm præclaræ Matronæ jejunium ſic interpretatur, ut eam duntaxat ſobriam vixiſſe contendat; ſicut & Loſſius hunc locum explicans, dixit: *Per jejunium in genere ſignificatur temperantia totius vitæ, ſinè aliquo diſcrimine vel certi temporis, vel victus.* Corradit & Corvinus Scripturæ de jejunio teſtimonia, ut: *Sanctificate jejunium,* inquit *Ioel* 1. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi oratione, & jejunio* è Chriſti ſententia *Matth.* 17. Ex his, aliiſque id genus Scripturæ locis colligi poteſt, ſi Corvino, & Greſero credimus, Chriſtianorum jejunium nihil eſſe aliud, atque perpetuam à ſuperfluo cibi, ac potionis uſu, immò ab omni peccatorum genere abſtinentiam.

32 Sed ò ſuaves, ac Epicuræis gratos jejunii Prædicatores, qui ut carnali licentiæ laxarent habenas, Eccleſiaſticum jejunium in quotidianum ferè vulgi luxum transformarunt, omnemque Chriſtiani jejunii legem, uſum, & diſciplinam è medio ſuſtulerunt. Igitur quòd Anna uſque ad extremam ſenectam diu, noctuque jejunio, & orationibus in templo ſervivit, nihil aliud eſt Brentio, niſi ut ipſe loquitur, quòd ſemper ſobria verbi Dei diſcipula fuerit. Ubi manifeſtam iſtorum fraudem cernimus, qui locum illuſtrem ad bona opera comprobanda tam indignè corrumpunt, ut prò jejunio Evangelico, nonniſi victus parſimoniam, & ſobrietatem nunquàm non omnibus obſervandam intelligant, utque precationes diurnas, & nocturnas ſolo vel præcipuo verbi Dei audiendi, diſcendique ſtudio metiantur. Nos priorem errorem, de Ioanne Baptiſta, ejuſque jejunio diſſerentes exploſimus, ſatiſque convicimus, Chriſtianum jejunium à Philoſophica in victu temperantia, ſive debita parſimonia multum abeſſe: nè alioquin Chriſtum, Apoſtolos, alioſque Patres merita fraudemus gloria, qui non ſolùm ſobriè, & parcè ſemper vixerunt, ſed & auſterè jejunando ſubindè ſua corpora caſtigarunt, certoſque dies precationibus, & jejuniis impenderunt.

33 Alterum verò figmentum vix ulla eget confutatione, quoniam Evangeliſta non ſolùm Annam extollit, ſed etiam in una illa Viduarũ omniũ ſpecimen, & exemplar proponit, nimirùm ut illæ juxtà præceptum Apoſtolicum nocte, & die inſtent obſecrationibus, & orationibus, atque auditi verbi, ſuæque fidei fructum caſtigatione corporis, ſedulitate precandi, & aſſidua pietatis exercitatione teſtentur. Et adhuc blandi doctores iſti Annæ fidem urgere pergunt, opera verò ſtudioſè negligunt, quæ Lucas alioquin diligenter expreſſit, & peculiariter ornavit, ut cultus eſſe Dei, & ad latriam ſpectare dixerit, ſi Græca ejus verba ritè conſiderentur. In eundem ſenſum Paulus, cum à credentibus hoſpitalitatis, & beneficentiæ opera poſtulat, eas hoſtias ad Deum placandum, vel promerendum valere docet *Hebr.* 13. Sicut & Hieronymus jejunare, dare eleemoſynam, & pudicitiam colere, vera nominat holocauſta, de quibus illud præceptum accipi poteſt: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ. Pſal.* 4.

34 Verùm Sarcerius, ut qualeſcunque ſuæ ſectæ ſuppetias ferat, vociferatur: *Ad fidem Sanctorum neceſſariò ligamur: ad Sanctorum opera non ligamur.* Cui ſuccinctè reſpondemus, non ſolùm Sanctorum fidem, ſed & opera nobis in Sacris Literis commendari: opera, inquam, obedientiæ divinis præceptis debitæ, & quę ad propriam cujuſque vocationem pertinent. Undè ſcriptum habemus *Luc.* 10. *Hoc fac, & vives. Io.* 10. *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* 1. *Corinth.* 7. *Volo omnes eſſe, ſicut meipſum.* 1. *Corinth.* 11. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Idẽque Paulus *Hebr.* 13. non ſolùm de imitanda Sanctorum fide, ſed & converſatione, patientia, & morte admonet, nimirùm ut una cum illis non ſolùm auditores, ſed & factores legis, ſi juſtificari volumus, nos totos præbeamus. Novi verò Sectarii, ut re ipſa probent, ſe à Sanctorum communione, moribus, & exemplis abeſſe plurimùm, ſola fide, juſtitiaque imputativa contenti, non jejuniis, ſed ventri, non obſecrationibus, ſed maledicentiæ, & obtrectationibus, non in Dei templo, ſed in ſatanæ ſynagoga, nocte, ac die, utinam non ſerviant. Hùc cum Caniſio, non tamen ſinè cauſa, digreſſi ſumus: redeamus ad Heroinas.

§. III.

Quale adumbret Reſpha myſterium, per quod geſſit Mariæ figuram.

35 ET tu quidem Reſpha in Sacris Literis per pietatis opera elogium meruiſti. Characterem mulieris, & præcipuè Regalis, eſſe Pietatem facto comprobaſti. Immò ipſamet Pietas viſa es eſſe, cùm defunctis parentalia ſolviſti, non ut muliebris Præfica inconditis ululatibus aerem complens, ſed tanquam Matrona virilis cadavera ſuſpenſorum à rapacibus feris, avibuſque cuſtodiens. Argû te dixerim, & Briareum Pietatis. Centum enim oculis ad cuſtodiam invigilaſti, & centum manibus ferarum injurias à mortuorum corporibus abegiſti. Septem enim viris in monte Crucifixis, incipiente hordei meſſione, quid ad honoratum eorum obſequium feceris, paginæ ſacræ 2. *Reg.* 21. teſtantur. *Tollens autem Reſpha filia Ania, cilicium ſubſtravit ſibi suprà petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de Cœlo: & non dimiſit aves lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.*

36 Sed pientior, & melior Reſpha eſt Maria, teſte Alberto Magno in Biblia Mariana *Lib. Reg.* 2. Ipſa enim, inquit Albertus, eſt Mater conſervationis, quæ tandiù peccatores fovet, uſque dùm ipſis gratiam Dei impetret. Unde ſignificatur per *Reſphã*, quæ *currus* interpretatur 2. *Reg.* 21. *Quæ ſeptem viros in patibulo ſuſpenſos*, ſcilicet peccati, propter ſeptem peccata mortalia, *à David*, id eſt à Chriſto, *non dimiſit aves lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem*, id eſt, dæmones prohibens, *donec ſtillaret aqua*, gratiæ ſcilicet, contritionis, & confeſſionis, *de Cœlo*, id eſt, de miſericordia Dei, *ſuper eos*. Gloſſa: Pia ſolicitudo Sanctorum, ſuccurrit precum inſtantià peccatoribus, donec miſericordiam Dei impetret ſuper eos, pravos homines, & malignos ſpiritus compeſcens, nè vitam illorum ulteriùs corrumpant, prava ſuggerendo.

§. IV.

Ioachim Sanctiſſimus Sanctiſſimæ Dei Genitricis Parens, Heroum magnus Heros à Filià inter Heroides ſupremà decoratur.

37 IAm ad Heroum, atque Heroidum metam accedimus, ad Joachimum ſcilicet, & Annam, Auguſtiſſimæ Dei Matris Parentes. Præclarum cœleſtium conjugium Animarum, ex quo editum cœli decus, & Univerſi ornamentum. Quid ni ſelectiſſimis Conjugibus Joachimo, & Annę nuptiale dicemus, & canamus Epithalamium? Non extrà rem judicavit Emmanuel Theſaurus in Heroum elogiis Novæ Ætatis, utrique dicare ſequens

EPITHALAMIUM.

Deſcende Cœlo ubi nil agis Sanctiſſime Hymen,
Duas extrà Cœlum Cœleſtes Animas copulaturus,
Ioachimum, & Annam.
Illum Regià, hanc Sacerdotali ſtirpe.
Vt dotali utroque apice, Nepotem inſtituant
Inter Reges Pontificem, inter Pontifices Regem.
Age: iugalibus nodis, quos Æternitas nexuit,
Cor geminum ſtringe, vel unicum divide:
Vt alter Sponſus ex altero ſpiret.
Sed heu ſpinoſa primordia! initio planges, dùm panges.
Vltrà viginti annos ſterilis ille thalamus,
Nihil niſi lachrymas gignet.
Sed verte Statim lætioribus hanc næniam.
Nam ſterilis Parens
Maiorem prolem utero capiet, quàm mente.
Stupente rerum Naturà
Tàm fœtam, quàm fœtum extrà ſuas leges.
Adde novam inter fœminas laudem,
Citrà Sobolis crimen Matrem fieri.
Nàm cæteræ, Carnifices antequàm Matres,
Partum conficiunt, dum concipiunt.

Vno-

Vnoque momento
E Cœlo demiſſam Animam Orco exponentes,
Vitam largiuntur, & lethum.
Sola MARIA Parentis honos, non onus,
Maternum uterum condecorabit intrando.
Nec deerunt puerperio præſagia.
Renaſcente enim Templo naſcetur Virgo.
Alteram Dei Domum parabit Anna, alteram Herodes reparabit.
In alterà Numini fient victimæ,
In alterà victima fiet Numen.
Creſcet cum Prole Parentum felicitas.
Nam mutuo repignorati amoris officio,
Filia ex Parentibus, per Filiam Parentes vivent.
Ità Ioachimi Penates alterum Cœlum meritò voces;
Vbi Sacra Familiæ Trias,
Corporibus tripartita, Animis una,
Genitor, Genitrix, Genita,
Beabitur, & beabit.
Omnia denique in unum vota colligent
Longævi Coniuges;
Cùm ſeſe Numinis Avos mirabuntur.
Tanta gaudia,
Nec illi ferre, nec tu fari potes. Tace.

38 Quis verò, beatiſſime Joachim, laudes tuas enarrare ſufficiat, & gratiarum dona, quibus te Deus, propter *Mariam* Matrem ſuam, & tuam filiam, ornavit? A quo autem capite exordiar ego præconia tua, cum ex eo quod dicaris *Mariæ* Pater, & Avus Chriſti, hoc tibi ſit integra, & perfecta Panegyris? Ingrediar tamen, & ingenii cymbà, duce, ac nauclero Theologo Pariſienſi laudum tuarum excurram Oceanum, quas quidem à quatuor fontibus oriri, aut in quatuor capita partiri probabo: niſi quod Theologus ille vernacula ſuæ Nationis lingua, ego Latino loquar eloquio.

39 Quidquid Omnipotens Deus potentia ſua produxit, ad quatuor ordines diverſos reducitur; ad naturæ nimirùm ordinem; ad ordinem unionis hypoſtaticæ; ad ordinem gratiæ, & ad ordinem gloriæ. Ordo naturæ propriè conſiſtit in influentia, & cauſarum ſubordinatione, quæ ad conſervationem Mundi in ſuo eſſe naturali incurrunt. Ordo unionis hypoſtaticæ ea inſpicit, quæ propriè ad Ieſum pertinent, quæ ſunt eius incarnatio, atque myſteria. Gratiæ ordo amplectitur media, diſpoſitiones, & formam Sacramentorum, & gratiæ. Ordo denique gloriæ miſericordiam Dei, ſuamque bonitatem includit, quà hominum opera bona compenſat. In his quatuor ordinibus celſitudinis Ioachimi fundamenta locantur. In ordine naturæ, ut Parens *Mariæ*. In ordine unionis hypoſtaticæ, ut Avus Chriſti Ieſu. In ordine gratiæ, ut à ſuis actionibus ſanctificatus. In ordine gloriæ, ut Beatus, ac particeps gloriæ ipſius Dei. Ecce tituli, quos ille in his quatuor habet ordinibus. Eccè prærogativæ, quas ex conſequentià ſuę Paternitatis, officiorum, ſanctitatis, & gloriæ promeruit. Eccè quatuor elevationis ſuæ gradus, quatuorque denique rotæ Currus ſui triumphi.

40 Ordo quidem naturæ primus eſt, quem Deus condidit in mundo, & in quo homines conſiderari poſſunt, ut prima eorum magnitudo videatur: Non tamen ego dicere volo, quod Sanctorum gloria deduci poſſit ab ordine, quem ipſi habent in natura, quandoquidem Sanctitas eſt ordinis ſupernaturalis; ſed quod in hoc ordine inveniuntur relationes quædam, & ſtrictæ neceſſitudines, quæ eos non tam claros efficiunt, quam ad maiores ſublimitates prò fundamento deſerviunt. Ordo naturæ hic eſt, ut aliqui Patres, aliqui ſint Filii; ſed in huius ordinis naturalis œconomia eſt quædam inter Gnatos, & Parentes gloriæ communicatio. Aliquando à Patribus gloria deſcendit ad Filios, quandoque à Filiis aſcendit ad Patres, ubi illam aliquis recipit ſicut filius, ut eandem poſtmodùm tanquàm in radicem ſuam refundat in Patrem. Verùm alium invenio extare ordinem è converſo, magnamque inter familiam Redemptoris, hominumque familiam intervenire diverſitatem: in familià hominum gloria deſcendit, ſed in familià Salvatoris aſcendit; gloria ſuam à Ieſu originem trahit, à Ieſu ipſa ad *Ma-*

riam

riam aſcendit, & ad Ioachim à *Maria*.

41 *Laudemus Parentes noſtros. Eccli.* 44. Si enim Sapiens aſſerit, Filium prudentem, atque ſapientem ſui Patris eſſe coronam, fortiori dicimus ratione, quod ab illis, qui non ſolùm virtutibus moralibus, & humanis, ſed etiam eminenti, & ſupernaturali Sanctimonia ſunt ſapientes, fit quædam in Progenitores ſuos reflexio gloriç. Huius autem refuſionis tres principales aſſignantur rationes. Prima eſt, quia Patres, & Filii ſunt eadem ſubſtantia, ità quod gloria filiorum, ad ipſos ſpectans, reaſcendendo reflectatur in Patres tanquam in eorum principium, ubi fit hæc communicatio bonorum. Secunda eſt, quia filii ſunt Parentum imagines: ità prætenditur, quod illis ſimiles ſint; & propter hoc principium creditur, quod potentia, quæ eſt in filio, reſideat eminenter in Patre. Tertiò denique ratio eſt, quia quidquid agunt filii, illud operantur in virtute educationis, & luminum, quæ à Parentibus ſunt derivata; & quoniam ab eorum documentis manuducti fuerunt, æquum eſt, ut & ipſi participent gloriam ab eorum actionibus reſultantem.

42 Inprimis fateor quidem poſſe nos Divum Ioachimum ab avità Generis nobilitate laudare; ſed prçcipua tanti gloria Patriarchæ ex parte Virginis Sanctiſſimæ, cuius ipſe fuit Pater, deſumitur. Si pagina conſideretur Evangelica, in qua Salvatoris texitur genealogia, nè verbum quidem de Proavis *Mariæ* fit: ſed ratio eſt clara, quandoqnidem Ipſa totam à Ieſu ſuam accipit gloriam. *Matth.* 1. *De qua natus eſt Ieſus.* Et ſimili dicimus proportione, quod *Maria* tota eſt Ioachimi gloria. Si Ioachim progenuit Virginem, ergò Ipſa eandem cum Patre ſubſtantiam habet, undè & uterque unam gloriam habet communem. Si Virgo eſt Ioachimi filia, ergò Ipſa eſt eius imago viva, & iuſtè præſumi poteſt, quod Parens cognoſci debeat ex filiæ ſuæ dignitate, atque nobilitate, tum etiam credi quod eaſdem haberent inclinationes, utpotè Proli communicatas à Patre. Si denique Virgo grandia patravit geſta, & ad formationem corporis Ieſu, atque ad redemptionem mundi contribuit: hæc utique provenerunt à qualitatibus, & dotibus, quas à Ioachimo accepit. Ah! Si igitur hæc ſuffragia Ioachim contulit ad Virginis victorias, ità etiam ſuam debet gloriam participare.

43 Rupertus Abbas Virginem Divam vocat *Arcam Noe duobus ſeminibus factam*. Ipſam Arcæ Noeticæ æquiparat, quæ Mundum ſalvavit, novumque tulit Mundum; quis dubitat, quod Noe ſingularem quandam gloriam ex hoc non ſit conſecutus, quod Deus ipſum elegerit ad condendam hanc Arcam contrà mundi ruinas. Ah! Salvatorem novi Mundi portat *Maria* in utero ſuo: ſed Ioachimus fabricavit hanc Arcam, ipſe fecit, ipſe ex ſua propria ſubſtantia compoſuit. Verùm hoc operationes huius Patriarchæ ſublimat, & ipſa Virgo aliquo modo ex eius naſcitur ſterilitate, atque à nativitate ſua propter tres rationes tranſit ſub imperio Gratiæ. Primò, quia cum Virginis Mater eſſet ætatis multum provectæ, miraculo, potentique providentiâ Dei fuit ipſi conceſſa; & pari quoque divinæ cura ordinationis Ioachim fuit eius Pater. Secundò, Deus non ſolùm particulari ſuæ Providentiæ ſtudio fecit eum Patrem, ſed etiam potentiæ miraculo ipſum effecit Parentem. Sterilitas erat obſtaculum, & huius impedimentum productionis: Dum Pater evadit, hæc eſt gratiarum communicatio, cui poſſumus applicare illud, quod dicitur de Præcurſore: *Gratia operatur, natura miratur.* Quam gratia producit, natura admirando ſuſpicit, nil magis elevatum in his operationibus, quàm eaſdem recognoſcit operationes. *Gratia operatur, natura miratur.* Tertiò denique gratia operatur in Virgine, quia eodem tempore, quo concepta fuit in utero Annæ Matris ſuæ, à peccato originali fuit præſervata: Scio Ioachimum non genuiſſe *Mariam* cum ea concupiſcentia, cum qua cæteri filii Adam concipiuntur; ipſe ſpiritum ſuum cum ſuo ſanguine temperaverat manifeſtè: ſed dicere poſſumus, quod Patri hæc circunſtantia eſt glorioſa; maximè inſpecto, quod filiæ ſuæ gratia prçſidet, Deuſque miraculum operatur.

Quandò fit mentio creationis Univerſi, dicitur quod Spiritus Domini ſe ſuper aquas effudit, *Geneſ.* 1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; ad hoc ut ipſemet eſſet principium, & virtus miraculoſa, quam ſtellis, omnibuſque Naturæ cauſis applicare debebat. Ah! Dicamus Spiritum Sanctum ſe bis ſuper *Mariæ* ſanguinem effudiſſe, ut in momento ſuæ conceptionis miracula bina produceret; unum quidem ad ipſam ſervandam indemnem à culpa originaria, alterum verò ad ipſam fœcundandam abſque ſuæ virginitatis detrimento: eodem tempore, quo Ioachimus dat proli vitam, & ſanguinem, ipſa à Spiritu Sancto gratiæ dono animatur. Hæc eſt gloria, quam habet in ordine naturæ, ſed quæ illi tantò eſt glorioſior, quantò unioni hypoſtaticæ deſeruit.

44 Hic eſt ſecundus ordo, quem Deus ſtabilivit in mundo, cum naturæ hominum ipſe hypoſtaticè eſt unitus, in quo Ieſus primum tenet locum, & conſequenter omnes illi, qui ad eum pertinent, vel aliquam habent cum ipſo propinquitatem: ex his vinculis abſque dubio Incomparabilis gloria provenit Ioachimo, & de illo effari poſſumus quod de quadam Matrona Romana neſcio quis dixit Antiquus: *Veni de purpura.* Meam ab ea familia originem duco, quæ in ſua genealogia nonniſi ſceptra, & coronas enumerat. In hoc ſanè ordine procul dubio poſt Sanctiſſimam Virginem Ioachim primum habet locum: nec dico ſolùm, quia non niſi per primum gradum diſtet à Redemptore, & per propinquitatem ipſum attingat, verum etiam quia ad eum pertinet ex neceſſitate, operando, & multùm ad incarnationis myſterium contribuendo. Hæc eſt Epiphanii ſententia, cùm dixit, quod Ioachimi nomen ſignificat prçparationem Domini. *Ioachim interpretatur præparatio Domini, eò quod ex ipſo præparatum ſit templum Domini, nempè Virgo. Orat. de laudib. Virg.*

Neque ſolùm vult dicere, quod paſſivè ſit præparatio Domini, quatenùs Deus ipſum præparaverit ad gubernationem populi ſui, eumque ad ſublimia officia elevaverit; appellat ipſum prçparationem activam Domini, inquantum quod Deus

eo

eouſus eſt ad faciendas ultimas huius Myſterii præparationes. Invenio Ioachimum tribus excellentibus modis præparationes myſterii Incarnationis feciſſe: Primò, in hoc quod Virgini dedit materiam Incarnationis, & ſanguinem, ex quo ſacrum Redemptoris corpus formatum eſt: Secundò, in hoc, quod Virginem ad hanc eminentem diſpoſuit dignitatem, & ad ſanctitatem, quam Deus in hoc myſterio requirit. Tertiò, in hoc quod templum aliquo modo, & compoſitionem huius Myſterii elaboravit: Primum egit productione filiæ ſuæ; Secundùm mediante paterna, ſanctaque ſua educatione; Tertium verò precibus ſuis.

45 Hoc fuit æternum Dei propoſitum in *Mariæ* nativitate, præparandi ſcilicet Ieſu corpus. Tertulianus admirabiliter dixit, quod quandò Deus primum hominem de limo terræ formavit, cogitabat de Filio ſuo, quem fieri hominem decreverat: *Quidquid enim exprimebatur limus, Chriſtus cogitabatur homo futurus. lib. de Carn. reſur.* Ad ſingula lineamenta, quæ argilloſo ductabat in luto, oculos volvebat ad Ieſum: tale erit aliqua die Filii mei caput; tales erunt oculi eius, cum lucem aſpicient: tales erunt ſuæ manus, cum Crucis affigentur ligno; *Cogitabat Chriſtum formari.* Poſt autem illud tempus, eundem ſemper ſcopum in hominum ſucceſſione continuavit: hacque de cauſa, ad dirigendam tanti ponderis præparationem, voluit Virginem ſuo tempore proprio naſci, illumq; ſanguinem pretioſum per tot Patriarcharum venas tranſvexit, ut hoc medio præpararetur Redemptoris Nobilitati, maiorique puritate in Virginis nativitatem, tùm excellentiori præparatione in Filii ſui perſonam tranſmitti poſſet. Verùm fateri oportet ultimam huius ſanguinis præparationem in perſonà Ioachimi factam fuiſſe, ibique poſtremo ſanctitatis, & nobilitatis charactere inſignitum, ut Virgini uniretur, & immediatè poſt in huius compoſitionem ingrederetur. O integram præparationem!

46 Hoc autem tantò magis glorioſè, quantò quod non ſolùm materiam præparavit Incarnationis, illud volo dicere corpus, quod Verbo unitum eſſe debebat, ſed etiam cauſam moralem Myſterii tam admirabilis. Certum eſt, quod Domina Noſtra huic Myſterio cooperari debebat. Primò, per ſuam ſanctimoniam, debebat ſe reddere dignam, ut eſſet Mater Dei. Secundò, per ſuum conſenſum, quem verbis Angeli præſtare debebat, moni turi eam de divinæ Maieſtatis adventu. Sed quis huic ſanctitati, atque conſenſui eam præparavit? Scio quidem, quod ipſe Deus ſua potentià, ſuà gratià, ſuiſque miraculis eam diſpoſuit; ſed etiam fateri neceſſe eſt Ioachimum ſancta educatione, quà filiam educavit, multum ad huius templi conſtructionem, atque diſpoſitiones contribuiſſe. Undè ei ſimul, & Annæ Sponſæ ſuæ feliciter dicere poſſumus quod dicit Ioannes Damaſcenus: *Vobis omnis creatura obſtricta eſt. Per vos enim donum, omnium donorum præſtantiſſimum, Creatori obtulit: nempè Caſtam Matrem, quæ ſola Creatore digna erat. Orat.* 1. *de Nativit. Virg. Mariæ.* Hoc ſcilicet propter te, Ioachim, fuit, quod Deus Filii ſui adventum voluit procurare, dùm de te filiam naſci fecit, quæ ſola digna erat, ut Dei Mater eſſet. Et quidem extrà dubium eſt, quod magnus hic Heros, aut revelatione, aut aliquo medio ſupernaturali, aut antiqui Teſtamenti lectione, præſcierit filiam ſuam ad magnum aliquod opus deſtinatam eſſe, quandoquidem liberi, qui de ſterilitate procedunt, ſunt prodigia gratiæ, & divinæ miracula Providentiæ.

47 Ah! Quod ſi de ipſius fuit elevatione præventus, quid ipſe non faciat, ut eam tanto munere dignam reddat, præparetque tanto myſterio? Hac de cauſa trimulam Prolem ducit ad Templum, ſacriſque dicat Altaribus, ut neceſſariis ſibi virtutibus divinitus adornetur. Prætereà ipſe ſua addit exempla, eamque inſtructionibus erudit, quæ Numinis decent maieſtatem. Ait enim: *Non præparatur homini habitatio, ſed Deo.* 1. *Paral.* 29. Non præparatur corpus eius, & ſpiritus prò hominibus, ſed magnificum Deo templum erigitur. Dicas igitur Virgo glorioſa, quod virginitate tua cor Filii tui attraxiſti, tuaque humilitate, atque obedientia te dignam reddiſti, ut conciperes, & pareres Redemptorem: ſed etiam fatere, te unam harum prçrogativarum ſortem ſtudio Ioachimi debere, qui ſuis te inſtructionibus erudivit, promovit exemplis. Ipſe ſuà bonà educatione in tuum influxit ſpiritum, ipſe te ad hoc diſpoſuit Myſterium, ſed & ſuis precibus etiam plurimum contulit.

48 Dicimus ergò Ioachimum precum ſuarum efficacià ad myſterium Incarnationis contribuiſſe. Theologi communiter quærunt, utrùm antiqui Teſtamenti Patriarchæ meruerint Incarnationis myſterium, eorumque virtutes potuerint eſſe cauſa, ut naſceretur Meſſias? Reſpondent, quod non potuerunt merere Incarnationem filii Dei quantum ad ſubſtantiam; decreverat Deus humanam aſſumere naturam, abſque ullo ad eorum merita reſpectu. Addunt tamen, quod Patriarchæ meruerint huius myſterii revelationem: quod Abraham, & David ſuis virtutibus eminentibus impetraverint, ut Chriſtus de eorũ familià oriretur, precibuſque ſuis acceleraverint huius operis complementum, quod tot clamoribus, & deſideriis Prophetæ petierant. Nos autem dicimus Ioachimum quodammodò meritũ hoc in ſua compleviſſe perſonà, omnibuſque antiqui precibus Teſtamenti conſummationem dediſſe, ut ſuo in tempore produceretur. Meritum adventus Salvatoris fuit ad inſtar nubis, quæ paulatim ex precibus aliorum Patriarcharum, Abrahami, Iſaaci, Iacobi, eſt efformata; eorum ſuſpiria, & poſtulationes erant tanquam vapores verſus Cœlum tendentes: ſed ultima ſupplicatio, quæ huic merito dedit complementum, à corde Ioachimi exivit, qui talem, ac tantam obtinuit gratiam, ut meritò ei accommodare poſſimus illa Davidica verba: *Præparationem cordis eorum audivit auris tua. Pſal.* 10. Domine, tu audiſti præparationem cordis eorum. Admirabilis Ioachimi gloria, qui tali pacto hoc præparavit myſterium, tantaque proximitate ad Salvatorem accedit. Gloria Parentum Redemptoris deſumitur à propinquitate, quam habuerunt cum ipſo, aut propter ſanguinis neceſſitudinem, quam contraxerunt, aut propter officia illi

exhi-

exhibita; Quis eſt ille, qui magis propinquè ad Salvatorem accedit, quam Ioachimus, qui ſuus eſt Avus? Quis eſt ille, qui ei grandiora pręſtitit officia, quàm ipſe? Quis eſt ille, qui dedit ei *Mariam* in Matrem; quis eſt ille, qui illam prò hoc munere præparavit, & quis eſt ille, qui illam tali munere reddidit dignam? Iſte ſinè dubio eſt Ioachim. Sed poſtquam tantà gloria decoratus eſt in ordine naturæ, & in ordine unionis hypoſtaticæ, qualia debuerunt eſſe eius incrementa in ordine gratiæ?

49 Hic eſt tertius ordo, quem Deus fecit in mundo, & quò homines elevavit, ut ſuam honoris magnitudinem invenirent. Fateor, quod magnam confert homini præeminentiam participium unionis hypoſtaticæ, & propinquitas ad Ieſum: ſed quia S. Auguſtinus nullam facit difficultatem dicendi, quod Virgo beatior fuerit propter gratiæ propinquitatem, quam cum Chriſto habebat, quàm propter ſanguinis cognationem; dicere poſſumus Ioachimum magis propter ſuam ſanctitatem, quæ eſt interior, eſſe elevatum, quàm propter ſanguinis propinquitatem, quæ quodammodo extrà ipſum eſt. Tria invenio principia, quæ dictorum veritatem, & excellentiam oſtendunt. Primum, eſt Dei juſtitia. Secundum, eſt recognitio *Mariæ*. Tertium, eſt fidelitas, & cooperatio Ioachimi alterutro horum mediorum.

50 Docet excellenter Divus Thomas in Deo quandam eſſe ſpeciem Juſtitiæ univerſalis, quà Deus obligat ſemetipſum, quandò homines eligit ad aliquod officium, & dignitatem, ad conferendum ipſis media, & qualitates neceſſarias, ad hoc ut etiam eorundem poſſint gloriam ſuſtinere. Videtis ad quam dignitatem extulerit Ioachimum, cùm eum Virginis Patrem, Ieſuque Avum fecit; videtis quod officium dederit ei, præparandi ſcilicet Deo Matrem: quis honor, ut fuerit factus activa preparatio Incarnationis Verbi: Quomodò potuiſſet tantæ cognationis nodo vinculari, tantique muneris adimplere dignitatem, niſi eminentem habuiſset ſanctitatem? Oportebat ergò, quòd ipſamet Providentia, & juſtitia Dei ipſum ad gratiam præpararet. Atque hoc tantò magis, quantò Redemptor ſibi curam aſsumpſerat gloriæ Avi ſui, ſicut & gloriam Matris ſuæ propriam reputabat, utpotè quæ redundabat in ipſum, de quo illius Antiqui effatum dicere poſsumus: *Matrem Filius coronat*. Ah! Meritum, & Salvatoris corona ſuarum profuſione gratiarum ſe in totum debebat mundum effundere, ſed particulariter in eos, qui ſanguinis cognatione ſibi tàm proximi erant. Aſtrum eſt Ioachim, qui meretur, & hujus pretioſi ſanguinis attrahit influentias. Fateor inter Chriſti Proavos nonnullos inveniri culpabiles; in Geneaologià, quam Matthæus deſcribit, aliqui numerantur, qui nullà penè floruerunt ſanctitate: Et ſinè dubio Proavos hos voluit Spiritus Sanctus omnibus eſse notos, ut nos doceret, quod Salvator venit ad delenda Mundi peccata. Sed cùm Ioachimus magis è propinquo eum attingat, aliquam gratiæ præeminentiam mereri potuit, & dicere oportet, quòd Chriſtus eum fecerit Sanctum.

51 Sed etiam addere neceſse eſt, plurimùm Mariam ad ejus ſanctitatem contribuiſse; quia ipſa omnium gratiarum Redemptoris eſt generale compendium: hoc intelligitur per excellentiam, dùm Ipſa nunc in Cœlo eſt: poteſt tamen dici, quòd quandò ipſa vivebat in terris, magna hujus haberet potentiæ privilegia. Et pro quo illam majori exercuit efficacià, quàm pro Sancto Ioachim, cùm videamus quàm benè hoc medio ſanctificationi Ioſeph ſponſi ſui ipſa ſit cooperata? Dici poteſt, quòd Ipſa tantundem teneretur ad procurandam ſui Patris ſanctitatem, quantùm etiam ad illam Sponſi ſui. Neque hìc ego diſputare volo de eo, quod accidit in natura, & cuinam filia plus debeat amoris, utrum Parenti ſuo, an Sponſo ſuo: cuinam è duobus magis ſubvenire teneatur, cujus bonum majori ſtudio debeat ſolicitare, cujus ſanctitatem ardentiori animo promovere: ſed poteſt dici, quòd principium obligans *Mariam* ad precandum prò Ioachimo, tantò magis eſt magnum, quantò ipſe fuit Pater ſuus, & Ioſeph non fuit niſi ſuus Sponſus. Sed abſque eo quòd immorer in his rationibus, & probationibus, dicimus Virginem tantò magis obligatam fuiſse ad orandum pro Sancto Ioachimo, quantò & ipſe fideliter ſuis gratiis, & benedictionibus eſt cooperatus.

52 Ignoramus quidem ea, quæ in corde Ioachimi durante vitæ ſuæ curſu peracta ſunt: Ex his nihilominùs principiis deducere poſsumus cooperationem ſuam ad gratiam & meriti magnitudinem, quam poſſidet. Fama eſt, quòd hì, qui erant ex Alexandri ſtirpe, aut cum ipſo aliquam propinquitatem habebant, Imaginem Alexandri in veſtibus depictam ferebant, ut ad Iconis conſpectum animos excitarent, ſeque ad virtutem animarent. Pari modo à Proavis Ieſu, & ſingulariter à Ioachimo, & Annà in eorum fide, atque ſpe ferebatur Imago futuri Meſſiæ, & conſequenter ſeipſos præparabant ad eum glorificandum; non oportet niſi præclaram inſpicere vitam, quam in regenda ſua duxit familia, ut fervorem ſui ſpiritus cognoſcamus, & Zelum quem habuit pro gloria Salvatoris. Ah! Quando reflectebat ſuprà ſeipſum, aiebat: Ego ſum è David ſtirpe progenitus, ego deſtinatus, ut ſim Avus Meſſię, ego ſum Pater Mariæ, quæ ſua debet eſſe Mater: Quis dubitat, quod hæ cogitationes acutos non adderent fidelitati ſuæ ſtimulos, nè à tantà gloria degeneraret? Nil aliud eſt neceſſe, niſi inſpicere quomodò ſe geſſerit, ut iudicium feratur, quod eius vita eminens fuit, & ſancta, quodque poſtquam fuit glorioſus in ordine naturæ, poſtquam contribuit ad myſterium Incarnationis Verbi, poſtquam gratiis acceptis cooperatus eſt, hoc medio ſe diſpoſuit ad conſequendum locum ſublimem in ordine gloriæ.

53 Et eccè ultimus ordo, quem prò hominibus Deus fecit, & ad quem cæteri omnes denique confluunt: hic eſt, qui collocat eos in Cœlo. Quod ſi Ieſu diſponit eis media, & auxilia in hoc mundo, hoc non facit, niſi ut gloriam eorum confirmet in ultimo vitæ momento. Sicut terra non erat locus naturalis Chriſti, ità nec in hoc exilii loco Sancti morari debebant: & ſicut ipſi in hoc mundo plurimum ad ſuam gloriam contulerunt, ità & eſt aliqua iuſtitia, quod Ieſus ipſos elevet

ſuper thronos, & ſplendoris hujus gloriæ participes faciat. In Cœlo igitur Joachimum ſpectari debemus, ut integrè Panegyrim ejus abſolvamus; quia certũ eſt, quòd ſicuti tàm propè attigit Ieſum propinquitate ſpiritus, & corporis, ita & unum de primis occupat locis in ejus Imperio. Tres ſunt res principales in Cœlo, quæ ſanctorum gloriam componunt; gloria eſſentialis; gloria accidentalis; & poteſtas, quam habent Sancti apud Jeſum Chriſtum.

54 Gloria eſſentialis, & principalis eſt poſſeſſio, & fruitio Dei, quæ in viſione, & in beatifico conſiſtit amore. Gloria accidentalis conſiſtit in accidentibus hujus gloriæ, quæ deſumuntur à viſione humanitatis Chriſti, & ab omnium conſideratione virtutum illuſtrium, quas Sancti exercuerunt. Poteſtas eſt illa, quam habent ſupra bonitatem, & Dei gratiam pro hominum ſalute. Sed ſi omnes Sancti generalitate quadam his prærogativis ſunt decorati, dicere poſſumus Sanctum Ioachimum, privilegio quodam particulari, & aliqua conſiderabili gloria, his præeminentiis locupletatum fuiſſe.

Quò ad illud, quod ſpectat ad gloriam Sanctorum eſſentialem, unanimi conſenſu ſentiunt omnes Theologi, quòd reſpondeat principio gratiæ, & Sanctitati, quam homines habuerunt in terra: Qualis igitur eſſentialis Ioachimi gloria debet eſſe, qui tantam in vita ſua copiam habuit gratiarum? Quandò intelligere volumus, quænam ſit ſanctitas Ioachimi, iudicare debemus ex gratiis, quas accepit, illa eſt gloria, quam poſſidebit in æternum.

55 Sed quò ad id, quod reſpicit gloriam Sanctorum accidentalem, fatemur illam reperiri in hoc Sancto particularibus privilegiis, & adæquatis inſignitam prærogativis. Si Cœlites felicitatem ſuam inveniunt in Meſſiæ viſione, quænam erit Ioachimi beatitudo; ſi Angeli faciem ejus videre cupiunt, *In quem deſiderant Angeli proſpicere. 1. Pet. 1.* Ah! quis dubitat Ioachimum non videre illud divinum objectum cum aliqua complacentia particulari, quandoquidem in illo aliquam ipſe partem habet, quæ ipſum immediatè produxit; Ipſe materiam hanc præparavit; ipſe etiam aliquid ſui in illo vultu intuetur, quoniam in formanda hujus divini objecti Imagine laboravit. Si Martyres, Apoſtoli, ac Virgines quædam habent particularia in corporibus ſuis Inſignia, quæ repræſentant virtutes ab eis exercitas; nunc etiam poſſumus dicere, quòd dabitur aliquod decus particulare pro proximis Parentibus Redemptoris, cùm hæc corpora concurrrerint ad ſuum efformandum, cùm hæc corpora Ioachim, & Annæ, hæc corpora tam excellentibus conſecrata virtutibus, magis eminenter ad ſuam gloriam contribuerint, quàm omnes Angeli, omneſque alii Sancti?

56 Sed tertiam tandem habent Sancti prærogativam, id eſt, poteſtatem, quam apud Deum habent pro ſalute Chriſtianorum. Propter hanc à populis habentur in pretio. Hæc facit, ut tot ipſis erigantur Altaria, tot conſtruantur Delubra, & quod in ipſis hoc ſupremum veneretur imperium. Quia Deus eorum medio vult populorum operari ſalutem. Ah! Qua ratione comprehendere poterimus magnitudinem ſuæ poteſtatis, atque imperii ſui? Ex parte ſua ipſe meruit honores prò compenſatione ſuæ ſanctitatis, atque virtutum, quas exercuit in hac vita; ex parte *Mariæ*, ipſa ſinè dubio poteſtatem abſolutam habet ſuper diſtributionem gratiarum, quæ in omnes homines diffunduntur, ſuæque orationes omnipotentes ſunt ſuper cor Dei: ſed quid ipſa faciet Ioachimi reſpectu, quam gratiam ipſi poterit denegare, cùm ille ſit Pater ſuus? Ipſa ei communicat partem unam ſuæ poteſtatis, & in Cœlo vult etiam compenſare ſolicitudines, & curas, quas de ipſa habuit in terris. Tandem Ieſus à parte ſua confert ad elevationem imperii ſui, quia ipſe ſuus eſt Avus. Decernunt Leges, Avos poteſtatem ſuper Nepotes habere, & jus ſuper eorum bona poſſidere, tum ſuper eorum poſſeſſiones prætendere poſſe: & quamvis Cœlum terræ legibus non aſtringatur, nihilominùs dici poteſt Ioachimum aliquod jus habere ſuper bona, & gratias Salvatoris: & cum ſit Avus Chriſti, procul dubio poteſtatem ipſi concedet in ſuo imperio benè extenſam, prò compenſatione ſuæ virtutis, & prò ſuæ gloriæ incremento. Et hæc ſcripſimus ex illo Auctore.

§. V.

Laudes Annæ Matris Sanctiſſimæ Dei Genitricis.

57 O' Par beatum Ioachim, & Anna, Ioannes Damaſcenus exclamabat! Et optimo jure. Nàm iterum *orat. 2. de Mariæ nativitate*, hoc idem teſtatur, dicens. Quam beata domus David, ex qua prodiiſti Anna, & beatus venter, in quo Deus ſanctificationis Arcam, hoc eſt, eam, à qua ipſe ſine ſemine in lucem editus eſt, condidit? Verè beata es, ac ter beata, quæ beatitudine donatam à Deo infantem, hoc eſt, *Mariam* nomine quoque ipſo magnoperè venerandam peperiſti, ex qua Chriſtus vitæ flos extitit. De Ioachim ſat dictum. De te quid dixerim, Anna? Si terram te vocem, de qua prodiit aurum optimum ſi campum, de quo ſpica proceſſit, quæ frumentum electorum produxit: ſi mare, ex quo orta eſt pretioſiſſima orbis terrarum margarita: ſi arbos, quæ fructum vitæ germinavit: ſi Cœlum te appellem; re, & nomine Titulum imples.

58 Quapropter Placidus Nigidus opuſc. 4. ſerm. 1. de Virg. Concept. exponens illud *Apocal. 1. Signum magnum apparuit in Cœlo*, & uterũ Annę Cęlũ vocat, in quo viſum eſt hoc tam grande prodigium, nempè *Maria*, dicens. Verùm enim verò in Cœlo ait hoc factum, & ſignum mulierem fuiſſe; nobis ad infantem in utero exiſtentem hæc referenda omnia ſunt (neque enim ſcœnam mutabimus) quæſo antè omnia, breviter tamen, & quid ſit Cœlum, & quæ mulier, videamus. Certè Cœlum, ubi hæc geſta ſunt, uterus Annæ eſt; ibi enim hoc ſignum magnum apparuit. Et qua ratione Cœlum? Et quod? Certè, quia ibi decoris ſpectatores Deus, & Angeli. Ibi Sol, quo mulier veſtitur. Et Cœlum quidem Empyreum; nam

ſedes videntis Deum: & Angelorum Senatus, & aſtrorum matutinorum eò frequentia facta. Jam mulierem dicit infantulam; quia ſive uſus rationis perfectionem ſpectes, ſive gratiæ, perfectiſſima mulier Virgo fuit in utero; ut in utero ipſius filius, de quo *Ierem.* 31. *Mulier circundabit Virum.*

59 Agite dùm his poſitis. *Signum magnum*, ait, *apparuit*. Et quidnam eſt ſignum? Miraculùm. Vexillum. Scopus. Hæc tria ſigno ſignificantur. Omnia Virgo fuit. Magnum miraculum Virgo in utero. Magnum vexillum. Magnus Scopus. Et miraculum quidem naturæ, & gratiæ. In quibus omnibus, ut & in cæteris multis: concepto filio, quantum fieri potuit, filio ſimillima exſtitit. Et naturæ quidem; quia effecta natura eſt in puella adoranda. Certè rudimenta naturæ fuere cætera, *Maria* naturæ miraculum Virgo in utero Annæ fecit hac ex parte. Sed & naturæ adhuc miraculum; quia adjuta ſatis ab artifice Deo miniſtra natura efformando opere. Quo factum, ut è ſterilibus, & ſenibus exſtiterit: è nocte ſcilicet Aurora, & è ſpinis Roſa.

60 Et quidem quò è ſenioribus, & ſterilioribus, eò diviniùs, per conſueta ſapientiæ artificia, in admirationem, & ſtuporem naturæ. Undè ait *Pſal.* 86. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*; tanquàm enim extrinſecus in utero Annæ poſita viſa eſt puella, ut domus ſuper imponitur monti; nihil ipſis operantibus, & concurrentibus. Et quidem non quòd operati non ſint, & non concurrerint; cùm veri exſtiterit Parentes, & procreatores; ſed quòd perexiguam partem: ſi quid per miraculum factum ſit attendatur: habuerint adjuti gratia in operis abſolutionem.

Agite & gratiæ miraculum. Quid eſt, inquies, miraculum gratiæ? Num certæ leges, ac definitiones gratiæ, & limites ſunt? Minimè: ſi Auctoris poteſtatem ſpectes; utique ſi ordinarias leges dandi, & communes menſuras. In quo autem gratiæ miraculum Virgo? Quia nimirùm iis accepit affluentiæ conditionibus, & redundantiæ, quibus nemo alius unquàm, &c. Hæc ille.

61 Verè igitur Anna Cœlum fuit, in quo naturæ prodigium, & gratiæ miraculum apparuit, ſcilicet Virgo Beata. Sed Cœlum hoc alterum peperit Cœlum, nempè Filiam ſuam Mariam, ut inquit Damaſcenus orat. 1. de Nativit. Virg. O beatæ Annæ uterum, quæ Cœlum vivum Cœlis ipſis latius peperiſti! Et Epiphanius orat. de laudib. Virg. Beata Anna gravida effecta, Cœlum, & thronum Cherubicum peperit ſanctam puellam *Mariam*: illa enim reperitur eſſe Cœlum, templum, & thronus. Quàm pulchrum Virgo Cœlum, tot ſtellis ornatum, quot exſculptum virtutibus! Quibus emicat gratiarum radiis, quibus radiat ſanctitatis fulgoribus? Quos autem putamus ab hoc Cœlo in maternum Cœlum, dùm ejus morabatur in utero, derivatos eſſe gratiarum influxus, & effluxus?

62 Præſtat ſanè Placidum Nigidum *opuſc.* 4. *ſerm.* 18. *de Beata Virgine*, eruditè de his audire loquentem. Id utique, inquit, factum eſt, ut res ipſa poſtulabat, at alia ratione; ſiquidem, ut Eliſabeth, Anna ſenſiſſe ſtatim bonum, quod geſtabat in utero, cujus particeps effecta refulſit, credenda eſt. Sanè fuit hoc quidem; nam quam geſtabat in utero Anna, longè major, quàm Præcurſor erat, & longè majoribus donis, ac gratiis in redundationes, & irrigationes, ac repletiones viciniorum præſertim rivulorum venit cumulata, atque aucta. Quo factum, ut cujus conceptio ſimillima conceptioni filii eſſe debuit, nimirùm Virginis; quia Ipſa in omnibus ſimillima filio futura erat; & in hoc in primis fuerit, quòd concepta, & formata in utero Matris, ac perfecta, ſtatim & Ipſa Matrem redundãs gratiis omnibus, doniſque repleverit. Propter quod Annam Sanctiſsimam ex omnibus veteribus, viciniorem, ſi non fonti, aquæductui, licet exiſtimare, &c.

63 Sed quæ Annæ gaudia fuerunt, cùm Cœlum hoc virgineum extra uterum ſuum vidit, & facie ad faciem prò libito potuit contemplari? De hoc immmediatè ſubjungit Nigidus. Sed & illud, inquit, adhuc fas fuit eſſet, ut ex viſibili pulchritudine puellæ filiæ Anna doni dignitatem agnoſceret; enim verò hoc vulgariùs, ac communius eſt, illud peculiariùs. Qui autem privilegia dat Deus, non tollit ideò communia, quia dat privata. Quo ſit, ut non tollet unquam gratiam miraculorum, quia augebit incrementa virtutum. Cujus quidem ratio in dono, ac munere eſt; ſiquidem qui dat Deus, cùm det dono dat, non commutat, non vendit. Undè rectè ille ait, alloquens Virginem. Qui tibi munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abſtulit; nàm ideò hoc non abſtulit, quia dono illud dedit.

Quæ cum ità habeant: ſanè cœleſte donum Anna, & graviſſimarum moleſtiarum unicum levamen, ac ſingulare, non ideò non videre pulcherrimum debuit oculis, quia uberrimum ſenſerat utero; ſed quod intùs ſenſerat ſuprà humanum, & id foris videre, ſibi ſimile, atque reſpondens. Itaque & utero, & oculis gaudere, quæ diu, & uteri ſterilitate, & oculorum lachrymans damna perſenſerat. Itaque ratione Parentum pulcherrima forma, ſive optimè dotata prodiret Virgo puella fas fuit.

64 Dices rurſum. At Job omnia multiplicata cœlitus ſunt. Ut quid igitur Annæ non numeroſitas data filiorum? Nec facta ſterilis habitare in domo, Mater non unius, ſed multorum filiorum lætans, ac gaudens? Sanè, quia ablata Iob in experimenta virtutis bona fuerunt, Annæ dilata in potentiæ ſignificationem. Sic Saræ poſt ſterilitatem unicus filius datus. Et Annæ Samuelis Matri. Et noviſſimè Eliſabeth. Sed qui datus? In quo multi continerentur, compenſante numerum dignitate. Et Iob adhuc filiæ pulcherrimæ ex omnibus exſtitere.

Et quidem hac ipſa ratione, immò & meliore, cum Annà agi debuit. Filia utique danda illi fuit poſt ſterilitatis mala, & incommoda. At Quæ? Quæ ſcilicet data eſt una Matri ſuæ, electa Genitrici, ex infinitis millibus æſtimatione, atque re. Et Abraham quidem ſic in uno lætatus eſt accepto, ut multorum vicem ſuppletam ſibi, immò & auctam intellexerit. Quod Ioannes in Cruce, longè anteà Anna fecit, quæ Virginem puellam ſibi in filiam datam accepit in

ſua. Et fatale quidem Virgini ſemper id fuit, ut in unum data, in omnia acciperetur; quia veniebant omnia bona pariter cum illa, utpotè quæ Sol eſſet, & lux. Fatale, inquam, divinum à Deo Optimo, quandò & Sacerdotes puellam in templo, & puellæ, quæ ibi aſſervabantur, & Angeli, & Apoſtoli, omnes quotquot illam de facie, & virtute ſimul agnoverunt (neque enim de facie ſolùm potuit unquàm cognoſci vera Parens virtutum) acceperunt in ſua *Pſal.* 44. *Vultum tuum deprecabuntur*, ait, *omnes divites plebis*: & jure quidem cum illa ſic actum, in quam vel ab initio ſe infuderat omnis gratiæ plenitudo ejus, qui eſt omne bonum. Hactenus ille.

65 O beata, & felix Anna, quæ talem peperit prolem, ſcilicet *Mariam*, quæ filia fuit non ſolùm naturæ, ſed etiam gratiæ, & ideò nobiliſſima, ut inquit Cluniacenſis ſerm. 2. de Nativit. Virginis. Quod eſſet filia gratiæ per preces impetrata congruebat, quia ſecundùm Damaſcenum, *Maria* à nullo illuſtrium vincitur. Si ergò per preces Anna ſterilis peperit Samuelem, conſequens erat, ut per preces, & promiſſiones pareret Anna *Mariam*. Multum ad bonum partum, & perfectum faciunt bonitas Parentum, & preces ex intimo cordis effuſæ, ſicut orabant iſti. O terque quaterque beata Anna, quæ Cœlum quidem concepit, & gratiæ miraculum, Cœlum portavit in utero, Cœlum pulcherrimum edidit, & immenſum, nempè Sanctiſſimam Dei Matrem! Et quomodò Maria Cœlum immenſum, cùm pura ſit creatura limitata, atque finita?

66 Dubium ſanè theologico dignum cothurno. Quæritur enim, utrum gratia *Mariæ* collata fuerit immenſa? Quicquid ſit, & fuerit nec nè characteris hujuſce, Seraphicus Bonaventura in *Speculo Beatæ Virginis c.* 5. prò parte affirmativa reſpondet. Conſideremus, inquit, gratiæ *Mariæ* immenſitatem: propter hanc dicta eſt gratia plena. Immenſa certè fuit gratia, quà Ipſa fuit plena. Immenſum enim vas non poteſt eſſe plenum, niſi immenſum ſit iſtud, quo eſt plenum. Maria autem vas immenſiſſimum fuit, ex quo illum, qui Cœlo maior eſt, continere potuit. Quis eſt Cœlo major? Certè ille, de quo Salomon ait 3. *Reg.* 8. *Si Cœlum, & Cœli cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi?* Non utique domus per Salomonem ędificata, ſed domus per illã ſignificata Deum capere potuit. Tu ergò immenſiſſima Maria capacior es Cęlo, quia quem Cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. Tu capacior es Mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo.

67 Si ergò *Maria* tàm capaciſſima fuit ventre, quantò magis mente? Et ſi capacitas tàm immenſa fuit gratia plena, oportuit utique quòd gratia illa, quæ tantam impleviſſe potuit capacitatem, eſſet immenſa. Quis immenſitatem Mariæ poteſt menſurare? Eccè quod dicitur in *Eccleſiaſtico c.* 1. *Altitudinem Cœli, latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* Cœlum eſt Maria, tùm quia Cœleſti puritate, cœleſti charitate, cœleſtibus aliis virtutibus abundavit, tùm quia ſedes Dei altiſſima fuit, teſte Propheta, qui dicit: *Dominus in Cœlo paravit ſedem ſuam. Pſal.* 102. Terra quoque Maria fuit, quæ fructum illum nobis protulit, de quo idem Propheta ait: *Terra dedit fructus ſuos. Pſal.* 66. Abyſſus etiam eſt *Maria*, in bonitate, & in miſericordià profundiſsima. Unde etiam profundiſsimam miſericordiam filii ſui pro nobis interpellat: quaſi abyſſus abyſſum invocat. Cœlum ergò eſt *Maria*, terra eſt *Maria*, abyſſus eſt *Maria*. Quis hujus Cœli altitudinem, quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyſſi profunditatem: quis, inquam, *Mariæ* immenſitatem dimenſus eſt, niſi ille ſolus qui Ipſam non ſolùm in gratia, & in gloria, ſed etiam in miſericordia tàm altiſsimam, tam latiſsimam, tam profundam operatus eſt?

68 Quantum igitur putas Parthenium cœlum addidiſſe gratiæ Annæ Matri ſuæ, quæ cœlum hoc peperit? Quibus filia Donis cumulaverit Matrem? Quæ munera, quæ chariſmata, quæ lumina, cœlum Virgineum materno impreſſerit Cœlo? Hæc aſsequi cogitando quis valet? Planè horum aliquid aſsecutus eſt Placidus Nigidus opuſc. 4. ſerm. 2. de Virginis conceptione, cùm dixit. Ab initio quidem, & ex indè cùm corpus ejus animæ in utero Matris conjunctum eſt, hæc eſt Virgo ſapientiſsima: nec mirere; ſimillima filio ſuo eſſe debuit, vel in hac re, ad omnem amoris perfectionem. Quarè ſicut filius ejus natus eſt in utero filius, & Pater ſimul omnium; ita & Ipſa eadem ratione nata eſt filia, & Mater. Annæ quidem filia, omnium Mater. Quid? Quòd & Annæ ipſiuſmet Mater, quam redundans gratiis in utero largè, fuſeque replevit; præſertim ſapientia, qua meritò futura æternæ Sapientiæ Mater, præ cæteris donis, ac gratiis copioſius abundavit.

69 Cui igitur aſsimilabo te, Anna, quæ infantulam *Mariam*, Cœli decus, naturæ prodigium, gratiæ miraculum, ac præclarum produxiſti humani generis ornamentum? Vaticinium illud Eſaiæ: *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*; Gregorius interpretatur de Deipara: Mons quippè, inquit, in vertice montium fuit, quia altitudo *Mariæ* ſuprà omnes Sanctos refulſit. Sed per montem in vertice montium ſitum (ait Placidus Nigidus opuſc. 4. ſerm. 3. de Virg. conceptione) non tàm ego Virginem ipſam, quàm Parentem ipſius Annam interpretor. Ipſa enim Virgo Domina domus Domini fuit, in qua ſpiritualiter ſemper, corporaliter novem menſes Dominus, ſumma cum ſui gloria, ex quiete tandem inventa, inhabitavit. Anna verò in vertice montium manu Dei providentis, & magnifici ſitus, ac collocatus; ſanctior ęnim poſt Virginem Dominam Anna, & gratiis, ac privilegiis eminentior tantò univerſis; quantò ſi non fonti, aquæductui tamen gratiarum vicinior. Hinc & nomen ipſius nomini Virginis Dominæ, ſi interpretationem attendas; & vita vitæ; & partui partus: ſi hiſtorias conferas: ſimillimus. Meritò Eccleſia in tanta montis ſublimia, tamque excelſa, converſa oculos, mentemque aliquandò, ait: *Deus qui Beatæ Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut mater Genitricis filii tui effici mereretur*: Tanta enim fuit, ut cùm admirari illam poſsis, non poſsis exprimere.

70 Et ad hoc faciunt quæſtiunculæ duæ, quas Guillelmus Pepinus *ſerm. 2. de B. Anna proponit*. Prima igitur quæſtiuncula eſt: Cur in libro Sacræ Scripturæ tam Veteris, quam novi Teſtamenti non fit mentio notabilis de beata Annà, maximè cum talis, ac tanta fuiſſe credatur, ità ut etiam meruerit illam Sanctiſſimam Virginem portare, quæ portare meruerit Dominum Ieſum Chriſtum? Reſpondetur ad hoc, quod propter duas rationes. Prima eſt ex parte Spiritus Sancti, qui noluit, quòd Evangeliſtæ de hoc facerent mentionem, eò quod iſtud debet ſupponi a b omnibus Chriſticolis, tanquam verum, maximè cum ipſa ſit Genitrix Virginis *Mariæ*. Undè ex hac parte traxit quandam ſpecialem ſanctitatem, ſicut & filia eius *Maria* ex hoc, quod fuit Mater Chriſti. Utriuſque tamen ſanctitas longè diſſimilis eſt. Secunda ratio eſt, ut ſic fideles haberent maius meritum ex tali devotione, & pio affectu ad ipſam. Nam, ut dicit Maximus in *Serm. de Corpore Chriſti*: Ubi eſt magna fidei perfectio, erit etiam copioſa remuneratio.

71 Secunda queſtiuncula eſt: Utrùm beata Anna fuerit poſt filiam ſuam Chriſtiferam *Mariam* cæteris mulieribus Sanctitate præſtantior? Reſpondetur ad hoc probabiliter, quod ſic. Hoc autem probatur tali ratione. Quicunque eligitur à Deo, ipſo facto ſpecialis prærogativa Sanctitatis confertur eidem, ſic ſcilicet quòd qui eligitur ad aliquod maiùs, maiorem etiam obtinet Sanctitatem, ut ſit dignus, & capax talis dignitatis, iuxta illud verbum Moyſi *Numer. 17. Quemcunque elegerit Dominus, ipſe erit Sanctus*. Dicit etiam Auguſtinus in Gloſſa ordinaria ſuper *Epiſt. ad Epheſ. 1.* exponendo illud: *Elegit nos antè mundi conſtitutionem*: quod Deus quos elegit, facit bonos. Ex prædictis ergò poſſumus ſic argumentari. Quos eligit Deus, facit bonos, & Sanctos. Ergò quos magis eligit, ideſt, ad maiorem dignitatem ſpiritualem eligit, facit eos magis Sanctos; & quos maximè, maximè: juxtà illam maximam Topicam: *Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ità magis ad magis, & maximum ad maximum*. Sic eſt autem quod Deus elegit ab æterno beatam Annam, ut eſſet Mater Matris filii ſui, quod fuit valdè magnum, & magnæ dignitatis opus. Ergò fecit illam valdè Sanctam. Smiliter filiam ſuam, quam elegit ad maiorem dignitatem, ut ſcilicet eſſet Mater Dei, fecit eam Sanctiorem, ſivè, ut meliùs loquamur, Sanctiſſimam. Patet ergò Sanctitas ipſius Annæ ſuprà cæteras mulieres præter filiam eius Chriſtiferam *Mariam*.

Quantum ergò, Beatiſſima mulier, tibi Reſpublica debet Chriſtiana, cui gratiarum theſaurum produxiſti; quantum verò Carmelus meus titulo quodam particulari tibi ſit obſtrictus, innoteſcit, cum filiam tuam dederis ei in dulciſſimam Matrem: Quapropter jure optimo lætabunda, & gaudens Prophetica familia ſibi hanc maximam felicitatem, tibi ſummum collatum honorem recolendo gratulatur, dicens: *Anna Parens ſublimis Dominæ, quæ eſt Mater miſericordiæ, Gemma lucens Cœleſtis Curiæ. Te veneramur amore Filiæ*.

MYS-

MYSTICÆ ANATOMIÆ SACRATISSIMI NOMINIS DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ LIBER QVINTVS.

CAPUT PRIMUM

Hieroglyphica è Cœleſtibus, & ſuperioribus petita, quibus Beata Virgo figuratur.

1 QUia cœleſtia, & ſuperiora ſuper res cæteras ſublunares nobiliorem tenent locum, jure etiam potiorem partem in *Maria* hieroglyphicis petunt ſibi dari. Hinc quintum ſcribimus librum è literis Parthenii Nominis efformatum: nam Sacratiſſimum hoc Nomen cùm cœleſtem, atque terreſtrem contineat Mundum, ideò etiam oportet à ſublimioribus, id eſt, à Cœlis incipere, cùm Maria ſit Cœlum, ideſt, Mundus planè cœleſtis. Jam age, & hujus cœlici Mundi mirabilia videamus: non ut cum Archimede Cœleſtium Sphærarum immenſitatem exiguo, & fragili vitro includamus, ſed ut oſtendamus elementa Mariani Nominis Cœlos incorruptibiles, & planetarum orbes, atque cœleſtium ſignorum œconomiam in Deipara præſignare. Quid enim eſt *Maria* in literis ſuis, niſi

Mundus Cœleſtis,
Aſtrum,
Radius,
Iubar,
Aurora?

§. I.

Qua ratione Beata Virgo ſit Mundus cœleſtis, ſcilicet Cœlum.

2 DIvus Bonaventura de *Eccl. Hierarch. p. 4.* reddens rationem, cur Beata Virgo Cœlicus Mundus, ſive Cœlum dici poſſit, & ſit, inquit. Nec caret natura, & proprietate cœleſti Virgo Beatiſſima, ad cujus uterum ſubintrandum per incarnationem Verbi, eſt divinitas inclinata, quando ſecundùm *Pſal. 17. Inclinavit Cœlos, & deſcendit*: Ibi Verbum Dei ſe inclinavit, & carne indutum ad nos venit, ſicut ibi exponit Gloſſa. Cœli itaque puritatem in ſe habere debuit *Maria*, de cujus mundiſſimis particulis illa puriſſima caro Verbi cœleſtis unibilis eſt aſſumpta. Eccè Cœlum, & Cœli Cœlorum Deitatis magnitudinem ad plenum capere non poſſunt, ſicut dicitur in 3. *Reg.* 8. & ad comprehendendam magnificentiam gloriæ ſanctitatis ejus, virtutes cœleſtes non ſufficiunt; & tamen *Maria* ipſum cum plenitudine deitatis genuit, ad cujus ſuſceptionem totus Mundus non ſufficit, nec ſuffecit, juxtà illud *Sap. 11. Tanquàm momentum ſtatuæ eſt antè te orbis terrarum, & tanquàm gutta roris antelucani*, &c. Et *Eſa. 40. Eccè omnes Gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram te*, &c. Patet igitur, quòd *Maria* Deum incomprehenſibilem, totum, & plenum in

ſe

ſe nullatenùs ſuſcepiſſet, niſi virtute, & gratia Cœli magnitudinem tranſcendiſſet.

3 Cœlo igitur Cœlica Virgo Comparatur, quia Cœlo nihil purius, nihil ſublimiùs, nihil pulchriùs, nihil utiliùs, nihil communiùs, nihil velociùs, nihil perfectiùs, nihil durabiliùs inter corpora viſibilia invenitur. Cœlo igitur nihil eſt puriùs, & hoc propter naturæ ſuæ tranſparentiam, & diaphaneitatem: & hoc glorioſiſſimæ Virgini convenit propter omnimodam ipſius munditiam, & caſtitatem. Nam per ſanctificationis gratiam in utero materno extitit ab omni originalis culpæ fœditate depurata, & ad ſuſceptionem Verbi vitæ antequam naſceretur diſpoſita, & præordinata, juxtà illud *Pſal.* 92. *Parata eſt ſedes tua ex tunc, &c.* Nam quæ ab æterno prælecta eſt, & prædeſtinata in Dei ſcientià, ut ad tantam gloriam aſſumeretur, in materno utero à Spiritu ſanctificante præventa eſt, & ſanctificata, ut in tempore à Patre luminum præfixo Mater Dei fieri mereretur, ſicut dicitur in *Prov.* 8. *Ab æterno ordinata ſum, & antequam terra fieret.* Et in *Eccli.* 24. *Ab initio, & antè ſecula creata ſum*: ideſt, quodam privilegiato modo creari prævisa, ut perficerer Cœlum, in quo Deus novo modo reſideret, ſicut dicit Pſaltes: *Dominus in Cœlo paravit ſedem tuam.* *Pſal.* 102. Et *Eſa. ult. Cœlum mihi ſedes eſt, &c.* Hanc ſedem ſibi paravit omnium artifex & ſapientia Chriſtus in virginali ſanctificatione, ipſam ſedem ſubintravit, & in ipsà quievit in ipſius Virginis fœcundatione. (Tu autem verba Bonaventuræ permuta,& quod ipſe dicit de depuratione à labe culpæ originalis,dic de præſervatione à macula eiuſdem culpæ, & quod ab inſtanti conceptionis à Spiritu Sancto præventa, Cęlo purior in utero materno concepta, nulli unquam maculæ ſubiecta fuit: & ſic meliori modo omnimoda Mariæ puritas nullis unquam maculis denigrata fulgebit.)

4 Item ſicut Cœlo inter corporalia quò ad ſe nihil ſublimius, quia nihil à centro terræ remotius, & hoc forſitam propter diſparem circunferentiæ, & centri qualitatem; nam centrum ſuo pondere petit imum, ſphęræ verò circunferentia ſuà levitate tendit ſurſum uſque ad ſummum: ſic Virgo benedicta à mole fomitis, & amoris carnalis affectionis per gratiam abſoluta, tota à mundano conſortio differens, & recedens, vità, & moribus in Cœleſtibus eſt locata, juxtà illud *Eccli.* 24. *Ego in altiſſimis habito.* Et quia in altiſſimis, & inauditis Dei Conſiliis ſemper manſit, & aliquid propter cœleſtia inter mundi proſpera non curavit, ideò ſignificatur in *Geneſ.* 28. per Scalam, quam vidit Jacob, cuius cacumen tangebat Cœlum, & Dominus innixus ſcalæ,&c. Scala Cœlica, per quam patet aſcenſus ad æterna; eſt *Maria*, quæ à Jacob eſt viſa in ſomnis, quia *Mariæ* præſentia, prævisa eſt multipliciter à Prophetis. Latera huius Scalæ ſunt Tribus duæ, ſcilicet Sacerdotalis, & Regalis, ex quibus *Maria* contraxit originem ſecundùm carnem. Gradus interſcalares, ſunt eius privilegia, & dignitates ſingulares; huius Scalæ cacumen in Deo eſt, & ei coniungitur per cœleſtem converſationem, ſicut dicitur in *Apocal,* 12. *Signum magnum apparuit in Cœlo, mulier amicta Sole, &c.* De iſta inhærentia cum Cœlo dicit Bernardus. O Virgo Virginum, Virga ſublimis, in quàm ſublime tuum ſanctum verticem erigis, uſque ad ſedentem in Throno, uſque ad Dominum maieſtatis; nec id quidem mirum eſt, quia mittis in altum radices humilitatis. Per hanc Scalam deſcendit Angelus magni conſilii, ut noſtram aſſumeret infirmitatem: undè Apoſtolus *Epheſ.* 4. *Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes Cœlos, ut impleret omnia.* Per hanc etiam Scalam Angeli aſcendunt, ſcilicet qui Angelicam vitam ducunt. Hieronymus: In carne ſtudeamus per *Mariam* aſcendere ad ipſum, qui per ipſam ad nos deſcendit, ut per eam ipſius inveniamus gratiam, qui per eam ad noſtram devenit miſeriam. Per te habeamus aſcenſum ad filium, ò benedicta Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater ſalutis, ut per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Patet itaque quod *Maria* tanquam Cœlum locum ſupremum ſibi vendicat, & nos hæreditatis cœleſtis amatores in cœleſtibus coadaptat, juxtà illud *Eccli.* 24. *In hæreditate Domini morabor, &c.*

5 Item Cœlo nihil eſt pulchriùs, nihilque aſpectui eſt iucundius, & hoc propter ordinatiſſimam contentorum ipſius varietatem. Nam Sol, & Luna, & cætera Sidera fixa, vel non fixa, ornant mirabiliter firmamentum: Sic illa glorioſa Virgo Cœlo ſimillima poſt ſuum filium, qui eſt ſpecioſus formà præ filiis hominum, immò præ multis millibus Angelorum, inter omnes Creaturas eſt pulcherrima, & ad intuendum magis grata. Ideo dicitur *Eccli.* 43. *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius, ſpecies Cœli in viſione gloriæ, &c.* Stellarum glorioſa numeroſitas, virtutum, & gratiarum ſingularium eſt diverſitas, quibus miſericordiæ Mater inæſtimabiliter decoratur. Ibidem rurſus. *Vas caſtrorum in excelſis in firmamento Cœli reſplendens* glorioſè.Ideò deſcribitur in *Apocal.* 12.quod mulier illa Cœleſtis fuit amicta Sole, & Corona duodecim ſtellarum in capite ipſius. Unde Angeli admirantes ipſius pulchritudinem, pròut poſſunt, ipſius gloriam per ſimilitudinem corporum Cœleſtium exprimunt, & deſcribunt in *Cant.* 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur ſicut Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, &c.* Sole enim nihil pulchriùs eſt de die, Luna nihil pulchriùs de nocte, Aurorà nihil formoſius in confinio utriuſque. Progreſſa eſt igitur ut Aurora in naſcendo: per mundum progreſſa eſt quaſi Luna in virtutibus concreſcendo: egreſſa eſt de mundo, ſingularem gloriæ dignitatem quaſi Sol præ cæteris obtinendo.

6 Aurora ſiquidem finis eſt noctis, & principium diei ſubſequentis, & indicium Solis jam in proximo orientis: Sic *Maria* in ſuo ortu fuit quaſi finis, & conſummatio culpæ originalis, & evacuatio omnis tenebræ ſpirtualis. Fuit etiam lucis veræ pręambulum indicium, & futuræ gratiæ in mundum præveniens argumentum, quia ortus Virginis adventum annunciavit in proximo Salvatoris; undè dicitur 2. *Reg.* 23. *Sicut lux Auroræ oriente Sole rutilat, & ſicut herba germinat de terra, &c. Et Oſeæ* 6. *Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius.*

Pulchra verò fuit ut Luna, quo ad gratiam conceptionis: quia Luna ſoli coniuncta radium ſolarem recipit& accenſa radium receptum ad terram transfundit. Sic *Maria* paternum radium Dei Verbum caro factum in ſe concepit, & conceptum ſinè Virginitatis detrimento peperit, & transfudit, juxtà illud *Eccli.* 43. *A Luna ſignum diei feſti*, &c.

Pulcherrima autem ut Sol facta eſt, quò ad gloriam ſuæ aſſumptionis, quandò omnes creaturas in luminoſitate dignitatis, in fervore charitatis, in magnitudine poteſtatis tranſcendere meruit, ſicut Sol cætera ſidera præcellit: ſicut dicitur *Eccli.* 26. *Sicut Sol oriens in altiſſimis Dei, ſic bonæ mulieris ſpecies in ornamentum domus.* Sicut igitur pulchritudo firmamenti conſiſtit in his, & aliis corporibus luminoſis, ſic pulchritudo *Mariæ* in prædictis operibus virtuoſis.

7 Item Cęlo nihil utiliùs, quia ex virtute, & influentià Cęli, mortua, & inveterata reviviſcunt, & renaſcuntur, & quæ conſumpta fuerant, renovantur, nec poteſt aliquid vivere ,ubi virtus deſuper effluens non poteſt pervenire. Et hoc Virgini glorioſæ congruit, à cuius virtute, & gratià vita uniuſcuiuſque oritur, & procedit, juxtà illud *Eccli.* 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Sicut ergò Cęlum ſuos emittit radios ad vivificationem, & ſenſificationem inferiorum, ſic Virgo cęleſtis radios miſericordiæ transfundit ad vivificationem peccatorum, & ad conſervationem electorum: dicitur enim *Eccli.* 4. *Sapientia inſpirat vitam filiis ſuis.* Et *Cant.* 4. *Emiſſiones tuæ, Paradiſus, &c.* Sicut enim Paradiſus à ſe emittit flumina, & fontes continuè emanantes, herbas, & arbores fructificantes, ſic Mater miſericordiæ à ſe emittit rivulos, & fontes gratiarum, quibus corda arida infunduntur, & imbuuntur, & fructus virtutum, quibus affectiones illorum, qui eſuriunt juſtitiam, fructuoſis operibus nutriuntur, &c.

8 Denique Cęlo nihil eſt communiùs, & hoc eſt propter eius immenſurabilem quantitatem,quia quantum eſt de ſe, omnibus ſe ęqualiter commenſurat,& luminis ſui radios indeſinenter omnibus adminiſtrat. Sic innata Virginis bonitas à nullo ſe ſubtrahit, ſed omnibus ſe communicat, & diffundit, niſi illi forſitan, qui voluntariè ſe ab ea illuminari negligit, vel contemnit. Undè dicitur *Iob.* 25. *Super quem non fulget lumen illius, &c.* Undè & Ipſa dicit *Eccl.* 25. *Ego feci, ut oriretur in Cœlo lumen indeficiens, &c.* Hactenùs Bonaventura.

9 Omnes etiam Cęlorum proprietates in ſe Beata Virgo per ſuas virtutes expreſſit; undè & ſuper omnes Cęlos elevata in ſua aſſumptione, & hanc eius gloriam Eſaias prophetaſſe videtur,cum *c.* 2. dixit: *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper Cœlos.* Noſtra autem tranſlatio habet: *ſuper colles*, ideſt, ſuper omnes Beatorum ordines. Undè quidam devotus Theologus apud Bernardinum Buſtenſem *ſerm.* 2. *de Aſſumptione Virginis*, per omnes Cęlos Ipſam introducit ,ut ex eorum qualitatibus, quas virtutibus eſt ęmulata, dignoſcatur quam propriè Cęlum omne dicatur, & quàm jure merito ſuper omnes Cœleſtes ſphæras ſit exaltata.

Primum igitur Cęlum dicitur Aereum, quod quidem aſcendit per virtutem humilitatis ſingulariter in ea renitentis plùs quam in cæteris creaturis. Quia ſicut Cęlum hoc eſt inferiùs cæteris; ità cor ipſius Virginis humiliùs omnibus ſenſit, dùm dixit Angelo: *Eccè Ancilla Domini. Luc.* 1. Undè dicit Bernardus ſuper Miſſus eſt, quod Cor Virginis glorioſæ in hoc verbo penetravit centrum terræ per humilitatem; & ideò meruit exaltari. Et hanc cauſam exaltationis ſuæ aſſignavit ipſa Beata Virgo Eliſabeth, dicens in ſuo cantico *Luc.* 1. *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, &c.*

10 Secundò aſcendit Cęlum æthereum, ſive olympium. Licet autem Philoſophus faciat differentiam inter iſtos Cęlos, ut refertur in *lib.* de proprietatibus rerum, tamen prò nunc poſſumus prò eodem accipere. *Aether* autem Græcè, dicitur *Splendor* Latinè, ſecundùm Iſidorum in *lib. Etymolog.* Et dicitur Aether ſuprema regio aeris, in qua eſt perpetuus ſplendor, & nunquam eſt obſcuritas: quia umbra terræ non poteſt illuc pervenire, ut dicitur in prædicto *lib. de propriet. rerum.* Et figurat Beatam Virginem, quæ ſemper fuit ſplendida, & ad quam nunquam pervenit umbra peccati. Unde de ipſa ſemper dici potuit illud *Eſa.* 18. *Sicut lux meridiana clara eſt.* Olympus autem, ut dicitur in præallegato *lib. de propriet. rerum*, eſt mons Macedoniæ excelſus nimis, ideſt, valdè: ità ut ſub illo nubes eſſe dicantur. Undè ait Virgilius:

Nubes exceſſit olympus.

Et ideò appellatur Cœlum. Tantæ enim eſt altitudinis, quòd omnes excedit aeris turbinis, & paſſiones. Unde Philoſophi ibi aſcendentes, ut curſus, & ſitus ſtellarum inſpicerent, ut ibi poſſent vivere, portabant ſecum ſpongias aquà plenas, ut per attractionem aquę aerem redderent ſpiſſiorem, & groſſiorem. Eſt enim ibi aer ſummæ puritatis: ut dicit Magiſter hiſtoriarum. Et figurat Beatiſſimam Virginem, quæ ſuper omnes mundi turbines ſemper illæſa permanſit. Et ut ait Anſelmus, tantà puritate renituit, quà ſub Deo nequit major intelligi. Iſtud autem Cœlum æthereum, ſive olympium, intravit virtute fidelitatis. Sicut enim hoc Cœlum omnes tenebras expellit, ſic Ipſa ſingulariùs cæteris creaturis, per ſuam excellentem fidem, omnem hœreſim extinxit. Undè illi canit Eccleſia. *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.* Nam cùm in Paſſione Domini obſcuritas infidelitatis intraſſet corda omnium Diſcipulorum, & Apoſtolorum, & fidem eorum extinxiſſet; lumen, & claritas fidei in ipſa Virgine ſola remanſit. Et propter hoc omnes candelæ accenſæ in die Paraſceves in matutinis extinguuntur præter unam.

11 In tertio Cœlo Lunæ benedicta Virgo meruit exaltari per gratiam ſanctificationis. Quia ſicut Cœlum Lunæ propter frigidam influentiam contemperat caliditatem inordinatam ignis, & Solis in hæc inferiora; ità gratia ſanctificationis ſuæ nè dùm fomitem, & ignem concupiſcentiæ temperavit, ſed etiam penitùs extinxit. Undè ſuper illa verba *Luc.* 1. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te,*

& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ait Auguſtinus in lib. de concordia Evangeliſtarum, quod illud *obumbrare*, fuit fomitem extirpare:

Quartum Cœlum Mercurii introivit per virtutem patientiæ. Quia ſicut Mercurius dicitur dominari aquis; ità Ipſa per tolerantiam ſuper omnes aquas tribulationum illæſa permanens, eis dominata fuit. Habuit enim virtutem patientiæ in adverſis ſuper omnes alios viatores. Quod patet in martyrio animæ ab Ipſa tolerato tempore Paſſionis Chriſti: eius enim animam pertranſivit gladius doloris. *Luc.* 2. Cum ergò martyrium animæ, & ſpiritus ſit nobiliùs martyrio carnis, ſequitur ipſam benedictam Virginem ſuper omnes meruiſſe exaltari ſuprà hoc Cęlum per patientiæ virtutem.

In quinto Cœlo Veneris exaltata eſt per virtutem pietatis. Quia ſicut hoc Cœlum eſt cauſativum amicitiæ propter ſuam benignam influentiam; ità Ipſa Virgo glorioſa poſt Chriſtum maiores cauſavit amicitias, quam omnes Mundi homines, qui unquam fuerunt, vel erunt. Quia pacificavit Deum, & homines, & amicitiam etiam contrahi fecit inter hominem, & Angelum, adeò quod in Cœlo ſunt coniuncti ſimul non ſolum per amorem, ſed etiam per habitationem. Amicitia autem eſt unius ad alterum coniunctio. Ut no. *in l. ſi fuerit. ff. de re. du.*

12 Sextum Cœlum Solis aſcendere promeruit propter ſuam mirabilem ſapientiam. Sicut enim per ipſius Solis illuminationem, omnia viſibilia videntur: ità benedicta Virgo ſua illuminata ſapientia omnia intelligibilia intellexit, & luce clariùs cognovit. Undè in eius Perſona exponi poſſunt illa verba, quæ prædixit David *Pſal.* 138. *Et anima mea cognoſcet nimis*. Et nos illi dicere poſſumus illud, quod in eodem Pſalmo dicitur, ſcilicet: *Tu cognoviſti omnia noviſſima, & antiqua*.

In ſeptimo Cœlo Martis per virtutem fortitudinis meruit exaltari. Quia ſicut hoc Cœlum ad actum fortitudinis eſt inductivum: Sic Ipſa benedicta Virgo nos ad fortitudinem inducit, dicens nobis illud, quod canit Eccleſia in feſto Apoſtolorum. *Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo Serpente, &c.* De eius autem fortitudine dicit Salomon *Prov.* 31. *Mulierem fortem quis inveniet?* Quaſi dicat: Nullam ſimilem ei invenire poterimus.

Super octavo Cœlo Jovis exaltari promeruit propter virtutem temperantiæ. Quia ſicut Iupiter eſt in qualitate temperatiſſimus: ità Domini Mater fuit modeſtiſſima, & temperatiſſima in ſuis ſenſibus. Servavit nanque modeſtiam non ſolùm in interioribus ſenſibus, ſed etiam in exterioribus, juxtà illud *Philip.* 4. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*.

13 Nonum Cœlum Saturni aſcendit per virtutem paupertatis. Quia ſicut Saturnus dicitur malevolus omnibus iſtis inferioribus: ſic ipſa per virtutem paupertatis hæc omnia inferiora contempſit. Undè de Mundo Ipſa dicere potuit illud *Judith* 9. *Contemnam illum, & virtutem eius*.

Decimum Cœlum ſtellatum aſcendit per virtutem ſuæ miſericordiæ. Sicut enim hoc Cœlum habet influentiam generalem ad hæc inferiora: ſic Ipſa poſt Deum generaliter influit tam juſtis, quam peccatoribus ſalutis remedia. Undè *Pſal.* 32. inquit. *Miſericordia Domini plena eſt terra*. Quæ quidem terra eſt illa, de qua idem Propheta dixit Deo *Pſal.* 84. *Benedixiſti Domine terram tuam*.

Undecimum Cœlum, ſcilicet chryſtallinum Virgo benedicta introivit per virtutem perſeverantiæ. Sicut enim prædictum Cœlum licet ſit de aquis formatum, quæ de ſui natura ſunt fluxibiles: tamen non fluit, ſed ſolidum permanet. Ità benedicta Virgo licet procreata ſit de Iudæis, qui erant fluxibiles per peccatum: tamen Ipſa nunquàm fluxit, ſed continuè in Dei gratia ſtabilis, & firma perſeveravit; & in omnibus virtutibus ſolida permanſit. Undè de eà dici poteſt illud *Eccli*. 50. *Quaſi vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo*.

Duodecimum Cœlum, ſcilicet Empyreum aſcendit virtute ſuæ glorificationis. Sicut enim hoc Cœlum eſt magis glorioſum omnibus aliis Cœlis, juxtà illud *Pſal.* 86. *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei*. Ità Beatiſſima Dei Mater glorioſior eſt omnibus Sanctis; & ita debuit in loco glorioſiori exaltari, & ibi ſuper omnes Beatos collocari. De qua glorificatione prędixit Deus *Eſa.* 60. dicens: *Domum maieſtatis meæ glorificabo*. Hæc ille.

14 Iuvat ergò cum Placido Nigido *Opuſc.* 3 Meditat. Brevium Cœlum hoc contemplari, ad Cœlum hoc ſuſpirare, & dicere. Heù, quàm mihi ſordet terra, cum Cœlum aſpicio? Et quàm cætera omnia vileſcunt, cum in unam *Mariam* ex omnibus Sanctiſſimam lætus obtutum defigo? Os meum aperi ad aſpectum Cœli, & attraxi Spiritum. Et ad aſpectum Mariæ quid non attraho? Et quidem Spiritus eius ſuper mel dulcis. Concentum Cœli quis obmuteſcere faciet? Ecquis concentum virtutum *Mariæ* Dominæ, & dignitatum; quò minùs in omnem exeat terram, & latè pervadens ab omnibus exaudiatur? Cęlum tibi ſedes eſt, Domine; & *Maria* Thronus tuus, ſublimior Cęlis facta, & à nobis tantum diſtans, quantum Cęli à terrà. Sed nùm hoc Cęlum non eſt mundum in coſpectu tuo? Mundiſſimum ſanè, & pulcherrimum. O *Maria* Eccleſiæ Cęlum, influe in pectora noſtra, & da divinum Amorem, & chariſmata meliora: Eccè enim oportet nos tuis illationibus eſſe contiguos, & de te vivere, & ad te ſemper aſpicere. Eſto nobis Cęlum.

§. *II.*

Quid perfectionis indicent Aſtra in Beata Virgine.

15 IAm placidus, & ſuavis Stellarum fulgor oculos ferit. Jam pulcherrimis radiis Aſtra ſcintillant. Sed quid Aſtra? Quid Stellæ? Specula quidem mundi, Cęlorum ocelli, gemmantes ſphærarum pyropi, aurei clavi orbibus infixi, lucentia Firmamenti monilia, Cęleſtis Orbis flores, aut lumina. Quid Stellæ igitur ad Mariam? Plurimum quidem. Nam illæ plures ſunt, immò & innumeræ. Numera Stellas ſi potes. Et in Dei Matre ſunt infinitæ virtutes. A Sole omnes, & in Ipsà omnia à Deo. Ad Solem illæ

illę ſemper converſę, & Ipſa ſemper ad Deum ſuum conatu mentis intenta. Nitor earum in nocte, & illius fulgor in hujus tenebris vitæ. Quàm dulcis earum conſenſus? Et quàm admirabilis nexus virtutum illius? Stellæ terris amicæ: Et *Maria* familiaris hominibus.

16 Verum ſtellarum proprietates ad *Mariæ* dotes reducamus. *Stellæ* ſecundùm Berchorium lib. 5. Reduct. Moral. c. 34. *à ſtando* ſunt dictæ, quæ ſtare videntur, licet moveantur. *Sidera* dicuntur *à conſiderando*, quia ſtellas ſolent Mathematici conſiderare, ſecundùm Iſidorum. Et eſt Stella lux aggregata in ſuo orbe, quia quantò eſt major aggregatio lucis in ſubſtantia ſtellæ, tantò majoris eſt quantitatis, pulchritudinis, & claritatis, ſecundùm Alphraganum. Unde Stellæ ab eo vocantur lucis vehicula. Et ſunt ſtellæ tenebrarum noctis illuminativæ; Univerſi decorativæ; Solis vices, à quo lumen recipiunt, ſuppletivæ; motu radiorum, aeris depurativæ; elementorum in mixto conciliativæ; caloris naturalis in rebus conſervativæ, & etiam cauſativæ; in Solis præſentia, à quo lumen recipiunt, ſui ſunt luminis occultativæ.

Has igitur Stellarum proprietates adaptando B. Virgini, verè Ipſa dicitur *Stella à ſtando*, quia licet mota per multas afflictiones, & labores, & tribulationes, ſemper tamen ſtetit per conſtantiam, patientiam, & virtutem, nec unquam cecidit per impatientiam, vel imperſeverantiam aliqualem. Ipſa etiam dicitur ſidus, quia verè vita ejus aliorum eſt conſideratio, forma, ſpeculum, & exemplar. Ipſa fuit vehiculum lucis, quia Chriſtum ſplendorem gloriæ devexit, & in ſe refulſit per gratiam, & alios per exemplum illuminavit, & per ſalutaris verba doctrinæ. Nam quantò plus in ea fuit de lumine ſapientiæ, & gratiæ, tantò majoris fuit quantitatis, & reputationis apud Deum, & tantò pulchrior honeſtate, clarior veritate, & bonorum operum actualitate potentior emicuit. *Daniel.* 12. *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*.

17 Noctis hujus mundi tenebras, ignorantias ſcilicet expulit, & errores, cùm hæreſes profligavit. Univerſum verò, id eſt, Eccleſiam decoravit per ſuę vitæ ſanctiſſimæ perfectionem, & ſic Solis Chriſti Filii ſui, à quo gratiæ, & ſapientiæ lumen recepit, ſupplevit vicem, poſtquàm ille terra relicta ſuper Cœlos aſcendit; inquantùm fideles illuminavit per inſtructionē, & inquantùm pro ipſo vicariatū geſſit, & legationem, ità quòd dicere poſſit illud 2. *ad Corinth.* 5. *Prò Chriſto legatione fungimur*. Ipſa tanquàm ſtella radiis orationum ſuarum purificat aerem, ſcilicet emundat conſcientias noſtras. Porrò elementa contraria, Cœlum videlicet & terram à longo tempore diſcordes, vel Angelos, & homines univit, & per pacis reformationem conciliavit: & peccatores, qui Deo ſunt contrarii, per preces ſuas offenſo Numini pacificavit. Quid quòd Ipſa per gratiam à Filio ſuo impetratā animas illuminat, & inflammat? Quid quòd lumen ſuæ perfectionis occultabat per humilitatē, cùm ſe, & propriam ſanctitatem coram juſtitiæ Sole, parum, immò nihilum reputabat?

18 Stellæ quidem quò ad ſubſtantiam ſolidę ſunt, non poroſæ. Ipſa vero ſolida per veram mentis ſtabilitatem, neq; unquàm pervia alicui vanitati. Stellæ incorruptæ. Et Ipſa talis per virginitatem, vel mentis, & corporis integritatem. Stellæ ſimpliciſſimæ, neque ex contrariis compoſitæ. Ipſa ſimpliciſſima per intētionem, & per ſimplicitatem cordis. Stellæ quò ad formam lucidæ, & radioſæ. Ipſa per honeſtatem lucida, & per honeſtam cōverſationem luminoſa. Stellæ quò ad actum fluidæ. Ipſa fluida per pietatem. Stellæ quò ad figuram ſphæricæ. Et ipſa ſphærica per veritatem, vel per paupertatem, & contemptum temporalium, quia ad modum ſphæræ non tetigit terram niſi in puncto, id eſt, per ſolam vitæ ſuſtentationem. Stellæ quò ad ſuperficiem planæ, non anguloſæ, non aſperæ. Ipſa verò plana per mentis tranquillitatem, & pacem, non anguloſa per falſitatem, aut ſingularitatem, non aſpera per rigiditatem, ſed mitis, & dulcis per lenitatem. Stellæ quò ad ſitum altiſſimæ, & à corruptione elevatæ. Ipſa per animi magnitudinem, & cœleſtem converſationem à terris remotiſſima, & per contemplationem altiſſima, & per affectionem in Cœlo ſemper ſita. Stellę quò ad motum velociſſimæ. Et Ipſa citiſſima, & promptiſſima per obediendi velocitatem. *Baruch* 3. *Stellæ vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus*.

19 Verùm quia ſingulariter Beata Virgo ab Eccleſia vocatur *Stella Maris*, licet alibi peculiariter oſtenderim quàm benè conveniant Dei Matri, ſideris illius proprietates, & nomen, & officium, hic tamen addere aliqua, vel totaliter nova, vel novo modo explicata opportunum judicavi, ut quæ ſint beneficia, quæ nobis præſtat, vel merita, & privilegia, tum coruſcantes aut perfectionis, aut dignitatis fulgores, quibus Beatiſſima Dei Mater ornatur, majori elucidatione pateſcant. Adeſt Joannes à S. Geminiano *lib.* 1. *de Cœlo, & elementis c.* 48. Beata Virgo, inquit, vocatur ab Eccleſia *Stella Maris*, ex eo quòd illa cœleſtis quæ dicitur Stella maris, eſt Primò quò ad ſitum altiſſima. Similiter Virgo Beata altiſſima eſt per gloriæ dignitatem, ſcilicet ſuper omnes choros Sanctorum, & Angelorum juxtà filium in glorià ſublimata. *Eccli.* 24. *Ego in altiſſimis habito*.

20 Secundò illa ſtella eſt quò ad motum velociſſima. Licet enim Stella maris, quæ vulgò dicitur *Tramontana*, à loco ſuo moveri non videatur; tamen in ſphæræ ſuæ circulo circulariter circunvolvitur; ſed quia circulum habet breviſſimum, quaſi non moveri videtur. Sic Beata Virgo Maria quamvìs in ſtatu gratiæ immobiliter permanſerit, & ab ipſo per motum alicujus criminis nunquàm receſſerit: motu tamen dilectionis divinæ velociſſimè cucurrit. Dicit enim Bernardus, quòd qui amat vehementiùs, currit velociùs, & pervenit citiùs. Ipſa præ omnibus Sanctis pleniùs, & ferventiùs dilexit. Unde Ipſa dicitur *Mater pulchræ dilectionis*. Fuit autem amor ſuus per modum circulationis: quia motus circularis eſt ab eodem in idem: quia Ipſa Deum ſic diligebat, quòd omnia alia nonniſi propter ipſum amabat; & ſic omnis amor ejus à Deo incipiebat, & in Deum redibat. *Eccli.* 24. *Gyrum Cœli*, id eſt, Cœleſtis amoris, *circuivi ſola*. Et dicit, *ſola*: quia nullius Sancti amor fuit ita in Deum totaliter directus, ſicut Beatæ Virginis. Unde & breviſſimum circulum habebat, quia poſt contemplationem, omnia quæ occurrebant, ſtatim referebat in Deum. Ideò dicit

Auguſtinus de Ipſa in quoddam ſerm. Unum ſcimus prò certo, quòd omnis *Mariæ* vita, & actio intenta fuit ſemper in Domino.

21 Tertiò hujuſmodi Stella quò ad aſpectum noſtrum eſt minima, quamvis in ſe ſit valdè magna. Similiter Beata Virgo exteriùs exhibuit ſe minimam per humilitatem, quamvis eſſet valdè magna per ſanctitatem. Undè dixit: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Eccè enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc.* 1.

Quartò Stella illa eſt quò ad effectum utiliſſima, propterea quòd ipſa eſt navigantium directiva, & ideò vocatur Stella maris. Nam propter ſitus ſui immobilitatem homines ad ipſam aſpicientes maximè certificat: Sic Beata Virgo navigantes per mare Mundi dirigit: quibus ſcilicet lucem ſuæ miſericordiæ nunquàm ſubtrahit, vel abſcondit. Undè illa ſtella vocatur *Polus*, quia ſemper nobis pollet, & nunquàm occidit, ſed ſemper ſuper nos exiſtit: undè *Polus*, à *pollendo* eſt dictus, quia continuè Mundo pollet.

22 Quartò iſta Stella eſt ratione ſui ſitus, medii totius Cœli oſtenſiva. Medium autem Cœli eſt filius Dei, qui mediator eſt Dei, & hominum: hunc nobis iſta Stella oſtendit, quia eum nobis viſibilem genuit. Ad hanc etiam ſtellam Aſtrologi potiſſimè recurrunt; quia per ejus ſitum diſcernuntur termini, & ſitus aliorum ſiderum, & cœleſtium circulorum. Sic Sancti, qui ſunt veri Aſtrologi, cœleſtia contemplantes, proximè ad eam recurrunt, & attendunt: quia ſitus ſiderum, id eſt, manſiones Beatorum, quas habent in Cœlo; & termini cœleſtium circulorum, id eſt, perfectiones Angelorum, per ipſam diſcernuntur, tanquàm per ipſorum omnium Dominam, & Reginam, & per Ipſam etiam tanquàm per Cœli Portam omnes qui ſalvantur, illuc introducuntur.

23 Quintò illa ſtella per gyrum Arcturi ſibi propinqui ab aliis ſtellis eſt diſtincta: à cujus vicinitate Polus Articus eſt vocata, ut dicit Beda. Arcturus enim eſt ſeptem ſtellarũ curſus, quæ iſtam ſtellam circumeunt, facientes ei quaſi circulũ, & coronam. Quia ſcilicet Beata Virgo omnium Sanctorum coronis, qui ad ſeptem gradus pertinent, coronatur, & decoratur. Nam primus gradus eſt Angelorum, ſecundus eſt Patriarcharum, tertius eſt Prophetarum, quartus Apoſtolorum, quintus Martyrum, ſextus Confeſſorum, ſeptimus Virginum.

Notandum etiam, quòd iſta Stella, ſive Polus, eſt axis Cœli ex una parte receptiva, ſive terminativa. Axis enim vocatur linea quædam imaginata, quæ ab illo Polo Antartico uſque ad iſtum Polum Articum recto diametro, ſicut linea à puncto uſque ad punctum eſſet tracta. Axis ergò iſte fuit dolor paſſionis Chriſti, qui ab uno Polo, ſcilicet à filio cruci affixo uſque ad alium, ſcilicet uſque ad cor ipſius Matris immobile à fide, & gratià, pertranſiit, ſicut ei Simeon prædixerat *Luc.* 2. *Tuam Ipſius animam pertranſibit gladius*, id eſt, dolor paſſionis Chriſti.

§. *III.*

Quid denotet Radius in Beata Virgine.

25 LUx, lumen, & radius ſunt à corpore luminoſo. Sunt enim quidam radioſi defluxus à lucido corpore lucem, lumen, & radios effundente. Eſt ergò radioſa lux, & radius lucens lux, ut non immeritò exprimat Beatiſſimam Virginem, quæ tota lumen, tota lux, & tota radius eſt. Et rectè quidem. Nam Albertus Magnus lib. 7. de laudib. Beatæ Mariæ c. 10. inquit. *Maria* comparatur luci proprietate multiplici. *Sap.* 7. *Propoſui prò luce habere illam*, &c. *Geneſ.* 1. *Vidit Deus lucem, quod eſſet bona*, &c. Hæc enim eſt lux, quæ poſt Filium illuminat omnem lucem. *Maria* lux propter ſpecioſitatem: quia nulla pura creatura Marià pulchrior. Unde de ea dicitur *Sap.* 7. *Eſt enim ſpecioſior Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem Stellarum, luci comparata, invenitur prior*. Nihil enim luce ſubtiliùs, ſicut infrà oſtendetur. Nihil luce puriùs, in quo ſimplicitas ejus, & innocentia. Nihil mundiùs, in quo operum ejus munditia. Nihil clarius, in quo lumen exemplorum. Nihil humanæ vitæ jucundiùs, in quo notantur in ea doctrina, & ſapientia verborum. Ergò munditia ad virginitatem, claritas ad opinionem, gratia ad ſermonem.

25 Propter claritatis diffuſionem abſque ſui diminutione: quia peperit Chriſtum ſine ſui corruptione. De qua luce *Eccli.* 1. *Effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem.* Hoc dicitur de Sapientia, & poteſt exponi de Maria. Propter ſuam incorruptibilitatem, & puritatem: quia inquinari non poteſt. Unde *Sap.* 7. *Nihil inquinatum incurrit in illam.* Sicut apparet in radio Solis, quem nec ignis comburit, nec aqua emollit, nec fœtor corrumpit, nec gladius ſcindit, nec vitrum obſiſtit: & ità incorruptibilis. Quia viſibilia facit ea, quæ priùs non apparebant, antè faciem filii ſui miſericorditer ſtatuens eos, qui priùs longè diſtabant ab eo, ut patet in Theophilo. Ipſa enim, ſicut dicitur *Iob* 12. *Revelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis.*

26 Quia per anguſtiſſimam rimam, vel foramen ingreditur, gratiam infundendo. Undè dicit cum filio illud *Apocal.* 3. *Si quis mihi aperuerit, introibo ad illum.* Item *Cant.* 2. *Reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Quaſi modica rima eſt aliquoties eam devotè ſalutare, prò amore ejus libenter eleemoſynam dare, Miſſam ſuam devotè auſcultare, vel ſermonem de ea, blaſphemantes eam, vel jurantes aſperrimè redarguere, ejus magnalia firmiter credere, tutelæ ipſius ſeſe commendare, & hujuſmodi. Nulla enim creaturarum Dei æquè parata eſt ad benefaciendum. Et per hujuſmodi rimas diffundit nobis lumen gratiarum, & miſericordiæ ſuæ. Quia rimas, & anguſtiſſima foramina ſuà illuſtratione manifeſtat exiſtentibus in domo, id eſt, etiam minima peccata ſuæ gratiæ infuſione facit perceptibilia his, qui convertuntur ad cor. *Eccli.* 42. *Revelans veſtigia occultorum.* Roganda eſt igitur aſſiduè, ut cordibus noſtris infundat gratiam divini timoris: quia ſicut dicitur *Eccli.* 21. *Qui timet Deum, convertetur*

ad cor ſuum: ut per illuſtrationem gratiæ ſuæ poſſimus intelligere noſtrorum cordium foramina, & ſciſſuras, & eadem reſarcire.

27 Quia prævenit oculum ad hoc ut videatur ab oculo. Et Sapientia, vel *Maria præoccupat eos, qui ſe concupiſcunt*, ut illis ſe priorem oſtendat. *Sap.* 6. Quia oculos illuminat, id eſt, intellectum, & affectum, qui ſunt oculi animæ. Intellectum cognitione ſui, & Dei; affectum dilectione Dei, & proximi. Quia tenebras fugat, & ſequelam tenebrarum, id eſt, ignorantiam: quia mundo peperit æternam veritatem, quæ eſt Chriſtus. *Ioan.* 14. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Quia ſplendorem diffundit. Quia ex ejus utero egreſſus eſt per carnalem nativitatem ille ſplendor, de quo dicit *Eſa.* 62. *Donec egrediatur ut ſplendor juſtus ejus.* Quia ſingulis rebus ſpecies proprias, & differentias reſtituit, quas abſtulerant tenebræ: quia tempore tenebrarum omnia ſunt in Chao, & confuſione. Sic factum eſt in mundo per peccatum Evæ. Sed Maria luce vera veniente, ad formas proprias omnia quaſi de tenebris evaſerunt, ſcilicet Status, ordines, & gradus Eccleſiæ catholicæ, & exemplaria virtutum.

28 Quia ſinè acceptione perſonæ omnibus ſe ei debito modo exponentibus ſe exponit. *Sap.* 6. *Aequaliter eſt ei cura de omnibus.* Æqualiter, id eſt, communicativè. Ideò dicit ei Pater *Eſa.* 49. *Dedi te in lucem Gentium.* Quia ſanis oculis delectabilis. Undè *Eccli.* 11. *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre Solem.* Oculi noſtri ſpirituales, affectus, & intellectus. Quia lippientibus, & non ſanis oculis odibilis, Judæis, paganis, hæreticis, blaſphemis, & hujuſmodi. Undè *Ioan.* 3. *Qui malè agit, odit lucem.* Auguſtinus: Palato non ſano pœna eſt panis, & oculis ægris odioſa lux, quæ eſt ſanis amabilis.

De hac luce dicitur *Geneſ.* 1. *Dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux.* Dicturus erat Pſaltes: *Tempus faciendi Domine, diſſipaverunt legem tuam. Pſal.* 118. Et Dominus dixit: Fiat lux, &c. quaſi jam diceret *Mariæ* illud *Eſa.* 49. *Dedi te in lucem Gentium.* Deus enim hanc lucem fecit, quandò Beatam Virginem de tenebris lucere, & ſplendeſcere dixit. Sed quia lux eſſet bona, vidit, quandò per eam mundi tenebras illuſtravit. Undè ſequitur; *Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona.* Sicut enim nemo bonus niſi ſolus Deus, ſic nulla anima *Mariæ* comparata invenietur perfecta. Nam ſicut ipſe *eſt ſuper omnia Deus benedictus. Ad Rom.* 9. Sic *Maria* inter mulieres, id eſt, ſuper omnes mulieres benedicta, &c.

29 Verùm quid ſentit Jacobus de Voragine? Quid de radioſa Virginis luce? Planè, inquit ipſe ſerm. 85. de B. Virgine, Lux Beata *Maria* dici poteſt, Lux enim omnia corpora excellit ſua dignitate. Undè dicit Auguſtinus, quòd inter corpora lux primum locum tenet. Omnia clarificat ſuà pulchritudine. Undè dicit Ambroſius, quòd lux facit, ut cætera mundi membra ſint pulchra, & laudibus digna. Omnibus ſe communicat ex ſua bonitate, quia bonũ eſt ſui communicativum. Ideò lux eſt tantæ bonitatis, quia mox ut ipſa oritur, per totum orbem diffunditur. Beata igitur *Maria* dicitur lux propter ſua dignitatem, pulchritudinem, & bonitatem. Sicut enim lux excedit omnia creata, ſic B. Virgo excedit omnia creata, tàm Angelos, quàm alios Sanctos. *Sap.* 7. *ſuper omnium diſpoſitionem ſtellarum*, id eſt Angelorum, & Sanctorum, *luci comparata prior invenitur.* In hoc etiam oſtenditur ejus magna dignitas, quia ſicut de luce primarià lucida nubecula Sol fuit factus; ſic de Virgine lucida Sol juſtitiæ fuit natus. In hoc etiam apparet ejus dignitas, quia cæteri Sancti vocantur luminaria, ut habetur *Philip.* 2. Ipſa verò dicitur Sole amicta, ut habetur *Apocal.* 12.

30 Secundò dicitur lux propter ſuam pulchritudinem, de cujus pulchritudine dicitur *Sap.* 7. *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſinè maculà, & nihil inquinatum in eam incurrit.* Habuit enim corpus candidum, & Virgineum. Habuit ſpiritum tanquàm ſpeculum, quia clarè ſpeculabatur Deum. Habuit animam incoinquinatam, quia nullum habuit peccatum.

Tertiò dicitur lux propter ſuam bonitatem, quà omnibus ſua beneficia communicat, unde poteſt dici de ea illud *Eſa.* 49. *Dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Nam ſecundùm capacitatem recipientium infundit lucem ſuarum gratiarum. *Prov.* 4. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem.* Quibuſdam ſe infundit in modum Auroræ, ſivè lucis ſplendentis, ſicut incipientibus, quibus dat gratiam prævenientem. Aliis in modum lucis creſcentis, ſicut proficientibus, quibus dat gratiam proficientem. Aliis in modum diei perfectæ, ſicut ipſis perfectis, quibus dat gratiam perficientem.

31 Vel poteſt dici, quod lux habet multiplicem virtutem, propter quas Virgo Beata luci aſſimilatur. Primò enim habet virtutem Lætificativam. *Prov.* 15. *Lux oculorum lætificat animam.* Sic Beata Virgo lætificavit Deum propter ſuam humilitatem. *Eſther* 8. *Iudæis nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium.* Ipſa enim fecit gaudium Deo, honorem generi humano, & tripudium Angelo.

Secundò lux habet virtutem converſivam. Nam in viſceribus terræ argentum vivum convertit in aurum. Sic etiam Virgo Beata homines inſtabiles, & fluxibiles ſæpè facit perfectos, & perſeverantes, dùm eorum viſcera penetrat, & ea illuſtrat. *Eccl.* 24. *Penetrabo inferiores partes terræ. Iob* 22. *Dabit prò terra ſilicem, & prò ſilice torrentes aureos.* Sunt quidam terreni, id eſt, fragiles, & infirmi. Alii ſunt ſicut ſilex, id eſt, conſtantes, & fortes, ſicut boni activi. Alii ſunt aurei, id eſt, charitate pleni, ſicut contemplativi. Beata igitur Virgo dat prò terra ſilicem, quandò activos debiles facit etiam contemplativos, & in Dei amore devotos.

Tertò lux habet virtutem maturativam. Fructus enim acerbos fovet, & nutrit, & ad maturitatem, atque ad dulcedinem perducit. Nam ſecundùm Philoſophum Sol eſt Pater Planetarũ, & Luna mater. Sic etiam *Maria* affectiones immaturas, id eſt, indevotas perducit ad maturitatem, hoc eſt, ad internę devotionis ſuavitatem. Et ſicut Chriſtus omnium affectionum Sanctarum eſt Pater, ita *Maria* eſt Mater. Undè dicitur *Deuter.* 33. *De pomis fructuum Solis, & Lunæ*; id eſt, generatis, & maturatis beneficio Solis, id eſt Chriſti, & Lunæ, id eſt, Virginis *Mariæ*. Fructus etiam acerbos,

ideſt, tribulationes amaras convertit in dulcedinem; quod ſignificatum eſt *Ioan*. 2. Ubi Chriſtus ad preces Matris Virginis aquam convertit in vinum; quia Deus ad preces Virginis aquas tribulationis convertit in vinum internæ conſolationis.

§. IV.

Aptiſſimè Beata Dei Mater dicitur Iubar, hoc eſt, Sol.

32 SOl rutilat;omnia gaudent. Sol ſplendet; aviculæ canunt. Sol fervet; omnia calore foventur. Oritur Sol; & montium juga ſplendore deaurantur. Quàm pulcher Sol,& beneficus. Quàm magnificus, & liberalis. Nobilis Planetarum Rex, nec nobiliori figurà, quam Mariæ typo potuit honorari. Maria ergò Mater Domini, inquit Ioannes à S. Geminiano *l.* 1. *de Cœlo, & Elementis c.* 48. aſſimilatur Soli. Primò, quia Sol habet nobilitatem in ortu. Oritur enim ex alto, & cum ſplendore multo. Sic Beatiſſima Virgo Maria orta eſt ex alta progenie, quia ſcilicet Regali Stirpe,& nata cum ſanctitatis ſplendore, &c. Hinc eſt quòd Eccleſia feſtum de ejus nativitate agit. *Eccli.* 27. *Sicut Sol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies*, &c.

Secundò, quia Sol habet ſublimitatem in ſitu. Quia videlicet Sol eſt poſitus in medio Planetarum, habens tres ſupra ſe, & tres infrà ſe. Sic Beata Maria exaltata, & ſublimata eſt in gloria in ſua aſſumptione, ſcilicet ut ſuprà ſe habeat tres Perſonas divinas, infrà ſe, ſivè ſub ſe tres Angelorum hierarchias, & per conſequens totam eſſentiam hominum beatorum: quia homines in Cęlo non facient ordinem per ſe, ut dicit Auguſtinus, ſed aſſumendi ſunt ad ordines Angelorum. *Pſal.* 88. *Thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo*.

33 Tertiò, quia Sol habet velocitatem in motu: undè & ſatis citò perficit ſuum circulum, qui tamen eſt valdè magnus, continuè enim Sol movetur velociùs, quàm ſagitta, licet in aſpectu noſtro quaſi non moveri videatur; præ enim claritatis intenſione, ſicut & ejus quantitas, ſic & ejus velocitas ſubterfugit viſum noſtrum. Similiter Beata Virgo Maria velocitatem habuit in motu obedientiæ, quia divinę voluntati per Angelum ſibi expoſitæ citò conſenſit, dicens: *Eccè Ancilla Domini*, &c. *Luc.* 1. Item in motu benevolentiæ, quia ſtatim aſcendit in montana cum feſtinatione, & ſalutavit Eliſabeth. In quo dedit exemplum conſcendendi ad ſuperiora per perfectionem virtutum, ſine negligentiæ tarditate. Item in motu pœnitentiæ: quia dolenter, & ſolicitè filium ſuum requiſivit, quem ex aliqua ſui fortè negligentia ſe perdidiſſe timuit. *Luc.* 2. *Eccè Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*.

34 Quartò, quia Sol habet pulchritudinem in aſpectu & propter hoc eſt oculis valdè delectabilis ad videndum, ſecundùm illud *Eccli.* 11. *Delectabile eſt oculis videre Solem*. Nam Sol, ſicut dicit Ambroſius, eſt oculus Mundi, jucunditas diei, pulchritudo Cœli, menſura temporum, virtus, & vigor omnium naſcentium: Dominus Planetarum, decor, & perfectio omnium Stellarum. Et ideò in fabulà cum pennatis veſtigiis Sol depingitur, & facie puerili, propter quod etiam *Phæbus*, id eſt, *pulcher* eſt dictus. Sic & Beata Virgo Maria plena pulchritudine fuit: unde *Cant.* 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Et dicit: *Tota*: ſcilicet intùs, & extrà, ad differentiam hypocritarum, qui habent ſolùm extra in apparentia pulchritudinem Sanctitatis: ſed Ipſa pulchra fuit intùs per puritatem, extrà per virginitatem: Et ideò etiam ſignificatur per Arcam, quæ intùs, & extrà erat deaurata.

35 Quintò, quia Sol habet efficaciam in effectu: habet enim virtutem calefactivam, & inflammativam. Nam ex motu radiorum, & eorum confractione, & multiplicatione calor generatur in objecti corporis ſuperficie; & maximè ſi corpus objectum fuerit ſpeculare, ſicut dicitur in Perſpectiva; quarè ſi circà ſpeculum concavum ſtuppa ponatur, à calore generato incenditur. Sic quoque Beata Virgo mentes puras, & ſibi devotas, quæ ſunt ut ſpecula munda, inflammat ad Dei dilectionem: undè Ipſa dicitur *Mater pulchræ dilectionis*. *Eccli.* 24. Et hæc eſt inflammatio amoris, quæ arefacit fœnum concupiſcentiæ carnalis. *Iacob.* 1. *Exortus eſt Sol cum ardore, & arefecit fœnum*.

Sextò, Sol habet virtutem fœcundativam. Omnia enim hic inferiora fæcundat: & generativam eorum potentiam excitat, adjuvat, & confortat; undè videmus ad ſenſum, quòd nihil fructificat, neque creſcit, ubi ſolaris radius non attingit. Illud autem, quod facit animam bonis operibus fœcundam, eſt timor Dei; undè dicitur *Eccli.* 15. *Qui timet Deum, faciet bona*. Sed Beata Virgo Maria etiam dicitur eſſe *Mater timoris* *Eccli.* 24. Quia ſcilicet ſibi devotos ad Deum timendum inducit, & eis ſuis meritis donum timoris acquirit, ex quo eos in bonis operibus fœcundos efficit: ſed oportet eam prævenire per devotionem, ſi quis vult impetrare ſuæ gratiæ benedictionem. *Sap.* 16. *Oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare*.

36 Septimò, Sol habet virtutem diſcretivam: diſcretivam; quia per ejus lucem omnia detegentem, nunc colores omnes diſcernimus, & nigrum de albo diſtinguimus. Similiter Ipſa eſt, quæ mentibus ſibi devotis acquirit lumen diſcretionis, & veram cognitionem vitiorum, atque virtutum; unde dicitur Mater agnitionis. Hoc lumine carent illi miſeri, qui reverentiam non habent ad eam, ſed potiùs contra eam infelices ſuas linguas relaxant blaſphemantes, qui verè poſſunt dicere illud *Sap.* 5. *Iuſtitiæ lumen non luxit nobis; & Sol juſtitiæ non eſt ortus nobis*. Et illud *Eccl.* 6. *Non vidit Solem, nec cognovit diſtantiam boni, & mali*.

Octavò,Sol habet virtutem fortificativam. Unde videmus, quòd in ejus aſcenſu ſuper noſtrum orizontem virtutes animalium roborantur, & fortiores efficiuntur, & uſque ad diem mediam augmentantur;& quandò Sol tendit ad occaſum debili-

tan-

tantur;& ideò in ſomnſi animalia reſolvuntur. Undè etiam flores in ortu Solis aperiuntur,qui in occaſu clauduntur. Ità Beata Virgo Maria ſibi devotos confortat, & roborat, dùm eis ſubveniendo, ad ſpem, & fiduciam ſui mentes eorum ſublevat. Undè Ipſa dicitur eſſe Mater ſanctæ ſpei. *Eccli.* 24. Propter omnes ergò dictas proprietates dicitur eſſe *Electa ut Sol*, *Cant.* 4. Et *mulier amicta Sole*, *Apocal.* 12. Hactenùs ille.

37 Quid verò ſi juxtà vocabuli etymologiam loquamur? Nunquid inter utrumque ſimilitudo? Et magna quidem; immò excelentiori modo in *Maria* Solis dotes, quam in Sole. Teſtimonium à Magno Alberto habemus, qui *lib.* 7. *de laudib. B. Mariæ c.* 3. *n.* 2. 3. & 4. in Maria etymologias Solis, & dotes oſtendit, dicens. *Sol.* dicitur quaſi *ſua omnibus largiens*: quia quidquid habet, quantum in ſe eſt, omnibus communicat & bonis, & malis, ut ei conveniat quod de Patre dicitur *Rom.* 8. *Si prò nobis omnibus tradidit filium ſuum*, ſcilicet volens eum pati, *quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit*? Malis enim impetrat veniam, & gratiam, ut patet in Theophilo. Undè canitur: *Theophilum reformans gratiæ*. Juſtis verò gratiam impetrat, multiplicat, & conſervat. Ideò dicitur Aurora quo ad incipientes. His qui in nocte ſunt, ideſt, profundè peccantibus Stella eſt, & Luna. Quaſi Sol verò proficientibus, & perfectis. Propter hanc communitatem dicitur de Patre, & de hoc Sole *Matth.* 5. *Qui Solem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos*. Ideò etiam de Ipſa dicitur *Sap.*6. *æqualiter*, ideſt, communicativè, *eſt ei cura de omnibus*. Sicut enim *non eſt perſonarum acceptio apud Deum*, *ad Rom.* 2. Sic nec apud Mariam. Siquidem propter huius Solis abſentiam tenebras patimur ignorantiæ, frigus, & gelicidium malitiæ, torporis, & acediæ. Splendorem verò cognitionis, & fervorem dilectionis ex eius propinquitate vendicamus.

38 Dicitur etiam *Sol* quaſi *ſurſùm levans*: quia in fervore ſuo dicitur attrahere guttas maris ſalſas. *Amos* 5. *Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ*, &c. Mare mundus. Guttulæ marinæ, fętentes, & ſalſi, amari peccatores, qui fætent, & amareſcunt, & nihil ſunt coram Deo. *Ecçli.* 18. *Quaſi guttæ aquæ maris deputati ſunt, & ſicut calculus arenæ*, &c. *Aquæ populi ſunt*. *Apocal.* 17. Aquas iſtas calore pietatis, & charitas attrahit *Maria* ad cultum filii ſui orationibus, meritis, & exemplis, & ſublatà ab eis ſalſedine vitiorum, quaſi per gratiam dulcoratas proponit peccatoribus, qui terra ſunt, in exemplum, ut priorum exemplo poſteri convertantur. Talis gutta fuit Theophilus, quem iſte Sol piè ad Deum attraxit, qui exemplo ſuo rigat adhuc peccatorum corda arentia, ut ad implorandam miſericordiam Matris Dominicæ non torpeſcant.

39 Igitur *Maria Sol*, qui dicitur quaſi *Solus lucens*. Eſt enim Sol iſte materialis oculus huius mundi. Lux creaturarum, Speculum Creatoris, quo nulla Creatura mundana pulchrior, nulla utilior, nulla clarior; quo lucente cætera omnia luminaria ſic ſunt quaſi non ſint. Sic & dici debet, & credi de Virgine glorioſà reſpectu omnium Creaturarum, non ſolum hominum, ſed etiam Angelorum. Undè *Iob.* 25. *Luna non ſplendet, & Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius*. Luna, univerſalis Eccleſia, Stellæ ſingulæ ſinguli iuſti, qui in comparatione *Mariæ* non lucent, ſicut lux Lunæ, & Stellarum abſorbetur, nec apparet ſuperveniente luce Solis. Vel per Lunam, triumphantem Eccleſiam, per Stellas intellige animas bonorum.

40 Quidni etiam dotes, & proprietates Solis habeat Dei Mater? Utique inquit Albertus Magnus. Nam *Maria* electa ut Sol, maximè in quinque privilegiis. In magnitudine, in poteſtate, in utilitate, in claritate, in calore. Magnitudo eius, humilitas eius: quia ſecundum humilitatem omnis animæ quantitas à Deo menſuratur. *Matth.* 18. *Quicunque humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt maior in regno Cœlorum*. Poteſtas eius, fides eius: quia fides potentia eſt animæ. Quantum habet quiſque fidei, tantum habet potentiæ. Si multum, multum. Si omnem fidem, omnem potentiam. *Marc.* 9. dixit Dominus cuidam: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti*. Et intellige de fide vivà, quæ per dilectionem operatur, quia fides mortua nihil poteſt, ſicut nec mortuus homo. Opera verò bona, vita ſunt fidei, ſicut carbones, & ligna vita ignis. Verè potens, & viva fides Mariæ, quæ unica operata eſt quod nunquam auditum fuerat, nec in Cęlo, nec in terra, Incarnationem videlicet Filii Dei, quandò reſpondit Angelo: *Eccè Ancilla Domini*, &c. Utilitas huius Solis, miſericordia Mariæ, quà poſt miſericordiam Dei nihil eſt utiliùs humanæ creaturæ. Claritas huius Solis, puritas Virginis. Calor huius Solis, charitas Virginis: quoniam charitas eſt animæ caliditas. Propter quod Dominus dicit *Matth.* 24. *Refrigeſcet charitas multorum*. Sol enim fons caloris eſt, & quantuſcunque ſit Sol, nihil eſt niſi ignis: nam calidior eſt toto globo terræ, ſi totus igniretur. Et de igne charitatis dicit Dominus *Luc.* 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat*? *Apocal.* 3. *Vtinam frigidus*, &c.

41 Sol diem inchoat per ortum, terminat per occaſum, diſtinguit in certas partes per proceſſum, diſcernit noctem à die, ſuę claritatis ſplendore. Sic *Maria* vitam iuſti exemplo vitæ ſuæ, ut ei conenire videatur illud, quod *Pſal.* 118. de filio dicit Pſaltes: *Ordinatione tua perſeverat dies*, ideſt, vita Chriſtiani. Sol ſuo lumine penetrat tantummodò materias mundiores, & quaſi limatas, velut vitrum,& chryſtallum, ſed craſſiores nequaquam. Sis ergò vitreus per pœnitentiam, quæ corpus excoquit, cum ipſa ſit ignis, & per puritatem quaſi chryſtallinus, ſi Solis huius radiis deſideras illuſtrari, &c. Sol Rex ſiderum; & *Maria* Regina Virginum, immò omnium Sanctorum, qui ſunt Stellę, de quibus dicitur *Eccli.* 43. *Species Cœli*, ideſt, Eccleſię *gloria ſtellarum*, ideſt, dignitates Sanctorum 1. *Corinth.* 15. *Stella differt à Stellà in claritate*, &c. Sicut corpus Solis non comprehenditur niſi in radio ſuo, ſic nec *Mariæ* dignitas niſi in filio ſuo. Quantò enim Filius dignior, tantò Mater excellentior.

42 Sol nec creſcit unquam, nec decreſcit. Similiter *Maria* nunquam crevit per elationem;

nun-

nunquam decreſcebat per puſillanimitatem, vel per triſtitiam, quæ anguſtat: quia nec timoris habuit angulum, nec elationis ſupercilium. Sol clarus, cuius claritas Virginis humilitas: quod patet per eius contrarium: quia per ſuperbiam venitur primò ad tenebras interiores, indè ad exteriores. Candor Solis, munditia Virginitatis. Rotunditas Solis, appetitus, & deſiderium æternitatis, vel æternitas Virginitatis. Sol non occidit, ſicut dicitur Eccleſiæ *Eſa. 60. Non occidet ultrà Sol tuus*. Sed dicitur *Eccli. 1. Oritur Sol, & occidit, &c.* Ibi Auguſtinus: Sol iſte, ſi non feceris caſum, non faciet tibi occaſum. Non occidit ergò Sol iſte quò ad ſe, ſed caveto tibi, quia ſi mortaliter peccaveris, occidet quò ad te. Cum Sol oritur in Oriente, tunc illuminatur mundus: cum verò in Occidente ſe abſcondit, mundus fit tenebroſus. Sic cum gratia Matris, vel Filii nobis oritur, illuminamur: cum occidit per peccatum noſtrum, tunc obtenebramur. Ideò dicitur converſis peccatoribus *Epheſ. 5. Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Denique atomos imperceptibiles ſua illuſtratione perceptibiles facit. Et ideò dicitur *Sol* quaſi *ſemitas omnium luſtrans*. Ideò de ipſo dicitur *Sap. .... Omnium eſt artifex omnem habens virtutem, omnia proſpiciens*: ideſt, omnia perceptibilia faciens. Hæc, & alia multa Albertus Magnus, quæ loco citato videre poteris.

43 Verum hìc uſque in naturalibus, aut philoſophicis, vel moralibus hieroglyphicis immorati ſumus: nunc Solem noſtrum, eiuſque radiantes fulgores, theologico ſchemate conſiderare debemus. *Mariam* nimirum tanquam alteram facem ſolarem, per privilegium tamen, & gratiam, Primario, & Increato Soli ſimillimam. Quid autem hoc? Præcelſum quodam, ſupernobile, & admirandum, in quo Beata Virgo cum luminum Patre habet communitatem. Planè prerogativam hanc ſingularem nulli alteri Creaturæ conceſſam Placidus Nigidus *Opuſc. 4. de Beata Virgine ſerm. 12. Varior.* pari eloquentia, & ingenii acumine luculenter exequitur.

Hactenùs, inquit, externa quædam, atque remota, quibus ſimilitudo Virginis Dominę ad Regem, ac Dominum contenta eſt; ſimul ac ſcilicet Dei Mater effecta eſt. Jam interna perſcrutemur, & contendamus, ſi fortè poſſimus aliqua attingere ratione. Perſtringamus autem omnia lucis nomine, quandò de Deo ſermo eſt, qui lux eſt, cuius dona omnia, optima, atque perfecta, lux ſunt, Patre ſcilicet luminum, & Parente. Omnia Deo illa ſimilis, lucemque, & lucis ſplendores. Dixiſſes. Erat illa lux. Eccè. Amictus lumine, ſicut veſtimento Deus. Et mulier amicta Sole.

44 Et nunquid duo Soles in boni univerſitate? Unus. Niſi quod hic umbra illius; propter quod ait: *Obumbrabit tibi Luc. 1.* quod non alia utique ratione eſt dictum, niſi quia & dictum *Matth. 17. Et nubes lucida obumbravit eos*; nimirùm ut lucis immenſitas ſignificaretur, cuius quia aciem eſt maximè perſtringere, eſt & denſiſſimas, maximaſque tenebras obducere, ut non poſſit intendi in faciem eius, in quo ſit vel unus Sol; quia idem, niſi quod mulieri, nimirùm *Mariæ* in amictum; propter quod illud Angeli: *obumbrabit tibi*: poſſumus ità interpretari, ut de veſtitu ſit accipiendum; ſitque ſenſus: *veſtiet te*.

Et in hoc quidem miraculum gratiæ, & gloriæ Virgo; nam cum Stellæ omnes à Sole ſint, & viſibiles quidem, ac corporatæ, à corporato, & viſibili; inviſibiles, & incorporeæ, ab inviſibili, & immortali: Sola Virgo Sol à Sole fuit, vel ſaltem à Sole amicta Sole. Et dices. In quo Virgo Sol fuit? Sanè in eo, quia Sola lucens. Quia fons luminum ſuo modo. Quia Cauſarum Cauſa, & ſi non prima, ſed Primæ proxima. Quia infinitæ lucis in ſuo genere. Quia valens in infinitum Stellas illuminare. Et hæc quidem Domina non ab initio fuit, ſed Mater effecta, & Sponſa: ſiquidem fons in fluvium, fluvius crevit in Solem.

45 Et ſola quidem lucens; ſiquidem ità ſunt alii comparatione ſui, tanquam non ſint. Et hoc quidem illud eſt, quod cæteris per partes datum eſt; in *Mariam* autem tota ſe infudit plenitudo gratiæ. Nam quo pacto tota plenitudo in Mariam, ſi in cæteros partes? Sanè quia ità exiguæ partes in cæteris, ut fermè nihil dicere potueris; ut ſtillas in vicino gramine, pleno alveo flumine procurrente. Vide quid dixerit. *Ave gratia plena*. Ac ſi Sola rore conſperſa, ac madefacta in ſignum victoriæ. Et rurſum: Benedicta tu inter mulieres: ſicut enim Roſa inter ſpinas, ità inter mulieres Virgo. Et non quidem quod non & aliæ, & ex illis plurimæ Roſæ, pulchritudine corporis, animique; ſed quia Ipſa inter omnes valdè emicans una; propter quod non è ſpinis ait, ſed inter ſpinas, ut conferre invicem ſinè nota comparantis non ſinat. Quæ enim comparatio lucis ad tenebras? Roſarum ad ſpinas? Itaque ſola lucens Virgo. Et ipſe quidem Deus ſolus lucens, ac Primus, ac Princeps, & ut à quo Virgo; undè aiunt: *Tu ſolus Sanctus. Tu ſolus Dominus*.

46 Age & Ipſa fons luminum, ideſt, gratiarum; ſic enim dicitur à Bernardo: Nos habere voluit omnia per Mariam. Gratiam autem, & gloriam dat Dominus. Et rurſum alius ait: Quid mirum ſi omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? Et quidem ſi ad omnes; ergò de omni gratia: ſiquidem in Eccleſia *diviſiones gratiarum ſunt*. Fons igitur gratiarum, & luminum à Domino *Maria*: itaque Sanctorum fons, ut Stellarum omnium Sol. Et hoc quidem eſt, quod Ipſa ait *Sap.. ..In me omnis gratia viæ, & veritatis*, ideſt, gloriæ. In me ſcilicet omnis, in alios derivanda per partes. Et gratia quidem viæ omnis in Maria, quia prudentiori, & Sapientiori datur viaticum. *Sap.. . Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtrà illius divitiæ, & gloria*.

47 Ad hæc cauſa Cauſarum poſt Primam. Ipſa Apoſtolos docuit. Ipſa Paulum movit. Ipſa Evangeliſtas illuminavit, à quibus deinde Doctores. Ipſa proximas ſibi Virgines virginitatem vovere dedit; quæ deindè, ut de Marthà legimus, Virgines poſt ſe plurimas ad Sponſum Regem traxere.

Denique infinitos nata, & in infinitum illuminare; natos natorum, & qui naſcentur ab eis; ſicut Filius, ſuo tamen Ipſa modo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

48 Itaque ſimillima Virgo, ut luci lux Deo. Quid? Quod quadam ſingulari ratione Patri ſimillima. Interna ingrediens, & in interiora penetrans tabernaculi. Et quo pacto dices? Ac quando? Et in quo? Certè in eo quod Filius eadem ad Matrem relatione refertur, ac ad Patrem: ſiquidem unica illius filiatio, & quæ ab æterno, & quæ in tempore. O rem miram, & inauditam? Gloriam ſuam, Pater ille luminis, & beneficientiæ, cum Matre voluit habere communem. Ipſa Virgo eiuſdem Filii Mater, qui Patris eſt Filius. Ipſe Pater eiuſdem Filii Pater ab eterno, qui & Filius Matris in tempore. Eapropter factum eſt per divinę Sapientiæ artes, ut cum in ſplendoribus Sanctitatum, ideſt, optimarum cogitationum, ac *firmiſſimarum*, quod eſt, *Sanctarum* (neque enim varii, aut tremuli ſpendores Paternæ divinæ mentis illius, ut in nobis, qui diſcurſu utentes, aut ut in Angelis, qui accipientes à Deo lumen) & in intelligentia ſui concepiſſet ab æterno Pater Filium, & peperiſſet; ut Mater & Ipſa in mente, atque in ventre eundem Filium in ſplendoribus Sanctitatum conciperet. Hinc & factum, ut Virgo eadem, quæ Pater uſurpet ad Filium, ſimili gloriæ cumulo, ac dignitate. *Ego hodie genui te*. *Pſal. 2.*

49 Et in mente quidem Virgo in ſplendoribus Sanctitatum genuit Filium, in perfectiſſima ſui, Deiquè cognitione, ut dixerit: *Eccè Ancilla Domini*. Quo factum, ut Regali illo verbo prolato, nec quacunque ratione Regali, ſed egregia, atque Divina, nimirùm *Eccè Ancilla Domini*: ſiquidem ſervire Deo Regnare eſt, & Regium eſt vera proferre, Regali, inquam, illo, immò & Imperiali verbo prolato, ſtatim in Paradiſum evecta ſit. Nec immeritò: Noverim enim, ait, me, & noverim te. Sed & optimis adhuc aliis cogitationibus Virgo delibuta mentem, mente ut Verbum conciperet. Et dices, quibus? Quis eſt, qui proferat? Iis certum, quæ ſe tam profundè humiliantem decuerint, & dicturam cum Patre ad Filium illa: *In ſplendoribus Sanctorum genui te. Pſal. 109.*

50 Jam & in ventre Filium eundem Deum eadem ratione, In ſplendoribus Sanctorum genuit. Propter hoc illa: *Beatus venter. Luc. 11.* Et Eccleſia: *Beata Viſcera, quæ portaverunt æterni Patris Filium*. Nec niſi divina luce beata. Itaque Patri Deo ſimillima Virgo. Et ad hanc quidem ſimilitudinem ſignificandam Angelus ait: *Virtus Altiſſimi*; ſi de Patre interpretemur *obumbrabit tibi*. Ad hanc & Eccleſia: *Et virginitatis gloria permanente lumen æternum mundo effudit*. Ac ſi. Et ipſa, lux lucem; & lumen cùm eſſet, lumen effudit. Ut Pater permanens Virgo: quod eſt in ſplendoribus, nihil ſcilicet ex partu refractis, at integris, & emicantibus. Notandum autem quod ait: *Gloria permanente*. Gloriam, non decus, ut aliarum; Virginitatem Matris dixit, quia nimirùm hæc cauſa, & ratio, ut appareat pulchritudo. Sed & ad hanc ſignificandam proſpexit, qui ait Virginem Dominam uſque ad ſolium Deitatis evectam. Et qui iiſdem fecerunt Virginem loquentem cum Patre ad Filium: *Ego hodiè genui te*. Et *Filius meus es tu*. Quæ rurſum, cùm ita habeant. Honoremus primum hoc, atque præcipuum Dei Optimi Simulachrum, nempè ſecundum Solem à Primo Sole, maximo cultui, & venerationi poſitum à Deo ipſo. Hanc Divinitatis Statuam, viſibilem inviſibilis Solis Imaginem, & Patris æterni, creatam tamen, figuram.

§. V.

Aurora felicior, Virgo Beata

51 ET quomodò poſt Solem cernimus Auroram? Orto enim Sole, jam non eſt Aurora. Sed eadem quæ Sol, & Aurora eſt. Utrunque ſimul, Auroram ſcilicet habet, & Solem Virgo. Neque Sol Auroræ, neque ſoli officit Aurora. Utrunque iunxit, Auroram ſcilicet, & Solem, Sacer codex, dicens: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut Sol? Cant. 6.* Sunt igitur aliquæ qualitates Auroræ, quæ feliciùs Virgini Beatæ conveniunt: ad maiorem enim ordinantur effectum. Ioannes igitur à S. Germiniano *lib. 2. de Celo, & elementis c. 48. inquit*. *Maria* Mater Domini aſſimilatur Auroræ. Quia Aurora eſt latronum expulſiva. Nam latrones, qui de nocte in tenebris exeunt, Aurora, ideſt, adveniente die fugiunt, & ſe abſcondunt. *Iob. 24. Si ſubitò apparuerit Aurora, arbitrantur umbram mortis*. Ità dæmones tanquam inſani, & exterriti fugiunt, cum noſtram Auroram, ideſt, Virginem glorioſam in corde alicuius per devotionem fulgere cognoſcunt,

52 Quia Aurora eſt roris infuſiva: undè dicitur *Aurora* quaſi *aura rorans*. Ità Beata Virgo Maria divinæ gratiæ rorem nobis abundanter infundit. Quod ſignificatum eſt in lucta Iacob cum Angelo. Nam cum ei dixiſſet Angelus: *Dimitte me, quia Aurora eſt*. *Reſpondit*: *Non te dimittam, niſi benedixeris mihi*. *Geneſ. 13.* Et poſtea ſequitur: quia *benedixit ei in eodem loco*. Hæc eſt enim benedictio, de qua dicitur *Geneſ. 26. In rore Cœli deſuper erit benedictio tua*. Et hic eſt ros ſupernæ gratiæ, quem nobis hæc Aurora infundit.

Et iſte ros Auroræ eſt decorativus, & refrigerativus, & dulcorativus. Decorativus, quia dicitur, quod Conchæ marinæ in Aurora ſe aperiunt, & rorem ſuſcipientes, Margaritas concipiunt, quæ ſcilicet in ornamentis ponuntur. Et ſic animæ devotæ, dum ſe iſti Auroræ, ideſt, Beatę Virgini per affectum devotionis aperiunt, rorem gratiæ ſupernæ ſuſcipiunt, per quam Margaritas candidas, ideſt, affectiones puriſſimas concipiunt, quę ſunt animæ ornamenta. Et ideò iſti Auroræ dicitur: *Ros lucis ros tuus*: ideſt, affectiones tu generas lucidas, & mundas.

Iſte ros Auroræ eſt dulcorativus. *Exod. 26.* dicitur, quod in Aurorà colligebatur manna: manna quidem eſt internæ dulcedinis gratia, quam his, qui tribulato ſunt corde, infundit hæc Aurora.

Iſte ros eſt refrigerativus ſcilicet ardoris ferventis concupiſcentiæ, ſecundùm illud *Eccli. 43. Ros obvians ardori venienti humilem efficit eum*; & ideò Aurora eſt caloris temperativa.

58 Denique quia Aurora eſt lucis à Sole impetrativa. Undè dicitur *2. Reg. 23. Lux Auroræ oriente Sole manè abſque nubibus rutilat*. Sic iſta Aurora, ideſt, Virgo Beata impetrat lumen divinæ cognitionis, & inſpirationis. Nota, quod

iſta lux Auroræ, quæ eſt manè oriente Sole, multa bona operatur. Eſt enim infirmorum confortativa: avium lætificativa: florum de nocte clauſorum apertiva: herbarum de nocte depreſſarum erectiva. Quæ omnia hæc jam prædicta facit in nobis Beata Virgo Maria. Eſt enim ipſa Aurora, quæ debiles confortat: ſiquidem infirmi confortantur in Aurora, ex eo quod ſanguis in Aurora dominatur; & ideò ſomnus dulcior eſt in Aurora. Item quia tum virtutes animales corroborantur. Undè ſecundum Medicos, meliùs ſe habent infirmi: & ideò dicitur *Aurora* quaſi *aurea hora*, ideſt, optima. Ita ſimiliter per Beatam Virginem infirmi ſpiritualiter recipiunt ſanitatem: vires animæ recipiunt vigorem: ſanguis dulcedinis, & devotionis recipit augmentationem. Item in Aurora aves lætificantur; & ideò ad cantandum excitantur: undè dicitur *Aurora* quaſi *avium hora*: quia ſcilicet Beata virgo eſt, quæ devotos excitat ad Dei laudem. Ipſa enim eſt, quæ flores clauſos, ideſt, mentes humilium aperit ad benè operandum, ut odorem boni exempli undique circunfundant. Ipſa etiam eſt, quæ depreſſos per mœrorem erigit per ſpem, & conſolationem. Hæc ille.

59 Pulchrà autem Rupertus *lib.6.in Cant.* exponens illa verba: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, &c.* ait. Quam pulcher ordo in iſta laudatione, in iſta tuæ pulchritudinis, ò Beatiſſima, prędicatione. Primum conſurgens ut Aurora, deindè pulchra ut Luna, deindè electa ut Sol. Quando nata es, ò Virgo Beata, tunc vera nobis Aurora ſurrexit, Aurora prænuncia diei ſempiterni; quia ſicut Aurora quotidiana finis præteritæ noctis, & initium diei ſequentis, ſic nativitas tua, nativitas ex ſemine Abrahæ, clara ex ſtirpe David, ad quos cum juramento Dei facta eſt repromiſſio benedictionis: finis dolorum, & conſolationis fuit initium: finis triſtitiæ, & letitiæ nobis extitit principium.

Quandò autem Spiritus Sanctus in te ſupervenit, & filium Virgo peperiſti, tunc tu, & ex tunc pulchra pulchritudine divina: pulchra inquam, non quomodocumque, ſed ut Luna. Sicut enim Luna lucet, & illuminat luce non ſua, ſed ex Sole concepta: Sic tu ò Beatiſſima, hoc ipſum, quod tam lucida es, non ex te habes, ſed ex gratia divina, gratia plena. Quandò autem de hoc mundo aſſumpta, atque ad æthereum thalamum tranſlata es: tunc tu, & ex tunc electa ut Sol: electa, inquam, nobis, quia ſicut ex te natum, Dei filium, Solem verum, Solem æternum, adoramus, & colimus ut Deum verum; ſic & te honoramus, atque veneramur, ut veri Dei Genitricem, ſcientes quia totus honor impenſus Matri, ſinè dubio redundat in honorem Filii. Et quidem naturà non tu idem es, quod ille Sol, ſed nihilominùs tanta es, ut te honoret ipſe Sol honore, quo decet filios honorare Parentes ſuos. Qui enim dixit: *Honora Patrem tuum, & Matrem*: non dubium quin Ipſe honoret, & ab omnibus amicis ſuis ſuam velit honorari Matrem.

60 Et Bernardus apud Alcuinum *homil. de Nativit. B. Virginis* inquit. O lampas luculentiſſima, quantos lætificaſti, quanto ſplendore gloriæ Dei illuſtrata, deſideratum illud lumen, quo inventa eſt drachma decima, ſedentibus in tenebris, & umbra mortis protuliſti? Te nimirùm ille divini Epithalamii Præcentor à longè intuitus eſt, cùm in admirationis vocem ita prorupit, dicens: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens?* &c. Sicut Aurora valdè rutilans in Mundum progreſſa es, ò Maria, quandò veri Solis ſplendorem tantæ ſanctitatis jubare pręcurriſti, ut verè diem ſalutis, diem propitiationis, diem quam fecit Dominus, à tanta claritate initiari dignum fuerit. Felix Aurora, felicis diei nuncia extitiſti. Talem Auroram talis dies, & talem diem talis Aurora decuit. Et rectè quidem Auroræ impleſti officium. Ipſe enim Sol juſtitiæ de Te proceſſurus, ortũ ſuum quadam matutina irradiatione præveniens, in te lucis ſuæ radios copiosè transfudit, quibus poteſtates tenebrarum, quas Eva induxerat, in fugam convertiſti, atque ita deſideratum cunctis Gentibus Solem mundo invexiſti.

61 Pulchrè etiam Albertus Magnus lib. 7. de laudib. B. *Mariæ* c. 7. luctam Jacob cum Angelo deſcribens, de noſtræ ortu Auroræ ſic loquitur. Hæc eſt Aurora, de qua dictum eſt Iacob ab Angelo, cum quo luctabatur, *Geneſ.* 31. *Dimitte me: jam enim aſcendit Aurora.* Angelus hic Deus Pater, Iacob figurat Sanctos Patres, qui ſub veteri Teſtamento precibus, & lachrymis, quaſi duobus brachiis, ſicut tangitur *Oſeæ* 12. ubi agitur de lucta Iacob, nitebantur à Deo extorquere Incarnationem unigeniti ſui, quorum cætui reſpondetur quaſi in ortu *Mariæ: dimitte me, jam enim aſcendit Aurora*: quaſi ceſſet jam inſtantia veſtri luctaminis, quia jam aſcendit Aurora, id eſt, lux illa naſcitur, quæ vobis pariet verum Solem. Sed reſpondit Iacob: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*: quia non debent ceſſare deſideria, & inſtantia Sanctorum, donec benedictionem receperint, id eſt, donec *Iacob*, id eſt, *luctator* fiat *Iſrael*, id eſt, *videns Deum* in patria; & donec poſſit dicere: *Vidi Dominum facie ad faciem: & ſalva facta eſt anima mea*, &c.

Aliter, ut per Angelum ſignetur Chriſtus, qui forſitam data nobis Matre videtur dicere ſe oranti: *Dimitte me, jam enim aſcendit Aurora.* Quaſi dicat: Jam non pulſes ad me primo loco, ſed vade ad Matrem meam. Sicut aliquis Rex juvenis ad honorem Matris ſuæ Reginæ, remittit ad eam negotia regni. Et hoc apparuit in nuptiis *Ioan.* 2. ubi priùs miniſtri veniſſe creduntur ad Matrem, & Ipſa ad Filium. Ideò fortè dirigitur ſermo ille *Sap.* 6. ad Patrem: *Oportet prævenire Solem*, id eſt, priùs venire ad *Mariam*, quàm ad Solem juſtitiæ, *ad benedictionem tuam obtinendam. Et ad ortum lucis adorare te*, id eſt, gratias agere de ortu *Mariæ*, per quam illuminatus eſt Mundus. Hactenus Magnus Albertus.

62 Denique quantum proſit nobis hæc Aurora, profectò Bonaventura *in Speculo B. Virg.* c. 11. per extenſum oſtẽdit, dicens. Nam ſicut in ſcriptura per Auroram ſignatum eſt, Ipſa nobis eſt ad Deum mediatrix; ad Angelos pacificatrix; ad dęmones defenſatrix; ad nos ipſos illuminatrix. Primò attẽdite, quòd Aurora noſtra Maria nobis eſt ad Deum mediatrix, ſicut in *Pſ.* 73. ſignatum eſt, ubi dicitur: *Tuus eſt dies, & tua eſt nox: Tu fabricatus es Auroram, & Solem.* Sicut benè beatus Gregorius ait. Dies vita juſti, nox verò vita accipitur peccatoris; & ideò benè Dominus filios Iſrael præcedebat per diem in columna nubis, per noctem verò in columna ignis: quia ab ardore iræ ſuæ tanquàm nubes pios protegit, & tanquàm ignis impios urit. Unde benè Sol intelligitur Chriſtus, Sol utique juſtitiæ, qui illuminat electos, & urit reprobos. Graviter quandoque urit in mundo, graviùs autem in judicio, graviſſimè autem in Inferno. De hac triplici uſtione intelligi poteſt illud *Eccli.* 43. *Tripliciter Sol exurens montes*, id eſt ſuperbos peccatores: propter hoc benè refrigeratrice, mediatrice inter nos, & Solem juſtum indigemus. Et ideò benè Pſalmiſta in prædicto verſu Auroram inter noctem, & Solem ponit mediam, quæ certè etiam ordine naturali media eſt. Aurora itaque eſt B. Virgo Maria, quæ inter noctẽ, & Solem, inter hominem, & Deum, inter hominem injuſtum, & Deum juſtum eſt optima mediatrix, optima iræ Dei refrigeratrix: teſtatur beatus Bernardus, dicens. Securum jam habet homo acceſſum ad Deum, ubi mediatorem cauſæ ſuę Filium habet antè Patrem, & antè filiũ Matrem. Filius nudato corpore Patri oſtẽdit latus, & vulnera. *Maria* Filio pectus, & ubera. Nõ poteſt ullo modo fieri repulſa, ubi concurrunt, & perorant tanta charitatis inſignia.

63 Secundò attendite, quòd Aurora noſtra *Maria* nobis eſt ad Angelos pacificatrix, ſicut ſignatum eſt in Geneſi. Ubi legitur, quod Angelus, qui cum Jacob luctabatur, benedixit eum in Aurora. Dicente nanque Angelo: Dimitte me: jam enim aſcendit Aurora: non dimiſit eum Jacob, niſi ipſum benediceret. In Aurorà lucta fuit inter Angelum, & Jacob; diſcordia fuit inter Deum, Angelos, & homines. Homo enim peccando offenderat Creatorem. Offenſo autem Creatore, omnis offenditur creatura: quantò magis illa, quæ creatori magis eſt conjuncta? Illa ergò lucta potuit hujus diſcordiæ eſſe figura. Sed certe adveniente Aurora, adveniente Maria, pacificati ſunt Angelus, atque homo, ita quòd in ipſa Aurora, in ipſa Virgine Maria Angelicam benedictionem conſecutus eſt homo. Angelus nanque dixit, *Benedicta tu in mulieribus*, ad Virginem: & per hanc benedictionem Virginis, homo conſequitur benedictionem pacis, & ſalutis in Filio Virginis; benedictionem utique illam, de qua Apoſtolus ait *Epheſ.* 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione in cœleſtibus in Chriſto.* Quam etiam benedictionem ipſe benedictus filius benedictæ Virginis confirmabit, quandò dicet: *Venite benedicti Patris mei, &c. Matth.* 25. Jacob ergò Aurorę aſcendenti, & nos *Mariæ* advenienti gratias agamus prò benedictione, qua cum Angelo pacificati ſumus. Meritò certè per Auroram, meritò per Mariam homines cum Angelis pacificantur, ex quo per Mariam ab hominibus Angelorum chori reintegrantur, ſicut Anſelmus inſinuat, dicens. O fœmina mirabiliter ſingularis, & ſingulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, homines ſalvantur, Angeli reintegrantur.

64 Tertiò attendite, quòd Aurora noſtra *Maria* nobis eſt contrà dæmones defenſatrix, ſicut ſignatum eſt in *Iob* 24. ubi de homicida, & de fure, & de adultero dicitur. *Perfodiunt in tenebris domos, ſicut in die condixerant ſibi, & ignoraverunt lucem. Si ſubitò apparuerit Aurora, arbitrantur umbram mortis.* Homicida diabolus, fur diabolus, adulter diabolus eſt. Homicida inquam eſt, quia genus humanum occidit. Fur, quia quæcunque poteſt, nobis bona ſubtrahit. Adulter, quia Sponſam Dei Animam corrumpit. Heu quanta nobis mala, hujuſmodi malefici, quanta nobis mala ſpiritus maligni faciunt! Perfodiunt nanque in tenebris ignorantiæ, in tenebris obſcuritatis, interiores domos mentium noſtrarum, domos utique, de quibus in *Pſal.* 67. dicitur: *Deus in domibus ejus cognoſcetur.* Perfodiunt certè tentationibus perforativis domos illas, in quibus ille libenter habitat, qui dicit *Luc.* 19. *Hodiè in domo tua oportet me manere.* Perfoſſis autem domibus, perforatis uſque ad infelicem peccati conſenſum mentibus: heu quanta mala malefici iſti occidendo, furando, adulterando committunt in animabus! Ad evadenda ergò tãta pericula, utinam nobis Aurora appareat, utinam nobis *Maria* ſuccurrat. *Si* enim *ſubitò apparuerit Aurora*, ſi citò nobis advenerit, & ſupervenerit *Mariæ* gratia, & miſericordia, *arbitrantur umbram mortis*, id eſt, ſic timent homines, ſic trepidant, ſic fugiunt, ſicut homines timent, & fugiunt umbram mortis. Propter hoc benè beatus Bernardus ait. Non ſic timent hoſtes viſibiles quamlibet caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aereæ poteſtates *Mariæ* vocabulum, & exemplum: fluunt, & pereunt ſicut cera à facie ignis, ubicunque invenerint crebram hujus Nominis recordationem, devotam invocationem, ſolicitam imitationem.

69 Quartò attendite, quòd Aurora noſtra *Maria* nobis eſt, quò ad nos ipſos illuminatrix ad benè operandum. Operarii ab aſcenſu Auroræ incipiunt operari. Undè in Neemia *c.* 4. dicitur: *Nos ipſi faciemus opus; media pars noſtrùm teneat lanceas ab aſcenſu Auroræ, donec egrediantur aſtra.* Duo nobis neceſſaria ſunt, videlicet ut bonis operibus inſiſtamus: & ideò benè ajunt ædificantes: *Nos ipſi faciemus opus.* Quod opus? Niſi de quo Apoſtolus ait *Galat.* 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.* Benè autem dicunt: *Nos ipſi faciemus*: nos ipſi, non noſtri vicarii. Undè alibi ait 2. *Corinth.* 6. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros.* Sed certè *Maria* nõ nutricem aliam, non vicariam, ſed ſemper ſemetipſam exhibuit Dei miniſtram, ſicut beatus Auguſtinus teſtatur, dicens: *Maria* abſque dubio operis miniſtratrix extitit, quę hunc utero geſſit, partuque profuſum aluit, & fovit, & in præſepio reclinavit, & à facie Herodis abſcondit fugiens in Ægyptum, & omnem infamiam ejus pio mentis affectu eſt proſecuta, ita ut uſque ad mortem Crucis, ab ejus indubitanter non receſſerit conſectatu, non ſolùm greſſibus pedum, tanquam prò amore Filii, verùm etiam imitatione morũ, tanquàm pro reverentia Domini.

Neceſſarium etiam nobis eſt, ut non ſolùm bonis operibus inſiſtamus, ſed etiam ut vitiis reſiſtamus, & ideò benè additur de lanceis tenendis. Tenere enim debemus lanceam zeli contrà impetum vitii, contra impugnationem diaboli, carnis, & mundi. De his lanceis bene dicitur in *Ieremia cap.* 46. *Polite lanceas, induite vos loricis.* Lorica juſtitiæ à malo protegimur, ſed lanceà

zeli malum impugnamus. Si lanceam zeli contrà
vitia non extendis in mundo,Deus lanceam irę ſuę
contrà te extendet in judicio. Unde in *Sap. c. 5.*
dicitur: *Acuet iram diram in lanceam*.

66 O qualis bellatrix *fuit Maria*, cui ſancta zeli
ſui lancea! Unde Bernardus. Tu bellatrix egregia,
primò eum, qui primus Evam ſupplantavit, expu-
gnare viriliter aggreſſa es. Ut ergò bonis operibus
fideliter inſiſtamus, & malis viriliter reſiſtamus,
neceſſarium nobis eſt, ut *Mariæ* exemplum inſpi-
ciamus,*Mariæ* ſuffragium imploremus. Tunc quaſi
ab aſcenſu Auroræ operamur, quandò irradiante
exemplo,& vita *Mariæ*, quandò irradiante patroci-
nio,& miſericordia *Mariæ*, ad benè operandum in-
citamur. Benè autem operari debemus,donec egre-
diantur aſtra, hoc eſt, donec animæ noſtræ lucidæ
tanquàm aſtra, exeuntes de corporibus, evolent ad
aſtra. Sed ſuper omnia aſtra jam egreſſa,vel adhuc
greſſura ad aſtra,ſplendidiſſimum aſtrum eſt Auro-
ra noſtra Maria, teſtante beato Bernardo, qui ait:
Tu veri Solis expreſſiſſima Imago, inter millia
aſtrorum Deo aſſiſtentium,virginali puritate in cę-
lis glorioſa præfulges. Sic ergò chariſſimi vidiſtis,
quàm convenienter Aurora dicta ſit *Maria*. Do-
minus ergò tecum,ò *Maria*, ſicut Sol cum Aurora.
Eia ergò Domina,Aurora ſuaviſſima,Domina *Ma-
ria* dulciſſima,fac etiam nobiſcum eſſe Solem juſti-
tiæ, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

CAP. II.

Terreſtris Mundi Coſmopeia Virginem Beatiſſima exornat.

1 COelum, Aſtra, Planetæ, Stellæ, Sol, &
Aurora, & reliqua cœleſtis luminaria
Mundi, partem utique egregiam in Parthenio No-
mine tenuerunt: verùm nec inferioris Mundi ele-
menta, quibus conſtat ſublunaris Globus, à literis
ejuſdem Nominis excludi volunt. Siquidem *Ma-
ria* nomem ærarium,aut theſaurus,à quo creaturæ
eruuntur, eſſe videtur. Et verè ſi literas ſingu-
las propendas, quadrifidam tibi dabunt elemento-
rum partitionem, & trinam aereæ Regionis divi-
ſionem. Nam *Maria* eſt

Mons.
Aer.
Regio.
Ignis.
Aqua.

Age ergò, & videamus etiam elementa Geſtire in
ejus hieroglyphicis exprimendis.

§. I.

Quomodò Terræ proprietates Beatiſſimæ Virgini conveniant.

2 SUb nomine Montis in prima litera,Terræ
elementum intelligo,quia Mons terræ fi-
lius,& proles,& ipſius pars cæteris eminentior. Et
quidam montem propter ſuam eminentiam in Ma-
riæ hieroglyphicis primum etiam locum occupare
decebat. Nam *Mons* ſecundùm Iſidorum dicitur
ab eminentia. Et ò quàm aptè altitudinem,& ſubli-
mitatem Dei Matris figurat! Nam Albertus Ma-
gnus *lib.8. de laudib. B. Mariæ c. 5.* inquit. *Maria*
mons. Quia latus in pede, vel radice. Radix *Mariæ*
humilitas,quę eſt fundamentum ejus latiùs,& pro-
fundiùs,quàm omnium Sanctorum. Quia anguſtus
in cacumine. Cacumen *Mariæ* eſt maternitas,cujus
modus imcomprehenſibilis,& ſinè exemplo ſingu-
laris: quia *Generationem ejus quis enarrabit? Eſa.* 53.
Et 66. *Quis unquàm audivit tale?* Quia terrà adja-
cente ſuperior, ideſt,omni pura creatura: Cœlo, id
eſt, ſolo Chriſto Deo, & homine inferior. Anſel-
mus. Nihil æquale *Mariæ*: nihil niſi Deus maius
Maria. Quia terram ſe toto excedens: quia in nul-
la virtute aliquis inventus eſt ſimilis illi. Quia ter-
ra ſuper terram exaltata: aliter non eſt mons. Nam
filio Dei imprægnata non tantùm ſuper omnes ho-
mines eſt exaltata,immò in ſe continuit ipſum Cœ-
lum. Undè dicit *Eccl.24. Gyrum Cœli circuivi ſola*.
Cœlos etiã attingebat ſtans in terra *Sap.18.* Et ideò
dicitur *Mons in vertice montium. Eſa. 2.* Quia ter-
ræ ſemper adhæret, id eſt, peccatoribus, qui terra
ſunt,per affectum miſericordiæ, dicens: *Quis infir-
matur*,&c. Quia terram ſibi ſubditam validè prote-
git,quandiù ſub eo eſt: & Ipſa ſibi ſubditos, niſi per
peccatum mortale ab ea receſſerint.

3 Quia à longè videtur: nam per omnia mundi
climata exivit ſonus pietatis, & miſericordiæ
ipſius. Quia quidquid venit de ſurſum,priùs ſuſce-
pit,& indè deſcendit ad valles propinquas. Nam in
Incarnatione ſuſcepit prior omne datum optimum:
& de pulchritudine ejus accipiunt humiles propin-
quantes ei per veram dilectionem. Quia omnia
flumina,vel ferè omnia ortum habent à montibus:
& de ea natus eſt ille, qui dicit: *Ego quaſi fluvius
Dorix*: à quo ad illam defluunt, & ab Ipſa ad nos
fluenta gratiarum, quæ fluunt impetu de Libano.
Quia fontes perſpicuos, & frigidos emittit in pe-
de, id eſt, in affectu charitativè ad refrigerandum
nos. Quia idoneus munitionibus,& ſpeculis: & Ipſa
eſt munimentum Eccleſię,& omnium fidelium. In
exemplis etiam ejus quid fugiẽdum ſit, & quid am-
plexandum,poſſumus ſpeculari. Quia in montibus fit
major tempeſtas,quam in vallibus,vel in planis:& in
Unigeniti ſui paſſione turbata eſt valdè,& fuit *om-
nis plaga triſtitia cordis ejus. Eccli. 25.* Quia mons
habitatio,& receptaculum ferarum. Unde *Pſal.103.*
Montes excelſi cervis, refugium ſcilicet: & Ipſa re-
fugium illorum,qui fugiunt à facie arcus,id eſt, di-
vini judicii. Aliter. Illorum etiam eſt habitatio,
qui mundum fugiunt: quia de mundo non ſunt,
quos mundus ſagittat detractionibus, & maledi-
ctis. *Ierem.9. Sagitta vulnerans lingua eorum*, &c. Pa-
ſcit etiam tales in paſcuis uberrimis. Unde *Iob.* de
Onagro 29. *Contemnit multitudinem civitatis*. Et
poſt pauca: *Circunſpicit montes paſcuæ ſuæ, & viren-
tia quæque perquirit*. Propter hoc Ipſi dicitur: *Sicut
lætantium omnium habitatio eſt in te. Pſal. 86.*

4 Verùm ſi de ipſo terræ elemento loquamur,
B. Virgo multas habet cum terra ſimilitudines,quas
recitat Bernardinus Buſtenſis *ſerm. 2. de Aſſumpt.
Virg.*

Virg. p. 2. ex quodam Authore, & nonnullas ex A-
lexandro de Ales in expoſit. *Pſal. 24. ad prim. verſ.
Domini eſt terra*,&c. Ubi inquit Ales: *Domini eſt
terra*, ideſt, Virgo Maria: & dicit iſtas ſimilitudi-
nes contineri in his verſibus.

Nigra, rotunda, capax, medians, circundata, fœta,
Integra, ſtans, humilis, cibat omnia, continet aurum.

Primò. Nigra autem dicitur, quia fuit de genere
Iudęorũ,qui nigri fuerunt,& obſcuri per infidelita-
tẽ ergà Chriſtũ. Itẽ quia fuit vilis exteriùs reputa-
ta ab eis. Undè Ipſa ait *Cant.1. Nigra ſum,ſed formo-
ſa*. Item ſicut terra eſt elementum qualitate obſcu-
rum,& de ſe opacum, ut dicitur in 14. lib. de pro-
priet. rer. Ita Ipſa benedicta Virgo fuit nigra, &
obſcura in paſſione filii per dolorem, & afflictio-
nem,juxtà illud *Eſa. 33. Luxit,& elanguit terra*. Et
c.6. ejuſdem dicitur: *Eccè tenebræ operient terram*,id
eſt, Beatam Virginem *Mariam*.

Secundò. Ad modum terræ fuit rotunda. Sicut
enim terra eſt elementum figuratione ſphæricum,
ut dicitur in lib.de propriet.rer. & ponit Baſilius in
libr. Hexamer. Sic Beata Virgo fuit rotunda, id
eſt, perfecta. Undè illi inquit Sponſus ejus cœ-
leſtis *Cant.2. Veni columba mea, perfecta mea*, &c.
Beata igitur Virgo dicitur fuiſſe figuræ ſphæricę,
inquantùm habuit plenitudinem gratiæ. Nam ſicut
figura ſphærica probatur à Philoſopho eſſe perfe-
ctior omnium figurarum: ità & Ipſa fuit perfectiſ-
ſima fœminarum. Id autem quod Philoſophi vocant
ſphæram terræ: Sacra Scriptura appellat orbem
terræ. Glorioſa ergò Virgo *Maria* eſt illa figura
ſphærica,& orbicularis; de qua Pſaltes inquit Deo:
Orbem terræ, & plenitudinem ejus tu fundaſti Pſal.88.

Tertiò. Sicut terra licèt reſpectu Cœli ſit quan-
titate minima, eſt tamen in ſe maxima. Undè
eſt omniam viventium corporalium receptacu-
lum. Et ſimiliter B. Virgo licet reſpectu Dei ſit
minima, tamen in ſe eſt maxima, & capaciſſi-
ma, adeò quòd ut Ipſa inquit *Eccli. 24. Qui crea-
vit eam, requievit in tabernaculo ejus*. Quæ ergò
fuit receptaculum Dei: etiam omnes ad ſe confu-
gientes recipiet. Ipſa enim eſt refugium, & recep-
taculum ſecurum omnium ad eam devotè recurrẽ-
tium. Et propter hoc data eſt hominibus à Deo,jux-
tà illud *Pſ. 113. Terram autem dedit filiis hominum*.
Unde Ipſa non ſolùm eos recipit benignè, quandò
ad eam confugiunt, ſed etiam miſericorditer invi-
tat, ut ad Ipſam recurrant,dicens *Eccli.24. Tranſite
ad me omnes,qui concupiſcitis me*, &c. Hæc enim eſt
illa terra,de qua inquit Propheta *Pſal. 32. Miſeri-
cordia Domini plena eſt terra*.

5 Quartò. Terra eſt medium Mundi, ut dicit
Iſidorus lib. 13. etym. c. 1. Et ſimiliter B. Virgo
eſt media inter Deum, & hominem, quæ ità benè
mediavit,quòd per ejus medium ſalutem Deus ho-
mini contulit. De quo Pſaltes inquit *Pſal. 73 Ope-
ratus eſt ſalutem in medio terræ*. Et figurata fuit
benedicta Virgo per Eſther,quæ liberavit populum
Iſrael morti adjudicatum. Et propter hoc in die
paſſionis ſtetit juxtà Crucem ex parte Aquilonis,
quaſi inter peccatores, & filium ſuum.

Quintò. Sicut terra eſt circundata aquis: ita
B. Virgo fuit circundata tribulationibus in morte
filii. Et ſicut aquæ non ſubmergunt terram: ita
nec aquæ tribulationum potuerunt ſuffocare Vir-
ginem glorioſam, juxtà illud *Cant. 8. Aquæ multæ
non potuerunt extinguere charitatem*.

Sextò. Sicut terra aquę glutino ſervatur integra,
ut dicitur *in lib. de propriet. rer.* & ponit Baſilius in
hexamer. Ita B. Virgo glutino aquæ divinæ gratiæ
ſervata eſt ſemper integra per virginitatem, juxtà
illud *Eſa.11. Eccè Virgo concipiet*,&c. Et *Ezechiel.44.
Porta hæc clauſa erit,& non aperietur*, &c.

6 Septimò. Sicut terra eſt ſtabilis juxtà illud
*Eccli. 1. Generatio præterit,& generatio advenit, ter-
ra autem in æternum ſtat*. Et ideò ſecundùm Iſido-
rum lib. 13. etym. dicitur *Solum*, quia eſt elemen-
tum *ſolidum*. Item dicitur mundi fundamentum,
quia omnia alia corpora mundi moventur circa eam
ſcilicet Cœlum, ignis, aer,& aquæ; ſed ipſa ſtat ſi-
cut fundamentum immobilis. Sic Beata Virgo ſi-
cut fidei fundamentum fuit ſemper ſtabilis in ea:
Apoſtolis tamen, & aliis ab ea recedentibus tempo-
re paſſionis Chriſti. Item Ipſa ſemper ſtat coram
Deo ad intercedendum prò nobis, ſicut promiſit
Eccli. 24. dicens: *Vſque ad futurum ſeculum non deſi-
nam*: id eſt,uſque ad diem judicii non ceſſabo inter-
pellare Deum pro vobis.

Octavò. Terra eſt corpus infimum,ſicut Cœlum
eſt ſupremum, juxtà illud *Prov. 25. Cœlum ſurſum,
& terra deorſum*. Et ſimiliter Beata Virgo in con-
ſideratione ſe infimam, & abjectam ſemper reputa-
vit;undè viliſſimo,& infimo nomine fęminarũ ſe an-
cillam appellavit,dicẽs. *Luc.1. Eccè Ancilla Domini*.

Nonò. Sicut dicitur in lib. de propriet. rer. 14.
& ſunt verba Iſidori 13. etym. Terra omnia cibat,
& nutrit omnia indigentia alimento: & ſimiliter
B. Virgo cibavit totum mundum fructu uteri ſui.
De quo prædixerat Propheta. *Pſal.84.* dicens: *Do-
minus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fru-
ctum ſuum*. Undè de ea dicitur *Prov. ult. Dedit
cibaria ancillis ſuis*: id eſt, devotis ſuis.

7 Decimò. De terra inquit Iſidorus. Terrra Ma-
ter eſt fœcunditatis: quia nulllum vegetabile poteſt
creſcere,niſi in terreſtri ſubſtantia radicetur. Et ſi-
militer Beatiſſima Virgo fertiliſſima fuit: de cujus
fertilitate exponi poteſt illud *Geneſ.1. Producat ter-
ra herbam virentem*: ideſt,omnis virtutis operatio-
nem.

Undecimò. De terra ait Iſidorus,quòd naturali-
ter eſt frigida,& ſicca. Et ſimiliter B. Virgo fuit
frigida, & ſicca per carnis incorruptionem, quia
caruit humore luxuriæ, & calore concupiſcentiæ.
Unde de illa exponi poſſet illud *Iudic 15. Terram
aridam dediſti mihi*. Et *Deuter. 28. Terra,quam cal-
cas, ferrea eſt*. Ferrum enim eſt frigidum,& ſiccum.

Duodecimò. De terra inquit Baſilius ut ſuprà,
quòd eſt corpus æqualibus ſpatiis à Cœlo remo-
tum, & ideò Cœli centrum à ſapientibus eſt vo-
catum: undè Philoſophus inquit, quòd terra eſt
propriis æquilibrata ponderibus. Quælibet enim
ſuarum partium ſuo pondere nititur ad mun-
di medium; quo niſu, & inclinatione ſingu-
larum partium, tota circa centrum æquilibrata
ſuſpenditur,& æqualiter immobilis retinetur, ſicut
ſcriptũ eſt, quòd *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem
ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Pſal.103.* Hæc
Baſilius. Et ſimiliter Beatiſſima Virgo dicitur cen-
trum Cœli, quia ad Ipſam omnes reſpiciunt tanquã
ad mediatricem: & ipſa ſemper fuit firmiſſima in

Dei amore, ſicut prædixerat Vates *Pſal.* 92. dicens de Deo: *Firmavit Orbem terræ, qui non commovebitur*; Et æqualibus affectionum bonarum ponderibus ſemper librata fuit medio axe divinæ charitatis: & ad hoc exponi poſſet illud Claudiani dicentis de Deo lib. 1. *Tellurem medio libravit axe.*

8 Decimotertiò. De elemento terræ dicit Baſilius, quod eſt omnium corporum corpulentiſſimum: & ſimiliter Beata Virgo fuit corpulentiſsima per privilegiationem, quia Ipſa corpus Virgineũ poſſedit in mundo; & corpus divinum portavit in utero; & corpus glorioſum poſſedit in Cœlo. Unde de devotis ejus dici poteſt illud 1. *Paral.* 4. *Invenerunt terram latiſſimam, quietam, & fertilem.* Corpus enim Beatæ Virginis fuit terra quieta à paſſionibus carnalibus per virginitatem; fertilis per fœcunditatem; & latiſſima per gloriæ æternitatem.

Decimoquartò. De terra inquit Iſidorus. Quamvis terra ſuperficialiter exteriùs ſit indecora, intrinſecus tamen continet multa pretioſa: ex quadam enim cœleſtis influentiæ impreſſione in interioribus terræ venis pretioſæ gemmæ, & nobilia metalla generantur. Unde & terræ virtuoſitas ſub quadam extrinſeca deformitate occultatur. Et ſimiliter benedicta Virgo in exterioribus ſe paupercula m, & viliſſimam oſtendebat, ſed intus divitiis ſpiritualium donorum plena erat. Vnde de ejus exteriori abjectione exponi poteſt illud *Ierem.* 4. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat.* Et illud *Geneſ.* 1. *Terra autem erat inanis, & vacua.* De divitiis verò ſpiritualibus Ipſa dicere poteſt illud *Geneſ.* 41. *Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.*

Decimoquintò. Terra ſecundùm ſe tota eſt quieta, & non ſolùm ſibi, ſed etiam aliis. Unde inquit Iſidorus lib. Etym. *Terra* dicitur *Solum*, quia eſt elementum *ſolidum*, cujuslibet corporis quantucumque ponderoſi ſuſtinens totam molem: undè quælibet gravia ſurſum mota, quouſque terram ſtabilem tangant, permanent inquieta, ſed cum pervenerint ad terram quietantur. Et ſimiliter Beatiſſima Virgo ſemper fuit quietiſſima per mentis ſuæ pacificationem, & ab omnibus animi vagationibus remotionem. Unde ei attribuitur Sabbatum, quod eſt dies quietis, juxtà illud *Levit.* 15. *Sabbatum erit terræ veſtræ.* Omnes quoque ei adhærentes per devotionem, quietos, & tranquillos facit: ita ut de ipſis poſteà dici poſſit illud 2. *Paral.* 23. *Lætatus eſt populus terræ, & quievit.*

9 Decimoſextò. *Terra* dicitur *Scabellum pedum Dei. Matth.* 5. Et ſimiliter fuit Beata Virgo per filii Dei ſuſceptionem. Quaſi enim pedes Dei, quibus mediantibus ſtetit in ejus utero, fuerunt anima, & caro Chriſti. Et ideò inquit ipſe Ieſus *Eſa.* 66. *Terra eſt ſcabellum pedum meorum.*

Decimoſeptimò. Bona terra ſi rore fuerit perfuſa, aut compluta, mollificatur, impinguatur, & melioratur. Et ſimiliter quantò melius cultivatur, tãtò major fructuum abundantia ab illa producitur. Et è contrario eſt de non cultivata, juxtà illud Ovidii in 5. de Triſtib.

Fertilis aſſiduo ſe non renovetur aratro,
Non niſi cum ſpinis germen habebit ager.

Et pari modo Beatiſſima Virgo fuit cultivata aratro Spiritus Sancti, & madefacta roræ gratiæ Dei: undè de illa dicitur in figuram *Iudic.* 6. *Omnis terra rore madens.*

Decimoctavò, ut inquit Iſidorus 13. *Etym. Terra* ideò ſic appellatur, quia *teritur.* Et *humus* dicitur ab humido mari; cui conjungitur. Et *tellus*, quia fructus ejus tollimus. Item dicitur *Ops*: quia *opem* fert frugibus: vel quia ex ipſa conſequitur opem vice ejus quælibet corporaliter vivens creatura. Dicitur quoque *Arida*, quia araturæ, & culturæ eſt apta, vel quia ab aqua ſiccitate, & ariditate propria eſt diſtincta. Quod enim humida ſit, hoc ab aquę vicinitate procedit. Et ſimiliter ipſa benedicta Virgo diverſis tribulationibus attrita, congruè terra appellari poteſt; fuit enim à perfidis Iudæis ſæpiùs conculcata, & deſpecta. Vnde Ipſa dicere poteſt illud *Pſal.* 55. *Conculcaverunt me inimici mei.* Appellari quoque poteſt humus ab humido humilitatis; & tellus, quia de gratiis ejus omnes tollimus, juxtà illud Bernardi: De plenitudine ejus accipiunt univerſi. Item Ops; quia omnibus ad eam recurrentibus opem impendit.

Poteſt etiam appellari *Arida*, quia unuſquiſque poteſt in ea arare per devotionem. Vndè de Ipſa exponi poteſt illud *Ierem.* 26. & *Michæ* 3. *Sion quaſi ager arabit.* Quilibet autem arans hanc Aridam poteſt ſperare, quod maximum fructum recolliget, juxtà illud 1. *ad Corinth.* 9. *Debet in ſpe arare, qui arat.* Væ autem in diebus illis, quandò verificabitur de hac terra illud *Geneſ.* 2. *Homo non erat, qui operaretur terram.* *Arida* etiam dicitur, id eſt, *ſicca* ſcilicet ab omni humore peccati: undè quia nec in corpore, nec in anima unquàm habuit ullam fęditatem, ſeu corruptionem peccati, ideò de illa exponi poteſt illud *Iudic.* 6. *In omni terra ſiccitas.* Et de Ipſa exponi poteſt illud *Geneſ.* 1. *Appellavitque Aridam terram.* Hactenùs ille.

10 Verùm Albertus Magnus lib. 8. de laudib. B. *Mariæ* c. 1. n. 13. per plures alias ſimilitudines & proprietates Deiparam terræ ſimilem oſtendit, dicens. *Maria* terra: Quia diverſis floribus, id eſt, virtutibus picturata. Vnde *Geneſ.* 2. *Fons aſcendebat de terra irrigans univerſam ſuperficiem terræ.* Superficies terræ, id eſt, dignitas terræ Paradiſi, id eſt, Eccleſiæ, Beata Virgo picturata, & ornata diverſis, immò univerſis virtutibus, velut terra floribus. Vnde dicitur: *Circumamicta varietatibus. Pſ.* 44. Quia diverſis herbarum medicinalium generibus veſtita. Nam ipſius humilitas exemplo medicinat ſuperbiam, paupertas, & largitas cupiditatem, & avaritiam, virginitas luxuriam, benignitas odium, & iram, & ſic de aliis. Et ſic in floribus intelligitur ornatus virtutum quò ad Ipſam: in herbis effectus virtutum quò ad homines.

11 Quia infimum elementum, & hoc per ſummam, & profundam humilitatem, juxtà documentum Sapientis *Eccl.* 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Et hoc optimè impletum eſt in *Maria.* Item juxtà illud *Ezechiel.* 32. *Quo pulchrior es, deſcende.* Quia calcabile elementum: & hoc per obedientiam. Vnde dicit: *Ecce Ancilla Domini.* Ancillæ enim eſt obedire. Quaſi diceret. Quidquid ei placuerit, faciat de ancilla ſua. Vel quia calcabilem ſe prębuit per ſummam patientiam. Vnde potuit dicere: *Conculcaverunt me*, ſcilicet in filio meo, *inimici mei tota die* paſſionis. *Pſal.* 55. Quia ſitibundum elementum: & hoc per gratiæ deſiderium. Vnde de Chriſto dicitur

citur *Eſa.* 53. *Aſcendet ſicut radix de terra ſitienti*, ideſt, *Maria.* Quia alicubi plana per manſuetudinem, vel juſtitiam. Alicubi montuoſa per ſummam excellentiam. Alicubi convalloſa per duplicem humilitatem. Alicubi campeſtris. Undè de terrà promiſſionis dicitur *Deuter.* 8. quod montuoſa eſt, & campeſtris.

12 Quia immobilis ſecundum ſe totam. *Eccli.* 1. *Terra in æternum ſtat.* Quia tractabilis, maximè ubi eſt argilloſa. Quia ex attritione multiplici redditur ſolidior. Quò enim magis impulſa eſt in filii paſſione, eò firmius ſtetit. Undè *Ioann.* 19. *Stabat iuxta Crucem Ieſu, &c.* Ideò dicit ei Sponſus *Cant.* 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Quia omne ædificium in terra fundatur. Sic quidquid boni facere volumus, in Ipſa fundare debemus per fidem Incarnationis, cuius fuit miniſtra, & eorum quæ ad ipſam pertinent. Undè Ipſa dicit: *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis. Eccli.* 24.

13 Quia cadentes ſuſcipit, & ipſos adiuvat ad ſurgendum. Quo ad primum dicitur de ſervo eius: *Cum ceciderit, non collidetur: quia ſupponit manum ſuam. Pſal.* 36. Quo ad ſecundum, *Apocal.* 12. *Et adiuvit terra*, ideſt, *Maria*, *mulierem*, ideſt, animam fidelem. Ideò ſic oranda eſt iugiter: *Succurre cadenti, ſurgere qui curat populo.* Alioquin niſi velimus ſurgere, non poteſt Ipſa ſuccurrere. Manibus autem, deſt, operibus bonis factis ad honorem eius, & pedibus, ideſt devotis affectibus debemus nos prendere huic terræ, & humiliari ad eam, ſicut qui ſe prendit terræ, inclinatur verſus terram, ut ſic reſurgere valeamus poſt caſum peccati. Quia nobis interponitur, & abyſſo: quia ſubtractà, ſicut Core, Dathan, & Abyron *Numer.* 16. ſtatim deſcendimus in infernum viventes. Sic ſubtracto nobis adiutorio *Mariæ*, ſtatim labimur in peccatum, & indè in infernum.

14 Quia ferè quidquid vivit, vivit de terra. Sic & quidquid vivit per gratiam, per *Mariam* vivit, quæ genuit vitam. Ideò Ipſa dicit: *In me gratia omnis vitæ.* Quia de terra tollitur aurum, & argentum, quo redimuntur captivi. Et Ipſa peperit illum, qui eſt redemptio animarum noſtrarum. Nam ipſa eſt terra Evilath, ubi naſcitur aurum. Quia de terra tractabili formantur quædam vaſa ad diverſos uſus neceſſaria. Et de ſubſtantia carnis eius formatum eſt vas corporis Dominici, in quo vaſe nobis à Patre tranſmiſſum eſt illud electuarium, quo ſanatum eſt genus humanum. Quia de terra oriuntur flores, & herbæ, aromaticæ ſpecies, & radices, ex quibus conficiuntur medicinæ. *Eccli.* 38. *Altiſſimus creavit de terra medicinam.* Et de Ipſa nata ſunt membra Salvatoris, quibus contritis in cruce ſanatum eſt genus humanum.

§. II.

Aeris proprietates Beatiſſimæ Virgini optimè convenire.

15 IOannes à S. Geminiano *lib.* 1. *de Cœlo, & Elementis c.* 36. humili attribuit aliquas aeris proprietates, quę ſimiliter applicari poſſunt Beatiſſimæ Virgini, propter ſuam eximiam, & humillimam humilitatem. Humilitas, inquit, aſſimilatur aeri propter quinque. Primò, quia aer ex ſui natura eſt perſpicuus: ſic humilis eſt perſpicuus per ſapientiæ ſuſceptibilitatem, quæ eſt lux ſpiritualis. *Prov.* 18. *Vbi humilitas, ibì Sapientia.* Secundò, quia eſt ſui in omnem partem extenſivus: ſic humilis per ſui ad omnem ſtatum coactionem. Nam humilis homo maioribus obedit, æqualibus ſervit, minoribus condeſcendit: & ſic ad omnem partem humilitas ſe extendit. Gloſſa tamen dicit ſuper illo verbo: *Decet nos implere omnem iuſtitiam Matth.* 3. quod humilitas habet tres gradus. Primus eſt, ſubdere ſe maiori, & non præferre ſe æqualibus: & hæc eſt humilitas ſufficiens. Secundus eſt ſubdere ſe æquali, & non præferre ſe minori: & hæc eſt humilitas proficiens. Tertius eſt ſubdere ſe minori; & hæc eſt perficiens: quia in hac humilitate tertià eſt perfecta iuſtitia.

16 Tertiò, quia aer eſt cœleſtis influentiæ receptivus: quia humilis eſt ad divinam gratiam recipiendam diſpoſitus. *Iacob.* 3. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Quartò, quia aer eſt virtutis reſpirandi adminiſtrativus, per quam reſpirationem conſervatur vita corporalis. Undè & aer per reſpirationem attractus, ſpiritus vocatur ſecundum illud *Pſal.* 118. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Sic etiam per humilitatem attrahitur Spiritus Sanctus, per quem eſt, & conſervatur in animà Spiritualis vita. Undè *Eſa.* 64. ſecundum aliam tranſlationem: *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, trementem ſermones meos?* Quintò, quia aer eſt volatilium locus: locus autem eſt locati conſervativus; quia humilitas eſt hominum ſpiritualium, & contemplativorum conſervativa. Undè ſicut aves in aere volant: ſic Viri virtutum in humilitate ambulant. Nam qui cæteras virtutes ſinè humilitate congragat, quaſi pulverem in ventum portat; ſicut dicit Gregorius.

17 Sed Bernardinus Buſtenſis *ſerm.* 2. *de Aſſumpt. Virg. p.* 2. aeris conditiones eſſe in ipſa Virgine, eidem Virgini congratulatur, dicens. Cum aer, ut dicitur in *lib. de proprietatibus rerum*, naturaliter ſit ſui ipſius diffuſivus, & extenſivus, tranſparenſque, & perſpicuus, & cœleſtis virtutis, ac influentiæ, & impreſſionis ſolaris luminis receptivus, & ſuper omnia alia elementa leviſſimus, & virtutem reſpirandi omnibus animantibus miniſtrans: quas omnes conditiones aeris, & multò plures, & excellentiores Tu Virgo benedicta habes, ſicut patet conſideranti tuas prærogativas. Tu enim gratias tuas liberaliſſimè omnibus communicas, & diffundis; undè dicere potes illud *Sap.* 7. *Sinè invidia communico.* Tu es omnibus tranſparens per omnium virtutum exemplaritatem. Tu cœleſtis, & divinæ gratiæ, & æterni Solis influentiam ſuper omnes Creaturas recipiens illuminaris, ità ut de te dici poſſit illud *Apocal.* 21. *Claritas Dei illuminabit eam.* Et illud *Sap.* 10. *Dedit illi claritatem æternam.* Nunquàm enim aliqua tenebra peccati te obſcuravit. Nam à conceptione tua removit Deus omnem peccati originalis tenebroſitatem,

tem,

tem, ità ut de illo dici poſſit illud Virgilii Æneid. 5.

Aera dimovit tenebroſum, & diſpulit umbras.

Tu etiam ſuper omnes Sanctos mitiſſima, & manſuetiſſima. Undè tibi canit Eccleſia, dicens: *Virgo ſingularis, inter omnes mitis.* Tu etiam es illa, de quà dici poteſt illud *Iob* 12. *In cuius manu anima omnis viventis, & ſpiritus univerſæ carnis.*

18 Aliter Albertus Magnus *lib.* 12. *de laudib. B. Mariæ c.* 5. §. 5. per aerem interpretatur gratiam Spiritus Sancti, quæ Beatæ Virgini in conceptione Verbi obumbravit. Vel ipſe Chriſtus in utero Virginis incarnatus. Aer, inquit Albertus, eſt gratia Spiritus Sancti ei obumbrans. Vel Chriſtus aer. *Iob.* 37. *Subito aer*, ideſt, Chriſtus ſecundum divinitatem, *cogetur in nubes*. In hoc quod dicit *ſubitò*: notatur acceleratio Incarnationis. *Eccl.* 43. *Medicina omnium in feſtinatione nebulæ.* In hoc quod dicit *Cogetur*: notatur quod pura charitas, mera pietas, ſuperabundans miſericordia, Chriſtum quaſi coegerunt aſſumere nubem carnis, de qua dicitur *Eſa.* 19. *Eccè Dominus aſcendet ſuper nubem levem, &c.*

Chriſtus aer. Quia ſicut aer vita Corporis, ſic Chriſtus vita animæ. Et ſicut non vivit corpus ſinè aere, ſic nec anima ſinè gratia Chriſti. Ideò dicitur *Thren.* 4. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus, &c. Act.* 7. *Ipſe eſt, in quo vivimus, movemur, & ſumus.*

Quia cum attrahitur, non videtur: quia in nobis aſſumit unde videatur. Similiter Chriſtus inviſibiliter intravit in Virginem, ex qua carnem aſſumpſit, in qua viſibilis apparuit. *Baruch.* 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt, &c.*

Quia ſi fuerit purus, ſinè corruptione attrahitur, ſinè pondere retinetur, ſinè corruptione emittitur. Sic Chriſtus conceptus eſt à Virgine ſinè læſione caſtitatis, portatus abſque onere ventris, natus abſque dolore parientis: & hoc quia purus, ideſt, ſinè peccato.

19 Quia receptaculum avium, ideſt, contemplativorum, qui volant pennis virtutum. In eo enim vivimus, movemur, & ſumus, ut ſuprà.

Quia omnia loca ei non pervia, fœtida, & corrupta ſunt. Sic omnes animæ fœtent ſinè gratia Dei.

Quia in æſtate ſuæ prædicationis delectabilis, & ſerenus. Undè *Ioann.* 6. dicit ei Petrus: *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.*

Quia in hyeme paſſionis ſuæ obſcurus *Eſa.* 52. *Inglorius erit inter viros aſpectus eius, &c. Et* 53. *Vidimus eum, & non erat aſpectus, &c.*

Quia nubiloſus pluviam ſignat. Aſſumpturus enim nubilum carnis noſtræ, *deſcendit ſicut pluvia in vellus. Pſal.* 71.

Quia licet nubiloſus ex ſe, & obſcurus, tamen illuſtratus à Sole totus efficitur ſplendidus ut Sol. Iſtud intellige de homine aſſumpto in unam perſonam cum Verbo aſſumente Homo aſſumptus aer nubiloſus. Verbum aſſumens, Sol hunc aerem in ſui claritatem, & colorem convertens. Hæc ille. Mater ergò Chriſti aer: & Chriſtus aer: uterque homini beneficus, & vitalis: ſerenus, & gratioſus in gratiis, miſericordiis: Chriſtus, purus aer per naturam, & per eſſentiam: Virgo Mater pura tanquam aer per gratiæ privilegium, & per participationem. Et ſi aliquando uterque nubiloſus, acerbitatem dolorum, atque afflictionum, quas uterque in excurſu Paſſionis ſuſtinuit, ſcilicet Filius in corpore, & Mater in corde, præſignat.

§. III.

De diviſione aerei elementi in tres Regiones, & quis typus habeatur ex ipſis ad ſignificandas Beatæ Virginis perfectiones.

20 ET primum quidem ſciendum, ut refert Gabriel à S. Vincentio in *lib. Meteor. Ariſt. Diſp.* 11. *Dub.* 3. quod elementum aeris natura ſua eſt humidum, & calidum, licet ab agente extrinſeco alias habeat qualitatum combinationes; nam tertia regio ob vicinitatem ad ſphæram ignis, & ob velociſſimum ejuſdem ignis, & Lunæ motum, habet etiam ſiccitatem. Secunda regio ob aſcenſum vaporum eſt frigida, & prima regio varia eſt. Dividitur autem aer in tres regiones, infimam, mediam, & ſupremam.

21 Infima aeris regio eſt ille aer, qui nos ambit, & extenditur uſque ad eam partem, ad quam pertingit reflexio, ſeu repercuſſio radiorum Solis, quæ aliquando ſolet eſſe nimis calida, tum calore extrinſeco Solis, tum ob dictam radiorum reflexionem, tum propter combuſtionem vaporum, & exhalationum; tum propter ignes naturales, & etiam ſubterraneos, quorum aliqui erumpunt, ut ſunt illi, qui apparent in quibuſdam montibus. Alii intùs flagrant, licet calorem extrà communicent, ut docet Seneca *lib.* 20. *natural. quæſt. c.* 10.

22 Media, ſeù ſecunda aeris regio eſt inferior, quàm ſint altiſſimi montes, nam videmus quod imbres, nives, grandines, venti, &c. qui in hac media regione fiunt, altiſſimorum montium iuga non attingunt, ut dicitur de monte Olympo in Theſſalia, & de monte Adone in Macedonia, in quibus per annum relicti cineres cum characteribus à Sacerdotibus ibi ſacrificantibus, nec diſſipati ſunt à ventis, aut pluviis, ut tradit S. Auguſtinus *lib.* 3. *de Geneſ. ad literam c.* 2. Ubi etiam obſervat, quod in apice montis Olympi aer eſt adeò tenuis, ut homines ad cordis refrigerationem indigeant aliquo, quo humorem ſugant, quo aer aliquo modo incraſſetur. Quocirca ſolent deferre ſpongiam aqua, vel aceto plenam, qui illuc aſcendere volunt, ut etiam diximus ſuperius.

23 Hæc media, ſeu ſecunda aeris regio, ut dicebamus, eſt valdè frigida, tum propter vapores ibi conſidentes, qui cum longe ſint à reflexione Solis, ad frigus naturale redeunt. Cum propter aliquam antiperiſtaſim: tum quia ut alii probabiliter exiſtimant, inditum eſt frigus huic ſecundæ regioni ab ipſo mundi exordio, ad generandas pluvias, nives, aliaque quæ ſunt neceſſaria ad generationes frugum. Tum denique quia longè abeſt ab elemento ignis, à quo vel ratione propinquitatis, vel circunvolutionis poſſet calefieri. Si vera eſt mathematicorum opinio, qui volunt totum aeris elementum extendi ad 52. milliaria, quod colligunt ex altitudine cometarum, ut videre eſt apud Clavium in c. 1. Spheræ. Et ſi vera eſt opinio, quam refert Buccaferreus, quod ſcilicet altitudo montis Olympi eſt duodecim ſtadiorum, ſequitur quod hæc ſecunda aeris regio diſtet ab elemento ignis plus quam 45. milliaria.

24 Tertia, & ſuprema regio aeris extenditur uſque ad elementum ignis, & eſt ſummoperè calida, tum naturà ſuà; tum propter combuſtionem exhalationum calidarum ibi conſiſtentium; tum propter vicinitatem ignis elementaris; tum denique quia celeriùs movetur motu raptus. Habuimus ergo aeris elementum in tres regiones, infimam, mediam, & ſupremam diviſum. Nunc ad rem noſtram quid unaquæque perfectionis, & virtutis in Virgine Beata præſignet, videamus.

25 Et incipiendo à ſuprema aeris regione, quæ quia igni coniungitur, rara eſt, & vehementer calida, propter vicinitatem ignis, & propter radios ſtellarum, & lumen, quæ ſibi ſunt viciniora, dicitur illa pars locus inflammationis per ſe, & regio æſtus. In quo quidem adumbratur zelus, fervor, & charitas Beatiſſimæ Virginis, ex inflammatione ignis Spiritus Sancti, & divinæ charitatis ardore. Quæ nimirum quantò à terrenis remotior erat per vitæ perfectionem, & ſphæræ ignis, cœloque, & cœleſtibus propinquior per contemplationem, tantò purior erat per caſtitatem, calidior per charitatem, lucidior per ſapientiæ claritatem, & ſimilior æthereæ, ideſt, ſupremæ puritati per omnimodam conformitatem. Secunda verò, ſivè media aeris regio, quia locus frigoris eſt, Deiparæ virginitatem exprimit, quæ nullum unquam concupiſcentiæ igniculum ſenſit. In ipſa autem generantur pluviæ, & nives, ſcilicet gratiæ, & beneficia, quæ generi humano diſpergit ad bonorum operum fruges producendas. Infima denique aeris regio, quæ plures patitur mutationes, ſignificat cor Virginis paſſibile ex compaſſione ad mutationes miſeriarum, quibus Adæ filii in hoc exilio ſubiiciuntur. Undè Ipſa meliùs, quam Dido apud Virgilium dicere poteſt:

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

§. IV.

Proprietates Ignis in Beatiſſima Virgine maximè elucere.

26 ET diceris etiam Ignis, ò Beatiſſima! Et meritò quidem. Primò, ex officio ipſius ignis, quod dicitur eſſe triplex. Ignis enim illuminat abſcondita ſivè tenebroſa, ſicut patet in lucernis accenſis, ſivè candelis, quarum igneo, & flammeo lumine utimur in nocte, ſivè per viam ambulando, ſivè etiam in domo ſtando. Hæc autem ignis illuminatio optimè convenit Beatæ Virgini, inquantum per eam aſſequimur contrà tenebras ignorantiæ, lumen divinæ ſapientiæ. Undè *Eſa.* 50. dicitur: *Ambulate in lumine ignis veſtri*: ideſt, Mariæ. Et *c.* 10. *Ardebit quaſi ignis combuſtio, & erit lumen Iſrael in igne.* Ipſa etiam figurata fuit in columna nubis, & ignis, quæ *Exod.* 13. præcedebat populum, & de qua Vates *Pſal.* 104. *Expandit nubem in protectionem eorum per diem, & ignem, ut luceret eis per noctem.* Nam Deus ipſam miſit quaſi noſtram columnam, ut nos antecederet, & tanquam nubes de die contrà æſtus concupiſcentiæ refrigerium præſtaret, & tanquam ignis de nocte, ſplendore, & lumine ſuæ exemplaritatis illuſtraret, & in terram promiſſionis perduceret. Secundò, utimur igne ad coquendum. Tunc autem opera noſtra bona coquuntur benè, & perfectè, cum Ipſa communicat nobis calorem devotionis. Tertiò, utimur igne ad fabricandum. *Eſa.* 54. *Ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum.* Sic etiam per Mariæ auxilium fabricamus, & præparamus corda noſtra in vaſa Dei, ut poſſint eſſe divinæ gratiæ receptiva. 1. *Theſſal.* 4. *Vt ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore.*

27 Secundò, Maria dicitur ignis, quia ex igne maximum habemus præſidium. Auxiliatur enim ignis hominibus interdum, ad defenſionem ab hoſtibus, ſicut legitur de Alexandro, quod dum eſſet in deſertis in die juxtà ſtagnum, ubi feræ conveniebant ad potum, & timerent ipſe, & ſui nocte de inſultu leonum, & aliarum ferocium belluarum: juſſit in circuitu exercitus ignes accendi copioſos, ut eis eſſet ignis quaſi prò muro in circuitu ipſorum. Sed nonne verum eſt quod Maria tanquam ignis Chriſtianorum acies defendit à ferarum immanium incurſu, nimirum à dæmonum impetu in nocte vitæ præſentis: nihil enim magis timent inviſibiles, & feroces belluæ quàm Mariam, ut ab eius præſentia fugiant, ſicut fluit cera à facie ignis. Undè & ad fidelium conſolationem, & defenſionem Maria illud dicere videtur, quod ſcribitur *Zachar.* 2. *Ego ero eis murus ignis in circuitu.*

28 Tertiò, Maria dicitur ignis, ex eius ſuffragio. Antiquitus enim & antè legem, & in lege Moſaycà ignis ſuffragabatur ad impetrandum, quod petebatur à Deo: ſivè ex eo quod ſacrificia Deum deprecantia igne conſumebantur, ſecundum illud *Levit.* 6. *Omne ſacrificium Sacerdotum igne conſumetur.* Sivè ex eo, quod in ſignum exauditionis divinæ, ignis ſuper ſacrificia Deum rogantium, de Cœlo mittebatur, ſecundum illud 1. *Paral.* 21. *Aedificavit altare Domino, & obtulit holocauſta, & pacifica, & invocavit Deum, & exaudivit eum in igne de Cœlo ſuper altare holocauſti.* Similiter & Beatiſſimæ Virginis ſuffragiò ſacrificia noſtra Deo redduntur accepta, & quod petimus à Deo per Ipſius interceſſionem impetramus.

29 Si autem conſideres ignis proprietates, nihil aptius ipſis ad dotes Dei Matris exprimendas. Ignis enim, ut Dionyſius inquit de Cœleſti hierarchia, eſt corpus ſenſibile longè excellentiùs, & ſubtiliùs omnibus aliis rebus corporalibus, & naturæ ſpirituali proximum. Ignis etiam eſt, tradens ſe omnibus ſibi quoquo modo approximantibus, movens univerſa ſe participantia, renovativus omnium,

nium, naturæ cuſtos, clarus, diſtinguens, & reſiliens, ſursùm movens, excelſus, ſemper motivus, comprehenſivus, & mutativus, ac potenter activus, & inter omnia alia elementa naturam habens puriorem. Quid autem excellentius inter omnes Creaturas, quam Maria? Quid nobiliùs Dei Matre? Quid ſplendidius eà, quam Deus in ſuam Matrem elegit? Quid adeò puriùs inter creatas res viſibiles, aut inviſibiles, ut nec etiam Angelica puritas, eius puritati plùs quàm Angelicæ valeat comparari? Quis eſt, qui ſe abſcondat à calore eius? Quis eſt, qui non mutetur in meliùs, & in alterum hominem renovetur, ſi deliberato animo, & ſui profectus deſiderio ad Ipſam accedat? Cum autem ignis de ſui natura ſemper ſurſum aſcendat, hoc maximè figurat, quod Beata Virgo, quæ tota fuit ignea divino amore, & ſemper in mundo aſcendit de altitudine unius virtutis ad altitudinem alterius maioris, debuerit etiam aſcendere in altum ad eminentiorem locum poſt Filium ſuum, ſicut de ipſa prædixerat Vates *Pſal.* 32. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volavit, volavit ſuper pennas ventorum*; ideſt, omnium Angelorum.

30 Nec mirum, quod Beata Virgo dicatur ignis, cùm in utero concepit, & novem menſibus portavit Dei filium, qui eſt *vapor virtutis Dei Sap.* 7. ideſt, calor Dei Patris. Sicut enim calor eſt ab igne, ità Filius eſt à Patre. Et hic ignis divinus totam Virginem inflammavit, & ignivit. Undè Albertus Magnus *lib.* 12. *de laudib. B. Mariæ c.* 5. §. 10. proprietates illius ignis divini, ſcilicet filii Dei, in Virgine completas oſtendit, dicens.

Ignis, ideſt, Filius Dei, qui dicitur *ignis conſumens Deut.* 4. & hoc in finè, qui proprietates ſuas complevit in Virgine. Chriſtus ignis. Quia ſiccus ab effectu, qui omnem humorem carnalitatis deſiccavit in eà. *Oſeæ* 13. *Adducet Dominus ventum urentem*: qui ſignat ſpiritum Sanctum.

Calidus, dum Ipſam quaſi frigidam per timorem accendit ad fidem, dicente Angelo: *Nè timeas Maria, inveniſti gratiam apud Dominum. Luc.* 1.

Mobilis, quandò ipſo concepto aſcendit in montana cum feſtinatione, & deindè cum fugit in Ægyptum.

Levis, quandò ſpretis per eius gratiam mundi ſolicitudinibus, ad cœleſtia eam deſideria ſublevavit. *Sophon.* 3. *In igne zeli mei*; ideſt, in fervore, & vehementia dilectionis meæ, qua dilexi *Mariam, devorabitur omnis terrà*; ideſt, omnis terrenitatis amor, & appetitus.

Subtilis, quandò amota ſenſus hebetatione, ipſam implevit ſapientià.

Acutus, quandò ablatà ſenſus tarditate, fecit eam in corde ſuo conſervantem omnia verba, quæ dicebantur. *Luc.* 2.

Inflammans: Filius enim Dei cor Matris inflammavit eximia charitate. Undè Pater Filio *Ezechiel.* 10. *Ingredere in medio rotarum*: ideſt, in cor Virginis. Cor enim in medio eſt. *Rotarum* dicitur propter ſcientiam duorum Teſtamentorum, quam Ipſa habuit. *Et imple manum tuam prunis, & effunde ſuper civitatem.*

Denique illuminans, qui à mente Virginea fugavit nubilum totius ignorantiæ. Et hæc Albertus Magnus.

§. *V.*

Mirabiles aquarum proprietates in Beata Virgine aſſeruntur.

31 ADhuc ſub Judice lis eſt, utilior nè ſit ignis, vel aqua. Neque ego Ædipus ſum, ut velim, vel poſſim ſolvere dubium. Fateor quidem Mariam nobis eſſe & ignem proficuum, & aquam utiliſſimam. Sicut enim mare eſt congregatio omnium aquarum, ut dicitur *Geneſ.* 1. *Congregationes aquarum appellavit Maria*: ſic congregatio omnium áquarum, ideſt, omnium gratiarum, vocatur *Maria*. Et pulchrè Iacobus de Voragine *ſerm.* 87. *de Beata Virgine inquit*. Mare dicitur Beata Maria. Sicut enim Mare eſt origo omnium fontium, & fluviorum, ſic Beata Virgo eſt origo, & principium omnium gratiarum. Et ſicut à Mari fluunt diverſæ aquæ, ſic à *Maria* fluunt, & manant diverſæ gratiæ. A mari quidem fluunt aquæ puteales, fontales, & fluviales. Iſtæ aquæ ſimiliter fluunt ab ipſa. *Cant.* 4. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano*. Per iſtas tres differentias aquarum intelliguntur tres gradus gratiarum, quæ omnes à *Maria* in nos fluunt, quæ ſunt gratia incipiens, ſivè præveniens, proficiens, & perfecta.

32 Gratia incipiens ſignificatur per aquam putealem, de qua dicitur: *Puteus aquarum viventium*. Puteus habet aquam occultam, quia gratia præveniens peccatorem, ex meritis ſuis non datur, ſed quadam Dei occultà inſpiratione infunditur. Et dicitur aqua viva ex eo, quod peccatorem, qui erat mortuus per culpam, vivificat per gratiam. Ita eſt aqua, quæ egreditur à templo, ideſt, à *Maria*, quæ eſt templum Dei, quæ vivificat omnia, ad quæ vadit, ut habetur *Eccli.* 47.

Per aquam fontalem intelligitur aqua proficiens, de qua dicitur: *Fons hortorum*: quia hortus Dei ſunt ipſi proficientes, in quibus ſunt herbæ, & plantæ diverſarum virtutum. Sed nec ipſæ herbæ, & plantæ poſſunt germinare, nec creſcere, nec proficere, niſi ſint ab ipſa aqua gratię irrigatæ. *Geneſ.* 2. *Fons aſcendebat de terra*, ideſt, de Virgine *Maria*, *irrigans univerſam ſuperficiem terræ.*

Per aquam fluvialem, quæ fluit cum impetu, intelligitur gratia perfecta, de qua ſubditur. *Quæ fluunt cum impetu*. Quia illos, quos replet, facit eſſe ſolicitos, & ferventes, propter quod dicitur *Ezechiel.* 1. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur*. Impetus enim ibi accipitur in bonam ſignificationem, ſcilicet prò deſiderio, & fervore. Talis impetus aquarum, ideſt, talis fervor, & deſiderium gratiarum, facit magnam lætitiam animarum. *Pſal.* 45. *Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei*.

33 Sunt enim quædam aquę ſtantivæ, quæ putreſcunt, & ſignificant peccatores, qui ſtant, & requieſcunt in fœcibus peccatorum. *Ierem.* 48. *Requievit in fœcibus ſuis*. Aquæ, quæ lentè fluunt, ſignificant tepidos, qui lentè, & tepidè operantur. De quibus dicitur *Apocal.* 3. *Vtinam frigidus eſſes, aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*. Aquæ impetuoſæ, quæ cùm impetu fluunt, ſignificant viros perfectos, qui ſunt ſpiritu ferventes, & ſolicitè operantes. *Rom.* 12. *Spiritu ferventes*.

34 Ab iſto etiam mari, id eſt, Virgine *Maria* cõtinuò in nos fluunt quatuor flumina, de quibus Ipſa dicit *Eccli.* 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis*, &c. Olim totus mundus erat vacuus amore Dei, timore Dei, fide Dei, & ſpe Dei. Sed venit Maria, per quã inflammemur, ut Deum diligamus. Influxit & timorem filialem, per quem incitemur, ut ipſum filialiter timeamus. Influxit cognitionem Dei, per quam ipſum veraciter credamus. Influxit ſpem Dei, per quam in ipſum fiducialiter ſperemus.

35 Deindè ſicut in mari eſt magna plenitudo aquarum, ſic in Beata *Maria* fuit plenitudo maxima gratiarum. Bernardus tractans illud: *Ave gratia plena*: ſic dicit. Ipſa quidem plena fuit in ore gratia affabilitatis, in ventre gratia Deitatis, in corde gratia charitatis, in manu, ſive in opere gratia miſericordiæ, & largitatis. Propter iſtas quatuor plenitudines gratiarum Ipſa dicit *Eccli.* 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis*, &c. In Ipſa quidem fuit gratia vitæ, inquantùm ſcilicet illum, qui eſt vera vita, geſtavit in ventre. In Ipſa fuit gratia veritatis, inquantùm veritatem, & affabilitatem habuit in ore. In Ipſa fuit gratia ſpei, inquantùm miſericordiam, & largitatem habet in opere: quapropter omnes in eam, & de ea ſperabunt. In Ipſa fuit gratia virtutis, inquantùm habuit charitatem in corde. Ipſa enim charitas antonomaſticè dicitur virtus ex eo, quòd eſt forma, & perfectio omnium virtutum. Hactenùs Voragines.

36 Pulcherrimè verò Albertus Magnus lib. 9. de laudib. Beatæ *Mariæ* cap. 3. admirabiles aquæ proprietates in Dei Matre deſcribit. Unde exponens illud *Pſal.* 64. *Flumen Dei repletum eſt aquis*, inquit; ideſt, *Maria* chariſmatibus gratiarum. Undè gratia plena. Inter flumen, & fluvium hoc differt, quòd flumen eſt ipſa aqua viva, & fluvius curſus eſt aquæ. Priùs autem flumen, quàm fluvius; quia priùs aqua, quàm decurſus. Item hujus fluminis impetus lætificat civitatem Dei, id eſt, utramque Eccleſiam, & fidelem animam.

37 Flumen ſemper aquam recipit à fonte. Et Ipſa à Domino, qui eſt *fons aquæ vivæ. Ierem.* 2. Vel à divina plenitudine, ut nobis de ipſa refundat. Locum adjacentem munit. Et Ipſa piè excubat in circuitu populi ſui, id eſt, Chriſtianorum. Undè de Eccleſia dicitur *Naum in fine*: *Aquæ*, id eſt, miſerationes *Mariæ*, *in circuitu ejus, aquæ muri ejus*. Loca vicina fœcundat, id eſt, conſcientias ſibi amore adhærentes. Et hoc herbis ſanctarum cogitationum, & meditationum, floribus honeſtorum deſideriorum, foliis ſanctorum verborum, fructibus bonorum operum, virore vernantium exemplorum. *Eccli.* 40. *Super omnem aquam viriditas*. Si autem elongetur flumen, quod fit in his, qui mortaliter peccant, hæc omnia areſcunt. *Iob.* 12. *Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur*. Terram ripis ſuis adiacentem conſumit. Et Maria orationibus ſuis, & exemplis terrenitatem in cordibus amatorum ſuorum. *Iob.* 12. *Si emiſerit aquas* gratiarum, *ſubvertent terram*, ideſt, terrenitatem. Levia ad ſe contrahit, ideſt, non oneratos mortalibus peccatis. Ideò clamandum eſt ad eam: *Trahe me poſt te*. Auguſtinus: Nondum traheris, ora ut traharis. Piſces nutrit, & maximè ſtamoſos, & mundos, juſtos ſcilicet habentes ſtamos, & pennulas virtutum, quibus dant ſaltus ſuper aquas, quos ſcilicet piſces Dominus eſurit. Undè *Luc.* 24. comedit piſcem aſſum.

38 In hoc etiam flumine natus eſt ille piſcis unicus, aut ſempiternus, ſcilicet Chriſtus Dominus, qui quaſi piſcis captus eſt in aquis generis humani hamo noſtræ mortalitatis, ut vitam nobis conferret ſempiternam, & in cuius ore inventus eſt ſtater noſtræ redemptionis. *Matth.* 17. *Proverb.* 31. *Nun* interpretatur *piſcis unicus*, aut *ſempiternus*. Et dicitur *piſcis à paſcendo* ſecundum Iſidorum: quia caro Chriſti verè eſt cibus.

39 Eius inſpectio acuit viſum, intellectum ſcilicet ad cognitionem, affectum ad dilectionem. Sitim extinguit, ſcilicet ſitim temporalium, exemplo ſuæ paupertatis, & ſic de aliis vitiis. Undè dicit cum filio *Ioan.* 4. *Qui biberit ex hac aqua, &c.* Aliam autem ſitim accendit, cum & Ipſa ſit mare, hoc eſt, deſiderium æternorum, ut dicat amator eius: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Pſal.* 41. Vel ſitim gratiæ. Undè dicit: *Qui bibunt me, adhuc ſitient. Eccli.* 25. Inundatione ſua prata fœcundat, & ſic generat paſcua uberrima, & implet omne animal *benedictione*, ideſt, *bona datione. Eccli.* 40. *Super omnem aquam viriditas*. Vacua replet, ſi ſint ei propinqua: quia humilibus, qui ſuos defectus attendunt, dat gratiam, cuius eſt Mater. Valles, & mare petit, ideſt, humiles, & pœnitentes, & montes deſerit, ideſt, ſuperbos. Natantes, & exiſtentes in navi vehit. Natant illi, qui veterem exuunt hominem cum actibus ſuis, & deſideriis velut ſordidos pannos, & ad eius beneplacitum movent pedes, & manus, ideſt, affectus, & opera. Portat etiam exiſtentes per veram fidem in navi Eccleſiæ Catholicę. In fundo ſuo nimis immorantes ſubmergit. Nimius enim *perſcrutator maieſtatis eius opprimetur à gloria. Prov.* 25. Ideò de ipſa dicitur *Eccli.* 43. *Nè laboratis: non enim comprehendetis*. Ideò in Ipſa defecerunt hæretici ſcrutantes indiſcreto ſcrutinio. Nam per eam obſtructum eſt os loquentium iniqua.

40 Neceſſaria Civitati animæ apportat, & hoc quandò Verbum caro factum eſt in ea, qui omnibus omnia factus eſt, ut quantum in ſe eſt, lucrifaciat univerſos. 1. *Corinth.* 9. Portat etiam navigium cum mercibus ad Civitatem: nam ipſam cumulat cunctis bonis, ut dici poſſit de ea illud *Sap.* 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, &c.* Superfluitates ab ea exportat: Chriſtus enim, quem nobis peperit, fuit hircus emiſſarius, qui peccata populi detulit in deſertum *Levit.* 16. quandò *peccata noſtra tulit in corpore ſuo*

ſuper lignum. 1. *Pet*. 2. Superflua etiam noſtra originalia, & actualia, à quibus nos liberavit beneficio recreationis, vel Dominicæ paſſionis. Sordes purificat. Beneficium enim juſtificationis omnia immunda à nobis abſtulit, ſecundùm quod orabat Pſalmiſta: *Ampliùs lava me ab injuſtitia mea*, &c. *Pſal*. 50. Sitim ſedat. In hoc intelligitur beneficium glorificationis: nam uſque tunc ſitiet anima noſtra ad Deum fontem vivum, dicens: *Quandò veniam, & apparebo ante faciem Dei*: ſed tunc ſatiabitur cùm apparuerit gloria Domini, & quandò torrente voluptatis ejus potabimur. Hęc autem quatuor beneficia per Chriſtum habemus, quem habuimus per *Mariam*. Et hæc Albertus Magnus: quæ ſufficient ad comprobandas in Deiparà aquæ proprietates.

CAP. III.

De Impreſſionibus meteorologicis, & quid per ipſas ſignificetur de Beatà Virgine.

1 HActenùs in cœleſtibus ſphæris, & in elementis immorati ſumus, nunc iterũ ad ſuperiora ſtylum vertimus, & Phenomena quædam in aeris proſcænio apparentia, tùm mannæ, roriſque impreſſiones in ea generatas regione eædẽ Nominis Parthenii literæ nos cogunt conſiderare. Pulcherrimum ſanè theatrum, & Orbis univerſi ſpectaculum, à quo nonniſi bonitatis præſagia, & felicitatis auſpicia deſumere licet. Jam Cœli ſtellis ſuis quaſi linguis aureis glorias Mariani Nominis prædicarunt. Jam elementa Dei Matrem tanquàm communem Parentem plexo de circulis ſuis diademate coronarunt. Jam & ipſæ meteorologicæ impreſſiones ambitioſo obſequio cupiunt eidem famulari. Evolve igitur literas Nominis, & ſingulę novum quid pulchrum tibi dabunt, & admirandum. Quid ergò in *Maria*, aut eſt *Maria*, niſi Meteororum compendium? Eſt enim Ipſa:

Manna.
Auſter.
Ros.
Iris.
Aſſub.

De ſingulis ergò ſit ſermo, ut in omnibus Deiparæ majeſtas, & gloria reluceat.

§. *I.*

Quem Beatæ Virginis Typum manna figuret.

2 NOtandum eſt cum Berchorio in ſuo Dictionario, quòd manna quandoque ſumitur prò quodam liquore melleo, & dulci, de rore cœleſti in ſuperficie arborum generato, qualis, ut dicitur in regno Hyneriç multum abundat, & qualis etiam in Avenione in una æſtate noſcitur tempore Papæ Joannis cecidiſſe. Communiter tamẽ per manna intelligitur ille cibus, qui datus fuit cœlitus filiis Iſrael in deſerto, quod erat parvum, & rotundum ad modum ſeminis coriandri, ſicut dicitur *Exod*. 16. Et de hoc ſecundo hic loquimur. Undè Albertus Magnus *l*. 12. *de laudib. B. Mariæ c*. 5. §. 11. per manna intelligit Chriſtum de Virgine generatum. Chriſtus manna, ipſe inquit, de quo ſcilicet manna dicitur *Numer*. 11. *Cùm deſcenderet ros ſuper caſtra, deſcendebat pariter & manna*. Per caſtra, Beata Virgo, quæ *terribilis* eſt dæmonibus *ut caſtrorum acies ordinata*. *Cant*. 6. Per rorem, Spiritus Sanctus, de quo concepit; per manna, Filius Dei. Rorantibus enim ei cœlis deſuper, & Spiritu Sancto in eam ſuperveniente, & ei obumbrante virtute Altiſſimi, concepit Filium Dei, qui figuratur per manna, qui dicit de ſeipſo *Apocal*. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum*. Tunc enim dabit vincenti manna abſconditum, quandò dabit illud, quod *oculus non vidit, nec auris audivit*, &c. 1. *Corinth*. 2. Vel manna abſconditum divinitas occulta: quia *Deum nemo vidit unquàm Ioan*. 1. quod nobis daturus eſt, quandò glorià ſuæ divinitatis nos ſatiabit. Hoc autem manna fuit abſconditum ſub tunicà noſtræ naturæ, quandò divinitas unita eſt noſtræ carni. Quod manna tunc nobis dabit, quandò cognoſcemus unionem Verbi cum carne, & clareſcet quandò geniti quæ genitura fuit. Vel etiam manna abſconditum corpus ejus velatum formis accidentium. Et principaliter ſolet iſtud exponi de Sacramento altaris, & ſecundùm hoc proſequemur.

3 Chriſtus manna. Quia de Cœlo dabatur. Unde *Sap*. 16. *Paratum panem de Cœlo præſtitiſti illis ſinè labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem*. Et iſtud Sacramentum eſt *omne datum optimum*. *Datum*: quia hic Filius Dei quotidiè datur nobis, & à Patre, & à ſeipſo, & à Spiritu Sancto. Et eſt *optimum*, quia ſinè Chriſto nihil aliud valeret. Et eſt *omne*, id eſt, ſufficientia omnium. Et *deſcendit à Patre luminum*. *Ioan*. 6. *Pater meus dat vobis panem verum de Cœlo*.

Quia album. *Exod*. 16. In quo Chriſti puritas, & munditia, qui eſt candor lucis æternæ, & ingreſſus eſt Mundum ſinè macula, quod deſignatur in candore hoſtiæ.

Quia minutum erat. *Exod*. 16. Et in hoc notatur Chriſti humilitas, qui ſe tàm immenſum abſcondit ſub tàm brevi forma panis, ac vini. Ideò dicitur *Exod*. 16. quòd manna deſcendens ad ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum: quia ſingularis fuit ejus humilitas.

Quia ſubtile: quia modus incomprehenſibilis nobis modò, & in vita præſenti: hoc enim Sacramentum credere præcipimur, diſcutere prohibemur, ſicut dicit Ambroſius.

Quia quaſi pila tunſum, in quo Chriſti patientia, qui *attritus eſt propter ſcelera noſtra*. *Eſa*. 53. Paſſibilis enim fuit, & mortalis: quod ſignatur in tunica, vel palea mannæ. Sed hæc palea in pila crucis amota, & ſeparata eſt ab eo. In quo etiam innuitur, quòd hoc Sacramentum competit veris patientibus: & nota, quòd in tunſione imminuitur granum, quia in tribulatione debemus humiliari ſub potenti manu Dei, ut nos exaltet, &c.

4 Quia in ſimilitudinem pruinæ albæ, ſcilicet fuit ſuper terram. *Exod*. 16. Albedo ſignat Chriſti puritatem, & munditiam, quæ duo ſummè neceſſaria communicare volenti. Pruinæ etiam, quæ frigida eſt: quia in hoc Sacramento dignè ſumpto, contrà incentiva libidinis, & vitiorum, habetur ſpiritualis refrigerii temperies. Contrà culpam: quia hoc Sacramentum dignè ſumptum debilitat fomitem, & elidit primos motus, & tentationes, ut poſſit dicere talis: *Tranſivimus per ignem, & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium*. *Pſal*. 65. Contrà pœnam, caro Chriſti myſtica, id eſt, unitas Eccleſiæ, cujus membris competit illud: *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit*, &c.

Pruina etiam herbas nocivas extinguit, ſic & iſtud Sacramentum concupiſcentias: terram fertilem reddit, quia fœcundat conſcientiam in bono: lutum tegit: quia charitas Chriſti in dignè recipiente operit multitudinem peccatorum.

Aliter. Pruina aqua eſt frigore ſolidata, quæ candida eſt, & terram reddit candidam. Aqua hæc fuit noſtra mortalitas, & defectus, fluida antè paſſionem: frigore autem paſſionis, & immortalitatis gloria ſolidata, quæ terram mentis noſtræ, ſi in eam per conſiderationem ceciderit, candidam reddit, & decoram.

Quia erat quaſi ſemen coriandri album, id eſt, vilis oleris. *Exod*. 16. Et coloris bdellii. *Numer*. 11. Et ſaporis quaſi panis oleati. Quia Chriſtus omnimodam vilitatem, & paupertatem prò nobis pati dignatus eſt. Undè dicit: *Ego ſum opprobrium hominum, & abjectio plebis*. *Pſal*. 21. Et propter humilitatem hujus Sacramenti contemnitur à multis. Item olus eſt cibus infirmorum, ſicut dicitur ad *Rom*. 14. Et hoc Sacramentum ſuſtentat noſtram infirmitatem.

5 Quia dulcedinem mellis habebat: unde *Exod*. 16. dicitur, quòd guſtus ejus erat quaſi ſimilæ cum melle, in quo notatur dulcis manſuetudo patientis, quia prò crucifixoribus oravit. Simila etiam, quæ eſt puriſſima, & candidiſſima farina, Chriſti deſignat humanitatem, in qua eſt plena refectio. Unde *Ioan*. 6. *Caro mea verè eſt cibus*. Mel ſignat deitatem, in qua perfecta erit plenitudo dulcedinis, qua ſatiabimur, cùm apparuerit gloria ejus. Hoc manna habemus modò ad refectionem, ſed in futuro ad fruitionem.

Item *Numer*. 11. dicitur, quòd erat ſaporis quaſi panis oleati, id eſt, frixi in oleo, & habebat ſaporem quaſi ſimilæ cum melle, id eſt, puritatem humanitatis cum dulcedine divinitatis, & quaſi panis oleati propter miſericordiam. Aliter. Albedo munditia carnis Chriſti, ſimila deitas, mel humanitas. In conjunctione mellis cum ſimila, unio humanitatis ad deitatem.

6 *Bdellium* in terra Evilath invenitur, & interpretatur *à principio*, & ſignat humanitatem illius, qui eſt principium de principio. Et eſt Bdellium, ſicut dicit Plinius, arbor aromatica magnitudine oleagina, cujus lachryma lucida eſt, guſtu amara, & boni odoris, ſed infuſione vini odoratior. Et ſignat hæc arbor humanitatem Chriſti, quæ eſt myrrheæ ſuavitatis, ad nos defundens exempla, & per miſericordiam oleagina, cujus paſſionis lachryma lucida eſt, & imitantibus amara, boni odoris per ſe, ſed infuſione vini, id eſt, ſanguinis Domini odoratior: quia incarnationis beneficium ſuave eſt, & magis odoriferum redditur per ſanguinis pretium, quem qui homo factus eſt, effudit in cruce.

Quia ſapiebat in ore cujuslibet quod volebat, præcipuè de bonis, ſicut dicitur *Sap*. 16. ut ſupra. In ſumptione enim hujus Sacramenti plena eſt ſuavitas, niſi quis per peccatum corruptum habeat palatum: quantùm enim diligit quis, tantùm ei ſapit.

Quia manna dictum eſt panis Angelorum. Undè in *Pſal*. 77. *Panem Angelorum manducavit homo*: quia virtute, qua Angeli ſubſiſtunt, creatus eſt ille panis, hoc ſignificans, quòd de Cœlis venturus erat, qui ſpiritualiter paſceret electos ſuos. Unde & manna priùs Dominico die venit de Cœlo ad ſaturitatem populi Hebræorum, & Chriſtus natus eſt tali die.

7 Chriſtus manna. Quia indurabatur ad ignem, ſicut dicitur *Exod*. 16. *quæ coquenda ſunt coquite*, inter quæ enumerabatur manna. Sic Chriſti humanitas indurabatur, & roborabatur per ignem deitatis, vel tribulationis. Unde dicit poſt paſſionem: *Aruit tanquàm teſta virtus mea*. *Pſal*. 21. Spiritus Sanctus etiam Cocus eſt, & decoquit hoc Sacramentum ſuo modo ineffabili.

Quia liquefiebat ad Solem, ſicut dicitur *Exod*. 16. *Quod enim ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exiguo radio Solis calefactum tabeſcebat*. *Sap*. 6. Chriſtus enim hujuſmodi mutabilitati prò nobis ſe ſuppoſuit. Unde *Luc*. 22. *Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*. Sol fervor tribulatiotionis. Unde *Pſal*. 120. *Sol per diem non uret te*, &c.

Quia ſexta die colligebatur in duplum. *Exod*. 16. Sic Chriſtus in ſexta ætate collectus eſt duplicatus: quia Deus, & homo, undè & dicitur Emmanuel. Sic collegit Thomas, dicens: *Dominus meus, & Deus meus*. Sic etiam Deus, & homo, ſumitur in Sacramento.

Quia cum rore deſcendebat, & ſemper colligebatur. *Exod*. 16. Et *Numer*. 11. Sic & Chriſtus in hoc Sacramento cum rore gratiæ debet ſumi: nam qui aliter accipit, judicium ſibi manducat, & bibit.

8 Quia manè antè Solis ortum colligebatur. *Exod*. 16. Sic ad literam manè temporis debet quiſque ſurgere ad Miſſam, ubi verum manna, id eſt, Corpus Chriſti repræſentatur, & à Sacerdote in perſona omnium fidelium accipitur. Similiter nocte peccati fugata, dùm recens eſt ingenii perſpicacitas, addiſcenda Sacra Scriptura, quæ ſignificatur per manna, ut ætatis primitiæ Domino offerantur. Sicut etiam dicitur *Marc*. in fine, & *Luc*. 24. Mulieres valdè manè venerunt quærere corpus Chriſti ad monumentum. In quo, ſicut dicit Beda, magnus fervor inveniendi Dominum oſtenditur: & in hoc myſticè datur nobis exemplum, ut decuſſis vitio-

vitiorum tenebris ad corpus Domini accedamus, & manè, id eſt, cùm jam incœperit novitas vitæ ſpiritualis, quæ dies eſt. Undè *Epheſ. 5. Eratis aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Altare ſepulchrum Domini deſignat, in quo carnis ejus, & ſanguinis myſteria celebrantur. Aromata quæ deferunt, odorem virtutum, & ſuavitatem orationum ſignificant, cum quibus altari debemus proximare.

8 Quia in menſura unius Gomor colligebatur per ſingula capita. *Exod.* 16. Sic & quilibet Sacerdos debet eſse contentus uno Gomor in die, id eſt, ut tantùm ſemel celebret, nè judicium ſibi manducet, & bibat. *Gomor* interpretatur *conſolatio*, vel *perfectio*: quia Sacramentum iſtud modò eſt nobis ad conſolationem, nè cadamus, in futuro erit ad perfectionem.

Quia qui plus de manna collegit, non habuit plus: nec qui minùs, minùs. *Exod.* 16. Sic eſt de corpore Chriſti ſuſcepto ſub breviſſima particula hoſtiæ, aut ſub forma maximi panis.

Quia reſervatum uſque manè computruit, & ſcatebat vermibus. *Exod.* 16. quia contrà præceptum Moyſi faciebant. Illis enim erit Chriſtus quaſi vermis corrodens, qui aliter docent quàm ſentiant, vel vivunt quàm doceant. Undè dicit Chriſtus *Oſeæ 5. Ero quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domui Iuda*. Item *Luc. 2. Eccè poſitus eſt* Chriſtus, ſcilicet hic, id eſt, in Sacramento, *in ruinam*, &c. contrà inſtitutum ſuum accedentibus. Et per hoc manifeſtum eſt, quòd alterius modi fuit manna, quàm ſit Euchariſtia: quia ſcaturiebat vermibus uſque manè reſervatum; Euchariſtia verò manet incorruptibilis, & ſumptores ſuos, ſi dignè accedant, incorruptibiles reddit: & hoc ideò, quia manna erat cibus corporalis, Euchariſtia eſt cibus ſpiritualis. Et ſicut manna reficiebat corpus, ſic Euchariſtia ſaginat animam interius. Vel meliùs: quia divinitas unita carni in triduo ſepulturæ conſervavit eam à putredine, & vermibus. Unde *Pſal. 15. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

9 Quia de eo dixerunt filii Iſrael: *Manhu*, quod ſignat, *Quid eſt hoc?* Et reſponſum eſt: *Manna*: quod interpretatur, *Quid eſt hoc*, vel *Quomodò eſt iſtud?* Et ita non terminabatur quæſtio per quæſtionem. Et reſpondit Moyſes: *Iſte eſt panis, quem dedit nobis Deus ad veſcendum*. Et ſemper reſtabat quærere, *Quid eſt hoc*: donec ſummus Magiſter quæſtionem iſtam ſolvit in cœna, dicens: *Hoc eſt Corpus meum. Matth.* 26. Quaſi diceret: Nolite quærere, vel dubitare ampliùs, *Quod eſt hoc*, vel *quomodò eſt iſtud* in hoc Sacramento altaris: quia ego, qui Magiſter ſum, determino, & dico: *Hoc eſt Corpus meum.* Et huic Magiſtrro debent credere diſcipuli ſui. Cui diſſolutioni ſi aſſenſeris per conſenſum veræ fidei, fiet tibi panis vitæ, alioquin fiet tibi judicium mortis: quia ſecundùm diverſitatem accipientium hoc Sacroſanctum ferculum quibuſdam eſt Electuarium, aliis eſt venenum. Unde *Luc. 2. Eccè poſitus* eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum. *Man* interpretatur *Quid*, *vel Quomodò? Manna, quod eſt hoc*, vel *quomodò eſt iſtud? Numer. 11. Cùm deſcenderet ros*, &c. In deſcenſu roris Incarnatio Filii, de qua poſsunt omnes admirari, & dicere: *Quid eſt hoc?*

10 Item hoc manna propter ſuos effectus appellatur panis Angelorum, quem manducavit homo. Undè *Pſal. 77. Pluit illis manna ad manducandum, & panem Cœli dedit eis*; id eſt, panem de Cœlo aereo miſſum, vel miniſterio Angelorum paratum. *Panem Angelorum manducavit homo. Pſal.* 77. Efficiebat enim ille cibus prò parte quod cibus Angelorum. Dicunt enim Joſephus, & Judæi, quòd quandiù hoc pane veſcebantur, nunquàm aſsellaverunt. Hoc Joſephus. Hebræi verè dicunt, quod in eodem ſtatu conſervabat illos: undè datum erat non ad reſtaurationem deperditi, ſed ad conſervationem reſidui: Undè Caleph dixit *Ioſue* 14. ſe eſse ejuſdem valoris, cujus fuerat quandò miſsus eſt ad explorandam terram promiſſionis. Et ideò dicitur panis Angelorum, qui nunquàm infirmantur, aut corrumpuntur, aut ſeneſcunt. Vel dicitur panis Angelorum, quia miniſterio Angelorum paratus eſt. Vel quia ſignificat Chriſtum, qui eſt panis Angelorum.

11 Item de hoc manna dicitur *Apocal. 2. Vincenti dabo manna abſconditum*: id eſt, ſuavitatem dulcedinis internæ, & æternæ. *Manna* interpretatur *Quid eſt hoc?* Et Sancti in æterna beatitudine recepti, & ab ubertate domus Dei inebriati, intantùm mirabuntur, quòd quaſi ſtupefacti, non remanebit eis ſpiritus exemplo Reginæ Saba 3. *Reg.* 10. quæ viſa ſapientia Salomonis, non habebat ultrà ſpiritum præ admiratione. Abſconditum. *Eſa. 45. Verè tu es Deus abſconditus*. De hac abſconſione *Exod.* 16. legitur, quòd manna ità abſconditum erat in Arca, quòd nec Sacerdos ingrediens Sancta, poterat illlud videre. In quo ſignatur, quòd quantumcumque ſe erigat homo per contemplationem ad ſuperna, non tamen videt Deum ſicut eſt in gloria ſua. *Exod.* 33. *Non videbit me homo, & vivet*.

12 Aliter. Dominus in Pentecoſte effundens ſuper Apoſtolos Spiritus Sancti dulcedinem, dedit eis manna abſconditum, quod paravit pauperibus in dulcedine ſua, de quo alibi *Pſal.* 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*, &c. *quam abſcondiſti timentibus te*, id eſt, reſervaſti; ſicut mater abſcondit, & reſervat filio pomum, vel mel, aut aliquid, quod vult ei dare. Hæc eſt ficus dulcis *Iudic.* 9. Hanc dulcedinem ſenſerat Petrus *Matth.* 17. & quaſi inebriatus, nec etiam volens de loco, quo eam guſtaverat, ſe removere, dicebat: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Faciamus hic tria tabernacula.* Sic deberent facere qui vel quandoque guſtaverunt, vel guſtare vellent hoc manna, libenter reſidere in clauſtro, vel cella, ut ſæpiùs inebriarentur, exemplo Beatæ Virginis in ſuo thalamo reſidentis, quandò veniebat Angelus nunciare: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, &c. Propter hoc videtur, quòd Abbates, & Monachi tam crebrò prò cauſis levibus equitantes, nunquàm guſtaverunt de hac dulcedine Dei.

Hoc autem manna quoſdam inebriat, quoſdam impinguat: & ſic unicuique ſapit id quod deſiderat, ſicut iſtud manna filiis Iſrael. Unde *Sap.* 16. *Paratum panem*, &c. Vel per manna ſignatur gloria æterna, quæ dabitur in futuro, ut dictum eſt ſupra.

13 Item ſuper illum locum *Pſ.* 21. *Ego ſum vermis, & non homo*: dicit Auguſtinus, quòd Maria congruè poteſt dici manna, quia eſt ſubtilis, ſplendida, ſuavis, & Virgo, quæ velut cœlitus veniens cunctis Eccleſiarum populis in cibum dulciorem melle fluxit. Quem cibum qui neglexit, ſicut Judei manna faſtidiebant, non habebit vitam in ſeipſo, ſed ei cibus hic in judicium convertetur. Item de hoc manna vermiculus procreabatur, quandò Chriſtus in Virgine incarnabatur. Ità concludit Albertus Magnus. Sed & in Biblia Mariana *Lib. Exod.* ſubiungit. Quod Ipſa eſt etiam vas refectionis. *Exod.* 16. *Sume vas unum*, ideſt, *Mariam*, *& mitte ibi Man*, ideſt, Chriſtum Deum, & hominem, quod factum eſt in incarnatione, *ad ſervandum*. Gloſſa: in memoriam æternam.

§. II.

Auſtro non incongruè Beatam Virginem deſignari.

15 AUſter ſecundùm Berchorium *lib. 6. Reduct. Moral. c.* 18. multas habet proprietates, quæ poſſunt applicari Matri Dei. Eſt enim Auſter ventus calidus, & humidus, pluviæ, & roris miniſtrativus; pororum terræ apertivus; germinum, & ſeminum productivus, & nutritivus, & augmentativus; ſuperficiei terræ renovativus; pennarum veterum in avibus immutativus; humorum compactorum digeſtivus; fumoſitatis, & ſudorum, & ſuperfluorum humorum provocativus; reptilium, & vermium ab interioribus adductivus. Talis eſt gratia, inquit Berchorius, (& etiam poſſumus dicere: talis eſt *Maria*) quia calida eſt per charitatem, humida per pietatem, & ideò pluviæ compaſſionis, & roris devotionis, eſt miniſtrativa: pororum terræ, ideſt, ſenſuum, & maximè oris ad confeſſionem eſt apertiva: ſeminum, ideſt, interiorum donorum, & virtutum eſt productiva quantum ad ſimplices, & incipientes; nutritiva quo ad proficientes; augmentativa quò ad perfectos. Hæc ſuperficiem terræ, ideſt, exteriorem apparentiam renovat per honeſtatem: veteres pennas malæ conſuetudinis immutat per vitæ novitatem. Humores compactos, ideſt, peccata in ſtomacho conſcientiæ compreſſa digerit per contritionem, & eorum ſudorem, ideſt, emiſſionem provocat per confeſſionem. Reptilia etiam, & vermes, ideſt, carnales affectiones ab interioribus conſcientiæ extrahit, & educit per dimiſſionem, & eductionem. *Cant. 4. Veni Auſter, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius.*

15 Verùm ſublimiori ratione Deipara noſtra Auſter eſt: Ipſa enim Auſter ille eſt, ex qua Deus venit ſecundum naturam humanam aſſumptam, juxtà *Abacuch* vaticinium *c.* 3. dicentis: *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan.* Quem locum Theophylactus *in Abacuch* pertractans, & è Grœcorum legens verſione: *Deus à Theman veniet, & Sanctus à monte umbroſo, & aſpero*: ità interpretatur. Theman alii quidem Auſtrum, inquit, alii verò Africum interpretati ſunt. Vaticinatur autem Propheta, quod ex Bethleem veniet Chriſtus, quæ ad Auſtralem, & Africam plagam reſpectu Jeroſolymorum ſita eſt. Montem verò opacum, ſeu umbroſum, ipſam eandem Jeruſalem appellat. Aſperum, ſeu hirſùtum, ac intonſum, ideò quod veluti divinis donis, & virtutibus Sanctorum in ipſa recubantium, ſpirantiumque floreat: opacum, vel umbroſum, quod veluti nebula, ac juxtà divina gratia, ſuper eam, & in ea umbram faciat, illam ceù umbra circundet, ac tanquam in protectione Cœli commoretur. Porrò Deipara Virgo mons eſt etiam aſper, ut in quam ferrum cogitationis, ſordidum virus habentis, non aſcenderit: neque humanæ manus vel operationis, ut virginitatem eius reſecet. Opacus, & umbroſus mons illa Ipſa etiam vocatur, quod Spiritus Sanctus deſcenderet ſuper ipſam, & virtus Altiſſimi eam obumbraverit. Hæc ille.

16 Planè tamen & per Bethleem intelligi poſſe Deiparam mihi videtur; nam ex nominis ſignificatione *Bethleem* interpretatur *domus panis*: & Ipſa Virgo fuit vera Bethleem, quæ nobis verum panem, Chriſtum ſcilicet edidit: tum etiam fuit vera Ieroſolyma, in qua Sanctus Sanctorum corporaliter requievit, & tanquam flos ſuaviſſimus odorem immortalitatis afflavit. Verùm & per Auſtrum ipſam Virginem intelligi poſſe: quandoquidem & ipſa Virgo ad ſimilitudinem æterni Patris genuit Chriſtum. Quapropter ſi interpretationem Titelmani in Annotationib. ſuper *Cant.* Abacuh attendamus, facile ſimilitudinem poterimus invenire. Verſu 4. inquit Titelmanus, *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan. Ab Auſtro*, ſivè *à Meridie* nos interpretati ſumus, *à Patre*, vel *è ſinu Patris*: ubi nimirùm perpetuò non aliud quàm meridies eſt, claritas ſemper plena, abſque omni tenebrarum obſcuritate, ſicut in meridie, Sole lucente in virtute ſua. Idem quoque per ſecundam partem intelligimus, ubi dicitur: *Et Sanctus de monte Pharan*. Siquidem *Pharan* apud Hebræos (ut ait Sanctes Pagninus, vir in Hebraicis literis non mediocriter eruditus) ſignificat *gloriam*, vel *gloriationem*, vel *glorioſum*. Mons ergo *Pharan*, dicitur *mons gloriæ*, vel mons glorioſus. In quo rectè Dei Patris glorioſam altitudinem intelligimus, ut ſignificetur ab illa altitudine ſumma Paterni Sinus adventurus Dei filius. Cui etiam aſtipulatur, quod Septuag. Interpretes prò *monte Pharan*, verterunt *montem condenſum, & umbroſum*. Maieſtas enim, & altitudo Patris, mons condenſus, & umbroſus rectè dicitur, propter occultationem ſuam: quoniam *Deum* (ut in *Ioanne c.* 1. dicitur) *nemo vidit unquam*: Et *lucem habitat inacceſſibilem*. 3. *Reg.* 8. Et alibi 2. *Paral.* 6. dicitur *Dominus habitare in caligine*. Et alibi *Pſal. 96. Nubes, & caligo in circuitu eius*. Hactenùs ille, cuius dictis conſideratis, Chriſtus etiam è materno Virginis ſinu, tanquam ab Auſtro, ſivè Meridie, proceſſit tanquam Sponſus, & Sol de thalamo lucidiſſimo, inter Sanctitatis, & gloriæ ſplendores: ità ut & Ipſa Virgo poſſit dicere Chriſto Filio ſuo: *In ſplendoribus Sanctorum ex utero antè Luciferum genui te. Pſal.* 109. Undè & tanquàm alter *Pharan*, ſivè interpreteris *gloriæ mon-*

montem, è glorioſa altitudine ſua: ſivè interpreteris *umbroſum*, & *condenſum*, Dei filium produxit viſibilem, & occultum; viſibilem in humanitate; inviſibilem verò, & occultum in divinitate, quæ latebat in homine.

17 Aliter quoque Titelmanus primam verſiculi partem interpretatur, ſcilicet *Deus ab Auſtro veniet*: ait enim. In prima autem parte, quidam per Auſtrum intelligunt Spiritum Sanctum. Auſter enim, vel meridies, calidus eſt. Et Spiritus Sanctus, calor, vel ignis appellatur, ſicut & amor. Unde & in linguis igneis Apoſtolis apparuit, & datus fuit. Et de eo Chriſtus Dominus ait in Evangelio. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? Luc.* 12. Peculiari verò modo ſic ab Auſtro Dei filius venire dicitur: quoniam ex maximo amore, & charitate ſumma erga nos acceſſit ad nos, ut nos faceret Salvos ab omni malo, in vitam ęternam quemadmodum Sanctus ait Apoſtolus *Epheſ.* 5. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum prò nobis*. Et dilectus Domini diſcipulus in Sacræ *Apocal.* exordio: *Qui*, inquit, *dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*. Apertiſſimè quoque ipſe Dominus in Evangelio de Patris dilectione teſtatur, dicens: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioan.* 13. Ergò & ipſa Virgo, perflata quidem ab Auſtro Spiritus Sancti, cuius virtute filium Dei concepit, fuit Auſter quidam amoris, & charitatis, de qua venit Dei filius ad mundi redemptionem. Sed jam de Auſtro hæc pauca ſatis.

§. III.

Roris qualitates Beatiſſimam Virginem decere.

18 IUxtà Philoſophos, & Bercorium *lib. 6. Reduct. Moral. c.* 21. Ros eſt impreſſio aeris, quæ ex virtute cœleſti gignitur, & ad terram inſenſibiliter deſcendens, herbas, & plantas irrigat, atque nutrit, & quicquid ardor diurnus combuſſerat, ros nocturnus refrigerat, & remollit, & licet ad ardorem Solis de herbarum ſuperficie quò ad apparentiam evaporet, ibi tamen virtutem ſuam manifeſtiſſimè derelinquit. Hic igitur terram inebriat, & fæcundat, medullam in granis amplificat, & augmentat, oſtrea in mari, & conchylia margaritis impregnat, pullos corvorum, dùm tamen adhuc ſunt juvenes, reficit, & impinguat. Aerem etiam calefactum ultrà modum per ſui incorporationem temperat, & condenſat. Hic etiam vim venenoſorum reprimit, & retardat, quia parum de nocte pungunt. Et licet ad modum aquæ ſit inſipidus, tamen mel in floribus aliquibus generat, & cauſat. Hæ ſunt ex Berchorio roris proprietates.

19 Nunquid igitur & Beata Virgo ros dici poterit? Ità quidem. Nam Bernardinus Buſtenſis *part.* 9. *Marialis ſerm.* 2. *Aſſimilatione* 4. comparat ipſam Auroræ, quæ Mater eſt roris, undè inquit. *In lib. de proprietatib.* rerum dicitur, quod *Aurora* dicitur quaſi *aura rorans*, eò quod in Aurora ros generatur, & deſcendit: ex cuius humectatione infunditur terra, & aeris caliditas temperatur, & herbæ in ſua viriditate conſervantur. Et ſimiliter Beata Virgo generavit rorem Cœleſtem, ideſt, Dei filium, qui gratia ſua totam terram, ideſt, mundum infudit, & caliditatem concupiſcentiæ temperavit, & Matrem ſuam in viriditate Virginitatis conſervavit. Unde de illo canit Eccleſia: *Deſcendit in uterum Virginis, ſicut ros ſuper gramen.* Item ſicut manna deſcendebat in Aurora *Exod.* 16. Nam quando deſcendebat ros, deſcendebat pariter & manna. *Numer.* 11. Ità tota dulcedo Paradiſi in eius uterum deſcendit, & poſteà in nativitate per univerſum orbem ſparſa fuit. Undè in die nativitatis Domini canit Eccleſia: *Hodie per totum mundum melliflui facti ſunt Cœli.* Item ſicut ros deſcendens in Aurora conchas marinas fœcundat, & in eis gignit margaritas: ità Spiritus Sanctus in ea ſupeveniens, eam fæcundavit, & pretioſam Cœli Margaritam in ipſa generari fecit.

20 Poſſumus quoque dicere, quod ros iſtius Auroræ eſt decorativus, dulcorativus, refrigerativus, & fructificativus. Ipſa enim Beatiſſima Virgo quaſi Aurora divinæ gratiæ rorem nobis abundanter infundit, de quo exponi poteſt illud, quod dicitur *Geneſ.* 27. *In rore Cœli deſuper erit benedictio tua.* Et iſte ros eſt decorativus; quia ut dicitur in dicto *lib. de propriet. rer.* In Aurora conchæ marinæ ſe aperiunt, & rorem ſuſcipientes, margaritas concipiunt, quæ poſteà in ornamentis ad decorem ponuntur. Et ſimiliter animæ devotæ dum iſti Auroræ, ideſt, Virgini benedictæ per affectum devotionis ſe aperiunt, rorem Supernæ gratiæ ſuſcipiunt, per quem margaritas candidas, ideſt, affectiones puriſſimas concipiunt, quæ ſunt animæ ornamenta. Et ideò iſti Auroræ dicitur *Eſa.* 26. *Ros lucis, ros tuus*: quia lucidas, & mundas generat affectiones.

21 Item iſte ros eſt dulcorativus; quia ſicut manna dulcis ad modum mellis deſcendebat in Aurora: ità iſta Aurora infundit internæ dulcedinis gratiam his qui tribulato ſunt corde. Et ideò quando præcordia noſtra ſentiunt duledinem ab ipſa Virgine immiſſam, poteſt de illis dici illud *Exod.* 16. *Suavis ros jacuit per circuitum Caſtrorum.* Item iſte ros eſt refrigerativus, quia in nobis refrigerat æſtum, & ardorem libidinis, juxtà illud *Eccli.* 18. *Nonnè ardorem refrigerabit ros? Et eiuſdem lib. c.* 44. *Ros obvians ardori venienti humilem efficiet eum.* Iſte etiam ros fructificativus eſt, quia nos fructificare facit in bonis operibus. Undè ipſa Virgo dicere poteſt illud *Oſeæ* 14. *Ego quaſi ros: Iſrael germinabit quaſi lilium.*

22 Jacobus de Voragine *ſerm.* 129. de Beata Virgine, aſſimilat rori incarnationem Chriſti, ſeu Deiparæ fœcunditatem. Ros, ait ille, ſignificat Chriſti incarnationem, vel fœcunditatem Virginis. Primò nanque ſignificat Chriſti incarnationem. Ros quidem generatur in aeris interſtitio temperatè calido, & temperatè frigido. Tria interſtitia ſunt Cœlum, Mundus, & Infernus. Chriſti incarnatio non facta eſt in ſupremo interſtitio, ideſt, in Cœlo, quia naturam Angelicam non aſſumpſit. *Hebr.* 4. *Nuſquam Angelos apprehendit.* Nec eſt facta in infimo, ideſt, in Inferno, quia dęmones non redemit, nec eis pepercit. 2. *Pet.* 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit.* Sed facta eſt in medio, ideſt, in Mundo, quia naturam humanam aſſumpſit. *Galat.* 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.*

Iſta autem roratio, ideſt, incarnatio facta eſt ex calido, & frigido. Duo enim induxerant Deum, ut homo fieret, ſcilicet abundantia charitatis ex parte ſui, quæ fuit quaſi calor. *Rom.* 5. *Commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus prò nobis mortuus eſt.* Et miſeria generalis ex parte noſtri, quæ fuit quaſi frigus. *Pſal.* 11. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum.* Ex tali igitur calido, ideſt, ex charitate Dei, & ex tali frigido, ideſt, generali miſerià generis humani facta eſt iſta roratio, ideſt, Incarnatio filii Dei. In hoc tamen deficit ſimilitudo, quia ibi eſt temperatus calor, & temperatum frigus, hic verò eſt nimium caloris. *Epheſ.* 2. *Deus qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, quà dilexit nos, cum eſſemus mortui peccato, convivificavit nos Chriſto.* Eſt etiam hic nimium frigus languoris. *Pſal.* 13. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt.*

23 Secundò ros ſignificat Virginis fœcunditatem, quod oſtenditur per triplicem ſimilitudinem. Primò, quia facta eſt ad inſtar conchæ marinæ, quæ ex rore cœleſti generat margaritam. Nam ſicut dicit Iſidorus, Concha marina certo tempore ſe aperit, & rorem Cœleſtem recipit, & ſic margaritam intrà viſcera ſua gignit. Sic Beata Virgo conſentiendo, animum ſuum aperuit, quandò dixit: *Eccè Ancilla Domini.* Et tunc ros Spiritus Sancti in eam deſcendit, qui Margaritam, ideſt, Chriſtum in eius utero generavit. Iſtam rorationem Spiritus Sancti, & apertionem Virginis petebat *Eſaias* 44. dicens: *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem.*

Secundò, iſta Virginis fęcundatio facta eſt ad inſtar terræ, quæ rore cœleſti perfuſa generat viridem herbam. Deuter. 32. *Fluat ut ros eloquium meum, & ſicut ſtillæ ſuper gramina.* Cui verbo alludens Eccleſia ait: *Deſcende in uterum Virginis, ſicut ros ſuper gramen.* Iſta igitur terra ſic rore madefacta genuit lilium Paradiſi. *Oſeæ* 14. *Ego quaſi ros: Iſrael germinabit quaſi lilium. Iſrael* interpretatur *Vir videns Deum*: & ſignificat Virginem *Mariam*, quæ fuit virilis in omni ſua actione, & fuit videns divinam eſſentiam per contemplationem; & germinavit lilium, ideſt, Chriſtum candidum per innocentiam, & odoriferum per virtutum fragrantiam.

Tertiò iſta Virginis fœcundatio facta eſt ad inſtar velleris, quod rore plenum irrigavit aream, & implevit concham, ut habetur *Iudicum* 5. Iſtud vellus ſignificat Virginis uterum, in quo fuit plenitudo totius divinitatis, ex qua plenitudine irrigata eſt area, ideſt, univerſalis Eccleſia, & impleta eſt concha, ideſt, fidelium corda. Bernardus. Rigaturus Dominus aream, cœleſti rore totum vellus priùs infudit: redempturus etiam genus humanum, univerſum pretium contulit in *Mariam*.

24 Tertiò, ros ſignificat Spiritus Sancti infuſionem, qui quidem in Maria ſe diffundens, multa bona in eà operatus eſt. Primò enim fecit in ea contrà æſtum carnalis concupiſcentiæ refrigerationem. *Eccli* 43. *Ros obvians ardori venienti humilem efficiet eum.* Ideò dixit ſibi Angelus: *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: ideſt, ab æſtu omnis concupiſcentiæ refrigerabit.

Secundò, dedit ſibi ſpiritualis dulcedinis prægustationem. *Numer.* 11. *Cum deſcenderet ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & manna.* Caſtra Dei fuit animus Virginis Mariæ, qui ſic fuit vallatus, & munitus, quod unquàm ingredi potuit inimicus. Cum igitur in iſtud caſtrum deſcendebat ros, ideſt, Spiritus Sancti roratio, deſcendebat pariter & manna, ideſt, cœleſtium prægustatio. Ipſam autem prægustationem habere promeruit, propter munditiam, & puritatem, quam ſemper ſervavit. Sicut enim dicit Gloſſa ſuper illud verbum *Pſal.* 146. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis Corvorum invocantibus eam*: Pulli corvorum quandiu habent pilos albos à Parentibus deſeruntur, & tunc cœleſti rore paſcuntur. Quia igitur Virgo Beata ſemper fuit alba, ideſt, puriſſima, ideò ſemper fuit cœleſti rore paſta.

Tertiò fecit in ipſa ſpiritualem exultationem. *Prov.* 19. *Sicut ros ſuper herbam, ſic hilaritas Regis.* Rex enim, ideſt, Chriſtus ſibi arriſit, quando animum ſuum inenarrabili exultatione perfudit. De qua exultatione dicit: *Exaltavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Luc.* 1. Et iſta exultatio fuit ſicut ros ſuper herbam, quia magnam in eà fecit fęcundationem operum, & refrigerationem omnium vitiorum.

Quartò dedit ſibi vitæ æternæ meſſionem. Dicitur enim *Galat.* 6. *Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Et quoniam in ſpiritu iſta ſeminavit, ideò vitam æternam meſſuit. Iſtam autem meſſionem non habuit ex ſe, ſed à rore cœleſti: ideò poterat, dicere cum *Iob* 29. *Ros morabitur in meſſione mea.*

Quintò dedit ſibi totius vitæ perfectionem, quæ quidem conſiſtit in operando, & contemplando. In huius figuram dicitur *Geneſ.* 27. *In pinguedine terræ, & in rore Cœli deſuper erit benedictio tua.* In Ipſa etiam fuit ros cœleſtis, ideſt, Cœleſtium donorum magna aviditas. In ipſa etiam fuit pinguedo terræ, ideſt, operum miſericordiæ magna fœcunditas, quæ dicitur pinguedo terræ, quia ipſa opera miſericordiæ fiunt tantum in terra, & non in Cœlo. Et in iſtis duobus conſiſtit vitæ perfectio; ſcilicet in faciendo opera miſericordiæ, & in deſiderando Cœleſtia. Ità Voragines.

25 Verum Beata quidem Virgo & in ſe Ros, & Mater Roris eſt. In ſe Ros. Quia genita cœleſti virtute. Nam de ſterili Annæ Matris utero per miraculum generata. Quia ad hominum utilitatem creata. Undè de Ipsà dici poteſt, quod *Zachar.* 8. habetur: *Cœli dabunt rorem ſuum.* Ipſa enim tanquàm ros herbas, & plantas, ſimplices ſcilicet, & devotos gratiarum ſuarum nutrit humore, flores animarum beneficiis irrigat, tribulationum, & tentationum ardores mitigat patrocinii ſui humectatione, calorem verò aeris accenſi, ideſt, rigorem divinæ juſtitiæ ſuis temperat oratio-

tionibus. Corda hominum virtutibus fœcundat, ut germinent opera bona. Quandò ros nocturnus cadit, venenata torpeſcunt: & ubi adeſt roris Mariani protectio, vel infuſio, dæmonum venenoſæ puncturæ compeſcuntur, & refrenantur. *Maria* in ſe Ros. Quia lucida per gratiam. Dulcis per pietatem. Quia generat mel divinæ dulcedinis, & manna ſpiritualis conſolationis.

26 *Maria* Mater roris. Et hoc dupliciter. Primò Mater roris, ideſt, divinæ gratiæ. Dicit enim Baſilius, quod Luna eſt Mater roris, quia ſcilicet Domina noſtra in Luna ſignificata, totius gratiæ Imperatrix exiſtit. Et ideò quicquid ros gratiæ in nobis facit, totum poteſt dici opus Virginis.

Gratia autem aſſimilatur rori, ut inquit Ioannes à S. Geminiano *lib.* 1. de *Cælo, & elementis c.* 33. Primò, quia ros ex alto manat. Generatur enim ros in alto, flante vento calido, ideſt, auſtro, quia gratia deſcendit, nobis infundente Spiritu Sancto. Non eſt enim ros, teſte Philoſopho, niſi pluvia pauca. Auſter autem rorem gignit, quem Aquilo ſua frigiditate diſpergit: quia gratiam, quam Deus hominibus infundit, diabolus ſi poteſt, eam corrumpit, dum culpam contrariam gratiæ introducit.

27 Secundò, quia ros ſerenitatem, & temperiem amat. Nam ros non generatur niſi in ſereno, & tempore temperato; quia ſi non ſit ſerenum, impeditur appropinquatio Solis vaporem elevantis, qui eſt materia roris. Si autem eſt æſtus, conſumitur ipſe vapor ſubtilis: vapor enim roridus ſubtilior eſt inter vapores humidos, & ideò elevatur ad ſupremum aeris interſtitium excluſivè, quia ille locus temperatus eſt, eò quod medium eſt inter calidiſſimum, & frigidiſſimum: ideò ibi æqualiter agit calor congelationem impediens, & frigus comprimens. Undè ille locus ſtrictus ab Ariſtotele dicitur, quia clauſus eſt inter duo extrema. Ros ergò eſt divina gratia, quæ nullo modo invenitur in anima, niſi ſerena ſit, & à peccato pura. Non enim Sol lumen gratiæ influens, appropinquare poteſt, ubi mentis Serenitas deeſt. Item æſtus concupiſcentiæ deſtruit vaporem gratiæ, & ideò oportet, quod reprimatur remedio temperantiæ, ſivè abſtinentiæ.

28 Tertiò, quia ros terras inebriat, ſcilicet quia divina gratia mentes à terrenis deliciis alienat.

Quarto quià ros in ſeminibus medullam ampliat. Ità divina gratia in nobis omnia bona multiplicat.

Quintò, quia ros oſtreas, & piſces maris impinguat, quia gratia mentes humanas per amorem charitatis dilatat.

Sextò quia margaritam in conchylià generat, quia per divinam gratiam filius Dei in utero Virginali eſt generatus.

Septimo, quia pullos corvinos ſuſtentat, antequam nigreſcant, quia gratia animam non deſerit, quam ſpiritualiter paſcit, niſi poſtquàm per culpam nigreſcere incipit. Eſt enim gratia cibus ſpiritualis animæ, ſicut panis eſt cibus materialis corporis.

Octavò, quia ros cauſat dulcedinem. Nam quamvis videatur inſipidus, eſt tamen poteſtate dulciſſimus, & mellis in herbis, & floribus cauſativus. Nihil enim Sapientes mel aliud eſſe dicunt, quam rorem calore digeſtum in aere. Ità ſimiliter gratia divina, quæ eſt in pœnitentia, modò non ſentitur ſic ſapida, quanvis ſit prædulciſſima, ſicut apparebit in patria. Hæc ille.

29 Secundò, Beata Virgo Mater roris, ideſt, Parens Chriſti, qui eſt ros, & in Scripturis talis deſignatur. Undè Albertus Magnus *lib.* 12. *de laudib. B. Mariæ c.* 5. §. 7. *num.* 3. *&* 4. mirabili modo generationem, & proprietates huius roris enarrat, dicens. Chriſtus ros ratione originis: quia de Cœlo. *Ioan.* 3. *Qui de Cœlo venit, ſuper omnes eſt.*

Ratione proprietatis: ros enim occultè, & ſuaviter deſcendit: & Filii Dei tam ſecreta fuit incarnatio, quod multi Angeli neſcierunt. Undè admirabantur in eius Aſcenſione dicentes: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom? Eſa.* 43. Item occultè, & imperceptibiliter. Undè *Eſa.* 53. *Generationem eius quis enarrabit? Ioan.* 1. dicit Ioannes Baptiſta: *Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti eius:* ideſt, explicare unionem Verbi. Item *Eſa.* 44. *Secretum meum mihi, &c.* Item Suaviter, quia ſuavis eſt Dominus univerſis. Suaviter enim illapſus eſt utero Virginali, ità quod Natura miraretur, & Mater abſque defloratione gravidaretur.

30 Ratione operationis: ros enim rigat, & ſuo modo terram inebriat, & fęcundat. Et ſecundum hoc duo ſigna dabantur Gedeoni *Iudic.* 6. quia area rigabatur, & vellus inebriabatur. *Eſa.* 55. *Quomodo deſcendit imber, & nix de Cœlo, &c.* uſque ibi, *inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit.* Eccè tria, inebriatio, rigatio, & fęcundatio. Item ros ſuo modo illuminat. Undè *Eſa.* 26. dicitur *Mariæ*, Eccleſiæ, & fideli animæ de Chriſto: *Ros lucis ros tuus.* Ros lucis, ideſt, Chriſtus fęcundans affectum inquantum *ros*, & illuminans intellectum inquantum *lucis.* Aliter. Ros noctis gratia Dei ſubveniens in tribulatione. Item ubi nos habemus: *Ros lucis ros tuus*: dicunt Septuag. *Ros qui ad te eſt, eſt ſanitas eorum*, ſcilicet ros incarnationis. Item ros ardores temporis aut extinguit, aut temperat. *Eccli.* 43. Ros enim, ideſt, Chriſtus, *obvians* diabolo *venienti ab ardore*, ideſt, ab incendio, ſcilicet gehennæ, ubi habitat: vel ab ardore, ideſt, à deſiderio malefaciendi, ubi ipſe habitat, & undè venit ad tentandum nos ut ſecum comburat in fornace gehennæ: accendit enim peccatores per culpam, & eos ſecum comburit per pęnam. *Humilem efficiet eum:* quia Chriſtus patiens in Cruce humiliavit calumniatorem. Undè *Pſal.* .... *Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum*, ideſt, diabolum: ideſt, minoraſti potentiam eius. Undè: *Si autem fortior, &c. Non ſicut occiſum*, quia adhuc habet manum attrahentem: ſed in fine *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Eſa.* 11. & occidet cetum, qui in mari eſt. Ad hoc etiam venit Chriſtus ut ros in ſua incarnatione, ut ardorem peccati, quo mundus flagrabat, extingueret.

31 Denique omnes, & ſingulas roris proprietates accommodat Chriſto, dicens. Chriſtus ros Quia ſuavis. Mirabiliter enim, & ineffabiliter jucundat conſcientiam, quam per gratiam inhabitat. *Pſal.* 144. *Suavis Dominus univerſis.*

Quia nutritivus. Gratia enim ejus eſt nutrix totius boni. Unde *Sap.* 16. *Omnium nutrici gratiæ tuæ deſerviebant.*

Quia nocturnus. Et Chriſtus incarnatus eſt populo Gentium in tenebris ambulante. *Eſa.* 9. Quandò ſcilicet *una catena tenebrarum omnes erant colligati. Sap.* 17.

Quia lucidus. *Eſa.* 26. *Ros lucis ros tuus.* In hoc notatur privilegium Chriſti, qui ſinè nubecula fuit omnis peccati. Unde ipſe dicit *Ioan.* 8. *Ego ſum lux mundi.*

Quia frigidus. Et per hoc extinguens in electis ſuis fervorem tentationum, & refrigerans æſtum concupiſcentiarum. Unde: *Angelus Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis ejus in fornacem, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem. Daniel.* 3.

Quia ſphæricus eſt: ducit enim per gratiam ſuam ad æternitatem, cujus appetitus, ſive deſiderium in figura ſphærica deſignatur.

Quia modicas habet guttulas, in quibus deſcendit. *Sap.* 11. *Tanquàm gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram. Iob.* 38. *Quis eſt pluviæ Pater, vel quis genuit Sillas roris?* Et hæc modicitas deſignat humilitatem.

32 Quia matutinus. *Oſea* 6. *Miſericordia veſtra*, id eſt, Chriſtus de pura, & mera Matris miſericordia nobis datus, eſt *quaſi nubes matutina, & quaſi ros matutinus*, &c.

Quia quaſi contemptibilis in primo adventu, ſe patitur ab omnibus conculcari. Undè dicit *Pſal.* 55. *Conculcaverunt me inimici mei tota die*: id eſt, toto tempore gratiæ. Sed in judicio veniet ſicut grando, & grandinabit adverſarios ſuos. Unde *Sap.* 5. *A petroſa ira plenæ mittentur grandines.*

Item ros ſterilitatem tollit, id eſt, defectum verbi Dei. Unde parvuli petebant panem, & non erat qui frangeret eis.

Fertilitatem parit. Ideò tempus gratiæ dicitur *plenitudo temporis. Galat.* 4. Tunc enim impleta ſunt quæcunque prædixerant Prophetæ: & tunc plenitudo Gentium intrare cœpit ad fidem per Apoſtolorum prædicationem.

Herbas virentes augmentat, id eſt, virorem virtutum. Ad *Hebr.* 6. *Terra bibens imbrem* doctrinæ, *& germinans herbam*, id eſt, virorem fidei, & bonorum operum, *illis à quibus colitur*, id eſt, Prędicatoribus.

Fructus ingroſſat: quia terra Eccleſiæ, vel humanæ conſcientiæ anteà erat inanis, & vacua. *Geneſ.* 1.

Improvisè deſcendit. *Sap.* 18. *Dùm medium ſilentium*, &c.

Suavis, & lenis: tunc enim lenitas Dei oſtenſa eſt, quandò *apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei*, id eſt, benignus, & humanatus Deus.

Refrigerat: & tunc præſtitum eſt refrigerium gratiæ contra æſtum vitiorum.

§. IV.

Perfectam Iridis Oeconomiam in Beata Virgine reperiri.

33 AD Iridem tandem, ſivè Arcum cœleſtem, de quo habetur *Eccli.* 43. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecie illum: valdè ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo. Gyravit Cœlum in circuitu gloriæ ſuæ: Manus Excelſi aperuerunt illum:* ad Iridem, inquam, evaſit tandem oratio. Ad lætitiam videlicet, & felicitatem; nihil enim in Iride niſi lætum, & ridens apparet: & quamvis inter rorantes Cœli lachrymas emicare videatur, eſt tamen, ut ille ceciniт:

———*Plorantis riſus Olympi.*

Proindè neque miror Iridem, ut in *Eccli.* 43. refert A Lapide, à Viris ſapientiſſimis concordi elogiorum calculo eſſe celebratam. A Chryſoſtomo videlicet Dei hominibus reconciliati chyrographum nuncupari; à Hieronymo, ſupernæ clementiæ ſimulachrum; cœleſtium induciarum pignus, à Damaſceno; ab Auguſtino, divinæ amicitiæ teſſeram; ſempiterni fœderis obſidem, à Bernardo; ab Ambroſio, inviolabilis virtutis Dei, & multiformis gratiæ ſpecimen. Cœleſtis benignitatis typum, à Cypriano; à Gregorio, Sancti Spiritus ideam; benevolentiſſimi Numinis teſtimonium, à Nazianzeno; à Baſilio, pacis ſequeſtram; à Beda, divinæ propitiationis ſymbolum. Deorum Mercurium, ab Ethnicis; ab Anaxagora, ſerenitatis præludium; Thaumantida, ſivè admirationis filiam, à Platone; divini ſplendoris imaginem, à Pythagora; multifarium lucis decus, à Philone; à Macrobio, benigniſſimum Cœli prodigium; Aſtrorum linguam, ab Homero; ab aliis denique, divinam quandam Aſtrologam, ſuperum legatam, felicitatis indicem, tranquillitatis præconem, lætitiæ præambulatricem.

34 Porrò à Moderno Poeta hiſce elogiis ſalutatur.

Illuſtriſſima lucis pupilla, aeris alumna.
Edita Patre Sole, Patria Cœlo.
Prodiga luminis, Nuncia numinis.
Legata Serenitatis, Præſaga felicitatis:
Obſes fœderis, Hoſpes ætheris, Civis ſideris,
Pacis Pincerna, Naturæ lucerna,
Dei ſpectaculum, Dei miraculum,
Cælorum progenies, colorum congeries,
Mille luminum irradiata facies,
Variata maculis.
Colorum Imperatrix, eademque temperatrix.
Illuſtri Parente, illuſtrior ſoboles.

35 Quæ quidem epitheta, elogia, titulos, & præconia Beatiſſimæ Virgini quadrare nullus inficiabitur. Sed audiamus Jacobum de Voragine ſerm. 12. de B. Virgine aſerentem Iridis œconomiam in Deipara ob generationem, diſpoſitionē, & colorationem repræſentari. Arcus, inquit, cœleſtis ſignat *Mariam* Virginem, propter generationem, diſpoſitionem, & colorem. Generatur autem arcus cœleſtis ex reflexione radii ſolaris in nubem lucidam,

concavam, & aquoſam. Beata Virgo fuit nubes, inquantùm fuit à terrenis elevata per contemplationem, & concava per humilitatem, & aquoſa per compaſſionem, & pietatem; quia cor ejus erat molle, & ductile ad compatiendum. Radius igitur ſolaris, id eſt, gratia Dei in *Mariam*, quæ fuit nubes lucida, concava, & aquoſa, refluxit, & ſic eam arcum cœleſtem fecit.

36 Secundò dicitur arcus cœleſtis propter diſpoſitionem. Arcus enim ille ita diſpoſitus eſt, quòd eſt ſinè chorda, & ſagitta, & verſùs nos tenet cornua. Quidam ſunt ſicut arcus cum chorda, & ſagitta, qui extenduntur à nimia ſeveritate, & jaciunt ſagittas, id eſt, comminationes cum nimia crudelitate, & tenent cornua verſùs ſe, ſcilicet indulgentiam, & beneficentiam, quia nec inimicis ſuis volunt parcere, nec beneficia exhibere. *Sed B.* Virgo eſt ſinè chorda ſeveritatis, quia tota eſt juſtiſſima, & ſine ſagitta comminationis, & timoris, quia eſt tota dulciſſima. Bernardus. Quid humana fragilitas ire trepidat ad *Mariam*: nihil in ea auſterum eſt, nihil terribile, tota ſuavis eſt. Habet autem duo cornua, ſcilicet gratiam, & miſericordiam, & iſta tenet adverſùs nos: quia juſtis dat gratiam, & peccatoribus miſericordiam: & ideò vocatur Mater gratiæ, & miſericordiæ.

37 Tertiò dicitur arcus cœleſtis propter colorationem. Arcus enim ille ex quatuor elementis contrahit colores, ut dicit Beda. Nam ex igne contrahit colorem rubeum, ex aqua cæruleum, ex aere hyacinthinum, ex terra viridem. Iſti quatuor colores fuerunt ſpiritualiter in ipſa. Habuit colorem rubeum, quia tota fuit igne amoris inflammata; & iſtum colorem igneum traxit ab illo igne, de quo dicitur *Hebr.* 12. *Deus noſter ignis conſumens eſt*. Secundo habuit colorem cæruleum, quia tota fuit præ compaſſione liquida effecta, juxtà illud *Pſal.* 21. *Factum eſt cor meum tanquàm cera liqueſcens*. Et iſtum colorem traxit ab aqua, id eſt, à mentis ſuæ puritate, quia in mente ſua ſemper fuit ſerenitas puritatis. Tertiò habuit colorem hyacinthinum. Et iſtum colorem traxit ab aere, id eſt, à mentis ſuæ puritate, quia in mente ſua ſemper fuit ſerenitas mentis. Quartò habuit colorem viridem, quia tota fuit in converſatione viridis, & amœna. Et iſtum colorem traxit à terra, id eſt, à ſeipſa, ex qua virtutes generabantur, per quas Deo, & hominibus gratioſa reddebatur. Ejus enim viror viriditatem virtutum omnium aliorum Sanctorum, & gratias ſuperabat. *Eccli.* 40. *Gratiam, & ſpeciem deſiderabit oculus tuus, & ſuper hoc virides ſationes:* id eſt, virtutes virentes ex terra Virginea procedentes. Qualiter autem fuerit Deo gratioſa, dicit Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus. Virtutes *Mariæ* depromebant in cogitatione, & affectione cordis ineffabilem harmoniam, quam ipſa Creatrix, & inhabitatrix ejus Dei Sapientia delectabatur audire. Coruſcabat quoque foris, & in ſuperficie ſermonis, & intùs, undè poſſent homines glorificare Deum, & ſalutem recipere.

38 Meritò itaque Albertus Magnus *lib.* 5. *de laudib. B. Mariæ c.* 1. ad contuendam ſpeciem, & pulchritudinem hujus arcus nos invitat, dicens: *Eccli.* 43. *Vide arcum, & benedic qui fecit illum: valdè enim ſpecioſus eſt.* Eſt enim Virgo glorioſa Arcus quantum ad incarnationem Verbi: arcus enim eſt ex radiis Solis, & humida nube, ſicut dicit Gloſſa ſuper *Geneſ.* 8. Quod factum eſt in incarnatione, quandò Sol juſtitiæ, qui eſt Splendor Patris, ingreſſurus Ægyptum, id eſt, venturus in mundum, *aſcendit ſuper nubem levem. Eſa.* 19. id eſt, ſibi univit mundiſſimam carnem ſinè pondere peccati, quod factum eſt in utero Virginali: & ſic factus eſt quaſi quidam arcus, qui fit in die pluviæ.

Species arcus conſiſtit in duobus coloribus, qui principales in eo ſunt, cęruleo, & igneo: & ſignat in Virgine honeſtatem converſationis. Oportet enim ad hoc, quòd honeſtè vivatur cum aliis, & flere cum flentibus per compaſſionem in adverſis; eccè color cæruleus: & gaudere cum gaudentibus per congratulationem in proſperis; eccè color igneus. Hæc ejus ſpecies pręfigurata eſt per Abigail, quę erat prudentiſſima, & ſpecioſa 1. *Reg.* 25. quæ compaſſa eſt Viro ſuo in adverſitate, & congratulata Regi David in ſua proſperitate.

39 Nec dubitare fas eſt Iridem pulcherrimam eſſe Deiparam, quæ præclarum ornamentum Regiæ Dei ſedis eſſe videtur, juxtà viſionem *Ioannis Apocal* 4. ſcribentis: *Et Iris in circuitu Sedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ*. Quem locum Joannes à S. Geminiano *lib.* 7. *de viſionib. & ſomniis c.* 20. de Beata Virgine interpretatur, & ait. *Et Iris in circuitu ſedis*, &c. Hic circuitus competit Beatæ Virgini, quæ ſuam protectionem, virtutem, & gratiam undique extendit, univerſam Eccleſiam protegens, & adjuvans. *Eccli.* 24. *Gyrum Cœli circuivi ſola.* Duo autē colores principales Iridis, ſcilicet igneus, & cæruleus, ſunt duę virtutes Beatæ Virginis; quia igneus eſt charitas; cæruleus eſt caſtitas. *Sap.* 1. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate. Prov.* 31. *Byſſus, & purpura indumentum ejus.*

Dicitur etiam eſſe Smaragdo ſimilis propter virorem fidei, quæ nunquam in ea emarcuit.

Item Iris eſt ſignum clementiæ, & reconciliationis Dei ad genus humanum. Unde propriè convenit Beatæ Mariæ Virgini. *Geneſ.* 9. *Arcum meum ponam in nubibus cœli, & erit ſignum fœderis inter me, & terram.*

Item Iris eſt arcus ſinè chorda, ad nos inclinans cornua in ſignum, quòd non vult ferire, ſed parcere. Unde etiam ſignificat Beatæ Virginis pietatem, & miſericordiam, quæ ſemper filium ad parcendum, & non ad feriendum inducit, dicens illud *Ioel* 2. *Parce Domine, parce populo tuo.*

40 Et admirabilis profectò Iris eſt Virgo Beata, ſi *Mariæ* virtutes, & Iridis qualitates ſimul conferamus. Quam ſi vis æquiparationem videre, audi Berchorium *lib.* 6. *Reduct. Moral. cap.* 2. ita loquentem. Iris eſt nubes aquoſa, per omnes ſui partes radiis Solis penetrata. Iris etiam plena facie reſpicit ſolem, & ab eo reſpicitur, & à terra uſque ad Cœlos extenditur: duobus cornibus terram tangit, & ſuperficie cœlum. Quantùm autem ad figuram, & ſpeciem, eſt ſphærica, & circularis, perſpicua etiam, & ſpecularis, & in colore ſingulariter ſingularis. Nam in Iride ſecundùm Bedam refulgent colores quatuor elementorum.

Iſta Iris eſt Beata Virgo, quæ fuit nubes aquo-

ſa per pietatem, & clementiam, & per omnes ſui partes, ſcilicet affectiones, & operationes, radiis divinæ gratiæ penetrata. Hæc ſemper Solem juſtitiæ reſpexit per charitatem, devotionem, & contemplationem, & ideò ipſe eam reſpexit per miſericordiam, & gratiarum collationem. *Luc.* 1. *Reſpexit*, inquit, *humilitatem ancillæ ſuæ*. Soli etiam Iris iſta opponitur, quia cùm Chriſtus ipſe ſit Sol juſtitiæ, & ipſa Regina miſericordiæ, ideoque invicem opponuntur, inquantum per miſericordiam Virginis, Chriſti juſtitia temperatur. *Eccli.* 18. *Ardorem refrigerabit ros.*

41 Hæc etiam terram tangit, quia Beata Virgo ipſos peccatores terreos amplectitur, & tangit per ſuam gratiam, defendendo cum duobus cornibus, ideſt, cum fervida charitate, & fluida pietate. Sed cum hoc etiam, vertice ſuæ benignæ orationis tangit Cœlum, ideſt, orat pro eiſdem, ut ſic ea media, Cœlum, & terra, ideſt, Deus, & peccator invicem conjungantur, ut & ſic ſignum fœderis inter eos Ipſa reputetur, dicens illud *Ierem.* 24. *Cœlum, & terram ego impleo.*

Hæc etiam fuit Sphærica per obedientiæ in bonis operibus velocitatem, perſpicua per venuſtatis, & apparentiæ claritatem, colorata ſingulariter per perfectionum, & virtutum ſingularitatem. Ideò dicitur: *Virgo ſingularis*, &c. Quia omnes colores rerum aliarum, id eſt, omnes perfectiones ipſorum quatuor elementorū Eccleſiæ, ſcilicet ignis Angelorum, aeris Patriarcharum, aquæ Martyrum, & terræ Confeſſorum, in ea perfectiſſimè reluxerunt. Ibi rubor charitatis quò ad ignem. Ibi candor caſtitatis quò ad aerem. Ibi viror charitatis quò ad terram. Ibi cœrulitas patientiæ, & humilitatis quò ad aquam. Sibi ergò potuit dici illud *Ezechiel.* 16. *Sumpſiſti veſtimenta tua multicoloria.*

42 Sed undenàm in *Maria* ſpecioſior Iris apparuit, aut Deipara effulſit Iride pulchrior? Reſpondebit Placidus Nigidus ſerm. 1. de Beata Virgine ſtante juxtà Crucem, quòd planè tunc quandò juxtà crucem Filii ſtabat, tanquàm Iris venuſtiſſima, uſque ad miraculum emicuit. Immoremur ergò aliquantiſper ſub Cruce, & videamus qualem, & quàm miraculoſam Sol ille Crucifixus in corde Matris Iridem pingat. Stabat, inquit, Nigidus, juxtà Crucem *Maria*. Habet nè myſterii aliquid, & Sacramenti, ſtatus hic Virginis juxtà Crucem? Habet. Immò, & prodigii, & miraculi plurimum. Jam quid habeat, attendamus. *Cùm eſſē parvula*, ait, *placui Altiſſimo*. Papè! Cùm eſſet parvula placuit, & quidem Altiſſimo? Ab initio igitur, & cùm adhuc eſſet parvula prudentiſſima Virgo, quæ ſic placuit Altiſſimo, qui ſibi in prudentia maximè complacet. Jam verò prudentes qui ſunt, ſemper ſibi ſimiles ſunt; & ut in felicitatem defixum ſemper tenent obtutum, & ad felicitatem ſemper dirigunt omnia ſua, quæcunque faciunt, vel ſuam, vel aliorum. Quid igitur momenti non habere putandus eſt hic ſtatus Virginis juxtà Crucem, quandò ſtatus, atque actio ejus eſt, quæ; ut in cæterarum virtutum; in exemplar poſita eſt, & prudentiæ?

43 Age dum. Magnum profectò miraculum eſt Beatiſſima Virgo, ille ait. Et quid mirum? Si officina fuit miraculorum, in qua unum illud ſupremum, atque excellentiſſimum miraculum effectum eſt; omnia ſcilicet in uno miracula, quæ illo continebantur, effecta ſunt. Equidem non ſolùm magnum miraculum dixerim Virginem, verùm & maximum, atque totam miraculum; enim verò ut Cœlum propter eum, qui in ipſo eſt, Solem, maximum Sidus, & fontem luminum; totum lumen eſt, atque totum luminoſum; ità & in Virgine videre mihi videor; ut quia in ipſa Verbum caro ſemel factum ſit, reliqueritque in ea veſtigia divinitatis ſuæ; tota Ipſa miraculum ſit, atque miraculoſa, & prodigioſa tota dicenda.

44 Tranſeamus igitur ad Calvarium uſque, & videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod fecit Domina, ſtans juxtà Crucem. Et cum reverentia tranſeamus, tanquàm ad præclarum quid, & eximium proſpectandum; abſque dubio enim non ſinè prodigio, & miraculo actio illa eſt, quæ à Parente ea eſt, quæ eſt omnium miraculorum caput, atque officina. Habet igitur ſtatus hic juxtà Crucem, & momenti, & prodigii plurimum, atque miraculi. Stabat igitur, & ut miraculum naturæ, atque gratiæ Virgo ſtabat, inſtar omnis miraculi.

45 Jam id, quæſo, paulò uberiùs proſequamur, & Sacris adhuc comprobemus. *Cùm obduxero*, ait Dominus, *nubibus Cœlum, ponam arcum meum in nubibus Cœli. Geneſ.* 9. Nunquid fruſtrà hæc à Deo dicta? An verò beneficii magni loco promiſſa? Ad ſignificationem utique & prænuncia præclariſſimorum, & digniſſimorum dicta. Eccè Iris, & cœleſtis ille, quem vulgò dicimus, Arcus inter tenebricoſitates nubium, cœlique tenebras à Deo per miniſteria naturæ magnum profectò miraculum, atque præcellens; mille trahens varios, ut ille ait, fulgentes, atque emicantes colores. Jam verò huic aliud reſpondet miraculum, quod in hoc adumbratum eſt: auxilium nimirum Dei, & miſericordia inter iras, irarumque minas; atque inter timores ſpes; ut cùm iratus ſit Dominus, miſericordiæ recordetur, & cum juſto ſit in tribulatione, erepturus, & glorificaturus eum. Et id quidem longè, quàm illud majus, digniuſque quod admiremur, ac ſuſpiciamus miraculum. Uſque adeò id poſtremum grande, atque divini artificii plenum miraculum eſt; ut in aquis vitæ hujus aliud illi ſimile reflexu illius producatur: nimirùm juſtus inter anguſtias, tribulationeſque, ſpe, lætitiaque renidens. Undè enim in hac vita juſto in tribulatione lætitia? Niſi ex conſideratione ſplendentis inter juſtitias divinæ miſericordiæ?

46 Sed cùm hæc ita mirabilia per ſe ſingula ſint, & plena portenti; nihil eſt meo, omniumque judicio mirabiliùs, quàm in tribulationibus univerſitatis, & patientis Dei filii ſtantem, conſtantemque videre *Mariam*. Non in ńubibus modò Cœli, verùm & in tempeſtatibus, atque adeò in tenebris ipſis caliginoſiſſimæ noctis, atque teterrimæ, mille coloribus micantem veram Iridem,

& exſtantem. Percute, inquit, Paſtorem, & diſpergentur oves gregis. Omnes aufugerunt relicto eo. Et ponere quidem oves debebant animam prò Paſtore, qui prò ovibus ipſe animam ponebat ſuam. Itaque obducto nubibus cœlo, immò & Cœlis, id eſt, Apoſtolis, de quibus in Pſalmo dicitur, quòd *Cœli enarrant gloriam Dei*, qui non modò enarrare tunc deſtitère, verùm & tenebris ad ſtuporem inhorruère; ſignum hoc magnum apparuit, & arcus in nubibus Cœli poſitus eſt, Cùm obduxero, ait, nubibus Cœlum.

47 Cùm fugerent omnes, negaret Petrus, traderet Judas, conſpirarent in unum omnia, vel elementa ipſa, eorumque dux Sol, adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus; ſtabat Maria juxtà Crucem, inter vociferationes, & tumultus, inter enſes, lanceaſque mille, armataſque acies, & ſævientes in Chriſtum Domini Reges, atque Principes terræ: & ſpecimen virtutum omnium exhibens, & illud præclariſſimum, longè majus, atque digniùs, quàm exiſtimari poſſit, ut miraculum ſtabat. Inter duplicatas nubes, Inter tenebras Cœli, dolores filii. Sed quid mirum? Iris quia adverſo Sole, *Maria* quia juxtà Crucem. Reſpice igitur, ut facis Domino jubente, & admirare arcum in Cœli nubibus effulgentem, ſed multò magis in tribulationibus: eodem te invitante, atque ad intuendum vocante: in omnium creaturarum admirationem, quarum ſpectaculum facta ſit, longè præclariùs, ac digniùs renidentem, & emicantem, *Maria*.

48 At juxtà Crucem, inquies, *Maria*. Non igitur adverſo ſuo Sole? Sanè & hoc aliud miraculum fuit. An non præmiſimus eam miraculum præcipuum, atque ſingulare extitiſſe? Ea omnia in ea geſta ſunt, quæ optima in natura fiunt, quæque multò antè de Ipſa fuerant prophetata; ſed ſingulari ratione: miraculo, ſcilicet & naturæ, & Scripturæ. Et Luna *Maria*, atque ſidus, à ſuo Sole colluſtrata, & plena lucis, ſed qua ratione à ſuo Sole? Dum intùs in Ipſamet degeret, non foris eſſet. Ut miraculo proindè meritò illud fuerit, & ſigno magno, ut amictæ vicino Sole mulieris in vertice, atque ſub pedibus Luna, ſtellæque refulſerint. Et noſtris quidem ſideribus, quæ Solem ſuum norint, non ita fit; enim verò non vicino, ſed procul ab ipſis degente, etſi adverſo Sole gaudent, ut compleantur. Itaque Iris *Maria*, ſed viciniſſima ſuo Soli, & conjunctiſſima: juxtà illum ſcilicet mille trahens varios colores, id eſt, exhibens argumenta virtutum. Vides igitur quid momenti habet ſtatus hic? Quid prodigii adhuc, & miraculi? Sed jam ſatis de Iride noſtra, magno miraculo, juxtà Crucem ſtante: ad ſpectandam alterius generis metheorologicam impreſſionem oculos convertamus. Alia ſiquidem Phænomenis ſpecies micat, & igneo ſplendore oculos ferit.

§. V.

Quam Beatæ Virginis figuram habeat Aßub.

49 INter impreſſiones ignitas, Aſſub eſt impreſſio aeris per motum Cœli, & ignis, vicinitatem, atque virtutem inflammata, quæ quidem ſecundùm Ariſtotelem duplex eſt, aſcendens, ſcilicet, & deſcendens. Et ſub hac duplici formalitate loquemur de Aſſub in Virginis typum. Aſſub igitur aſcendens, ut inquit Joannes à S. Geminiano lib. 1. de Cœlo, & elementis c. 4. fit ex vapore accenſo æqualiter ſubtili, ſed cùm extenditur ad partem unam, contrahitur in aliam. Aliquandò autem eſt vapor æqualiter ſubtilis, ſed non benè continuus, nec adhærens ſibi, ſed una pars aliquantulum eſt diſtans ab alia: & tunc videtur Aſſub aſcendens poſt Aſſub, ſicut ſi elevarentur ſcintillæ de fornace. Et hic eſt effectus amoris, ſcilicet elevare. Facit enim aſcendere animam per profectum virtutum: ſed iſte motus, ſive profectus in ferventioribus eſt continuus, in tepidioribus eſt diſcontinuus, & quaſi per tempora frequenter interruptus. *Pſal.* 89. *Ibunt de virtute in virtutem*. Aſſub igitur aſcendens potiori ratione Beatam Virginem figurat, quæ inflammata per charitatem, & hoc per motum, & inſpirationem ipſius Cœli, id eſt, Chriſti, & per virtutem ignis Spiritus Sancti, aſcendebat ad Cœleſtia contemplanda, & propter levitatem, & ſubtilitatem, nimirùm propter paupertatis meritum, & conſcientiæ puritatem, cum maximo profectu, atque incremento virtutum, ad ſuperna evolabat.

50 Altera ſpecies Aſſub eſt, quæ vulgò vocatur Stella cadens, ſed à Philoſopho Aſſub deſcendens. Hæc enim Aſſub deſcendens, ut præfatus auctor ait, eſt, ex vapore accenſo, cui tamen occurrit aliquid deſuper expellens ipſum inferiùs, & ideò videtur cadens, ſivè deſcendens. Et in hoc ſignificatur alius effectus amoris, ſcilicet inclinare per miniſterium vitæ activæ. Undè neceſſitas proximorum occurrens, expellit, ſivè retrahit amicos Dei ab arce contemplationis, inclinans illos ad miniſterium infimæ actionis, ſcilicet ad obſequendum proximis. In Beata autem Virgine, licet vis amoris, & charitatis inclinaret Ipſam ad actuoſæ vitæ miniſteria, non ſuccedebat, quòd ab arce contemplationis deſcenderet, utranque enim in ſe vitam, contemplativam ſcilicet, & activam, per excellentiam copulabat, ut contemplationi quidem actio, & actioni contemplatio deſerviret. Deipara igitur noſtra erat Aſſub aſcendens, & deſcendens, aſcendens per contemplationem, & per actionem deſcendens, ita tamen quòd utrobique charitas contemplativa ſimul, & activa emicaret.

CAP.

CAP. IV.

Tempora, dies, menſes, & Anni certant Beatam Virginem coronare.

1 SAcratiſſimum *Mariæ* Nomen temporum vices, dierum, menſium, Annorumque excurſus in ſuis quinque literis exhibere, novum quidem videbitur, & inſolitum, ſed vel clariùs ipſa luce patebit. Certabant ſecula inter ſe, quodnam eorum felicitatem hanc nanciſceretur, ut ſub oroſcopo ſuo Virginis Sidus naſceretur: ſed poſtquàm Cœli, terræque lampas oriri viſa eſt, ſepoſitis litibus, quæ tamen amoris erant, certatim Ipſam amica conſpiratione coronare contendunt. Vide quo affectent ardore temporum vices prò ſuo modulo unam ex quinque literis ſui Nominis ſibi uſurpare, ac proindè dies, menſes, & Anni geſtiant Dei Matrem redimire. Quid ergò in ſuo Nomine *Maria*? Vel quid temporum vices in *Maria*? Profecto ut nomen Virginis, quod eſt *Maria*, vel componant, aut coronent. Diſpone literas, & temporum vices integrum formabunt Nomen, quod eſt *Maria*, ſcilicet:

M enſis.
A nnus.
R editus Solis.
I ubilæus.
A utumnus.

§. I.

Quid myſterii habeat Menſis in prima literà Nominis Mariani.

2 ALiqua priùs de Menſe juxtà literam ſunt dicenda, & undè nomen accepit, ut ex his ad myſteria poſtmodum deveniamus. Sciendum ergò eſt, quod ſecundum Iſidorum *lib.* 5. *Orig. c.* 33. *Menſis* nomen eſt Græcum de Lunę nomine tractum. *Luna* enim μήνη Græco ſermone vocatur. Undè & apud Hebræos menſes legitimi non ex Solis circulo, ſed ex Lunæ curſu enumerantur, quod eſt de nova ad novam. Ægyptii autem primi propter Lunæ velociorem curſum, & nè error computationis eius velocitate accideret, ex Solis curſu diem menſis adinvenerunt: quo tardior Solis motus faciliùs poterat comprehendi.

Menſes autem communiter duodecim numerantur, ut ibidem dicit Iſidorus, ſcilicet. *Ianuarius* menſis à *Iano* dictus, cui fuit à Gentibus conſecratus: vel quia limes, & *ianua* ſit anni. Undè & bifrons idem Janus pingitur: ut introitus anni, & exitus demonſtretur.

Februarius nuncupatur à *Februo*, ideſt, Plutone, cui eo menſe ſacrificabatur. Nam Januarium Diis ſuperis, Februarium Diis manibus Romani conſecraverunt. Ergò *Februarius à februo*, ideſt, *à Plutone*, *non à febre*, ideſt, *ægritudine* nominatur.

Martius appellatur propter *Martem* Romanæ Gentis auctorem, vel quod eo tempore cuncta animantia *ad marem* agantur, & ad concubendi voluptatem. Idem appellatur & menſis novorum, quia anni initium menſis eſt Martius. Idem & *November* ab indiciis ſcilicet germinum: quia in eo virideſcentibus fructibus novis tranſactorum probatur occaſus.

Aprilis prò Venere dicitur quaſi *Afrodis*. Græcè enim ἀφροδίτη *Venus* dicitur: vel quia hoc menſe omnia aperiuntur in florem: quaſi *Aperilis*. *Maius* dictus à *Maia* matre Mercurii, vel *à maioribus natu*: qui erant Principes Reipublicæ. Nam hunc menſem maioribus, ſequentem verò minoribus Romani conſecraverunt. Undè & *Iunius* dicitur. Antè enim populus in centurias ſeniorum, & juniorum diviſus erat.

Iulius verò, & *Auguſtus* de honoribus hominum *Iulii*, & *Auguſti* Cæſarum nuncupati ſunt. Nam priùs *Quintilis*, & *Sextilis* vocabantur: *Quintilis*, quia *quintus* erat à Martio, quem Principem anni teſtantur eſſe Romani: *Sextilis* ſimiliter, quod *Sextus* ſit.

September nomen habet à *numero*, & *imbre*: quia ſeptimus eſt à Martio, & imbres habet. Sic & *October*, *November*, atque *December*, ex *numero*, & *imbribus* acceperunt vocabula: quem numerum decurrentem December finit, prò eo quod denarius numerus præcedentes numeros claudit.

Calendas autem, Nonas, & Idus propter feſtos dies Romani inſtituerunt, vel propter officia Magiſtratuum. In iis enim diebus conveniebatur in urbibus. Quidam autem *Calendas à colendo* appellari exiſtimant. Apud veteres enim omnium menſium principia colebantur: ſicut & apud Hebræos. *Idus* autem plerique Latinorum *ab edendo* dictas putant: quod ii dies apud veteres epularum eſſent. *Nonæ à nundinis* vocatæ. Nundinæ enim ſunt publicæ conventiones, ſivè mercimonia. Hæc ille.

3 Nos ergò non loquimur de menſe ſecundùm duodecim nominum diviſionem, ſed juxtà derivationem à Græca voce μήνη quod eſt *Luna*. Ad euius intelligentiam adhuc literaliter eſt notandum, quod de Luna dicitur *Eccli.* 43. *Et Luna in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporis, & ſignum ævi. A Luna ſignum diei feſti, luminare quod minuitur in conſummatione. Menſis ſecundum nomen eius eſt, creſcens mirabiliter in conſumatione*. Porrò A Lapide in *Eccli.* 43. ſingulas ſententias interpretatur ad literam, dicens: *Et Luna in omnibus, &c.* Luna eſt æmula Solis, ac noctis decus, ideoque à Poetis votatur *Phœbo*, quaſi *Phœbi*, ideſt *Solis ſoror; ac Luna* quaſi *lucens una*, quia ſola nocte lucet, eam illuminans, uti Sol diem. Prò *in omnibus* Interpres legit cum Roman. ἐν πᾶσι, jam Compluten. legunt, εἰς στάσιν, ideſt *in ſtatum*, vel ſtationem. Undè ſic habent: *Lunam fecit in ſtatum ad tempus ſuum, demonſtrationem temporum, & ſignum ſeculi*. Alii: *Et Lunam fecit ad ſtationem ad tempus ſuum, indicium temporum, & ſignum ſeculi: ſtationes* vocat ſtatus Lunæ mutationes, & viciſſitudines, quibus nunc eſt nova, nunc creſcens, nunc plena, nunc decreſcens, idque per ſtata tempora. Syrus: *Luna ſtat in tempora, deſignatio temporum, & ſignum à ſeculo*. Tigurina: *Lunam*

nam idem fecit, ut ſuo tempore exiſtat indicium temporum, & ſignum ævi.

4 Porrò noſtræ verſionis ſenſum ſic clarè exponit Ianſenius. Poſt Solem, inquit, etiam Luna in omnibus, hoc eſt, apud omnes Gentes, vel potiùs in omnibus ſuis mutationibus, quæ ei accidunt in tempore ſuo, eſt oſtenſio temporis, & ſignum ævi, hoc eſt temporis: ſignificat enim menſium exordia, & partes eorum ſequentes; quia ſingulis menſibus ſuum circulum abſolvit. Sol quidem etiam oſtendit tempus; quia ſuo diſceſſu, & acceſſu oſtendit Æſtatem, Hyemem, Ver, & Autumnum, & circulo ſuo abſoluto oſtendit annum eſſe abſolutum. At peculiariter Lunæ tribuitur, quod ſit oſtenſio temporis, quia celeriùs, ſæpius, & diſtinctiùs ex variâ Lunæ mutatione, temporis frequens, & continua percipitur mutatio.

5 Denique Luna non tantùm eſt ſignum ſeculi, & rerum ſecularium, ſed & cauſa: Nam dominatur humidis. Undè ab Aſtronomis dicitur preęſſe infantię, argento, & pituitę: hinc & in plenilunio oſtrea pleniora ſunt. Rursùs fluxus, & refluxus maris cauſatur à Luna; ac noctu lucente Luna creſcunt humida, ut ros, imbres, aquę. *Aquæ magnæ plùs fiunt de nocte*, ait Ariſtot. *lib.* 3. *Meteor*. Cauſa eſt Luna, & abſentia Solis, qui per diem educens vapores ex aquis, ità aquas imminuit. Undè Palacius: nota Lector, inquit, verbum illud: *Et Luna in omnibus in tempore ſuo*: quod verbum ſummam habet Philoſophiam, & ſummas Lunę laudes. Senſus enim eſt, quod omnia hęc inferiora ferè ſubſunt Lunę, & gubernantur à Luna. Vide ęſtus maris, plantationes, ſectiones, & inſitiones arborum, collectiones fructuum, infirmationes lunaticorum, phlebotomias infirmorum: & demum nihil ferè eſt in hoc Orbe noſtro, quod quadantenùs non pendeat à Luna.

6 Porrò Palacius τὸ *in ſignum ævi*, ſivè ſeculi accipit, quaſi idem ſit cum illo *Geneſ.* 1. *v.* 14. *Fiant luminaria, &c. & ſint in ſigna*, ſcilicet ſerenitatis, ventorum, pluviarum, caumatum, &c. Hinc Secundus Philoſophus interrogatus ab Adriano Imper. *Quid eſt Luna?* Ait. *Cæli purpura, Solis æmula, maleficiorum inimica, ſolamen iter agentium, præſagium tempeſtatum.* Apuleius de Deo Socratis: *Luna*, inquit, *Solis æmula, noctis decus, eſt diei adiutrix, noctis oculus: Stellæ ſunt fata hominum.* Sed hęc fata ſunt ficta Genethliacorum commenta. Et Alcuinus Flaccus Diſput. cum Pipino: *Luna eſt oculus noctis, roris larga, præſaga tempeſtatum. Stellæ ſunt pictura culminis, nautarum gubernatores, noctis decor.* Huc facit illud Aſtrologorum:

Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat.

Vide Conimbricenſes de pręſagiis Solis, & Lunę *tract.* 7. *in Meteora c.* 3.

7 Huc pertinet ęnigma Lunæ, & lunationum, ſivè lunaris anni, quem ſuo per duodecim menſes gyro Luna deſcribit, quod propoſuit Cleobule filia Cleobuli Lyndii, teſte Giraldo in Ænigmatibus.

Eſt unus genitor, inquit, *cuius ſunt pignora bis ſex:*
His quoque triginta natæ, ſed diſpare forma.
Aſpectu hinc niveæ, nigris ſunt vultibus indè.
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Eſt autem hujuſmodi ænigmatis ſolutio. Luna, vel annus lunaris duodecim habet lunationes, ſivè menſes, quorum quilibet triginta diebus, luce, & tenebris diſtinctis, perficitur. Sunt immortales genericè, quia nunquam ceſſat dierum, & noctium, menſiumque ſucceſſio; ſpecificè tamen, vel potius individuè ſinguli moriuntur, & deſinunt. Quarè Theodectes Ænigma hoc ſic propoſuit: Duplices ſunt, inquit, Sorores, quarum una parit alteram, & ipſa quæ genita eſt, gignentem interimit, gignitque alteram, à qua & ipſa interimitur. Dies enim prior gignit ſequentem, & ab eo interimitur, quia ei locum cedit, & eſſe deſinit.

8 Sophiſta verò Nectenabo Regis Ægypti, ſimile Ænigma Æſopo propoſuit. *Eſt*, inquit, *templum magnum, & in ipſo columna duodecim habens urbes, quarum quælibet triginta trabibus ſuſtinetur: has vero trabes duæ circumeunt mulieres.* Quod reſolvens Æſopus: *Templum*, inquit, *eſt Mundus, columna verò annus, urbes menſes, trabes autem dies; & mulieres ipſæ duæ, dies, & nox.*

Denique Albinus Flaccus Diſputat. cum Pipino Caroli Magni filio: *Quid*, inquit, *eſt annus? Quadriga mundi. Quis ducit? Nox, & dies, frigus, & calor. Quis eſt auriga eius? Sol, & Luna. Quot habet Palatia? Duodecim. Qui ſunt Prætores Palatiorum? Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, Aquarius, Piſces.*

9 *A Luna ſignum diei feſti, luminare quod minuitur in conſummatione.* Quaſi dic. A Luna nos Judæi accipimus ſignum, & indicium diei feſti. Nam feſtum Noemiæ, ideſt, novæ Lunæ incidebat in Novilunium; feſtum verò Paſchæ, à quo cætera computabantur, incidebat in plenilunium, putà in 15. lunam, ſivè 15. diem primi menſis Niſan. Lunam vocat *luminare quod minuitur in conſummatione*, ideſt, in perfectione, putà in plenilunio: eo enim peracto Luna mox minuitur, corniculatur, & decreſcit, cum Sol ſemper idem, plenuſque in ſuo orbe permaneat. Undè alii vertunt: *Lumen in fine decreſcens.* Grecæ φωςὴρ μειούμενος ἐπὶ συντελείας, ideſt, ut Roman. *Luminare quod minuitur ſuper confirmationem.* Complut. *In conſummatione.* Syrus: *A Luna enim ſigna feſtorum, luminare quod deficit in extremitate.* Tigurina: *Luna* dies feſtus deſignatur luce decreſcente donec deficiat.

Quare licet mirabile ſit Lunæ incrementum ex obſcuro ad ſummam lucis gloriam, tamen totam mirabilitatem deprimit mutatio, & caſus. Hinc Luna inconſtantiæ, & mutabilitatis eſt ſymbolum, juxtà illud *c.* 27. *v.* 12. *Homo ſanctus in ſapientiâ permanet ſicut ſol: nam ſtultus ut Luna mutatur.* Idipſum repræſentat nomen Hebræum. *Stultus* enim Hebraicè vocatur כסיל *Keſil*, ob inconſtantiam. Quaſi dic. Qui mente parùm firma conſtat, neque ſemper eſt ejuſdem conſilii, & propoſiti, ſed Vertumnus, quia mutatur in horas, & variis cupiditatibus agitatur, is ſimillimus eſt inconſtantis Lunæ non ſemper eandem faciem oſtentantis, & non tam dicerem damna ſua celeritate reparantis, quàm incrementa ſubindè perdentis, &c.

10 *Menſis ſecundùm nomen eius eſt. Eius* refer

non

non ad menſem, ſed ad lunam: Grecè enim eſt fœmininum αὐτῆς, quod non niſi Lunam reſpicere poteſt. Undè Tigurina vertit: *Menſis nomen ipſius* (Lunæ) *accipit*. Sic *c.* 6. *v.* 23. dixit: *Sapientia ſecundum nomen eſt eius*, ſcilicet aſpera, & difficilis, uti præceſſit. Senſus eſt, quaſi dic. Menſis uti à Luna ſui exordium, medium, & finem accipit, ità pariter ab eadem ſortitur & nomen. Nam Hebraicè (Hebraicè enim hæc ſcripſit Siracides ſenior, quæ junior, in Græcum tranſtulit) *Menſis* dicitur חודש *chodes*, ideſt, *innovatio* à nova Luna, eiuſque innovatione: radix enim חדש *chadas* ſignificat *innovare*. Sic pariter Græci novum menſem vocant νεομηνίαν, & Latini novilunium à novâ Luna: quia & lunatio idem eſt quod menſis. Undè ſequitur de Luna, eiuſque innovatione, quæ fit initio menſis, *creſcens mirabiliter in conſummatione*; quia Luna creſcit, & corniculatur variè, & mirabiliter, donec conſummetur, ideſt, conſummatum, plenumque lumen accipiat in plenilunio. Quocirca Vatablus vertit: *& creſcens mutationibus eſt mirabilis.* Vide Plinium *lib.* 2. *c.* 9. Syrus: *Menſis ſecundum nomen eius eſt, & creſcit ſublimiter in mutatione.*

11 Rursùm *Menſis* Hebraicè dicitur ירח *ierach*, à ירח *iareach*, ideſt, Luna, quod Luna ſua lunatione, ideſt, per orbem ſuum decurſu, & circuitu, deſcribat menſem. Nam Sol annum exigit in curſu, & circuitu ſuo per zodiacum, Luna verò menſem: hinc menſis à Luna menſuram, & nomen accepit, idem emin eſt quod lunatio. Sic & Græcis *Menſis* vocatur μὴν, ἀπὸ τῆς μήνης, ideſt, à Luna: immò Macrobius Latinam vocem *Menſis* derivat à Græco μὴν, licet Cicero *lib.* 2. de natura Deor. *menſes* derivet *à metiendo*. Ait enim: *Qui quia menſa conficiunt, menſes nominantur.* Sic pariter Belgæ, & Germani è *maen*, ideſt, Luna, menſem vocant *maent*. Sic & Anglis *monat* vocatur menſis à *mon*, ideſt, Luna.

Simili modo Auctor lib. de ſpiritu, & anima apud S. Auguſtinum *tom.* 3 *c.* 10. vocem *mens* derivat μήνη, ideſt, *Luna*: Quia ſicut Luna, inquit, creſcit, & decreſcit, & varia viciſſitudine commutatur, in id tameu quod fuit quadam perfecta novitate ſe reſtituit: ſic mens nunc caput ſummis inſerit, nunc decidit in infimis, nunc ſeſe inſerens ſibi veris falſa redarguit: modò ad corporalia regenda deflectitur, modo æternis rationibus inſpiciendis, vel conſulendis adhæreſcit. Mens univerſarum capax, & omnium rerum ſimilitudine inſignita, omnia eſſe dicitur. Idem tamen paulò poſt: *Mens*, inquit, dicitur quaſi *eminens*, quod in anima emineat, & ad divina contemplanda aſſurgat.

Prò *creſcens mirabiliter in Conſummatione*: Complutenſes legunt: αὐξανόμενος ἐθαυμάστωσεν ἀλλοίωσει, ideſt, *creſcens*, vel *actus mirificavit mutatione*, ideſt, ut Tigurina: *creſcens mutationibus eſt mirabilis*. Romani prò ἐθαυμάστωσεν cum noſtro legentes θαυμάστως vertunt, *creſcens mirabiliter mutatione*. Alii: *Cum mutatione.* Luna enim ſola inter ſtellas per ſingulos menſes aſſiduè creſcit, & decreſcit, impletur, & minuitur. Quocircà Luna dejectis cornibus apud Ægyptios erat hieroglyphicum Menſis, teſte Pierio hierogl. 44. c. 18. Hactenus A Lapide.

12 Hùc ergò devenimus, ut expoſitâ litera, quid myſterii Menſis haberet noſſe poſſemus. Et cur, inquam, menſis denominatur à Luna? Quæ autem Luna eſt, quæ menſibus nomen tribuit? Reſpondeo breviter Lunam hanc eſſe Mariam. Undè Berchorius *lib.* 5. *Reduct. Moral. c.* 29. inquit. *Luna* dicitur quaſi *luminum una*, ideſt, principalis ſecundum Iſidorum, quia Soli in magnitudine, & pulchritudine eſt ſimillima. Et ſecundùm Ambroſium in Hexamer. Luna eſt decor noctis, mater roris, humoris miniſtra, dominatrix maris, temporum menſura, æmulatrix Solis, mutatrix aeris, lumen à Sole mutuans, ipſumque modo ſpeculari ad nos reiiciens, & refundens.

Talis eſt Beata Virgo, quia verè luminarium Cœli, ideſt, omnium Sanctorum Eccleſiæ eſt principalior, ac Soli, ideſt, Chriſto filio ſuo ſimilior quantum ad perfectionem. Hęc eſt enim decor noctis, id eſt, huius turbulentę vitę, vel noctis, ideſt peccatorum, quia ſcilicet peccatorum, & pœnitentię eſt ſpes, ſolatium, atque decor. *Cant.* 6. *Pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Et *Eccl.* 6. *Decor enim vitæ eſt in illa.* Mater etiam roris gratię, & humoris devotionis miniſtra. *Ros lucis ros tuus. Eſa.* 26.

Iſta dominatur mari, ideſt, peccatoribus tumultuoſis, & fluctuoſis, ipſos ad miſericordiam reducendo. Vel mari, ideſt, mundo, & vitiis dominatur, omnia ſuperando. *Eccli.* 24. *In fluctibus maris ambulavi.* Temporum, ſupple ſuorum, dicitur menſuratrix, ſua ſcilicet tempora benè ordinando, & in bonis uſibus expendendo. Seneca. *Tempus tuum in tribus diſpenſetur. Præterita recordare, præſentia ordina, futura præcave.* Vel etiam Iſta tempus vitę noſtræ diſcernit, & menſurat. Solem, ideſt, Chriſtum ęmulatur, & amat. *Luc.* 2. *Fili quid feciſti nobis ſic? Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te.* Aerem, ideſt, conſcientiam peccatorum de malo in bonum immutat. Lumen etiam, ideſt, gratiarum plenitudinem à Sole Chriſto acquirit, & tandem ad nos peccatores iterum derivat, & refundit. Nam & hic viventes, & in Purgatorio lugentes luce ſuę miſericordię, & gratię recreat, atque lenit. Undè Ipſa poteſt dicere: *Penetrabo omnes partes terræ, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* *Eccli.* 24.

13 Benefica quidem, perfecta, & optima Luna. Sed undè ex hac Lunâ ratio menſis, & nomen, tum menſes, & tempora? Hoc eſt myſterium mihi adhuc ignotum. Hoc eſt myſticum ſecretum, & latens. Et tamen Luna ad tenebras repellendas ſuum emittere lumen non ceſſat, & Solis ęmula, phębeis micat irradiata ſplendoribus. Sed quinam tubarum clangor noſtrum implet auditum? *Buccinate*, ait Regius Vates, *in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ: quia præceptum in Iſrael eſt, &c. Pſal.* 80. Quid Neomenia? Quid tubarum ſonus in ipſa. Si literam ſpectes, reſpondet Incognitus in *Pſal.* 80. quod *Neomenia* eſt nomen compoſitum ex *neos*, quod eſt *novum*, & *mene*, quod eſt *defectus*, & ſignificat Lunam, quę omni menſe deficit. Et ſic

Neo-

Neomenia, idem eſt, quod *Luna nova*. Judęi enim ſemper in principio novę Lunę feſtum agebant, quod dicebatur feſtum gubernationis. Tunc enim tubis clangebant, & pręcipuè rogabant Deum, ut ipſos gubernaret, eò quod in novilunio magis apparet tranſmutatio temporis. Incipiunt enim Judęi menſes ſecundùm lunationes.

14 Si verò myſticum ſenſum conſideremus: jam lętus nos tubarum ſonus exhilarrat, qui in novilunio fiebat, eò quod *Neomenia*, ideſt, *nova Luna*, Beata ſcilicet Virgo *Maria* noſtros irradiat oculos ad myſteria quę inquirimus percipienda: Ipſa ſiquidem ſinè quocunque defectu, demptiſque quibuſlibet imperfectionibus eſt juxtà illud *Pſal.* 88. *Sicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in Cœlo fidelis*. Jam ergò dicat Albertus Magnus *lib. 7. de laudib. B. Mariæ c.* 4. Hęc eſt nova Luna, de qua dicit Pſalmiſta: *Buccinate in Neomenia tuba*. *Pſal.* 80. Hinc ſcilicet habemus argumentum, quod prędicandum eſt in feſtis ipſius. *In inſigni die ſolemnitatis veſtræ: quia præceptum in Iſral eſt, &c.* Figurata enim fuit eius nativitas in Calendis, & eius nativitas omnem inchoavit ſolemnitatem noſtram. (*Et jam incipit propoſitis reſpondere quæſtionibus*) Undè *Eccli.* 43. A Luna ſignum diei feſti. Et paulò ſuperiùs ibidem dicitur: *Luna in omnibus in tempore ſuo oſtenſio temporis, & ſignum ævi*. Nam Beata Virgo in omnibus nationibus in tempore ſuę apparitionis oſtenſio eſt illius temporis, de quo dicitur ad *Galat.*4. *Cum venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, &c. Eſa.* 46. *In tempore placito exaudivi te, &c.*

15 Ipſa etiam eſt *ſignum ævi* inſigniens omnem ętatem, pręſentem, pręteritam, & futuram. Sequitur. *A Luna ſignum diei feſti*: nam ab Ipſà orta eſt,& egreſſa omnis noſtra feſtivitas, ſcilicet Chriſtus Dominus, qui eſt gaudium noſtrum. Undè & Ipſa dicitur *Civitas ſolemnitatis noſtræ. Eſa.* 33. Sequitur. *Luminare, quod minuitur in cōſummatione.* Hoc de Luna materiali non poteſt intelligi: quia non minuitur in conſummatione, ſed poſt conſummationem: priùs enim conſummatur per perfectionem, & poſtea minuitur decreſcendo. Beata verò *Maria* quandò annunciata eſt *gratia plena*, & in Matrem Domini electa eſt, quod fuit conſummatio excellentię eius, quaſi ſe mirabiliter imminuens reſpondit: *Eccè Ancilla Domini*. Proindè autem dictum eſt, *minuitur*, humiliatur: nec dictum eſt, *decreſcit*, nè poſſet intelligi de minutione decrementi. Quaſi diceret: Cum audiſſet *Maria* tantam ſibi promiſſam celſitudinem, quod fieret Mater Dei, & ſe imminuiſſet per humilitatem nominans ſe ancillam, ex hoc conſummata eſt, & facta Luna plena: quia in hoc verbo concepit filium Dei. Ideò paulò poſt ſubditur: 1. *Creſcens mirabiliter in conſummatione*.

16 Interponitur autem: *Menſis eſt ſecundum nomen eius. Nomen eius* eſt *Maria*, & interpretatur *illuminatrix*; quia illuminat dies noſtros, & opera noſtra. Menſis igitur eſt dierum, & operum noſtrorum perfectio, & hic menſis ſic illuminatur ab ea, quod eſt menſis ex menſe. Luna materialis facit menſem poſt menſem: ſed iſta Luna facit menſem ex menſe: quia ex perfectione bonorum operum, ad quam nos illuminat meritis, & exemplis, erit menſis, ideſt, perfectio præmiorum. Undè *Eſa.* in fine: *Erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato*. Legimus de ſabbato, quo Dominus requievit ab omni opere, quod patrarat *Geneſ.* 1. Sed ex illo non fit nobis ſabbatum, nec ex illa requie requies. Sed Beata Virgo dicit: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Eccli.* 24. Et ex iſto eſt nobis Sabbatum. Et benè dicitur *menſis ſecundùm Nomen eius*: quià ſecundùm illuminationem, quà nos illuſtrat, erit in nobis perfectio operum, ſi ſecuti fuerimus exempla illius.

§. *II.*

Pulcherrimà Coronà Annus dicitur redimire Mariam.

17 Mulierem duodenario ſtellarum numero Coronatam invenio. Dicitur enim, aut viſitur *Apocal.* 12. *Apparuit in Cœlo mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in Capite eius Corona ſtellarum duodecim*. Annum etiam coronà redimitum invenio apud Propheticum Pſaltem, qui canit *Pſal.* 64. *Benedices coronæ Anni benignitatis tuæ*. Datur ergò Anni Corona, quemadmodum & è ſideribus compactum Heroidis Fœminæ diadema. Quid ergò hæc Anni laurea Coronaria, & illa in capite mulieris duodecim Corona ſtellerum? Regalium capita Matronarum gemmis, ceù ſtellis, coronari paſſim videmus, nuſquam tamen Annum diademate inſigniri. Quid igitur intelligendum per hoc, quod dicitur: *Benedices Coronæ Anni benignitatis tuæ?*

18 Dubium quidem perplexum, quod Titelmanus primò in elucidatione eiuſdem verſic. in hunc modum ſatagit enodare. Benedices tu Domine toti plenitudini, & circulo temporis illius gratiæ, & miſericordiæ, dabis benedictionem, & pones miſericordiam tuam toti tempori gratię, quod ab adventu Meſſię ad conſummationem uſque ſeculi perdurabit omnibuſque partibus temporis illius benedices, ità ut nunquàm claudas miſericordiam, aut gratiam abſcondas à tuis electis, donec annus iſte, ſivè hoc tempus gratię durabit, ſed permanebis cum eis uſque ad conſummationem ſeculi.

In Annotationibus verò ex Hebræo, & Chaldęo ſic inquit. *Verſu* 12. *Benedices Coronæ Anni benignitatis tuæ*. Annum divinę benignitatis vocat Pſalmiſta tempus novę legis, & gratię, quod Paulus Apoſtolus ex authoritate Eſaię Prophetę appellat tempus acceptabile, & diem ſalutis, cum ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, eccè nunc dies ſalutis. 2. Corinth.* 6. Quod tempus & alibi apud Eſaiam *c.* 16. *annus acceptus* vocatur in eà prophetià, quę de Salvatore Chriſto loquitur, in hunc modum: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, &c. prædicare annum Domini acceptum, & in diem retributionis.* Facit autem difficultatem nonnullam ſermonis, quod non dicitur ſimpliciter: *Benedices anno benignitatis tuæ*: (Nam id facilem utcunque haberet intelligentiam): ſed dicitur: *Benedices coronæ Anni benignitatis tuæ*. Difficile autem videtur, quod ſibi velit corona iſta Anni benignitatis Dei. Accipiendus eſt ergò propoſitus ſermo ad hunc ſenſum: Benedices anno gratiæ per circuitum, perque totum circulum, & ut ita dicam, coronatim: ut hoc loquendi modo inſinuetur totalitas, & plenitudo, quātùm ad temporis gratiæ benedictionem, ſecundùm ſententiam in Elucidatione prolixiùs expoſitam.

19 Habet ergò & ſuam Annus coronam. Nam Folengius in Commentariis ſuis eundem petractans verſic. *Benedices coronæ Anni benignitatis tuæ*: ità philoſophatur. Clariùs Hebræi. *Coronas*, inquiunt, *annum bonitate tua*. Effuſam enim undequaque Dei gratiam in Eccleſia vult hic Vates intelligi, & eſt ſenſus: Annum totum integrum rerum omnium proventu; & eo quidem copioſo, cingis, atque ornas. Undè Paraphraſtes: *Tanquam corona exornaſti annum prò benignitate tua*. Cupisnè, ò amice, quid ſibi velit is annus ferax, cujuſque formæ ſit, & abundantiæ non neſcire? Audi Chriſtum in Eſaia ſic declamantem: Ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, ut prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, ut prædicarem annum placabilem. O feliciſſimum certè annum: ut conſolarer, inquit, omnes lugentes, & darem eis coronam prò cinere, &c.

20 Verùm & per Annum Coronatum quid prohibet intelligi poſſe *Mariam*? Ipſa enim eſt Annus coronam habens divinæ benignitatis. Et fortè ſicut Annus duodecim menſibus coronatur, ita & Ipſa duodecim privilegiis redimitur. Sed meliùs dicitur Annus omnium gratiarum circulo, atque corona exornatus. Sed quinam Annus, *Maria*? Lunaris quidem: quia Solaris pertinet ad Chriſtum, Solem juſtitiæ, qui ſuperat annum lunarem. O verè pulchrum myſterium! Luna quidem Virgo, & ejus Annus lunaris. Cur autem hoc? Notandum quod tradit lib. 1. de Cœlo, & Elementis c. 48. Joannes à S. Gemiano, nimirùm quòd Luna, quæ typus eſt Virginis, eſt menſura temporis: quia ſecundùm motum Lunæ accipiuntur anni lunares, qui apud Judæos obſervabantur: undè *Eccli.* 43. *Luna in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporis, & ſignum ævi*. Et continet annus lunaris 354. dies: undè patet, quod annus ſolaris ſuperat lunarem in undecim diebus, undè & Hebræi, & Arabes annum ſervant minorem, quàm ſit noſter undecim diebus, præter quadrantem unius diei.

Item ſecundùm Lunam diſtinguuntur menſes lunares: undè *menſis* dicitur à *mene*, quod eſt *Luna*, eò quòd Hebræi ex curſu Lunæ menſes vocabant. Et accipitur menſis lunaris apud Judæos, & Arabes ſecundùm curſum Lunæ in toto Zodiaco, donec Solem attingat: quod facit in 39. diebus cum dimidio, ut Aſtrologi dicunt. Dies autem lunares ſecundùm Arabes incipiunt de ſero ab occaſu Solis, eò quòd ortus Lunæ fit tempore occaſus Solis: & ſic ſecundùm eos nox præcedit diem. Sed Græci, & Romani, & aliæ Gentes, quæ non utuntur in menſibus ſuis viſione novæ Lunæ, computant diem ab ortu Solis cum nocte uſque ad ortum ſequentis diei: & ſic ſecundum eos dies præcedit noctem, ut dicit Alfraganus, &c.

Patet ergò, quòd Luna habet dies, menſes, & annos: ſed tamen menſes, & annos habet breviores. Quia ſcilicet B. Virgo habet plenitudinem gratiarum, & virtutum, & donorum, ſicut & Chriſtus, qui aſſimilatur ſoli: tamen in minori gradu, licet exceſſerit omnes alios Sanctos. *Eccli.* 33. *Quarè dies diem ſuperat, & iterùm lux lucem, & annus annum à Sole*.

21 Licet autem B. Virgo dicatur Luna reſpectu Chriſti, quia ipſe eſt Sol: relativè tamen ad alios Sanctos, qui ſicut Sol in regno Dei fulgebunt, per excellentiam ſanctitatis, & gratiæ Virgo Deipara Sol dici poteſt, & Annus ſolaris, pulcherrimam, & fulgidiſſimam in capite geſtans gratiarum, & chariſmatum coronam. Sanè Jacobus de Voragine ſerm. 84. de B. Virgine prædicta Eccleſiaſtici verba primò ad literam, deindè ad rem noſtram interpretatur, dicens. Quarè dies diem ſuperat: quia dies æſtivalis ſuperat diem hyemalem: & lux Solis lucem Lunæ: & annus annum: & Sol Solem. Ad literam enim dies ſuperat diem, quia dies æſtivalis ſuperat diem hyemalem: & lux ſolis lucem Lunæ: & annus ſolaris annum lunarem, quia ſolaris habet 365. dies, lunaris verò 354. Sol etiam ſuperat Solem, non alium, ſed ſeipſum in calore, & in mora. Nunc enim calidior, nunc minùs calidus ſentitur. Nunc plus moratur, nunc modò emiſperior, nunc verò minùs.

22 Poſſunt tamen iſta verba exponi de Beata Virgine. Sancti enim ſunt dies. 1. *Theſſal.* 5. *Omnes vos filii lucis, & filii Dei*. Angeli verò ſunt lux. *Geneſ.* 1. *Fiat lux, & facta eſt lux.* Beata autem *Maria* in præſenti vita etiam fuit dies propter claritatem, & ſanctitatem ſuæ vitæ, & fuit lux propter puritatem Virginalis munditiæ. Dies ergò ſuperat diem, quia ejus ſanctitas omnem ſanctitatem ſuperabat humanam: & lux ſuperabat lucem, quia ejus puritas ſuperat omnem puritatem Angelicam. Non tantùm ſuperabat Sanctos, & Angelos, dùm eſſet in hac vita, ſed etiam ſuperat omnes qui ſunt in gloria. Et ideò ſubditur: *Et annus annum, & Sol Solem.* Eſt enim quidam annus, qui eſt æternitatis, qui eſt in gloria; & eſt annus temporalis, qui eſt in præſenti vita. Sancti igitur qui ſunt in gloria, ſunt in anno æternitatis quantùm ad animam: ſed in anno temporalitatis quantùm ad corpus; quia eorum corpora adhuc corruptioni ſubjiciuntur. Beata autem Virgo eſt in anno æternitatis, & quantùm ad animam, & quantùm ad corpus: & ideò ejus annus alios annos ſuperat. Similiter & Sol Solem ſuperat. Animæ enim Beatorum ad inſtar Solis ſplendent Dei claritate, & calent Dei amore. Sed tamen anima Beatæ Virginis omnibus aliis plena eſt majori cognitione, & fulget magis Dei amore. Et ideò Sol ſuperat ſolem.

23 Sed nunquid hic *Mariæ* Annus tot donorum, & gratiarum, & tam excellentiſſimæ gloriæ radiis Coronatus, poteſt etiam eſſe Anni æternitatis corona? Affirmat Seraphicus Cardinalis Bonaventura in Speculo Beatæ Virginis c. 12. Dico, inquit ipſe, quòd benedicta eſt *Maria* propter gloriam ſuam excellentiſſimam dignitate. De hac benedictione accipi poteſt verbum Pſalmiſtæ dicentis: *Benedices coronæ anni benignitatitis tuæ. Pſal.*

64. Nota, quod eſt annus æquanimitatis: annus ſeveritatis; & annus benignitatis. Primus annus exultantium in Mundo. Secundus eiulantium in Inferno. Tertius exultantium in Cœlo. Primus annus habet dies, & noctes. Secundus habet noctes, & non dies. Tertius habet dies, & non noctes. Dico quòd primus annus habet dies, & noctes, id eſt, bonos, & malos, qui ſimul in hoc mundo ſunt. Tot autem ſunt dies, & noctes in hoc anno, quot ſunt boni, & mali in mundo. Secundus annus habet ſolas noctes, ideſt, ſolos peccatores noctibus tenebroſiores. Tot autem ſunt noctes in hoc anno, quot ſunt peccatores in Inferno. Tertius annus habet ſolos dies, ſcilicet ſolos bonos die clariores. Tot autem ſunt dies in hoc anno, quot ſunt juſti in Cœlo. In primo anno æquanimitatis, boni, & mali æquanimiter tolerantur. In ſecundo anno ſeveritatis, mali ſeveriſſimè cruciantur.

24 In tertio anno benignitatis, boni benigniſſimè coronantur. Hujus autem anni benedicti Corona eſt benedicta Virgo *Maria*. Ipſa certè eſt Corona omnium dierum hujus anni, quia Ipſa eſt Corona omnium Sanctorum Cœli. Corona enim ſuper caput poni ſolet; ſic *Maria* quaſi ſuper capita omnium Sanctorum locata eſt: ſicut teſtatur beatus Hieronymus, dicens. Exaltari meruit ſuper choros Angelorum, & pervenit ultrà quàm noſtræ humilitatis eſt natura. Filius certè *Mariæ* eſt ſumma Sanctorum Corona: *Maria* verò Corona ſub Coronà. Patet ergò, quàm ſublimiter benedicta ſit Corona noſtra, Mater noſtra Maria.

§. I.

Vndenàm Diei appellatio conveniat Beatiſſimæ Virgini.

25 REdeunte ad noſtrum hemiſphærium Sole, jam lucet dies, *redituque ſuo*, ut ille dixit, *ſingula gaudent*; & propterea in tertia litera Parthenii Nominis poſuimus reditum Solis, in quo intelligimus diem, quem Solis præſentia facit, ut etiam dies Virginem adumbraret in typo. Et quidem optimè etiam diei appellatio noſcitur convenire ex iis, quæ tradit Albertus Magnus lib. 7. de laudib. Beatæ Mariæ cap. 11. *Maria dies*. *Dies* enim, inquit Albertus, *à diam*, quod eſt *claritas*, ut quidam dicunt. *Geneſ*. 1. *Appellavit Deus lucem diem*, quandò ſcilicet placuit ei, quòd *Maria* naſcente inciperet mundo dieſcere tenebroſo, & per diem de die, id eſt, filium de Matre illuminaretur omnis homo veniens in hunc mundum. Et nota, quòd quaſi per tria horarum ſpatia, ſcilicet manè, meridie, veſpere dies completur. Similiter quaſi quibuſdam gradibus meritorum, quaſi quibuſdam ſpatiis horarum, completa eſt perfectio ſanctitatis *Mariæ*. Et hæc tria ſolicitè prædicanda ſunt. Undè *Pſal*. 54. *Veſperi*, *& manè*, *& meridie narrabo*, *& annunciabo*, &c.

26 Hujus diei manè, quandò crebrior inter homines fieri ſolet ſalutatio, deſignatum eſt, quandò ei dictum eſt *Ave*: & ab iſtà ſalutatione quaſi inchoavit Aurora hujus diei coruſcare, & incœpit mundo dieſcere, qui quaſi per quinque millia annorum ambulaverat in tenebris, & caligine peccatorum, & ignorantiæ, prò delicto priorum Parentum. Et tum videns videtur Dominus reſpexiſſe humilitatem *Mariæ*: quia quaſi domeſticam, & familiarem habebat, quam cum tanta reverentia quaſi ex parte ſua ſalutari ab Angelo faciebat. Tunc enim Dominus *mandavit ſalutes Iacob*, id eſt, *Maria*, quæ ſimul & ſemel vitia omnia ſupplantavit. Quaſi meridies fuit hujus diei, quandò dicta eſt *gratia plena*: quia ſicut meridies plenitudinem habet caloris, & luminis, ſic & Ipſa tunc oſtendebatur recepiſſe omnem plenitudinem chariſmatum, quę animam illuminant per cognitionem, & calefaciunt per amorem. Quaſi veſpera fuit hujus diei, quandò dictum eſt ei, *Dominus tecum*, qui à primis Parentibus receſſerat per peccatum: quia ſicut ad veſperam Sol terris propinquior efficitur, ſic in iſto verbo ventris hoſpitio Deus illabitur. Nota, quòd in illo verbo, *Eccè Ancilla Domini*, *fiat*, &c. concepit Virgo per fidē, ſicut manifeſtè dicunt Fulgentius, & Bernardus.

27 *Et ſic factum eſt veſperè*, ſcilicet virtute Altiſſimi ei obumbrante, *& manè*, id eſt, Spiritu Sancto in eam ſuperveniente, *dies unus*, ideſt, *ſingularis*. *Veſperè* in refrigerio carnis Chriſti. *Manè* in illuminatione Spiritus Sancti. *Pſal*. 77. *Deduxit eos in nube dici*, *& tota nocte in illuminatione ignis*. *Veſperè* in fine Veteris Teſtamenti. *Manè* in initio Novi. *Veſperè*, dùm terminatur regnum Judæorum. *Manè*, dùm inchoatur regnum Chriſtianorum. *Dies unus*, id eſt, *ſingularis*, & *ſolus*, in quo Creator hominis factus eſt Filius hominis, aſſumens nubilum noſtræ carnis. Duo dies in die una, ſicut duo in carne una, Virgo carnem offerens, Chriſtus carnem induens: & fit dies unus, & unus, id eſt, altera ſola, & alter ſolus In Matre ſpecialis, & ſinè exemplo Virginitas, in Filio ſingularis, & unica Humilitas. Hujus diei ſunt 12. horæ per quinque, & ſeptem diviſæ. Quinque pertinent ad ſenſus corporis Virginalis, in quibus à mundanis illecebris præcellens omnibus continentia ſpecialis. Septem ad mentem Virginis, propter ſeptem gratias animę præſides, quæ de fonte Spiritus uniformis rivulo prodeunt ſeptiformi.

§. IV.

Qua ratione Beata Virgo vocetur Iubilæus.

28 ANno quinquageſimo recurrente apud veteres Hæbreos læto, atq; hilari perſtrepebant tubæ clangore: apud ipſos enim annus quinquageſimus erat jubilæus, annus ſcilicet gaudii, jubili, atque lætitiæ, annus remiſſionis, annus libertatis, denique annus hæreditatis lætiſſimus. Ita præcepit Deus illi populo, ut annum quinquageſimum, ideſt, jubilæum ſolemniter celebraret, ut *Levit*. 25. dicitur. *Clanges buccina menſe ſeptimo*, *decima die menſis*, *propitiationis tempore in univerſa terra veſtra*. *Sanctificabiſque annum quinquageſimum*, *& vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ*: *ipſe eſt enim jubilæus*. *Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam*, *& uniſquiſque rediet*

ad familiam priſtinam: *quia jubilæus eſt*, *& quinquageſimus annus*. Et quia Lectori non injucundum arbitror fore, ſi de etymo vocis agam, videlicet undè quinquageſimus annus dicatur *Iubilæus*, vel *iobel*, aut *iobelæus* juxtà hebraicam lectionem; ex ejus enim interpretatione innoteſcet ratio, propter quam Deipara Jubilæus vocetur.

29 Ideò cum A Lapide in *Levit. c*. 25. quæro, undè appelletur hic annus *iobel*, *iobelæus*, vel *iubilæus*. Andreas Maſius in *Ioſue* 6. *Iobel* à *Iubal* primo inventore citharæ, & organorum *Geneſ*. 4. deductum putat. Alii paſſim Chaldæum, & Rabbinos ſecuti, ut Lyranus, Pagninus, Vatablus, & Auguſtinus Eugub. in *c ult. Numer*. cenſent *Iobel* ſignificare *cornu arietinum*, & indè jubilæum annum dici, quòd cornibus arietum eo anno clangerent. Addunt aliqui *Iobel* eſſe nomen Arabicum, & ſignificare *arietem*: undè Chaldæus ſubindè vertit דכרא *dichra*, id eſt, *aries*. Alii alia opinantur, ut recenſet Serarius in *Ioſue* 13. q. 14. Verùm certiùs multò eſt hac in re ſequi antiquos, & doctiſſimos Hebræos.

30 Dico ergò. *Iobel*, vel *Iubilæus* deducitur à radice יבל *iabal*, id eſt, *afferre adducere*, idque cum gaudio, & lætitia, vel ejus qui ducit, vel ejus qui ducitur, uti variis exemplis oſtendit Serarius in *Ioſue* 6. q. 5. Annus ergò *Iobel* idem eſt quod annus afferens omnia bona, & reducens quemque in priſtinam libertatem, & hæreditatem. Ita oleaſter, Ribera, Serarius, & alii. Favet & Cajetanus, qui *Iobel* à יבל *iebel*, id eſt, *germen*, deducit, ut annus *Iobel* idem ſit, quod annus *germinans omne bonum*. Cajetano conſentit Angelus Pientinus lib. 3. de Jubilæo c. 4. Et Bellarminus lib. 1. de Indulgent. c. 1.

Hanc eſſe originem, & etymon *Iobel*, & *Iubilæi*, patet primò ex Joſepho, qui lib. 3. Antiquit. 10. Vox, inquit, *Iobel* ſignificat libertatem, id eſt, reductionem in libertatem. Secundò, quia ſeptuaginta paſſim pro *Iobel* vertunt αφεσιν, id eſt, *remiſſionem*. Tertiò, quia Philo, & ejus interpres S. Hieronymus lib. de Nominib. Hebr. *in Geneſ*. *Iobel* vertit *dimittentem*. Idem Hieronymus lib. 2. *in Eſa*. ſub initium: *Iubilæus*, ait, id eſt, *dimiſſionis annus*. Quartò, quia hic locus omninò id convincit. Sic enim habet. *Vocabis remiſſionem*; *ipſe eſt enim Iubilæus*: quaſi dic. Ipſe enim eſt annus remiſſionis. Unde & ſequitur: *Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam*, *& familiam*. Hinc & nos annum pleniſſimum Indulgentiarum vocamus *Iubilæum*, uti oſtendit Serarius in *Ioſue* 6. q. 7.

31 *Iobel* ergò remiſſionem ſignificat. Secundò, *Iobel* ſignificat annum, quo plenaria fiebat remiſſio, qui erat annus quinquageſimus. Tertiò, *Iobel* ſignificat buccinam, vel potiùs clangorem buccinæ, quæ feſtivè eo anno perſonabat. Unde & *jubilum*, & *jubilare* Latinorum deductum videtur, ut docet Eugubinus ſupra. Hinc & clangor buccinæ perſonantis in Sina, cùm daretur lex, per anticipationem vocatur *Iobel* in Hebræo. *Exod*. 19. 13. Buccinæ autem hæ Jubilæi non erant duæ illæ tubæ argenteæ, ut cenſuit Abulenſis, quibus populus convocabatur ad feſta, de quibus *Numer*. 10. Nam *Ioſue* 6. *v*. 13. dicuntur ſeptem fuiſſe buccinæ Jubilæi, quæ & aliud nomen habent in Hæbræo; nec unquàm aliis feſtis, & annis eis utebantur, niſi in Jubilæo. Ideò ſiquidem dicitur *Quarum uſus eſt in Iubilæo*.

32 Erant ergò hæ buccinæ non argenteæ, ſed: corneæ. Nam ità interpretatur Hebraicam vocem שופר *ſchophar*, quæ hoc loco habetur, S. Hieronymus in *c*. 5. *Oſeæ*: & ſeptuag. *Pſal*. 97. *v*.6. Verùm non erant hæ buccinæ ex cornu arietino, quia eo tantùm clangebant in feſto tubarum, in memoriam arietis ſubſtituti Iſaaco, à Patre immolando, ſed erant ex cornu bubulo. Nam S. Hieronymus ſupra: *Buccina*, ait, *paſtoralis eſt*. Paſtores autem non arietum, ſed boum cornua inflant; qualia & veterum fuiſſe cornua docet Varro lib. 4. de Lingua Latina: *Cornua*, inquit, *quæ nunc ſunt ex ære*, *tunc fiebant ex bubulo cornu*: additque *buccinam* dici *à bubus*, vel à ſono boum *bou bou*, quòd bubus canat, boveſque vocet. Undè poſteà tubæ æneæ, & caſtrenſes vocatæ ſunt cornua, ut *Rauco ſtrepuerunt cornua cantu*. Ænid. 8. Hinc patet, ſonum hujus buccinæ fuiſſe aſperum, & raucum (talis enim eſt cornuum) qui tamen in feſtis, acutos, & excitatos aliorum inſtrumentorum ſonos, quaſi gravior moderaretur, & temperaret.

33 Anagogicè: ſicut Sabbatum, & Septimus annus, ſivè Sabbaticus, ità Jubilæus ſignificat reſurrectionem, & æternam quietem totius anni, id eſt, æternitatis. Tùm enim primò, omnes ſervi mercenarii, jumenta etiam, & pecora, id eſt, ſimplices quique labore vacabunt: quia Dei laus, & viſio score ocioſum Beatorum negotium erit. Secundò, clangent buccina anno præcedenti, putà 49. quia ſigna horribilia judicium proximum proclamantia, præibunt reſurrectionem. Tertiò, clangent etiam ipſo Jubilæo; quia ob conſummatam victoriam, per omnes vicos cœli juge alleluja cantabitur. Quartò, revertemur ad primam promiſſionem, id eſt, ad Paradiſum, ex quo cum primo Parente ejecti ſumus, accepta jam plena peccatorum remiſſione; quod quia inæſtimabile eſt, hinc toties hic repetitur. Quintò non ſeretur terra, quia tunc nulla erit novorum meritorum ſatio, ſed veterum fructu ſuaviſſimè perfruemur. Ita ferè Radulphus, Iſychius, & Ribera lib. 5. de Templo c. 25.

Tropologicè, Rupertus. Hoc, ait, verè ſanctum, & pulcherrimum Jubilæi feſtum eſt, Evangelica clangente buccina celebrandum, ita ut revertatur homo ad poſſeſſionem, & familiam ſuam, cùm offenſam in nos remittimus, ut omni diſcordia ſoluta, cuncti redeant ad priſtinam familiam pacis, & concordiæ, atque habeant cor unum, & animam unam, canantque: *Eccè quàm bonum*, *& quàm jucundum habitare fratres in unum!* *Pſal*. 132.

Allegoricè. Jubilæum eſt tempus Chriſti, & gratiæ, uti prædixit Eſaias, & ex eo Chriſtus *Luc*. 4. *v*. 19. Et S. Paulus 2. *ad Corinth*. 6. *v*. 2. Hæc ille.

34 Undè autem Deipara annus Jubilæus debet appellari; Reſpondet Albertus Magnus in Biblia Mariana, *Lib. Levitici*, quòd ex multiplici cauſa. Ipſa, inquit, eſt annus, & tempus propitiationis. *Levit*. 25. *Tempore propitiationis*, *clanges buccina*. Gloſſa: Quia genus humanum bonitate, & clemen-

tia, à corruptione liberatur, quibus in Adam dictum eſt: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Geneſ. 3. *Et annum quinquageſimum*, id eſt, *Mariam, vocabitis remiſſionem.* Gloſſa: omnium peccatorum, omnium laborum: *cunctis habitatoribus terræ*, non ſolùm Cœli, ſed & terræ. *Revertetur enim homo*, ſcilicet peccator, *ad poſſeſſionem ſuam.* Gloſſa: Paradiſum: *Et ad familiam priſtinam.* Gloſſa: Patriarcharum, & Prophetarum. Hæc Albertus.

35 Verùm & jure merito ex vocis etymo annus Jubilæus Dei Mater dici debet: ſi enim annus *Iobel* idem eſt quod annus germinans omne bonum: undenam totius boni plenitudinem habuimus, niſi à Dei Matre? Ut meritò præfatus Albertus Magnus lib. 2. de laudib. B. Mariç cap. 1. num. 5. de hac omnimoda boni univerſitate, quam conſequimur per Mariam, iterùm dicat. Quia per ipſam, & in ipſa, & cum ipſa, & ab ipſa, habet Mundus, & habuit, & habiturus eſt omne bonum, ideſt, Chriſtum, qui eſt omne bonum, & ſummè bonum, & ſinè quo nihil bonum, qui eſt ſolus bonus, undè ipſe dicit Luc. 18. *Nemo bonus niſi ſolus Deus.* Et ſinè quo nemo bonus, qui omnibus omnia factus eſt, ut omnes ſalvos faceret: & qui in futuro *erit omnia in omnibus.* 1. *Corinth.* 15. ideſt, ſufficientia omnium. Vel omne bonum poteſt dici illud triplex bonum, quod eſt Chriſtus, bonum ſcilicet veniæ, gratiæ, & gloriæ. Ideò d *Maria* dicit humamana Natura *Sap.* 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

36 Sed queres. Quis in Orbem Catholicum introduxit Jubilęum annum? Reſpondet A Lapide loco ſupracitato. Denique apud Chriſtianos Iubilęum annum inſtituit Bonifacius Papa VIII. hoc nomine, anno Chriſti 1295, celebrandum anno Chriſti 1300. eumque centeſimo quoque anno renovari juſſit: atque illis qui Romam venirent, viſerentque ſepulchra SS. Petri, & Pauli, peccatorum omnium plenariam indulgentiam conceſſit; idque ut populum Romanum ab inani ſecularium ludorum celebratione, ad verum ſolemne ſacrum reduceret.

Quinquageſimo poſt inſtante anno, Clemens VI. ſanxit Jubilęum celebrari quinquageſimo quoque anno (eò quòd ætas hominis vix Jubilæum illum centeſimo anno attingere poſſet) qui verus fuit Jubilæus. Id ſanxit anno Chriſti 1345. teſte Volaterano lib. 22. Jubilæum ergò tale primum fuit anno Chriſti 1350. quo anno tanta hominum copia fuit Romæ, teſte Petrarcha oculato teſte, ut nihil mirum fuerit indè ortam eſſe peſtem adeò gravem in tota Italia, ut ex mille vix decem ſupereſſent, teſte Crantzio lib 9. Metrop. cap. 43. Rurſum ſub Nicolao V. in Jubilæo anno Chriſti 1450. tanta hominum turba fuit Romæ, ut in ea multi ſuffocati perierint, teſte Platina, & Sabell. lib. 5. Enn. 10.

Denique Sixtus IV. Jubilæum ad 25. quemque annum reduxit, primuſque eum celebravit anno Chriſti 1475. Id fecit, ut quæque ætas ejus muneris particeps fieret. Porrò in Jubilæo Pontifex auream, ut vocant, portam aperit, ad quam immenſa multitudo concurrit, conſequendæ peccatorum remiſſionis cauſa. Preces, eleemoſinæ, pœnitentiæ, aliaque pietatis exercitia, quæ eo anno tum Romæ, tùm alibi fiunt, inenarrabilia ſunt. Atque in iis cæteris præeunt Prælati, & Proceres Romani. Hactenùs A Lapide. Tu verò pie Lector in Deipara ſemper habes annum quinquageſimum, Jubilæum annum, ſingulis horis, ſinguliſque momentis: ab Ipſa tanquàm Dei mediatrice, peccatorum remiſſionem, gratiæ recuperationem, libertatis reſtitutionem, hæreditatis æternæ poſſeſſionem: ab ipſa tanquàm canali omne bonum naturæ, gratiæ, & gloriæ: Quid enim Dei Mater, niſi aurea Cœli Janua, quam Pontifex æternus manu ſuæ clementiæ aperit ad indulgentiæ plenariæ, omniunque bonorum effuſionem.

§. V.

Revelantur in Dei Matre Autumni myſteria.

37 VRbani Octavi Pontificia Chelys in miram hujus ſeculi hyemali tempore florum varietatem ludare non dedignata, pulcherrimum, & jucundiſſimum duellum inter floridum Ver, & glaciatam Hyemen elegiaco metro deſcripſit. (Etenim Barberinæ Apes, omninò ſemper Urbanæ, nonniſi Civilia, urbana, morigera, & ea quidem hilaria, cogitare conſueverunt.) Pervenuſta profectò pugna inter Pruinam, & flores, inter Hyemem, & roſas, quam ſolerti ingenio Sacræ Apis ſolertia floridiore dirimit Epigrammare inter ejus Poemata recenſito: videlicet.

Veris opes varios flores mirata ſuperbit
Purpureas inter cana Pruina roſas.
Ver queritur, mærenſque, Meos cur, inquit, honores,
Floriferumque rapis tu mihi Bruma decus?
Tu quoque, Bruma refert, glaciem furaris, in æſtu
Vt ſint vina magis grata, niveſque rapis.
Parcite jurgari, clamat SOLERTIA: per me
Nix eſtate riget, florida vernat hyems.

Sed ò quàm magis pulchram, & honorificam diverſi generis litem inter Ver, & Hyemem, inter Æſtatem, & Autumnum habemus! Utrinque prò virili ſatagunt aſciſcere ſibi decus, & primas honoris partes in ſpecioſo Deiparæ coronamento vendicare. Vidimus huc uſque dies, menſes, & annos in Beatiſſima Dei Matre coronãda certatim ſtuduiſſe. Æquum erat, ut & ipſæ etiam temporum vices, Hyems ſcilicet, & Ver, Æſtas, & Autumnus, pari ſtudio in texendis *Mariæ* coronis decertarent. Nos autem glorioſum hoc, pacificumque certamen quinta litera Parthenii Nominis ad intuendum impellit, ut pote quæ unam ex quatuor anni partibus, nempè Autumnum figuret. Nam cæteræ partes juſta ratione à *Mariæ* nomine conquererentur excludi, niſi & ipſis locus, & ratio fieret, & debitus in hoc certamine honos impenderetur. Meritò enim *Mariam*, quæ Regia eſt Solis æterni, circundant anni partes, atque coronant, & in qua Pater luminum tanquàm in aula lucis, & micante throno refulſit, qualiter & de Sole, ejuſque Aula canit Ovidius lib. 2. Metamorph.

——*Purpureâ velatus veſte ſedebat.*
In ſolio Phœbus, claris lucente Smaragdis.
A dextra, lævaque dies, & Menſis, & Annus,
Seculaque, & poſitæ ſpatiis æqualibus horæ;
Verque novum ſtabat cinctum florente Corona:
Stabat nuda Aeſtas, & ſpicea Serta gerebat:
Stabat & Autumnus calatis ſordibus uvis,
Et glacialis Hyems canos hirſuta Capillos.

38 Potiorem igitur locum ſibi vindicat Hyems in *Mariæ* corona. Sed quæ conventio Hyemis ad *Mariam*, in qua nihil glaciale, nihil frigidum fuit? Planè multa, & magna ſimilitudo. Nam Deipara concepta menſe Decembri, in quo principatur Hyems, & brumà Dei Mater coronatur. Quid autem bruma, vel glacies? Hoc primùm profectò ſignificat, quòd Parentibus effœtis, & frigidis ad miraculum Virgo concipitur, tanquàm ex horrido gelu amœna, & ſinè ſentibus culpæ vernans Roſa. Hoc Hyems innuit ſecundò, quòd cana pruinis jam morum canitiem in infantulà præfigurabat. Tertiò denique frigido, & brumali candore, nivalem mentis, & corporis Virginitatem in Deipara præſignabat. Hanc igitur impoſuit puellæ capiti coronam Hyems, ut eſſet corona gloriæ in manu Domini, qua Matrem ſuam Beatiſſimam vel in ipſo conceptionis initio prædeſtinaverat coronandam.

39 Ver autem ab Hyeme vinci non patitur, immò & præeminentiam habere contendit, utpotè pars anni jucundior, atque felicior. Quandoquidem *Serenitas Vernalis* juxtà Martianum dicitur *riſus Iovis*: eſt enim tempus jucundum, & amœnum, in quo ſcilicet omnia rident, & florent. Et quæ anni pars, inquit Ver, texendis magis apta corollis, quam ego, quæ coronarum materiam, nempè flores gigno, quin & quot flores, tot pario coronas? Ver ergò propriiſſimè dicitur anni corona, quæ & Dei Matrem flore immortali, divinoque coronavit. Menſe enim Martio, in quo Ver floret novum, Beata Virgo florem divini Verbi concepit, qui Matris, atque omnium Sanctorum eſt corona. Nam in menſe Martio Dominicæ annunciatio Incarnationis Virgini facta eſt, Evangeliſta Luca teſtante: *In menſe autem ſexto miſſus eſt*, &c. *Luc.* 1.

40 Cur autem Redemptor fuerit conceptus in menſe ſexto, ſcilicet à conceptione Ioannis, (qui tanquam Lucifer novi Solis ortum præibat) quia in Martio, octavo Calendas Aprilis, tres rationes Albertus Magnus in *Luc. c.* 1. aſſignat: quarum, inquit, prima eſt, ut tempori noſtræ condemnationis tempus congrueret reparationis: ſecunda, ut creationi mundi conſonaret ejuſdem mundi in homine reparatio: tertia ut tempori refloritionis mundi Verbum incarnatum mundum reflorere faciens conſonaret.

Et quantùm ad primam notandum, quod in Marrio, octavo Calendas Aprilis, factus eſt mundus: & in ipſo cecidit Adam per peccatum poſt meridiem, ut dicitur *Geneſ.* 3. *Dum deambularet Dominus in Paradiſo ad auram poſt meridiem, vocavit Dominus Deus Adam, & dixit: Adam ubi es?* Et ſicut dicitur *Ierem.* 15. *Occidit* enim *Sol, cum adhuc eſſet dies.* Et iterùm *Ierem.* 6. *Væ vobis: quia declinavit dies, quid longiores factæ ſunt umbræ veſperi*, Obſcuritates enim ſuper vos prolongatæ ſunt, occidente Sole juſtitiæ. Aptè ergò tunc etiam fit mundi reparatio. Hoc ſignificatum eſt 1. *Machab.* 4. *Secundùm tempus, & ſecundùm diem, in quo contaminaverunt Gentes templum, in ipſo renovatum eſt.* Sicut enim lignum, in quo cecidimus, tunc notavit, ut dicit Ambroſius, damna ligni ut ſolveret. Ità tempus tunc notavit, ut in ipſo lapſum primi hominis repararet. *Eſa.* 49. *In tempore placito exaudivi te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui.* 2. *Corinth.* 6. *Eccè nunc tempus acceptabile, eccè dies ſalutis: nomini dantes ullam offenſionem. Hæc* ergò eſt *dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eâ. Pſal.* 117.

41 Circà ſecundam autem rationem notandum; quod dicit Auguſtinus, quod ideò Deus, cuius perfecta ſunt opera, in ſenario dierum perfecit opus ſuum, quia ſenarius numerus perfectus, & conſtans ex ſuis partibus totus, non monſtruoſam ultrà totum generat ſuperfluitatem, neque citrà remanens generat imperfectionem. Ab inchoatione ergò noſtræ ſalutis, quæ in Joannis conceptione inchoata eſt, eadem ratione noſtram perfecit ſalutem in Senario menſium ille, qui operatus eſt ſalutem in medio. *Iob.* 5. *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptimâ non tanget te malum.* Hoc ſignificatum eſt *Ioan.* 4. ubi dicitur, quod *ſextâ horâ ſedit ſuper fontem.* Undè nobis fluxerunt fluenta gratiarum *Luc.* 13. *Sex dies ſunt, in quibus oportet operari. In his ergò venite, & curamini. Deuter.* 32. *Date magniſicentiam Deo noſtro. Dei perfecta ſunt opera. Ioan.* 5. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.* Sic enim juxtà prophetam *Eſa.* 66. *erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato*: quando menſes, & dies operis Creationis reſpondent operi redemptionis.

42 Circà tertiam rationem notandum, quod tunc Sol ad æqualitatem diei, & noctis aſcendens, facit florere terram noſtram habitabilem; & ideò etiam congruum eſt, ut noſtra ſalus & floruerit, & flos ortus ſit, qui aſcendit de radice Ieſſe. *Eſa.* 2. *Reg.* 23. *Cuncta ſalus mea, & omnis voluntas: nec eſt quicquam ex eo quod non germinet. Eſa.* 55. *Quomodò deſcendit, imber, & nix de Cœlo, & illuc ultrà non revertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumquæ volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Tunc enim omnia elementa ſeminibus ſuis geſtiunt ſe conformari flori, qui oritur in glorioſa Virgine.

Hoc eſt ergò quod dicit: *In menſe ſexto*: ut congruat & numerus, & tempus, & eventus: numerus in petfectione: tempus in ſalutis germinatione: & eventus in primi lapſus reparatione. Rorent igitur Cœli deſuper, & nubes pluvant juſtum & terra uteri Beatæ Virginis aperiatur, & germinet Salvatorem. *Eſa.* 45. *Ierem.* 23. *Eccè dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit.* Iſtud eſt tempus, de quo dicitur 2. *Machab.* 1. *Tempus affuit, quo Sol refulſit, qui priùs erat in nubilo.* Unum enim tempus lucidum claro Sole refulget, quia tunc timentibus Deum ortus eſt Sol juſtitiæ, & *ſanitas in pennis eius. Malach.* 4.

43 Sed neque vacat myſterio, quod Chriſtus in

in urbe Nazareth, quæ erat locus habitationis Virginis, ſit conceptus. Nam & Nazareth floridiſſimi Veris coronamenta figurat: ſiquidem ex vocabuli interpretatione redolet verni temporis flores, & gratos Veris honores, atque ſpirat odores. Unde ibidem Albertus Magnus ſubiungit, dicens. Locus autem habitationis Nazareth convenienter nominatur: quia *Nazareth*, *Sanctum*, vel *flos* interpretatur. Sanctus autem, ut dicit Gloſſa, quia concipi ibi debuit Sanctus Sanctorum. *Daniel* 9. *Et qui ſanctificat omnes*. *Hebr.* 2. *Et qui Sanctificat, & qui ſanctificatur, ex uno omnes*. Quod enim in hac civitate natum eſt Sanctum in utero Virginis, cauſa eſt ſanctificationis omnium. *Ioan.* 17. *ſanctifica eos in veritate*. Flos autem congruit, quia ibi flos campi naſci in utero, & concipi voluit. *Cant.* 2. *Ego flos campi, & lilium convallium*. Amat enim florigeram patriam, ut dicit Bernardus, flos de radice Ieſſe: nec concipitur niſi ab eo, qui ſe florem; & non cicutam per mundi inſaniam, vel urticam per carnalis peccati pruritum, vel ſpinas per mundi ſolicitudines exhibuerit.

44 In flore autem eſt ſpecies pulchritudinis, & fragrantia odoris, & ſpes fructificationis. Et ſpecies quidem pulchritudinis in virtute converſationis: fragantia verò odoris in odore bonæ opinionis: ſpes autem fructificationis in intentione bonæ retributionis: quæ omnia competunt fidelibus, & pręcipuæ Beatæ Virgini. De ſpecie converſationis *Iudith* 10. *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem*: quia omnis iſta pulchritudo non ex libidine, ſed ex virtute pendebat: & ideò Dominus hanc in eà pulchritudinem ampliavit, ut omnium oculis gratioſa incredibili pulchitudine videretur. De odore bonę opinionis 2. *Corinth Chriſti bonus odor ſumus Deo, in his qui pereunt, & in his qui ſalvi ſiunt*. Ibidem. *Et odorem notitiæ ſuæ Deus per nos*. *Cant.* 4. *Odor veſtimentorum tuorum, &c.* *Pſal.* 44. *Myrrha, & gutta, & Caſia* (ſupple reſpirant) *à veſtimentis tuis, à domibus eburneis*, hoc eſt, à corporibus caſtis. De intentione ęternę retributionis. 2. *Reg.* 22. *Cuncta ſalus mea*. *Oſeæ* 14. *Iuſtus germinabit* ſicut lilium. Sic etiam thalamus conſcientię, in quo ſuſceptus eſt, floridus eſt. *Cant.* 1. *Lectulus noſter floridus eſt*.

45 Sed quid Æſtas? Meſſorum falces conflat, & vertit in coronas, ut meritis Auguſtiſſimę Reginę Corona glorię tribuatur. Feſtum enim eius aſſumptionis, & coronationis celebratur die 15. Menſis Auguſti, in quo Æſtas ſuum habet principatum, & exultat *Mariæ* triumphis. Et ò quàm pulchrè in Auguſto noſtra Coronatur Auguſta! Eius coronationem, atque triumphum Ioannes *Apocal.* 12. deſcribit, cùm dicit: *Signum magnum apparuit in Cælo, Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in Capite eius Corona ſtellarum duodecim, & in utero habens, &c.* Quę verba Jacobus de Voragine *ſerm.* 2. *de Aſſumpt. B. Mariæ* Virginis, de ipſa Deipara glorificata tali pacto interpretatur. Gloriam deſcribens Ioannes Evangeliſta, oſtendit eam ex omni parte luminoſam, & glorioſam.

Primò eſt luminoſa à parte ſuperiori, quia in capite habet coronam ſtellarum duodecim. Stellę duodecim ſunt novem ordines Angelorum, & tres ordines Beatorum, ſcilicet Martyres, Confeſſores, & Virgines, qui omnes ipſam Coronant, quia eam venerantur, ac laudant. Seraphin enim mirantur, & laudant in Ipſa charitatem tàm ſuccenſam. Cherubin ſapientiam tàm profundam. Throni pacem, & quietem in Deo tam tranquillam. Dominationes tam magnam, & tantam ſuper Angelos pręeminentiam. Virtutes tantam miraculorum efficaciam. Poteſtates tantam ſuper dęmones potentiam. Principatus tantam de omnibus regnis providentiam. Archangeli tantam de omnibus locis diligentiam. Angeli tantam de ſingulis perſonis cuſtodiam. Martyres tantam in tribulationibus conſtantiam. Confeſſores tantam ſobrietatem, & temperantiam. Virgines tantam puritatem, & munditiam.

46 Secundò eſt luminoſa à parte inferiori, cum dicitur: *Et Luna ſub pedibus eius*. Per Lunam mutabilitas deſignatur. Eſt autem quadruplex mutabilitas. Una eſt naturę, quę etiam eſt in Angelicis Spiritibus, qui ſunt mutabiles per naturam, ſed ſunt immutabiles facti per gratiam. Iſta talem Lunam habet ſub pedibus; quia omnes Angeli, eius imperio favent. De hoc dicitur *Geneſ.* 37. *Vidi quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas undecim adorare me*. Per Solem intelligitur Suprema hierarchia, per Lunam media, per Stellas verò ultima.

Secunda eſt mutabilitas forrunę. *Eccli.* 27. *Stultus ut Luna mutatur* Iſta etiam Lunam ſub pedibus habuit quia omnia terrena calcavit per paupertatem voluntariam, quam elegit. Dicitur autem *Deuter.* 11 *Omnis locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit*. Si enim temporalia calcaremus ſub pedibus & ea non tangeremus affectibus, veraciter noſtra eſſent.

47 Tertia eſt mutabilitas culpę. *Pſal.* 120. *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem*. Anima enim Sancta nec in die proſperitatis cadit in peccatum per intemperantiam, neque in nocte adverſitatis per impatientiam. Iſtam Lunam ſub pedibus habuit, quia nulla culpa unquàm in eà pręvalere potuit. Unde Auguſtinus in lib. de Natura, & Gratia. Excepta Sancta Virgine *Maria*, ſi omnes Sancti, & Sanctæ, interrogati fuiſſent, utrum ſine peccato eſſent, reſpondiſſent. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Excepta hac Sancta Virgine, dè qua propter honorem Domini, cùm de peccatis agitur, nullam prorsùs volo habere mentionem.

Quarta eſt mutabilitas miſeriæ. *Pſal.* 71. *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna*. Gloſſa: id eſt, mutabilitas, quæ quidem in reſurrectione auferetur. *Ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, &c.* *Rom.* 8. Et iſtam Lunam ſub pedibus eius habet, quia perfectam corporis immortalitatem poſſidet, & ſuper Angelos glorificata manet. *Pſal.* 17. *Caligo*, ideſt, humana mortalitas, *ſub pedibus eius: & aſcendit ſuper Cherubin, & volavit*.

48 Tertiò fuit luminoſa à parte interiori, quod notatur, cum dicitur: *In utero habens*. Habebat enim in utero paternum ſplendorem. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, &c.* *Hebr.* 1. Niveum candorem. *Candor eſt enim lucis æternæ*. *Sap.* 7. Divinum odorē: *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris*: *Eccli.* 24. Suavem dulcorē illum ſcilicet, qui dicit ibidem: *Spiritus meus ſuper mel dulcis, &c.* Ignem Cœleſtem. *Hebr.* 12. *Deus noſter ignis conſumens eſt*. Quia igitur in ſuo utero habuit paternum ſplendorem, ibi remanſit mirabilis claritas. Undè Ambroſius. Quid nobilius Dei Matre? Quid ea ſplendidiùs, quàm ſplendor elegit? Quia habuit vineum candorem, ibi remanſit mirabilis puritas. Undè Anſelmus. Decebat, ut Virgo Beata ea puritate niteret, qua major ſub Deo nequit intelligi. Quia habuit divinum odorem, ibi remanſit mirabilis ſuavitas. *Eccli.* 24. *Sicut Cinamomum, & balſamum aromatizans dedi ſuavitatem odoris*. Quia habuit ſuavem dulcorem, ibi remanſit mirabilis pietas. Undè dicitur Matar gratiæ, & miſericordiæ. Quia habuit ignem Cœleſtem, ibi remanſit mirabilis charitas, per quam diabolum ſuccendebat. *Iudith* 9. *Percutiens eum labiis charitatis meæ*: per quam omnia terrena contemnebat. *Ierem.* 2: *Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quandò ſecuta es me in deſerto, &c.* per quam omnia adverſa patienter ſuſtinebat. *Cant.* 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*.

49 Quartò fuit luminoſa à parte exteriori, cum dicitur: *Amica Sole*; ideſt, immortali corpore. *Pſal.* 44. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*; quantùm ad gloriam animæ: *circundata varietate*, quantùm ad dotes corporis, quæ redundant ab intùs ab anima in corpus. Siquidem ex redundantia prudentię reſultat in eius copore claritas: & ex reduntantia fortitudinis, impaſſibilitas: ex redundantia temperantiæ, ſubtilitas: ex redundantia juſtitiæ, quæ omnes vires circuit, reſultat agilitas. Hæc Voragines.

Quibus unam, & alteram libet addere periodum de tam ſolemni triumpho, quem in amoris æſtate, & charitatis fervore Cœli Regina peregit. Nam ſi Romani, ut recitat *lib.* 2. *de Civit. Dei c.* 4. Auguſtinus, cum ingenti gaudio, triumpho, ac tripudio olim Matrem Deorum colebant, quam Berecynthiam vocabant. Singulis enim annis in illius reverentiam celeberrimum feſtum agebant, eam circunferendo, per Urbem Romanam in lectica deaurata cum admirabili, atque incredibili, ſymphonia. Quantò magis populus Chriſtianus, cum Romani falſæ opinionis errore decepti, tantum exhibebant honorem Berecynthiæ fabuloſæ Deorum Matri, devotè, & religiosè illam colere debet, quæ vera eſt, & indubitata Mater veri Dei, præter quem non eſt alius Deus?

Si autem quæras, quà triumphali lecticà, vel regia Curuli evecta, atque devecta triumphaverit, & Romam ſit ingreſſa Cœleſtem: Reſpondeo, quod in die aſſumptionis Anima eius Sanctiſſima ſedit in aureo curru, ideſt in corpore proprio, jam ex ſpeciali Dei gratia, ut piè creditur glorificato. Quem quidem currum trahebant quatuor equi valdè mirabiles, & ſpecioſi, qui fuerunt quatuor dotes corporum glorificatorum, agilitas videlicet, & claritas, impaſſibilitas, atque ſubtilitas. In cuius figuram 4. *Reg.* 2. legitur, quod Elias in curru igneo, & equis igneis aſcendit in Cœlum.

50 Denique Autumnus neque hiberno tempori, neque Veri, neque Æſtati cedere volens, non tàm corollas, & diademata ſpargit, quàm naſcentis in Autumno puellæ myſteria revelare contendit. Orta ſiquidem in Septembri univerſitatem nobis attulit gratiarum. Multa quidem in hoc myſteria latent, quæ cum Joanne Raulino Cluniacenſi *ſerm.* 2. *de Nativit. Virgin. Mariæ* ſunt revelanda. Quæritur ergò, inquit ipſe, quarè *Maria* potius in Septembri nata eſt, quam in alio menſe? Cum etiam natus ſit Chriſtus in tempore immoderati frigoris, cur volit *Mariam* naſci in tempore moderato? Reſpondetur primò, quod voluit Dominus *Mariam* naſci in tempore moderato. Nam Aſtrologi dicunt, quod Sol in domo ſua Leonis, poſteà deſcendit in ſignum Virginis, ubi moderatur. Quia igitur terribilis Deus quaſi Leo antiquitùs, moderandus erat in gremio Virginis, conveniens fuit tempore moderato durante, ipſius Virginis manſiunculam temperatam facere. Ipſe autem quia venerat inſtructurus, quæ ſit via in Cœlum, ut intelligerent homines non niſi per aſperitates, & tribulationes illuc ſe perventuros, naſci voluit in tempore frigidiſſimi frigoris.

51 Dicitur ſecundò, quod nata eſt *Maria* in Septembri propter multa. Primò, quia ſecundùm doctores Hebræorum, & opinionem magis famoſam Latinorum, Mundus Creatus fuit in menſe Septembri, quia tunc creatæ fuerunt arbores ferentes fructum, quod fit in Septembri. Conveniens ergò erat, quod recreatio mundi eodem tempore inciperet. Incœpit autem à nativitate Mariæ, in qua plantata eſt, & radicata arbor, quæ tulit fructum reparantem mundum.

Secunda ratio, quia menſis ille eſt menſis abundantię, in quo invenitur omnium bonorum abundantia. Sic enim à nativitate *Mariæ* incœpit annus plenitudinis gratiæ, de quo *Galat.* 4. *Eccè iam venit plenitudo temporis*, in quo miſit Deus filium ſuum in terris. Antè in mundo careſtia erat gratiæ Dei, uſquequo venit illa gratia plena, & abundans omni bono, de quo *Cant.* 6. *Venter tuus ſicut acervus tritici*; quæ continuit granum illud frumenti tanquam horreum veri Ioſeph, quod cadens in terram mortuum, multum fructum attulit, replens univerſam terram.

52 Tertia ratio, quia menſis Septembris erat totus ſolemnis apud Judæos. Nam prima die erat feſtum Neomeniæ, ideſt, creationis mundi, & feſtum tubarum, in quo liberatus fuit Iſaac, propter arietem hærentem cornibus, ideò in cornu clangebant. Die decima feſtum propitiationis in quo affligebantur jejunando uſque ad veſperam, quia tunc rediit Moyſes ad populum, inſinuans eis Deum placatum prò adoratione vituli. Et erat tunc etiam feſtum expiationis, qua aſpergebantur ſanguine, & cinere vitulę rufę. Decima quinta erat feſtum tabernaculorum, quod durabat ſeptem diebus. Deinde feſtum dedicationis templi Salomonis, quod totidem durabat. *Maria* autem nobis attulit feſtum maximum. Hæc enim nativitas, ut canit Eccleſia, *gaudium annunciavit univerſo mundo*. Et Pſalmiſta teſte: *Fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*. Univerſę terrę viventium, quia per eam reparata eſt ruina eius, & numerus Ange-

Angelorum reſtauratus. Terræ morientium, quia per eam ſalvatus eſt mundus, & gratia illuminatus Terræ mortuorum, quia per eam extracti ſunt de limbo, & in Paradiſum deducti. Sicut enim navigantes viſo portu maris Lætantur, ſic in ortu *Mariæ* homines quaſi viſo portu ſalutis.

53 Quarta ratio eſt, quia menſis Septembris communiter plenus eſt magnis imfirmitatibus, ideò nil mirum ſi illo tempore, quo apparent pericula, ſupervenit medicina, & remedium, & apotheca omnium chariſmatum, contrà omnem febrem, & venenum peccati. Tunc igitur ex incendio divini amoris data eſt Mater filii infirmis. Hæc eſt, de quà *Eccli.* 38. *Vbi non eſt mulier, ingemiſcit æger.* Eſt enim Mater ſanctæ ſpei data in ſpem infirmorum, & peccatorum.

Quinta ratio, quia nunc inſtant vindemiæ, in quibus oportet vaſa parare ad vindemiam colligendam: ideò Conveniens fuit vas illud admirabile opus Excelſi præparari. Vindemia autem illa collecta eſt filius Dei, cuius vinum germinat Virgines, & inebriat mundum, quo plenum eſt vas Virgineum, ità ut etiam ſuper effluat. Unde Cardinalis Petrus Damianus *ſerm. 2. de Nativit. B. Virginis Mariæ* concludit. Inter cuncta huius venerandæ ſolemnitatis inſignia, illud etiam non ſinè profundi cauſa miſterii contigiſſe creditur; ut Mater Domini ſub ipſo penè vindemiarum tempore naſceretur. Nunc quippè vinearum palmites provētu onuſti fructuum ad ima defluunt: nunc uvarum botri gravida maturitate turgeſcunt: nunc agricolarum ſpes, quæ toto anni circulo ſuſpenſa fuerat, uberes tranſacti laboris ſe carpere fructus exultat: nunc arbores ſaporifera fructuum ſuavitate redolent, & poma, quæ acerbitate ſua hominum guſtus exaſperaverant, grata maturitate demulcent, &c. Et demum addit poſt multa. Meritò ergò Beata Virgo Maria ſub ipſo vindemiarum tempore naſcitur, ut jam novæ gratiæ muſtum ſic ex variis Sacræ Scripturæ ſententiis, velut ex diverſis uvarum folliculis exprimatur. Meritò autumnali tempore naſcitur, ut jam, velut in Autumno, totius ſeculi fructus ſpiritualium arborum comedatur.

CAP. V.

Quem typum habeant marmora, & lapides, ut & de ipſis Beatæ Virginis laudum Compendia ſumantur.

1 QUerebatur Plinius humanum ingenium etiam in lapidibus, & marmoribus excogitaſſe luxuriam. Proindè *lib. 36. Hiſt. Natural. c. 1.* iuſtas ſuarum querelarum cauſas proponebat, dicens. Lapidum natura reſtat, hoc eſt, præcipua morum inſania, etiam ut gemmæ cum ſuccinis, atque cryſtallicum murrhinis ſileantur. Omnia nanque quæ uſque ad hoc volumen tractavimus, homini aliqua ex cauſa genita videri poſſunt. Montes natura ſibi fecerat ad quaſdam compages telluris viſceribus denſadis, ſimul ad impetus fluminum domandos, fluctuſque frangendos, ac minimè quietas partes coercendas duriſſima ſui materia. Cœdimus hos, trahimuſque nulla alia quàm deliciarum cauſa, quos tranſcendiſſe quoque mirum fuit. In portento propè habuere Maiores, Alpes ab Annibale ſuperatas, & poſteà à Cimbris: nunc ipſæ cæduntur in mille genera marmorum: promontoria aperiuntur mari, & rerum natura agitur in planum.

2 Evheimus ea, quæ ſeparandis Gentibus prò terminis conſtituta erant, naveſque marmorum cauſa fiunt, ac per fluctus ſæviſſimam rerum naturæ partem, huc, illucque portantur iuga montium maiore etiamnum veſania, quàm cùm ad frigidos potus vas petitur in nubila, Cœloque proximæ rupes cavantur, ut bibatur glacie. Secum quiſque cogitet quæ pretia horum audiat, quas vehi, trahique moles videat. Sed & quam ſinè his multorum fuerit beatior vita, ad quamque multorum neces ſit neceſſe iſta facere, immò verius pati mortales, quos ad uſus, quaſve ad voluptates alias, niſi ut inter maculas lapidum iaceant, ceu verò non tenebris noctium dimidiæ parti vitæ cuiuſque gaudia hæc auferentibus. Ingens iſta reputantem ſubit etiam antiquitatis rubor. Extant Cenſoriæ leges, glandia in cœnis, gliresque, & alia dictu minora apponi vetantes. Marmora invehi, & maria huius rei cauſa tranſiri, quæ vetaret lex nulla lata eſt.

3 Verùm ad meliorem uſum tranſlata, & in Deiparæ Nominæ faſcibus laureata, marmora commendantur. Hic nihil ad inſaniæ luxum, nihil ad luxuriæ faſtum lapides, & marmora habent. Ad virtutis ſpeciem invehuntur, ad perfectionis faſtigia evehuntur, & quicquid rari, & peregrini vel in maculis aut coloribus natura dedit, totum ad raritatem, & pretioſitatem morum referre videntur. Agite ergò & vos marmorei, lapideique naturæ partus, & in Mariano Nomine Scœnam, atque virtutum efformate theatrum. Nomen enim Virginis nova quędam virtutis eſt lapidicina: ſiquidem & in ſuis literis varia marmorum, lapidumque genera, & pretia inveniuntur: ut non immeritò *Maria* dicatur.

M armor.
A labaſtrum.
R upes.
I con.
A sbeſton.

§. I.

Marmorum varii colores, variæque qualitates varietatem virtutum Beatæ Vitginis ſignificant.

4 ISidorus *lib. 6. Oring. c. 5.* marmorum etymon, Geneſim, Patriamque deſcribit. Marmora, inquit, dicuntur eximii lapides, qui maculis, & coloribus commendantur. *Marmor* ſermo Græcus eſt *à viriditate* vocatus; & quamvis poſteà & colores inveniantur: nomen tamen priſtinum à viriditate retinuerunt. Marmorum colores, & genera innumerabilia ſunt. Non tamen omnia è rupibus exciduntur, ſed multa ſub terra ſparſa ſunt pretioſiſſimi generis: ſicut Lacedæmonium viride cunctis hilariùs, repertum prius apud Lacedęmones, undè & vocabulum traxit.

Eſt & Chariſteum viride, optimum nomen ab aſpectu habens, eò quod gratum ſit iis, qui gemmas ſculpunt: ejus enim viriditas reficit oculos.

Ut ergo à viridi marmore incipiamus, quid aliud per viriditatem niſi honeſtas in Virgine ſignificatur, quæ ſemper viruit in ipſa? Gratiſſimus quidem viror, qui uſque vel ad invidiam, vel ad ſtuporem Angelicæ naturæ floruit in Dei Matre. Vel fortè in viriditate ſpes noſtra in ejus patrocinio repoſita adumbratur. Quid enim ita confortat mortalium animos, quàm præſidium ab ejus clementia, & pietate ſperatum? Nihil ſic reficit, & noſtros refovet oculos, ut gratus viriditatis ejus aſpectus: nihil ſic mœrentes erigit animos, quam gratiſſimi coloris, hoc eſt, viriditas protectionis. Ipſa quidem marmor per conſtantiæ ſoliditatem, ſed virens ex impenſo ſemper auxilio, quod nunquàm deficit: undè & ab hoc exilio eam ſalutamus: *Et ſpes noſtra ſalve.*

5 Proſequamur cum Iſidoro cætera marmorum genera. Ophites ſerpentium maculis ſimile eſt, undè & vocabulum ſumpſit. Duo ejus genera, molle candidum, nigrum durum. Auguſteum, & Tiberiũ in Ægypto Auguſti, & Tiberii primùm Principatu reperta ſunt. Differentia eorum eſt ab Ophite, cùm illud, ut prædiximus, ſerpentium maculis ſit ſimile, hæc maculas diverſo modo colligunt. Nam Auguſteum undatim eſt criſpum in vertice, Tiberium ſparſa, non convoluta canicie.

Quàm mirè in marmoribus ludit Natura, ut in eorum materia Serpentes, ſed innocuos, colorum maculis effingat non ſolùm, ſed etiam det ſerpentium vocabula. Sed quàm majori artificio in Serpentibus Evangelica Gratia proludit, dùm in ipſis hieroglyphicum prudentiæ erexit, Divina Veritate teſtante, quæ dicit: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Matth.....* Et in Deipara prudentiam ſerpentinam reliquis etiam maculoſam virtutibus ſuſpicere fas eſt, ut proindè Virginum Prudentiſſima dicatur. Primò quidem fuit Ophites ex genere marmoris mollis, & candidi, mollis ex compaſſione, candidi ex innocentia. Secundò fuit Ophites ex genere marmoris, nigri quidem per ſummum dolorem, atque mœſtitiam in filii ſui Paſſione, duri autem per inconcuſſam fidei fortitudinem. Fuit etiam marmor Auguſteum maculis criſpum undatim, cùm in Calvario criſpantibus tribulationum fluctibus uſque ad verticem animæ perfuſa, ſed non diecta, juxtà Crucem ſtetit tanquàm columna: Tiberium verò effuſa dolorum Iliade.

6 Pergite marmorei lapides veſtras in Dei Matre oſtentare dotes. Purpurites ex Ægypto eſt rubeus, candidis intervenientibus punctis. Nominis ejus cauſa, quòd rubeat ut purpura. Quid autem in *Maria* videmus niſi charitatis purpuram, intercurrentibus candidarum cogitationum punctis variegatam? Sed Baſanites ferrei coloris ſinè duritia. Undè & nomen ei datum eſt, inventus in Ægypto, & Æthiopia. Planè mihi videtur ferreum Virginis animum in adverſis ſuſtinendis referre, ſinè tamen aſperitatis duritia, cùm perſecutores ſuos uſque ad delicias charitatis amaret. Parius verò candoris eximii, Ligdinus (alias Lychnites) cognomento. Hic apud *Paron* inſulam naſcitur, undè & *Parius* nuncupatus. An non Beatiſſima Virgo intemerato Virginitatis tuæ nitore Parii marmoris candorem es æmulata? Et hoc quidem fuit, ſed & ſupra omnem naturæ candorem, cùm in terreno corpore cœleſtem ageres vitam.

7 Coralliticus in Aſia repertus, menſuram habens non ultrà cubitos binos: candore proximo eboris ad quamdam ſimilitudinem è diverſo niger. Et in corallitico, ejuſque menſura Virginis humilitatem præſignari arbitramur, tùm in eboris ſimilitudine caſtitatem, tùm denique in maculis quadam proportione diverſis, & nigris, mirum ſui contemptum. Alabandicus terræ ſuæ nomine nuncupatus, purpuræ aſpectu ſimilis. Iſte in oriente igni liquatur, atque ad uſum vitri funditur. O cor Virgineũ in oriente gratiæ, amoris igne liquatũ! O vitreũ *Mariæ* cor, quod ab idrargirio labis originalis perforari non potuit, cùm cætera metalla, id eſt, homines terebret univerſos! Deniq; Thebaicus intertinctus aureis guttis invenitur in parte Ægypti aſcriptus coticulis, (alias concolis) ad terenda collíria quadã utilitate naturali conveniens. Magis autem admiror Virginis animum aureis gratiarum guttis inſperſum, non tam ad præparanda colliria utilem, quàm quòd Ipſa omnibus ſpiritualibus morbis ſanandis optimum ſit collirium.

8 Sunt & aliæ marmorum ſpecies, quas memorat Iſidorus eodem capite. Marmora autem, inquit, in officinis ſunt, rupibus gignuntur, ex quibus Sienites diverſi coloris maculis diſtinctus eſt, cujus primum uſum inſulæ Cyclades dederunt.

Lesbius lividior eſt paulò hoc, ſed & ipſe diverſi coloris maculas habens.

Corintheus Ammoniacæ guttæ ſimilis cum varietate diverſorum colorum, Corintho primum repertus: ex eo columnæ ingentes, liminaque fiunt, ac trabes.

Numidicum marmor Numidia mittit, ad cutem (alias ad Cotem) ſuccum dimittit, croco ſimilem; undè & nomen accepit, non cruſtis, ſed in maſſa, & liminum uſu aptum.

Luculleum marmor naſcitur in Choo (aliàs Chio) inſula, cui Lucullus Conſul nomen dedit, qui delectatus illo primum Romam invexit, ſolumque penè hoc Marmor ab amatore nomen accepit.

Eſt & Limenſis (alias Lumenſis) τέφρια appellatus à colore cineris, cujus lapidis alligatio contrà ſerpentes laudatur.

9 Quas marmorum ſpecies ſi cum Deipara conferas, ad maximos nobilitatis faſces de pedibus cretatis advenient. Quid Sienites, & Lesbius diverſi coloris maculis diſtincti, niſi diverſitatem chariſmatum, atque donorum, quibus fuit Virgo abundanter cumulata, ſignificant? Par autem eſt Corintheo, & Ammoniacæ guttæ ſimilis, cum diverſorum varietate colorum, tum quia marmorea eſt columna ingens, & magna, quæ ſuſtentat

Eccleſiam, & Catholicum Orbem ſuis precibus, atque meritis, ornata tanquàm diverſitate colorum. Tum quia guttæ Ammoniacæ, quæ arboris hujus nominis eſt gummi, habet proprietates. Nam cum arboris hujus, ut tradit Berchorius lib. 12. Reduct. Moral. cap. 73. rami in æſtate inciduntur, quædam indè lachryma defluit, quæ medicinæ uſibus deputatur; candida, & pinguis eſt ſicut thus, & odorem habet ſuavē, ſicut caſtoreum. Quandò frangitur, apparet interiùs candida, & gummoſa: diſſolvendi, laxandique habet virtutem, & eſt calida in tertio gradu, teſtibus Plinio, Iſidoro, & Dioſcoride. Talis eſt Beata Virgo, quæ virtutem habet igneam, & ardentem. Ex ipſa enim per charitatis ardorem ſtillat gummi fluidæ pietatis, quòd odoriferum eſt per famoſitatem, & diſſolvit mentes per contritionem, eaſque laxat per eleemoſinarum largitionem. Interiùs autem eſt candida, quia nihil unquam in ejus animam inquinatum influxit: ſed gummoſa, & glutinoſa, quia ad concordiam diſcordes revocat, & amorem. Medicinalis denique eſt contra vitia, & peccata, quia in devotis ſuis culparum venenum per gratiam extinguit.

10 Quid marmor Numidicum, quod ſimilem croco dimittit ſuccum? Quid marmori, & flori? Quid duro lapidi, & molli ſucco? Magna quidem convenientia, ſi eorum alterutrum ad Virginem reducas. Crocus enim, ut lib. 12. Reduct. Moral. cap. 39. ſcribit Berchorius, eſt herba floris cærulei, cujus maxima virtus eſt in flore, odoris boni, cui inter alias ejus virtutes duplex ineſt proprietas. Una, quia quandò cœpa, id eſt, radix ipſius matura eſt, in multas cœpas, & radices dividitur, & ex qualibet generatur planta: & ſic patet, quòd habet vim ſeminariam in radice. Alia eſt proprietas, quia tota hyeme viret maxima virtute, in æſtate autem deficit, & ſiccatur: ſed in medio Autumni iterùm incipit revirere, nàm tunc folia perdita recuperat, & reſumit. Crocus ergò fuit Beata Virgo, quæ florem, id eſt, exteriorem converſationem habuit pulchram, odoriferam, & famoſam. Quin & in hyeme tribulationis, paupertatis, & adverſitatis ſemper floruit per gratiæ venuſtatem: in æſtate autem proſperitatis fuit ſicca, id eſt, humilis, & temperata, ita quòd dicere potuit illud *Philip. 4. Scio abundare, & penuriam pati.* Quod autem Crocus vim habeat ſeminariam in radice, hoc indicat in Dei Matre, quod ex charitate, tanquàm ex radice, cæteræ virtutes, & bonæ affectiones pullulabant in ipſa. Neque illud reor tacendum, Croci florem, & ſuccum, ebrietati reſiſtere, ſi potetur, ſertumque de ejus flore contextum, ſi fronti imponatur, temulentiæ obviare. Quid autem flos Croci, vel ſuccus, niſi in Virginem devotio, & obſequium, vel ſobrietatatis virtus ad ejus imitationem, & honorem? Quia profectò ſi quis iſto flore fuerit coronatus, vel ejus potaverit ſuccum per exercitium virtutis, nunquàm à rerum temporalium ſuperabitur ebrietate, neque ab intemperantiæ temulentia lædetur.

11 Luculleum denique marmor, quod ab amatore Conſule Lucullo nomen inter cæteros lapides ferè ſolùm accepit, illam in Beatiſſima Virgine exprimit ſolam, & raram ſingularitatem, quæ nulli creaturæ communis eſt, nempè quòd ſit Mater, & Virgo; fœcunda, & intacta, cui ſic accedat fœcunditatis fructus, ut non decidat flos Virginitatis, undè

Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem,
Gaudia Matris habens, cum Virginitatis honore.

Quæ ſola ab amatore nomen accepit, ut ſola dicatur Mater Jeſu: neque enim alicui hominum datum eſt, ut Chriſto Jeſu dicere poſſit, ſicut Ipſa: *Filius meus es tu: ego genui te.*

Mira quidem dignitas, & ſublimis honor: in quo tamen culmine ita ſe præſtitit humilem, ut ſicut Lumenſis ex colore cineris appellatus, ita ex humilitatis affectu ſe cinerem eſſe reminiſceretur. Et propterea ſicut contrà ſerpentes illius lapidis alligatio laudatur, ità quoque memoria, & frequens *Mariæ* Nominis invocatio contrà dæmones eſt potentiſſima.

12 Fuit igitur Beata Virgo marmor diverſi generis in maculis, & coloribus, quia multis variata virtutibus. Nigra nimirùm per humilitatem, alba per caſtitatem, viridis per honeſtatem, purpurea per charitatem, vel propter acerbiſſimam martyrii cordis, & animi paſſionem; fuit etiam aurei coloris per ſapientiæ claritatem, per longanimitatem perſeverantiæ fortis, & ſolida, lucida per exemplorum ſplendorem, frigida per virginitatem, pulchra denique per honeſtatem. Et ſicut in venis marmorum juxtà Iſidorum multotiès lapides pretioſi inveniuntur; ità & Ipſa in venis interioribus, hoc eſt, in corde habuit virtutum multiplicitatem, quas ſuper aurum, & lapides pretioſos dilexit.

§. II.

Quid in Beata Virgine Alabaſtrum deſignet.

13 HUnc lapidem, ait Plinius lib. 36. Hiſt. natural. c. 8. aliqui alabaſtriten vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optimè ſervare incorrupta dicitur. Idem & uſtus emplaſtris convenit. Naſcitur circa Thebas Ægyptias, & Damaſcum Syriæ. Hic cæteris candidior. Probatiſſimus verò in Carmania, mox in India: Jam quidem & in Syria, Aſiaque. Viliſſimus autem, & ſine ullo nitore in Cappadocia. Probantur quam maximè mellei coloris, in vertice maculoſi, atque non translucidi. Berchorius quoque lib. 11. Reduct. Moral. c. 34. Alabaſtrum, inquit, eſt lapis candidus, tinctus variis coloribus, firmus, ſolidus, & frigidus, qui unguenta cuſtodit peroptimè incorrupta, quandò de eo fit vas prò unguentis aromaticis reſervandis.

14 Talis profectò fuit Beata Virgo, quæ condita fuit tanquàm vas ex candido Alabaſtrite. Candida per puritatem, & variis tincta coloribus per perfectionum varietatem, venuſta verò per exteriorem pulchritudinem, & honeſtatem converſationis. Non translucida per vanitatem, ſed per cuſtodiam humilitatis benè compacta. Unguentum gratię

aromaticum in ejus corde repoſitum ita incorruptū ſervavit, ut nulla unquàm culpę putredo ipſam corruperit. Vel Ipſa ex alabaſtro vas, undè depromuntur miſericordiæ, & pietatis unguenta, ad miſerorū remedium, atque levamen. Vel optima unguenta ſervavit, chariſmata ſcilicet, & dona Spiritus Sancti. Sed præcipuè fuit vas alabaſtri in conceptione filii Dei, quem tanquàm oleum, & unguentum ſuaviſſimum de Cœlo in ſua viſcera delapſum, novem menſium ſpatio fovit, & cuſtodivit, ejuſque fragrātiam effudit in partu, è cujus ſuffitu totus orbis attractus, in odorem unguentorum ſuorum cucurrit. Tradit autem Dioſcorides alabaſtrum valere ad victoriam obtinendam, nutrire verò, & conſervare amicitiam: quia qui *Mariæ* habuerit patrocinium, victoriam ſinè dubio reportabit vitiorum, & amicitiam cum Deo ſervabit.

§. III.

In Rupe Mariæ fortitudinem ſignificari.

15 PLura quidem de Rupe ad præſignandas Deiparæ virtutes hieroglyphica poſſe componi non dubitabam. Sunt enim Rupes ex Berchorio lib. 11. Reduct. Moral. cap. 28. altiſſimi montes, & ex naturali altitudine vel altiſſimam Deiparę contemplationem, vel eminentiam ejus sāctitatis ſignificare haud dubium. Sæpè etiam aquarum fontes emittunt, & flumina: ut de corde Virginis fidem faciant ad utilitatem hominum gratiarum fluenta manare: nam & ipſa de ſe dicit *Eccli. 24. Ego ſapientia effudi flumina.* Continent etiam quandoque lapides gemmantes, & metalla, quia nimirùm Beata Virgo pretioſas virtutum gemmas, & meritorum metalla in ſe collegit. Sunt quoque loca alta, & tuta, munitionibus, & caſtris valdè apta ædificandis: non enim ignoramus Deiparam tanquàm Rupem altam, & tutam, à vitiis, & tentationibus fuiſſe ſecuram, vel ſic etiam Deo proximam, ut in arduis eminentiſſimæ ſanctimoniæ poſuerit nidum ſuum. Præterea Rupes à viciniori Sole irradiantur; & Ipſa proximiùs poſt Chriſtum à lumine divinæ illuſtrata ſapientiæ.

16 Hæc quidem omnia ſciebam, ſed lubens volui præterire ſilentio, ut in Rupibus tantùm Marianæ fortitudinis ſimulachrum juxtà crucem exſculperem. Et quidem non me cogitatio fallit. Sunt enim Rupes, fortiſſima naturæ repagula, in quibus feri maris procellæ, atque undarum impetus colliduntur, quæ quidem ibi franguntur, ſed Rupium firmitatem non frangunt. Dicuntur quoque ſuprema Rupium, *ſcopuli* à *ſcopin*, quod eſt *ſpeculari* juxtà Iſidorum. Quid ergò videtur *Maria* juxtà crucem, niſi tanquàm Rupes immota, in quam collimabant ſævientes filii paſſionis undæ, & decumani dolorum fluctus, ita tamen ut ſtantem non dejicerent, neque à filii patientis contemplatione removerent. O ſpectabilem virtutis coloſſum! O inenarrabilis fortitudinis Simulachrum! Huc mihi veniat Philoſophus ille, qui inſano, & audaci conatu Montem Atho in Alexandri effigiem transformare volebat: temeraria ſanè ſculptura, aut de monte Alexandrum, vel de Alexandro montem facere: huc mihi veniat, inquam, & meliori ſucceſſu Virgineæ Imaginem fortitudinis excidet in Rupe.

17 Sed fortè meliùs periti lingua Sculptoris potiùs, quàm Scriptoris, in aureum converſa Scalpellum, veram invicti, & fortis animi effigiem dabit. Igitur Placidus Nigidus ſerm. 11. de Virgine ſtante juxta Crucem, aut ſculpit, aut ſcribit, dicens. Spectaculum verè una, & gratia omni plenum, atque jucunditate ſpectaculum facta eſt Deo, Angelis, & ipſimet filio hominis, hominum Principi, atque Capiti, Virgo fortitudine ſua; ut ſtaret nimirùm corde transfixo. *Et tuam ipſius*, inquit, *animam pertranſibit gladius. Luc. 2.* Sed nunquid ad diectionem corporis, atque afflictionem? Nequaquam; propterea enim ait, quòd ſtabat juxtà Crucem, jubebatque quodammodò, & alias mulieres ſecum ſtare, communicatione virtutis. *In patientia*, ait, *veſtra poſſidebitis animas veſtras*; ut nihil ſcilicet ſinatis illas à vobis eripi, atque diſtrahi in alia.

18 Ita poſſedit Virgo animam, ut & ſimul corpus poſſederit. Qua in re quidem vicit omnes Martyres: enimverò Martyrum corpora cecidere in animarum poſſeſſione; ita enim illi poſſederunt animas ſuas, ut corpora fuerint direptioni. Nec Martyres modò, ferro qui fuere martyres; verùm & qui deindè magnæ Martyris imitatione ad Regem martyriorum adducti ſunt, Martyres corde, atque animo; enim verò & hi ita poſſederant animas ſuas; ut tamen corpora ſi non fracta ſint manifeſtando intùs lumini, attenuata tamen ſint à pugna, atque pugnæ certamine. Cæterum Virgo eadem ſemper, ſemperque ſibi ſimilis ſtetit in conſpectu Domini Dei ſui, cor, atque corpus conſtans, ac firma; uſurpanſque cor meum, & caro mea ſteterunt in Domini Dei vivi, & Salvatoris mei famulatum.

19 Generationem filii Dei, & *Mariæ* Aſſumptionem, quidam ait, quis enarrabit? Et cur & Aſſumptionem? Quia ornata præſentia ipſiuſmet filii Dei, cujus inenarrabilis, atque incomprehenſibilis generatio. Audet aliquis dicere, & meritò, Aſſumptionem *Mariæ* Dominæ in Cœlos, longè honorabiliorem exſtitiſſe, ac digniorem, quam Domini ipſius Aſcenſionem. Et cur, inquies, & undè? Ob illud ipſum, quòd non cohoneſtatus aſcenſus Domini præſentia corporali dignioris perſonæ, ut Aſſumptio Dominæ, quam præſens ipſe filius Dei, atque adſtans mirificè cohoneſtavit, mirabilemque, & omni veneratione dignam cœleſtibus illis civibus reddidit univerſis.

20 Parum hoc quidem præſentiæ fuiſſet; niſi idem Dei filius manum, humerumque, cui Virgo inniteretur, exhibuiſſet. Hinc meritò mirantes ajunt *Cant. 3. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Enim verò primatus cujuſdam ſignum, atque præcellentiæ ratio eſt in nixu ejus, qui innitatur in eum, ſuper quem innitatur. Atque id quidem ſi attenderis, jure obſtupeſces, diceſque reſtitutus à ſtupore: Aſſumptionem ejus Virginis quis enarrabit? Enim verò etſi ſubditum Matri ſe oſtendiſſe filium in diebus carnis ſuæ magnum quid

eſt, habetque admirationes ſupremas, atque maximas; quo tamen pertingat neſcis, cujuſque ſit dignitatis *Mariæ* eundem filium, eidem ſe quodammodò famulum oſtendiſſe, quique præberet nixum in diebus gloriæ ſuæ.

21 Sed cùm inenarrabilem ſic Aſſumptionem dixerimus Virginis, equidem inenarrabiliorem ejuſdem juxtà crucem dixerim fortitudinem. Fortitudinem igitur ejus & quis enarrabit? Et cur? Ipſemet filius Dei, ut videret viſionem hanc tantam, & obſtupeſceret, in arborem illam aſcendit. Exultavit aliquandò, ut videret, vidit, & gaviſus eſt. Tantus ſcilicet Moyſes tantæ viſioni, & miraculo intuendo paratus fuit. Et miraris, quòd videns à Cruce non dixerit: *O mulier, magna eſt fides tua?* Atqui ait: *Eccè filius tuus*. Ac ſi: Filius ſpei tuæ. Sicut credidiſti, & ſperaſti fiat tibi.

22 Et ſpes quidem Virginis juxtà Crucem in eo, ut quia adjutorium eſſet Ipſa ſimile patienti; patiens verò filius animam ſuam jam poneret, viſura eſſet ſibi, ex filio, & Sponſo ſemen longævum; ſic enim prophetatum fuerat *Eſa.* 53. *Si poſuerit animam ſuam, videbit ſemen longævum*. In hoc, inquam, ſingularis Virginis Dominæ juxtà crucem erat ſpes, cùm ſtatim ibidem accepit filium fidei ſuæ, atque ſpei Joannem, & aliorum futurorum exemplar, atque arram. Itaque accepit illud, *Fiat tibi, ſicut vis*.

23 Sed etſi Dominus videns fortitudinem ejus non erupit in verba, continuit autem ſe ipſe, & ſilentio cuncta ſuppreſſit, id utique magnitudini fortitudinis, quam in mulieris corde vidit, tribuendum eſt, quam ſilentio, more divinorum, voluit honoratam, ſicut dicitur *Pſal.* 64. *Te decet ſilentium Deus in Sion*. Ita igitur in fortitudine ſua ſtetit Virgo patiens, & ſilens, ut miraretur Præſes; ut miraretur & Deus. Itaque fortitudinem Mariæ quis enarrabit, quam à ligno Crucis, ſublimis ſpectator effectus ipſe Dei filius admiratur? Hæc ille. Tu verò te fatere Lector elinguem, ubi vides Verbum Patris in carne, Matris ſuæ ſuſpicere fortitudinem, tantæque virtutis ſimulachrum ſilentio admirare, & cùm nullæ linguæ hominum, vel Angelorum, ut par eſt, ejus fortitudinem valeant laudare, prò epigraphe vocali inſcribe: *Tibi ſilentium Laus*.

§. IV.

Quid myſterii habeat Icon in quarta litera Nominis Mariæ.

24 QUid eſt Icon, dices? Reſpondeo: Lapis loquens. Eſt nè lapidibus lingua? Ita. A natura, vel ab arte? A naturæ propriis hęc illis competit. Quo autem ſermone loquuntur. Omnigeno. Eruditi nè in Scholis ad diſcenda linguarum genera? Minimè. Quos ergò Magiſtros habent? Naturam, & alterius linguam. Planè ſilices loquentes, lapideſvè vocales, naturæ miracula mihi videntur: vel novus hic loquendi modus ęnigmati ſimilis. Et tamen quod dico verum eſt, teſte Iſidoro lib. 16. origin. c. 3. Icon, inquit, ſaxum eſt, quod humanæ vocis ſonum captans, etiam verba loquentium imitatur, εἰκὼν autem Græcè, Latinè *imago* vocatur, eò quòd ad vocem reſpondens alieni efficitur imago ſermonis: licèt hoc quidem & locorum natura eveniat, ac plerumque Convallium.

25 Quid igitur Icon? Echo eſt, illa ſcilicet ſpecuum, ſilvarumque Sybilla, vocis proles, filia linguæ, aeris Nympha, vocis imago, quæ nemora, & rupes inhabitat, & omnium loquitur linguis: muta ſimul, & facunda, quę neſcit loqui, & tamen loquitur. Undè Ovidius lib. 3. Metam. canit.

Vocalis Nymphæ, quæ nec reticere loquenti,
Nec prior ipſa loqui didicit, reſonabilis Echo.
Corpus adhuc Echo, non vox erat: & tamen uſum
Garrula non alium, quam nunc habet, oris habebat,
Reddere de multis ut verba noviſſima poſſet.

Et Ambroſius lib. 6. Hexamer. Siquidem, inquit, vel in concavis montium, vel in receſſu rupium, vel in anfractu fluminum, vox auditur dulcior, reſponſa ſuavia referens Echo reſultat. Plinius quoque lib. 3. hiſt. natur. c. 4. Montium verò flexus, ait, crebrique vertices, & conflexa cubito, aut confracta in humeros juga, concavi vallium ſinus, ſcindunt inæqualiter indè reſultantem aera: quæ cauſa etiam voces multis in locis reciprocas facit. Et lib. 36. c. 15. ad confirmationem ſuperaddens, ait. Eadem in urbe Cyzico juxtà portam, quæ Thracia vocatur, Turres ſeptem, acceptas voces numeroſiore repercuſſu multiplicant: nomenque huic miraculo *Echo* eſt à Græcis datum. Et hoc quidem natura locorum evenit, & plerumque convallium, ibi caſu accidit. Olympiæ autem arte mirabili modo in porticu, quam oppidani *heptaphonon* appellant, quoniam ſepties eadem vox redditur,

26 Non otioſè profectò quarta litera Mariæ Nominis eſt Icon ſonans, hoc eſt, loquax Echo, non tàm naturæ, quàm gratiæprodigium, è qua videlicet reſultant amoris, & pietatis, ac miſericordiæ voces. Loquere huic petræ per affectum, & devotionem, & illa reſponſum tibi dabit. Quid clamas? Heu me miſerum, & *infelicem*! Et illa repetit: *Felicem* te efficiam. Quid petis? *Amorem*. Et illa reſpondet: *Morem* tibi gero. Dicis: An mihi gratiam ſuam *concedet*? Jam ab ipſa reſponſum audis: *Cedet*. Flagitas, ut illa ſit tibi protectionis *lapis?* Ipſa verò addit: & *Apis*. Ut conſolationis mella propinet. Denique ſi ad Ipſam eris *clamans*. Et illa: ero, inquit, *Amans*. Vides quàm ſuaves voces hæc reddat Echo, atque reflectat. Propterea neque incongruum erit repetere verba Bernardi dicentis: Sileat miſericordiam tuam, Virgo Beata, ſi quis te invocatam in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe.

27 Altera ſupremi ordinis Echo in corde Virginis eſt peracta, cùm Deus humanam eſt indutus naturam. Angelicus ſiquidem Paranymphus dùm Virgini Dominicam annunciabat Incarnationem, quædam mirabilis Echo è Virgineis cordis anfractibus numeroſiore reflexu eſt repercuſſa. Attendite voces Echo reciprocantes, dùm Angelus Virginem ſalutando, inquit.

Ave gratia plena, nam de Cælo tibi donum advenit optimum. Imum?
Supremum dicas, non infimum. Imum.
Humilis ergò erit Deus, ſimul & Inſignis. Ignis.
Et quidem ut ardens Ignis dimicabit. Micabit.
Verùm, an nè tuis viſceribus eſt illapſus? Lapſus.
Videò igitur in exiguo iubar infinitum. Finitum.
Sed ſi Sol divinus eſt æternus, patietur nè occaſum? Caſum.
Fortè vis mortem dicere Perita. Ità.
Pænam ergò mortis etiam aſſumpſit. Sumpſit.
Sed quis dolores mortis potuit inferre? Ferre.
Scilicet ex amore calefactus. Factus.
Quid eſt verò Ipſe factus? Actus.
Actus purus Dei filius, cuius ſemper eſt præeſſe. Eſſe.
O magnæ myſterium Virtutis arcanæ. Cane.
Quid canam? Deumnè mortalem? Talem.
Sed Deus eſt æternus. Ternus.
Cur autem ſolus Filius in carne perſonatus? Natus.
Ergo Verbum mundo illuxit. Luxit.
Fuit nè miſer ille fletus? Lætus.
O dulciſſima Dei luctus memoria? Moria.
Montem quidem necis memoras nefaſtum. Faſtum.
Et verè ibi faſtum ſuæ charitatis Deus oſtendet. Tendet.
Amoris nempè, & miſericordiæ Theatrum. Atrum.
Tenebris ſcilicet in meridie Cælo obductis. Ductis.
Ergò nè tu Echo es Sybilla? Illa.
Immò & ut video, Ancilla es ſubmiſſa. Iſſa.
Iam non miror, quod in te facias Deum illabi. Abi.

28 Diſceſſit Angelus à Virgine; & Verbum annunciatum non evanuit, ut Echo, vocis imago, quæ ceſſante perit loquentis voce, ſed remanſit caro factum, & cum natura humana tam indiſſolubili nexu unitum, ut quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſerit. Pulchrum ergò, & operoſum eſt cernere in Verbo incarnato vivam voces Imaginem, & Patris ab æterno dicentis, & Matris in tempore loquentis. O novum, & mirabile ſonantis Echo magiſterium! Verùm de hoc alibi. Vide Tomum quintum de Interpretatione, verbo *Echo*.

§. V.

Quem Virginis typum præferat Asbeſton.

29 MIrum quoddam naturæ portentum de hoc lapide refert Iſidorus *lib.* 16. *Origin. c.* 4. Abſteſton Arcadiæ lapis, ferrei coloris, ab igne nomen ſortitus, eò quod accenſus ſemel nunquàm extinguitur. De quo lapide mechanicum aliquid humana ars molita eſt: quod Gentiles capti ſacrilegio mirarentur. Denique in templo quodam fuiſſe Veneris fanum dicunt, ibique candelabrum, & in eo lucernam ſub divo ſic ardentem, ut eam nulla tempeſta, nullus imber extingueret.

Talis fuit Beata Virgo, cuius anima tanquàm lucerna ſic igne charitatis, & divini amoris fuit accenſa, ut illam neque imbres mundanę proſperitatis, neque venti tribulationum, & adverſitatum extinguere potuerint. *Cant.* 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Vel igne Spiritus Sancti ita ſuccenſa, quod calor eius, & lux nunquàm per culpam deficere potuit. Vel ità flagrans charitatis ardore, ut in amore Dei ſemper arderet.

CAP. VI.

Metalla, & Gemmæ in exprimendis Beatæ Virginis perfectionibus nobilitantur.

1 AVaritia, & poſſidendi, delectandique libido eò uſque proceſſit inſaniæ, ut metallo-

tallorum, gemmarumque innocentiam maculoſi criminis nota turpiter infamaverit. Quandoquidem metalla, gemmas, rerum pretia, ipſaſque opes inſana venari aviditate non ceſſat: & ut Plinius in Proęmio *lib.* 33. *Hiſtor.* Naturalis; tellurem intus inquirente cura multiplici modo. Quippè alibi divitiis foditur, quærente vita aurum, argentum, electrum, æs: alibi deliciis gemmmas, & parietum, digitorumque pigmenta: Alibi temeritati ferrum, auro etiam gratius inter bella, cædeſque. Perſequitur omnes eius fibras, videmuſque ſuper excavatam, mirantes dehiſcere aliquandò, aut intremiſcere illam, ceù verò non hoc etiam indignatione ſacræ Parentis exprimi poſſit. Imus in viſcera eius, & in ſede manium opes quærimus, tanquam parùm benigna, fertilique, quaquà calcatur. Inter hæc minimum remediorum gratia ſcrutamur. Quoto enim cuique fodiendi cauſa medicina eſt? Quanquàm & hæc ſumma ſui parte tribuit, ut minimè parca, faciliſque in omnibus, quæ proſunt. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultavit, atque demerſit, illa quæ non naſcuntur: ut repentè mens ad inanè evolans reputet, quæ deindè futura ſit finis, ſeculis omnibus exhauriendam, quouſque penetret avaritia.

2 Quàm innocens, quam beata, immò verò & delicata eſſet vita, ſi nihil aliud quam ſuprà terras concupiſceret, breviterque niſi quod ſecum eſt? Eruitur aurum, & chryſocolla juxtà, ut pretioſior videatur nomen ex auro cuſtodiens. Parum enim erat unam vitę inveniſſe peſtem, niſi in pretio eſſet auri etiam ſanies. Quærebat argentum avaritia, boni conſuluit interim inveniſse minium, rubentiſque terrę excogitavit uſum. Heù prodigioſa Ingenia, quot modis auximus pretia rerum? Acceſſit ars picturæ, & aurum, argentumque cælando, cariùs fecimus. Didicit homo Naturam provocare. Auxere & artem vitiorum irritamenta. In poculis libidines cælare iuvit, ac per obſcęnitates bibere. Abiecta deindè ſunt hæc, & ſordere cœpere, & auri, argentique nimium fuit. Murrhina, & cryſtallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipſa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria exiſtimata eſt, habere quod poſſet ſtatim totum perire. Nec hoc fuit ſatis, turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices, ac temulentiæ causà tenere Indiam iuvat, & aurum iam acceſſio eſt.

3 Hæc de ſui ſeculi avaritia, faſtu, luxuque Plinius aiebat, cui meritò meretricium crimen imputabat, cum auri, argentique puritatem, gemmarumque munditiam traheret ad ſordida libidinis dehoneſtamenta. Sed Deo laus. Inventum tandem, quo ſe ab inuſtis ignominiæ notis ſubducere poſſent. Ex quo Deus condidit *Mariam*, jam in eius Nomine aurum, argentum, gemmarumque ornamenta, nobiliora non ſolùm, verùm & pretioſiora redduntur. Hoc autem ea fuit de cauſa, quia non tam Sacratiſſimum Nomen componere, quam præclaras Deiparæ perfectiones adumbrare probantur. Sis ergò feliciter, ò Beatiſſima *Maria*, vel in ipſo tuo vocabulo, aurea, argentea, metallica, & gemmea, ut ſequentes voces, quę primis literis Nomen tuum efficiunt, plenè demonſtrant: Scilicet;

M ercurius
A urum.
R oditis.
I deus dactylus
A rgentum.

§. I.

Mercurii hieroglyphica in Beata Virgine deſcripta.

4 QUem Chimici inter mettalla Mercurium dicunt, Gręci hidrargyron appellant & Argentum vivum Latini. Mercurii igitur, ſivè Argenti vivi quidditatem, & proprietates recitat Berchorius *l.* 21. *Reduct. Moral. c.* 39. Argentum vivum, inquit, eſt argentum ſimplex, & incompoſitum. Et habet Argentum vivum ſiccitatem, ſubtilitatem, puritatem, & albedinem. Nam in ipſo eſt ſiccitas ex ſubſtantia terræ; ſubtilitas, & mobilitas ex fluxibilitate aquę; & albedo ex aeris corporatione. Nam aer, aqua, terra, ad eius compoſitionem conveniunt, & indiſſolubiliter coniunguntur, & ideò propter vincentem ſiccitatem, in ſuperficie plana non liqueſcit, nec adhæret tangenti, ſicut id quod eſt aquoſum, ut dicit Ariſroteles.

5 Ex his ergò Mercurii proprietatibus virtutum Beatiſſimæ Virginis hieroglyphica deſumuntur. Ipſa enim habuit omnium perfectiones virtutum. Nam fuit alba per caſtitatem, lucens per exemplaritatem, ſubtilis per diſcretionem, ſicca per temperantiam, & corporis macerationem, mobilis per obedientiam, & ſubiectionem, vel etiam per bonam operationem. Et hoc, quia in Ipſa verè fuit aqua fluida pietatis, terra ſolida conſtantię, & firmitatis, & aer lucidus per ſcientię claritatem, & puritatem ſubtilitatis, quę omnia ex intima unione cum Deo, & per confirmationem in gratia, indiſſolubili nexu in eius animo invicem colligata fuerunt. Et idò in plano excelſiſſimæ dignitatis poſita, tunc ſcilicet quando facta eſt Dei Mater, nequaquam per elationem animi liquefacta, per ſuperbiæ vitium nec defluxit, ſed intrà debitos terminos diſcretionis, prudentiæ, & humilitatis ſe continuit.

6 Pulchrè autem dicitur, quod Argentum vivum eſt ſimplex omnium metallorum, quia ſecundùm Ariſtotelem in libris Meteororum, unà cum ſulphure eſt elementum, & materia omnium aliorum metallorum. Et in hoc ſignificatur, quod gratia præſervationis à culpa originali, & illa puritas innocentiæ vel à primo ſuæ conceptionis inſtanti, fuit in virgine origo, & principium omnium bonorum, cæterarum ſcilicet gratiarum, atque donorum, quę Deiparam exornarunt.

7 Argentum vivum igitur eſt album, liquidum, fluxibile mobile, calidum, & humidum, omnes penè materias, pręter vitrum, penetrans,

& cor-

& corrodens, ſecundùm Iſidorum: & eccè pulcherrima Virginis hieroglyphica. Fuit enim alba per pulchritudinem, ſed per honeſtatem candidior. Fluxibilis per viſceroſam compaſſionem. Mobilis per Sancti Spiritus impulſum. Calida per charitatis ardorem. Humida per pietatis humorem. Habuit autem virtutem inciſivam, quia omnia vitia perforavit, atque deſtruxit.

8 Denique Berchorius loco ſuprà citato ſcribit, quod nullum metallum poteſt deaurari ſinè Argento vivo, & quod in vaſe vitreo iſtud melius, quàm in aliis conſervatur. Sic verè ad hoc quod homo efficiatur aureus per perfectam honeſtatem, oportet quod habeat argentum vivum, ideſt, gratiam, & charitatem, caſtitatem, & pietatem, quæ per argentum vivum ſignificantur, quod eſt calidum, humidum, & album. Et notanter in vaſe vitreo, ideſt, in homine, qui ſe reputat vitreum, & fragilem, melius huiuſmodi argentum, ideſt, gratia conſervatur, quia Deus tales humiles cuſtodit à peccato, & in eis gratiam ſervat; quia ſecundum Bernardum: Magna eſt firmitas apud Deum, infirmitatem propriam cogitare.

Quę quidem etiam poſſunt de Beata Virgine interpretari. Ipſa enim eſt, per cuius preces homines gratia divina deaurantur, & aurei efficiuntur per charitatem. Vel per argentum vivum, quod meliùs in vitreo vaſe conſervatur, intelligemus eius benevolentiam, & amicitiam, quæ in vitro, hoc eſt, in homine humili, & compuncto optimè cuſtoditur, dùm ſe cinerem, & pulverem penſat: nam & de Beata Virgine verificatur illud *Sap.* 1. *In malevolam animam non introibit Sapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

§. II.

Per aurum plurimas Virginis dotes præfigurari.

9 AVrum, ut Iſidorus *lib.* 16. *Origin. c.* 17. inquit, *ab aurà* dictum, ideſt, à ſplendore, quod repercuſſo aere plùs fulgeat. Undè & Virgilius:

Diſcolor indè auri per ramos aura refulſit:

Hoc eſt, ſplendor auri. Naturale enim eſt, ut metallorum ſplendor plùs fulgeat luce alia repercuſſus. Per aurum igitur ſignificatur excellentia Sanctitatis fulgurantis in Beata Virgine ſuper omnes alios Sanctos. Nam teſte Berchorio *lib.* 11. *Reduct. Moral. c.* 35. Aurum tunc ſuper omnia metalla rutilat, quandò à Sole repercutitur, & intantum etiam tunc refulget, quod in proximos parietes diffunditur fulgor eius. Sic verè Beata Virgo tunc ſummè rutilavit per omnimodam honeſtatem, & virtutum luciditatem, quandò Sol, ideſt, Dei filius in eam eſt infuſus. Nam tunc, & ex tunc fulgor ſuæ gratiæ, & virtutis per omnes partes Mundi mirabiliter ſe diffudit. 1. *Machab.* 6. *Refulſit Sol in clypeo aureos, & reſplenduerunt montes ab eis.* Clypei enim aurei ſunt pura viſcera Virginis glorioſæ, in quà Sol, ideſt, Dei filius carnem aſſumendo refulſit, & in montes, ideſt, viros juſtos, & perfectos ſplendor ſuæ gratiæ redundavit.

10 Auro inter metalla nihil pulchriùs in colore, & ideò omnium colorum, & metallorum pulchritudo dicitur, atque decor. Et Beata Virgo præ cæteris aureo virtutum colore reſplenduit, undè eſt pulchritudo, & humani generis ornamentum. Pulchritudinem auri præ cæteris metallis miramur, quia color aureus cæteris nobilior, & clarior, magis delectat viſum. Et Beatæ Virginis venuſtatem ſuprà reliquos Sanctos merito admiramur: nam de eà dicitur *Eccli.* 43. *Pulchritudinem candoris admirabitur oculus*: qui etiam in Patria poſt pulcherrimam ſpeciem humanitatis Chriſti filii ſui, magis oblectabit oculos Beatorum.

Aurum eſt ponderoſiùs argento. Et huius ratio eſt, quia ex Philoſopho ult. Meteor. aurum ſicut alia metalla procreatur materialiter ex ſulphure ſubtili, & rubeo, & ex vivo argento ſubtili, & albo. Plùs tamen concurrit ad eius compoſitionem de ſoliditate ſulphuris, quàm de aereo aquoſo vivi argenti; & ideò aurum eſt ſolidius, & ponderoſius, quàm argentum, quia in auro plus eſt de ſulphure, quàm de argento vivo. In argento è contrario eſt. Sicut ergò aurum multam habet ponderoſitatem: Sic Beata Virgo habuit pondus gravitatis, & maturitatis. Non enim ſinè pondere loquebatur, nec ſinè pondere converſabatur, nec ſinè pondere debito aliquid operabatur.

11 Aurum nullam rubiginem patitur: & Beata Virgo nullum habuit vitium, vel imperfectionem.

Aurum in igne poſitum non evaporat. Et Ipſa in igne, hoc eſt, in Splendore excellentiſſimæ dignitatis poſita, cum Dei Mater fuit electa, per nullam elationem evaporavit, ſed magis liquefacta eſt per humiliationem.

Aurum ſicut cætera metalla non eſt ſonorum: quia Beata Virgo ex humilitate amavit ſilentium, & pauciſſima verba dixit, quæ referuntur in Evangeliis.

Aurum non reſonat malleo percuſſum: ſed potius in tenuiſſimas laminas d latatur. Sic Deipara ſub malleo tribulationis nullum ſonum per impatientiam emiſit; ſed magis per charitatem, & ſpiritale gaudium dilatabatur. *Cor noſtrum dilatatum eſt.* 2. *ad Corinth.* 6.

12 Aurum igitur eſt rubeum, ſplendens, ſolidum, pulchrum, & ponderoſum, & magni valoris. Sic & Beata Virgo fuit aurum rubeum, quantum ad ruborem charitatis, & amicitię cum Deo; ſplendens, quantùm ad ſplendorem ſcientię, & veritatis; ſolidum, quantùm ad ſoliditatem conſtantiæ, & firmitatis; pulchrum, quantùm ad colorem decentiæ, & honeſtatis, ponderoſum, quantùm ad pondus prudentiæ, & maturitatis; magni verò pretii, quantùm ad valorem virtutis, & gratiæ, & bonitatis. Sed quod præcipuè laudatur in auro eſt ductilitas; vel ut ità loquar, docilitas: per quam obedientiæ virtus ſignificatur. Nihil enim inter metalla auro ductiliùs, vel dociliùs. Nam aurum, juxtà Platearium, dùm malleatur, non rumpitur, nec ſcinditur, ſed inter malleum, & incudem ſinè ruptione, vel diſcontinuatione in bracteas tenuiſſimas ſecundùm votum artificis ęqualiter dilatatur.

Et

Et quidem Beatiſſima Virgo fuit perfectiſſimè ductilis per obedientiam, & ſubiectionem ad voluntatem artificis Dei, ad cuius imperium ducta, & reflexa circunquaque per bonam operationem, & æqualiter ad omnes ſcilicet iuſtos, & peccatores per dilectionem, & charitatem dilatata.

13 Aurum denique, ut dicitur in lib. de naturis rerum, medicam habet virtutem: nam in pulverem redactum, & antidotis mixtum, lepram, & ſcabiem curat. Pollet confortandi virtute, non quod membris incorporetur, aut ea nutriat, ſed quia alterativa virtute corpus immutat. Unde Avicenna *Canon.* 2. afferit, quod auri pulvis confortat oculos, & confert doloribus cordis, ac tremori eius. Ttaditur etiam, quod retentio auri in ore, fętorem ipſius oris removet, & bonum halitum facit. O qualem vim, & efficaciam, & medendi virtutem habes, ò Beatiſſima fœminarum! Per tuam enim efficaciſſimam apud Deum interceſſionem ſcabies, & lepra peccati curatur in iis, qui ad tuum confugiunt auxilium. Tu oculis mederis humanis, eoſque in huius caliginoſæ vitæ tenebris caligantes clarificas, & confortas, ut ad verum æternitatis lumen aciem pupillarum intendant. Tu in morte devotorum tuorum corda tranquillas, & recreas, conſolationibus dolores indulcas; timores, atque tremores animæ mitigas, ſiſtis, ſperati tui fiduciâ præſidii. Nullus etiam adeò deſperatus peccator eſt, qui ad vitam reſpirare non poſſit, & malè olentem, corruptamque peccatorum mephitim ab anima removere, ſi te per veram pœnitentiam de commiſſis, & cautionem de futuris, habeat in corde, & in ore, per ſincerum devotionis obſequium.

§. III.

Quam excellentiam ſignificet in B. Virgine Roditis Gemma.

14 INter purpureas Gemmas Roditis numeratur ab Iſidoro *lib.* 16. *Orig. c.* 9. Roditis, inquit, roſea eſt, & ex eo nomen accepit. Pulchrum autem habemus myſterium in roſea Gemma, vel in gemmea Roſa. Quid ergò ad Deiparam hæc Roſa? Lætitiæ augurem arbitror eſſe Roſam, quoniam & à Poetis *Roſa riſus* ineuntis Veris appellatur. Huius autem denominationis notionem poſſumus capere à Dominica quarta Quadrageſimæ, quæ dicitur Dominica de Roſa. Undè autem cognomen habet à Roſa. Reſpondet Iacobus de Voragine *ſerm.* 2. *Dom.* 4. *Quadrag.* Cauſa appellationis eſt, quia in hac die Summus Pontifex per Urbem portat Roſam auream, & balſamo, & muſco intus plenam, quam poſtmodum dat Præfecto Urbis: Quarè autem iſta Roſa portatur, ratio triplex aſſignari poteſt. Una literalis: alia ſpiritualis: & tertia moralis.

15 Ratio autem literalis eſt, pro ut dicit Innocentius in ſermone quodam: Quoniam corruptibile corpus noſtrum ex nimio labore, & fatigatione deficeret, niſi ipſum ad recreationis remedium relevaretur. Undè dicitur: *Interpone tuis interdum gaudia curis.* Nam, *Quod caret alterna requie, durabile non eſt.* Undè & Sanctus Antonius poſt longum laborem, ſolitus erat aliquam ducere recreationem: & cum hoc cuidam Sagittario diſplicuiſſet, docuit eum Sanctus Antonius per arcus nimiam extenſionem, quod oportet interdum laxare rigorem. Eccleſia igitur populum jejuniis fatigatum triplici remedio nititur hodiè relevare. Primò, verbo lætificante: omnia enim quæ ſunt in hodierna Miſſa, tam in Introitu, quàm in Epiſtola, quam in toto officio ſunt gaudioſa; & ideò eos, qui in pœnitentia laborant, fortificat: quia delectatio fortificat operationem, ut dicitur in Ethicis. Secundò, cibo confortante, ſicut patet in Evangelio. Iſtud enim miraculum de quinque panibus, ſicut tunc refecit corporaliter, ſic nos debet reficere ſpiritualiter. Tertiò, quodam ſolatio recreante, ſcilicet Roſæ deportatione. Undè dicit ibidem Innocentius. Nè populus propter aſperitatem quadrageſimalis obſervantiæ, continuo labore deficeret, in hac media Dominica, Roſæ ſolatium interponitur: ut anxietas temperata, melius ſufferatur.

16 Secunda ratio eſt ſpiritualis. Per Roſam enim illam tam naturalem, quam artificialem Chriſtus ſignatur. In illa enim Roſa artificiali tria ſunt, ſcilicet aurum, muſcum, & balſamum. Similiter in Chriſto ſunt tres ſubſtantiæ, ſcilicet caro, quæ ſignatur per aurum, quod corrumpi non poteſt. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Pſal.* 15. Anima, quæ plena fuit muſco, ideſt, odore omnium virtutum, & gratiarum. *Trahe me, poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant.* 1. Et divinitas, quæ ſignatur per balſamum. *Eccli.* 24. *Quaſi balſamum non mixtum odor meus.* Divinitas enim fuit carni unita, ſed non admixta. Qui vult igitur laborem pœnitentiæ ferre, debet hanc Roſam in corde portare.

Signatur etiam Chriſtus per Roſam naturalem, quæ præ cæteris floribus magis delectat viſum ſuo colore: magis recreat olfactum ſuo odore: magis confortat guſtum ſuo ſapore. Sic etiam Chriſtus eſt delectabilis ad intuendum. 1. *Pet.* 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Eſt ſuavis ad odorandum. *Cant.* 1. *Trahe me, poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Eſt dulcis ad pręguſtandum. 1. *Pet.* 2. *Si tamen guſtaſtis, quàm dulcis eſt Dominus.* Non debet igitur fatigare fideles labor pœnitentiæ, conſiderando hanc Roſam, in qua recepturi ſunt tantæ charitatis viſionem, tantæ ſuavitatis odorem, & tantę ſatietatis refectionem.

17 Tertia ratio eſt moralis. Per Roſam enim ſignatur, quod per pœnitentiam ſpinæ vitiorum noſtrorum convertuntur in Roſas virtutum. Undè dicit Ambroſius in ſermone, quod per abſtinentiam ſpinæ vitiorum convertuntur in Roſas virtutum: producit enim, inquit, per jejunium libido continentiam, ſuperbia humilitatem, ebrietas ſobrietatem. Nec eſt intelligendum, quod vitia per ſe producant virtutes, quibus contraria ſunt, ſed quod per jejunium fit, quod qui priùs erat libidinoſus, efficitur caſtus: qui priùs erat ſuperbus, efficitur humilis, & manſuetus: qui priùs ebrioſus, efficitur ſobrius. *Eſa.* 55. *Prò ſaliunca abies aſcendet, & prò urtica creſcet myrtus.* *Saliuncula* eſt herba ſpinoſa, dicta *à ſaliendo*, eò quòd ſe conculcantes ſalire facit. *Abies* dicitur *ab eundo*, eò quòd præ cæteris arboribus longè eat; & in exceſſum præmineat. Per ſaliunculam igitur intelligitur amor mundi, qui eſt ſpinoſus juxtà illud *Matth.* 7. *Nunquid colligunt de ſpinis uvas*, &c. Ejus conſideratio facit homines reſilire ab ejus amore. *Naum* 4. *Omnis qui viderit te, reſiliet à te.* Per abjetem intelligitur amor Dei, qui facit animam aſcendere uſque ad Cœlum. Urtica facit pruriginem, myrtus verò habet frigiditatem. Eſt ergò ſenſus, quòd per pœnitentiam amor mundi vertitur in amorem Dei, & prurigo concupiſcentiæ carnalis vertitur in refrigerium continentiæ. *Eſa.* 35. *In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci*: quia in cordibus peccatorum, in quibus habitant dracones, qui dæmones dicuntur, per pœnitentiam vitiorum oritur viror virtutum.

18 Et eccè ratio revelati myſterii in roſea Gemma, ſivè in gemmea, & etiam aurea Roſa, id eſt, in Deipara, quæ gratiæ privilegio tanquàm Roſa ſinè ſpinis primævæ labis, Chriſtum produxit pulcherrimam Roſam, ut ex vaticinio conſtat Eſaiæ dicentis: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet. Flos*, nempè *Roſa*, quæ per excellentiam florum Regina vocatur, ſcilicet Chriſtus, florum Rex, & flos Regum, atque totius flos ſanctitatis, qui de roſea Virginis radice proceſſit. Eſt igitur B. Virgo Roditis gemma, ſivè gemmea, & etiam aurea Roſa, quæ incorrupta, tanquàm aurum, auream, & incorruptam Chriſti genuit carnem, juxtà illud *Iob.* 28. *Eſt locus, in quo aurum conflatur*: ſcilicet uterus Virginis, in quo aurum carnis Chriſti opere Spiritus Sancti conflatum eſt. Roſa plena muſco, id eſt, ſuaviſſimis omnium virtutum odoramentis, & balſamo Divinitatis perfuſa, cùm Spiritus Sanctus ſupervenit in Ipſam. Inſuper & auſpex jucundiſſimi Roſa gaudii: etenim Ipſa naſcente, Riſus Cœlo, terræque ſimul exortus. Verùm hæc pauca innuiſſe ſat eſt, quia uberior infrà ſermo de Roſa redibit.

§. IV.

Quem typum Ideus Dactylus ad Virginem habeat.

19 SUnt quædam gemmarum genera, ut lib. 16. Origin. cap. 14. loquitur Iſidorus, ex ſpecie metallorum, vel lapidum cognominata. Aliquæ ſunt ſimiles auro, aliæ argento, nonnullæ ferrum imitantur in colore. Inter hujus ordinis Gemmas, Ideus Dactylus ex inſula Creta eſt, ferrei coloris: cauſa nominis ejus, quia pollicem humanum exprimit. Quid ille color ferri? Quid pollicis humani figura? Quid ferrum utique ferum cum mitiſſima Virgine? Quid ad illam pollicis ſpecies?

20 Sanè quò ad pollicem conſulendum cenſeo Valerianum lib. 36. hieroglyphicorum. Primò enim pollex humanus eſt caduceator pacis, & initæ concordiæ ſymbolum. Sed quoniam, inquit Pierius, ad pollicem reverſi ſumus, qui aliorum dux eſt, & dominator digitorum, ſuper eo quædam, quæ hieroglyphicum ſapiunt, apponemus. Hic inter alia ſignificata compoſitæ pacis hieroglyphicum apud Romanos habitus, eo quippè geſtu, ut manui porrectæ ſubjiceretur. Rem tangit Quintilianus Rhetor, ubi ait: *Qui geſtus in ſtatuis pacificatorum eſſe ſolet, qui inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure prætenſo, manum inflexo pollice extendit*, &c. Hunc geſtum periti antiquitatum agnoſcunt in Marci Aurelii ſtatua, quæ nunc antè Lateranas ædes, ex ære, magnitudine coloſſea, equo inſidens viſitur: dexteram enim porrigit reſupinam, & aliquantulùm inclinatam, digitis disjunctis, pollice deorsùm verſo.

21 Secundò per pollicem, applauſum, & laudem ſignificari. Favor autem, ſubdit Pierius, aſſenſuſque alienæ victoriæ præſcitus, aut cùm aliquem ſtrenuè facientem laudare vellent, per ſublatum pollicem exprimebatur. Hinc illud apud Horatium:

Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum:

hoc eſt: maximè tibi favebit. Quippè ſi pollicum alter ſatis eſt ad favorem indicandum, uterque in eum geſtum adhibitus quam maximè favere profitebitur. Nam & qui certabant, cùm ſuccumbere ſe, & hoſti victoriam cedere fatebantur, pollicem ſuſtollebant. Undè illa invictos apud Græcos imperitatio, *αἶρο δακτυλον*, quod alio de more noſtri *herbam dare* dicere maluerunt.

22 Tertiò pollicem virium robuſtarum hieroglyphicum eſſe. Id referemus, addit Pierius, robur, validaſque vires per pollicem ſignificari, ſi ſurrigatur, quatuor reliquis ad volam appreſſis. Nam ea de cauſa *αντίχειρ* à Græcis dicitur, quòd pari cum reliqua tota manu robore contendat, alteriuſque manus vice fungatur, ut Galenus interpretatur. Apud Latinos autem, quòd *præcipuè polleat*, nomen habet: is enim dominatur in manu, nec in ſiniſtra ceſſat, quamvis ea tota ſit ignara, neque minùs quàm tota manus ſemper in officio eſt. Quin & veteres hunc præſtare aliis intelligentes, *hallum* eum appellabant, quòd in reliquorum dorſa unus omnium inſiliret: aſpirationem enim loco *S* literæ poſitam nonnunquàm ab antiquis invenias, & vice verſa, *S* prò *H*. Sed longè ſimplicius eſt *hallum* ab *αλλω* vel *αλλεμαι* deducere, id enim *ſalire* eſt.

23 Quartò denique per pollicem amputatum impotentiam, & inutilitatem denotari. Hominem bello inutilem, ſubjungit Pierius, oſtendere qui volunt, manum abſciſſo pollice faciant: digitus enim hic ſummotus, hominem actionibus, & præſertim bello inutilem reddit. Eaque de cauſa legas graviter animadverſum in nonnullos, qui bellũ detrectandi causà ſpontè ſibi pollices amputaſſent, ut à Senatu in C. Voctienum, vel ut alibi legitur, Votienum. A Cæſare etiam Auguſto in quendam Equitem Romanum, qui duobus filiis adoleſcentibus, cauſa detrectandi Sacramenti, pollices amputaverat. Marcellinus cùm Gallos militię ſemper obvios, & expoſitos oſtendere conetur, noſtram verò ignaviam, quòd Græcanici vir

ingenii libenter admodùm facit inceſſere, reprehenſionique objectare, neminem unquàm apud eos ait, quod in Italià plerunque accidit, munus Martium pertimeſcentem pollicem ſibi præcidere. Sanè verò Athenienſes, crudeli admodùm, atque immani exemplo, Æginetarum juventuti pollices præciderunt, nè populus qui claſſe valebat, deſcendere ſecum poſſet in virium maritimarum certamen.

24 Ex his igitur hieroglyphicis breviter inferimus, quàm rectè Beata Virgo in Ideo Dactylo, qui & ferri colorem, & humani pollicis ſchema habet, figuratur. *Ferrum* enim, quòd *à feriendo* dicitur, eò quòd ſua duritie omnia feriat, concutiat, atque domet, ſignificat quòd Beata Virgo divinæ gratiæ virtute vulneravit, domuit, atque contrivit omnia vitiorum, & dæmoniorum capita. Ex altero autem capite, pollicis humani ſpecies caduceatricem pacis, & amicitiæ ſequeſtram Virginem deſignat: per Ipſam enim & quæ in Cœlis, & quæ in terris pacificata ſunt: Deus cum homine, & homo cum Angelis. Quem favorem Ipſa non præſtat dimicantibus contrà animæ hoſtes? Quo laudis applauſu excitat bellatorum animos ad pugnandum, & paſſionum ſuarum laudat victores? Potentia verò plurimùm apud Deum pollere Dei Matrem haud eſt dubium: Dei enim filius & in Cœlo maternum nè dum veneratur, ſed etiam exequitur imperium. Tuti ſunt quicunque ſub pollice Partheniæ protectionis, & poteſtatis inveniuntur. Caveat ergò quiſque, nè per deſidiam, & negligentiam, aut per criminoſæ vitæ diſſolutionem, pollicem hunc vitiorum ferro à ſe præcidat. Nihil enim adeò ſatagit animæ hoſtis, quàm ut fideles ad certamen reddat inutiles, & ab ipſis Mariæ devotionem abſcindat.

§. V.

Quas ex Argento ſignificatas in Virgine habeamus virtutes.

25 ARgentum poſt aurum, magni pretii metallum, non longè à Græca appellatione diſtat, ait Iſidorus. Hoc autem illi ἄργυρον vocant. Cùm mirum in modum illud, dùm candidum ſit, impreſſum corpori lineas nigras reddit. Et Beata Virgo ſicut argentum eſt alba per caſtitatem, & pura per innocentiam. Undè *Iob 27. Habet argentum venarum ſuarum principium*. Argentum enim Beatæ Virginis habuit principium venarum ſuarum à gratia præveniente: nam in eodem inſtanti quo anima corpori ipſius eſt infuſa, fuit lucida, & clara ſine peccati macula. Eſt autem mirum, quod argentum cum de ſe ſit candidum, lineas nigras ducat: ſed multò mirabiliùs eſt quod Beatiſſima Virgo cùm ex privilegio, & participio gratiæ plenioris ſit æmula candoris æterni, nigras lineas ducere dicatur. Nigricantes ergò lineas, cùm ſit alba per immaculatum animi candorem, ex humilitatis affectu facere perhibetur, ut in omnibus, & per omnia ſe occultare quaſi ſub nigredine obſcura ſuæ nihilitatis, vel ſub nigra litura propriæ deſpectionis affectet. Undè & voces ipſius ſunt. *Cant. 2. Nigra ſum, ſed formoſa*. Nigra quidem per humilitatem, & abjectionem, ſed formoſa, ſeu alba per candidiſſimam innocentiam.

26 Nullum metallum, juxtà Iſidorum, dulcius reſonat, quàm Argentum. Et nullus hominum, ſive Angelorum laudes Dei ſuaviùs cecinit, ſicut argenteum Virginis organum, quæ præ cæteris copioſiùs afflante Spiritus Sancti flatu repleta, ſuaviſſimum edidit harmoniæ ſonum, atque concentum, quo cœlum, & terras, Angelos, & homines, ipſumque Deum exhilaravit. Audi, & vide, quam ſuaviter, & ſonorè organum Virgineum *Luc. 2.* decantaverit: *Magnificat anima mea Dominum*, &c.

Ex alio etymo, ſecundùm Berchorium in Reduct. Morali, *Argentum* dicitur quaſi *ardens gentem*. Ad ejus enim compoſitionem concurrit argentum vivum, & ſulphur. Sulphur habet ardorem; argentum vivum mobilitatem velocem. Et Beata Virgo eſt ignei ardoris per charitatem, mobilitate præpollet, & velocitate per affectum, & effectum ſubveniendi neceſſitatibus miſerorum. Et dicitur *argentum* quaſi *ardens gentem*, quia omnes ad Filii ſui amorem inflammare procurat. Unde & argentea tuba eſt, quæ ſonoro eloquentiæ clangore, verbiſque prudentiæ incitat, invitat ad benè operandum. Et ideò Ipſamet *Prov.* 8. dicit: *Beatus homo, qui audit me*.

27 Argentum juxtà Platearium apud Berchorium in Reduct. Morali, habet quaſdam proprietates naturales, & medicas virtutes. Nam potiſſimè conſervat balſamum; in iaſpide, juvat virtutem, quia plus valet iaſpis in argento, quàm in auro; poſitum in igne reſolvitur; & multarum ægritudinum eſt curativum. Spuma enim argenti vulnera ſanat; & carnes ſuperfluas in eis creſcere non permittit: matricem educit, fluxibilia membra fortificat, & corpus mundificat, atque purgat. Sic verè Beatiſſima Virgo in argenteo vaſe cordis ſui odoriferum gratiæ balſamum optimè ſervavit: nam dicitur *gratia plena*. Vel balſamum, id eſt, Chriſtum in viſceribus ſuis conceptum novem menſium ſpatio portavit, & infantulum natum toties in ſuis ulnis geſtavit. Jaſpis, ſcilicet quilibet fidelis majorem acquirit virtutem ex Mariæ patrocinio contrà diaboli inſidias, & tentationes; undè plùs valet in argento, id eſt, ſub ejus protectione, quàm in auro virium ſuarum.

28 Argentum in igne poſitum liqueſcit, quia *Maria* in igne dilectionis ad utilitatem proximorum eliquatur per compaſſionem, undè ægritudines, & infirmitates ſpirituales peccatorum curat. Nàm in ipſis ſanat criminum vulnera oleo gratiæ infuſo, nec in eis delicias carnales, & voluptates creſcere permittit, eos erudiens ad pœnitentiam, per quam malè naſcentium deliciarum, ac delectationum ſupprimitur exuberantia. Matricem educit, id eſt, interiora vitia facit educi per confeſſionem. Leves, & fluxibiles conſoli-

dat per conſtantiam, & perſeverantiam in bono. Denique corpus mundificat, inquantùm ſcilicet per ejus auxilium pulchra, & munda induuntur, vel ornantur converſatione.

CAP. VII.

Gemmarum officinam Mariæ Nomen eſſe demonſtratur.

1 GEmmæ, oculorum magnes, nullatenus latere, ſed & ipſæ in publicum prodire volunt, raritate, & pretio non tàm decoræ, quã pretioſæ. Sunt enim Gemmæ (utor Plinii verbis) in arctum coacta rerum naturæ majeſtas, multis nulla ſui parte mirabilior. Tantum tribuunt varietati, coloribus, materiæ, decori; violari etiam ſignis gemmas nefas ducentes. Aliquas verò extrà pretia ulla, taxationemque humanarum opum arbitrantes, ut pleriſque ad ſummam, abſolutamque rerum naturæ contemplationem ſatis ſit una aliqua gemma. Sed eò uſque etiam in ſeculis antiquis Gemmarum luxus excrevit, ut nullis modeſtiæ finibus contenta, omnes moderationis limites exceſſerint, docuerintque gemmas in triumphis ovare. Pompejus hunc triumphandi modum invenit, cum integrum è gemmis inſtruxit, & celebravit triumphum.

2 Id ut planiùs noſcatur, inquit Plinius *c. 2. lib. 37. Hiſtor. naturalis*, verba ex ipſis Pompeii triumphorum actis ſubjiciam. Ergò tertiò triumpho, quem de Piratis, Aſia, Ponto, Gentibuſque, & Regibus in ſeptimo operis hujus volumine indicatis, M. Piſone, M. Meſſala Conſulibus, pridiè Calend. Octobris, die natalis ſui egit; tranſtulit alveum cum teſſeris luſorium è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor, & nè quis de ea re dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodiè propè ad hanc amplitudinem accedente, in eo fuit Luna aurea pondo xxx. lectos triclinarios tres: vaſa ex auro, & gemmis abacorum novem. Signa tria Minervæ, Martis, & Apollinis. Coronas ex margaritis trigintatres. Montem aureum quadratum cum cervis, & leonibus, & pomis omnis generis, circundatà vite aureà. Muſeum ex margaritis, in cujus faſtigio horologium erat. Imago Cn. Pompeii è margaritis, illa regio honore grata, illius probi oris, venerandique per cunctas gentes, illa inquam ex magaritis, ſeveritate victa, & veriore luxuriæ triumpho.

3 Quàm profectò inter illos viros duraſſet cognomen Magni, ſi prima victoria ſic triumphaſſes. E margaritis Magne, tam prodiga re, & fœminis reperta, quàm gerere te fas non ſit, hinc fieri tuos vultus? Sic te pretioſum videri? Nonnè illa ſimilior tui eſt imago, quam Pyrenæi jugis impoſuiſti? Grave profectò, fœdumque probrum erat, ni veriùs iræ Deorum oſtentum credi oporteret: clareque intelligi poſſet, jam tùm illud caput orientis opibus ſinè reliquo corpore oſtentatum. Cætera triumphi ejuſdem quàm virilia. Reipublicæ datum mille talentùm; Legatis, & Quæſtoribus, qui oras maris defendiſſent, H—s. bina millia, commilitibus ſingulis quinquaginta. Tolerabiliorem tamen fecit Cauſam Caii Principis, qui ſuper omnia muliebria ſocculos induebat è margaritis: & Neronis Principis, qui ſceptra, & perſonas, & cubicula viatoria unionibus conſtruebat, &c.

4 Vos autem Gemmæ, & Margaritæ, ut veſtram ab illata injuria innocentiam vindicetis, honorabiliorem triumphum inſtruite. Coacto ſervitio hominum luxuriæ famulari compulſæ, ſpontaneum Parthenii Nominis triumphis diſcite exhibere famulatum. Eò nobiliores, & pretioſiores jam eſtis, quò ex illa gemmantium virtutum officina Gemmarum nomen habetis. Literæ Mariani Nominis gemmæ ſunt: & in illo eſtis gemmæ virtutum. Conſtruite ergò *Mariæ* Imaginem ex gemmis, & margaritis. Conſtruite & ipſius Nomen; ſiquidem *Maria* eſt

M argarita.
A llectorius.
R aben.
I aſpis.
A chates.

§. I.

Quæ excellentia denotetur in B. Virgine per Margaritam.

5 BErchorius *lib. 11. Reduct. Moral. c. 93* dotes, & proprietates margaritæ appropriat Beatæ Virgini. Margarita, inquit, ſecundùm Iſidorum eſt lapis candidus, inter omnes lapides candidos præcipuus, qui alio nomine *Vnio* dicitur, eò quòd *unus*, & nunquàm duo in ſimul reperiuntur: & eſt clarus, perſpicuus, & rotundus: virtutem habet confortativam, & ſyncopis, & cardiacæ curativam, ut dicit Platearius. Talis eſt per omnia Beata Virgo, quia verè Ipſa fuit candida per puritatem, & virginitatem, clara per honeſtatem, perſpicua per planitiem, & veritatem, quia ſcilicet ejus intima poterant videri: rotunda per obedientiæ, & boni operis volubilitatem: Una fuit, & præ cæteris præcipua, quantum ſcilicet ad ſanctitatis ſingularitatem. Ideò dicitur *Virgo ſingularis*. Et *Cant. 6. Vna eſt columba mea*. Et virtutem habet confortandi, ſcilicet omnes miſeros peccatores: & ſyncopim, id eſt, tremorem cordis, triſtitiam ſcilicet & deſperationem ſanandi, & curandi, & fluxum ventris, id eſt, luxuriam reſtringendi. Sapiens ergò fuit ille, qui inventa iſta pretioſa Margarita, vendidit omnia bona ſua, & comparavit eam. *Matth. 13.*

6 Pulchrè autem Jacobus de Voragine ſerm. 88. de Beata Virgine aſſimilationem Margaritæ cum Deipara oſtendit, dicens. Margarita conſiderari poteſt quantùm ad ſui generationem, qualitatem, & virtutem.

Generantur autem Margaritæ ſecundum Iſidorum in Conculis marinis, undè & *à mari Margari-*

tæ vocantur. Certo tempore, maximè tempore vernali, & in Autumnno ipſæ cocleæ ad ſitus maris accedunt, & ita ſe aperiunt, & rorem cœleſtem intrà viſcera ſua rapiunt, ex cujus coagulatione margaritæ generantur. Iſta coclea, ſivè concula eſt Virgo Maria, quæ ſe aperuit, ut rorem cœleſtem reciperet, & margaritam, id eſt, Chriſtum intrà viſcera conciperet. Nàm aperuit Angelo conſenſum ſuum, ut Deo in omnibus obediret, quandò dixit: *Eccè Ancilla Domini*. Nàm aperuit Chriſto uterum ſuum, ut ibi eum reciperet. Aperuit Spiritui Sancto animum ſuum, ut in eam ſuperveniret. Et poſt apertionem conſenſus, uteri, & animi ſui, ros cœleſtis Spiritus Sancti in eam deſcendit, & iſtam margaritam in ejus utero generavit. De iſta tali Spiritus Sancti roratione, & Beatæ Virginis apertione dicitur *Eſa.* 45. *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant juſtum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Iſta eſt illa margarita, de qua dicitur *Matth.* 13. *Inventa autem una pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Debemus enim omnia, quæ habemus, Deo vendere, ut poſſimus ipſam margaritam nobis emere, ſcilicet corpus noſtrum per macerationem, animam noſtram, & corpus noſtrum per purificationem, & res noſtras per claram largitionem.

7 Secundò poteſt conſiderari quantùm ad ſuam qualitatem. Sunt enim ipſæ margaritæ pulchræ, candidæ, & claræ. Illæ enim quæ ſunt tales, ſunt meliores quàm illæ, quæ flaveſcunt. Nam illas, quæ ſunt pulchræ, candidæ, & claræ, generavit ros matutinus. Alias autem generavit ros veſpertinus. Iſta talis margarita ſic pulchra, ſic candida, & ſic clara ſignificat Virginem Mariam, quæ fuit pulchra in mente per puritatem, candida in carne per caſtitatem, & Virginitatem, & clara in opere per ſanctitatem. *Sap.* 4. *O quam pulchra eſt.* Eccè pulchritudo mentis. *Caſta generatio.* Eccè candor, & virginitas carnis. *Cum claritate.* Eccè claritas, & ſanctitas operis.

8 Tertiò Margarita poteſt conſiderari quantùm ad virtutem. Habet enim primò virtutem abſterſivam, quia membra à ſuperfluis humoribus abſtergit. Secundò habet virtutem reſtrictivam, quia fluxum ſanguinis, & ventris reſtringit. Tertiò habet virtutem confortativam, quia cor debile habet confortare. Eodem modo Beata Virgo per gratiam, quam nobis infundit, habet virtutem abſterſivam, inquantùm ſcilicet in nobis abſtergit omnia peccata præterita. Habet virtutem reſtrictivam, inquantùm animum reſtringit, nè fluat ad peccata futura. Habet virtutem coufortativam, inquantùm cor confortat, & fortificat circà mala præſentia. Iſta enim tria à Deo, & ab Ipſa petere debemus. Vndè ſuper illud *Matth.* 23. *c. Oravit tertio eundem ſermonem dicens*: dicit Gloſſa. Tribus vicibus oravit, ut nos & à peccatis præteritis veniam, & à præſentibus malis tutelam, & à futuris periculis cautelam oremus. Iſta igitur à Beata Virgine obtinemus. Undè Ipſa dicit *Eccli.* 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis. In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Ipſa quidem dat nobis gratiam vitæ, quandò de peccatis præteritis dat veniam, per quam peccatorem à morte peccati reſuſcitat. Dat gratiam veritatis, quandò circà futura pericula dat cautelam, per quam homo ipſa pericula vitare ſciat. Dat gratiam virtutis, quandò contrà mala præſentia dat cautelam, per quam hominem fortificat, ut à malis præſentibus ſe tueri valeat.

§. II.

Quam perfectionem Gemma Allectoria deſignet in Beata Virgine.

9 MIrum planè Naturę prodigium Allectoriam Gemmam veteres tradidere Scriptores. Nam ut dicitur in Tractatu de Lapidibus: Allectorius lapis cryſtallina ſpecie, fabæ modo, in gallinaceornm ventriculis naſcitur; aptus, ut dicunt, præliatoribus. Addit Dioſcorides: quem lapidem habens Gladiator in ore, permanet invictus, ac ſine ſiti. Mulieribus quoque, quę volunt placere Viris, proderit, quia portantes ſe probas, ac ſpecioſas reddit. In *lib.* quoque de natur. rerum dicitur, quod hic lapis excitat venerem, reddit hominem conſtantem, invictum facit, diſertum, & gratum. Undè in Lapidario canitur:

Naſcitur ille lapis, cuius non ultima laus eſt.
Menſuramque fabæ creſcens excedere neſcit,
Cryſtallo ſimilis vel aquæ, cum limpida patet.
Invictum lapis hic reddit quemcunque gerentem,
Extinguitque ſitim patientis ore receptus.
Nam Milo Crotonias pugiles hoc præſide vicit.
Hoc etiam multi ſuperarunt prælia Reges.
Hic Oratorem verbis facit eſſe diſertum
Conſtantem reddens cunctiſque per omnia gratum.
Hic circà Veneris facit incentiva vigentes.
Commodus uxori, quæ vult fore grata Marito.
Vt bona tot præſtet, clauſus portetur in ore.

10 Quid porrò per Gemmam Allectoriam verius ſignificatur; quàm Beatiſſima Virgo, quæ fuit cryſtallina, ſplendens ſcilicet per honeſtatem, & ſimilis aquæ per humilitatem? Ipſa nanque ſi geſtetur in ore per invocationem, & in anima per iugem memoriam, invictum hominem facit per perſeverantiam, & victorem in præliis vitiorum. Ipſum reddit Deo gratum, diſertum, & eloquentem in precibus, ad Venerem, ideſt, ad ſpiritualem bonorum operum excitat procreationem, & ſitim temporalium rerum extinguit. Quod ſi forte anima priùs per gratiam Chriſto deſponſata, ab ipſo fuerit ſegregata per peccatum, iterùm ipſam reuniet, & coniunget ſponſo ſuo per gratiam.

§. III.

In quo Raben lapis adumbret Dei Matrem.

11 RAben, inquit Bercorius *lib.* 11. *Reduct. Moral. c.* 117. eſt lapillus, qui in capite cancri reperitur, & eſt rotundus, & mollis ſicut pupilla piſcis: frigidus eſt, & humidus. Virtutem habet contrà morſus ſcorpionum, &

canis

canis rabidi, & mundificat dentes. Planus eſt exteriùs, & interiùs concavus. Talis eſt Beata Virgo, quia plana per ſimplicitatem, & veritatem, & devotionem, rotunda per obedientiam, concava per humilitatem, & ſubiectionem. Tota mollis per pietatem. Frigida quo ad caſtitatem. Humida quò ad benignitatem. Sanat venenoſos peccatorum morſus: mundificat autem dentes, ideſt, purgat animæ deſideria, & affectiones. Undè eſt medicinalis humano generi, quia ut dicitur *Eccli.* 28. *Altiſſimus de terra creavit medicinam.*

§. IV.

Iaſpidis proprietates figurant Beatam Virginem.

12 MUltas Iaſpidem habere dotes, & proprietates dicitur in Tractatu de lapidibus. Eſt lapis multorum colorum; melior tamen eſt viridis tranſparens: habens in ſe venas rubeas. Debet autem in argento propriè ligari; quia vis eius fortior dicitur in argento. Undè clarificat viſum hominis, ſanguinem ſtringit, & ſi eſt ſuper mulierem, partum eius ſolvit. Hominem inter pericula reddit tutum, pellit fantaſmata, maleficiis, & incantationibus reſiſtit, & ardorem interiorem refrigerat. Ferunt hunc lapidem portaſſe Galenum in digito ſuo. Inſuper febres, & hydropiſim reprimit, ſudorem compeſcit, luxuriam cohibet, menſtrua ſiſtit, ulcera, & hemorroidas ſanat. Si quis autem, ut dicitur in *Tract. de lapid. c.* 66. invenerit Jaſpidem viridem, & in eo Crucem: habet virtutem, ut ferens ipſum non mergatur.

13 O qualis Jaſpis Virgo Beata! Quàm gratioſa propter viriditatem! Viridis enim color ſuper omnes colores gratior eſt oculis. Undè dicitur *Eccli.* 40. *Gratiam, & ſpeciem deſiderabit oculus, ſed ſuper hæc omnia virides ſationes.* Quid autem viridis color in Virgine, niſi gratia Dei, quæ ipſam replevit, & ſuper omnia fecit magis gratam, & placitam, & perlucidam coram oculis Dei? Et ideò vocatur *gratia* quaſi *gratum faciens*. Undè ſicut Jaſpis propter florentem virorem humano gratus eſt oculo: ſic & Beata Virgo, in qua ſemper effloruit viriditas gratiæ, divinis placuit oculis, tantoque eam ardore Aſſuerus adamavit æternus, ut ipſius ſpeciem concupiverit, & decorem.

Licet autem Jaſpidis præcipuus color ſit viridis, multorum tamen tingitur diverſitate colorum, quorum varietas confert præcipuè ad lapidis ornatum: ità & Beata Virgo ultrà gratiæ virorem, multos, & diverſos habuit gratiarum colores, quibus mirificè ornata, hominum, atque Angelorum oculos gratioſiſſimo in ſe convertit aſpectu.

14 Profectò quiſquis purè, & caſtè Jaſpidem, ideſt *Mariam* geſtat in ore, & in corde, ſecurum ſe reddit ab hoſtibus animæ, & tutum in periculis tentationum. Potens eſt enim Deipara illuſionum fugare fantaſmata, maleficiorum, & incantationum ligamenta diſſolvere. Per Ipſam in ſuis devotis refrigerantur ardores concupiſcentię, infuſo gratiæ roræ; inordinatæ cupiditatis febris compeſcitur; malarum reſtringitur cogitationum ſudor; hydropiſis, & ſitis avaritiæ curatur; pravarum delectationum ſanguis, & infectæ menſtruum converſationis ſiſtitur, & ulcera ſanantur infamis operationis. Hic lapis viſum acuit, quia Beata Virgo mentis illuminat oculos per diſcretionem: dum autem anima fœtus bonorum operum concepit, partum ſolvit per exercitium virtutis. Felix qui hanc Iaſpidem, in qua vivificum Crucis ſignum eſt, in digito ſuo portat: Crux enim nota ſalutis, & *Maria* nè dum Crucifera, hoc eſt ferens ſignum ſalutis, & Crucis charactere ſignata, verum eſt ſtans iuxtà filii Crucem, ut fidelibus virtutem communicet, nè in profunditatem culpæ mergantur.

§. V.

Achates in multis figura Mariæ.

15 FAmoſitatem, & admirationem ſemper habuere Gemmæ: Illę verò ſingulari quodam nomine inſigniores, quæ naturæ miraculis à cæteris ſecernuntur. Inter has numeratur Achates, Pyrrhi Regis, quam Natura tàm peregrino inſignivit prodigio, ut de Gemma pinxerit tabulam, aut de pictura fecerit Gemmam. In Gemma enim eſt tabula tam artificioſè picta, ut pingentis Naturæ manus per omnium ora volitet laudata, eò quidem ſinè arte artificio, & ingenio, ut non niſi ab artifice Naturà prodire potuerit. Quid? Achaten hanc naturę miraculum Plinius operoſum putavit recenſere, cum *lib.* 37. *Hiſt. natural. c.* 1. ſcribens. *Regia*, inquit, *fama eſt gemmæ Pyrrhi illius, qui adverſùs Romanos bellum geſſit. Nanque habuiſſe traditur Achatem, in qua novem Muſæ, & Apollo citharam tenens ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturæ ità diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia.*

16 Sileantur tamen Naturæ miracula: maiorem in Virgine, & prodigiis perraris inſigniorem Achatem habemus. Illa quidem Naturæ partus, hæc omnipotentis Dei eſt opus. Illa tabula quædam Naturæ, hæc ſupernaturalis Gratię Tela. Sed quid eſt hoc tam grande, non Naturæ? ſed Naturam ſuperexcedens, Gratię miraculum? Quæ autem pictura in Achate Virginea? Non fallor. Tabula, uterus Virgineus. Pictura in tabula, Dei filius incarnatus in utero Virginis. Achates ergò eſt Beata Virgo. Apollo citharam tenens, & pictus in Achate, eſt Dei Verbum, & Dei filius, qui ſua providentia mundi citharam modulatur, quemque novem Muſæ, ideſt, novem angelorum ordines, prompto ad eius imperium famulatu, & venerabundi circunſtant. Tunc autem Dei Filius eſt pictus in utero Virginis, cum ex Sanguinibus ſemper Virginis carne compacta, carnem ſibi condidit, & in vivam hominis formavit imaginem, quem aſſumpſit. Tunc autem hæc Pictura divina ſtatim abſoluta eſt, atque perfecta, & Verbum caro factum eſt, cùm Beatiſſima Virgo conſenſu ſuo ſe præſtitit manibus Dei pingentis tanquàm Achaten, & tabulam dicens: *Eccè Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum:*

hoc

hoc eſt, ut Theophylactus in *Luc. c.* 1. interpretatur: Tabula ſum pictoria, pingat Pictor quod voluerit, faciat Deus quod voluerit.

17 O pulcherrimam divino artificio delineatam picturam! Berchorius quoque lib. 11. Reduct. Moral. cap. 43. licet ad alium ſenſum nonnihil attingit hujus miraculoſæ picturæ, cùm inquit. Secundùm Solinum, in annulo Pyrrhi Regis inventus eſt Achates mirabilis, in quo novem Muſæ cum propriis inſigniis erant pictæ, & Apollo cum cithara, non impreſſis figuris, ſed ingenitis. Rex iſte eſt Chriſtus, annulus quo ſubharrat animam, eſt fides, quæ prò certo continet Apollinem cum cithara, id eſt, Chriſtum cum Sacra Scriptura: continet etiam novem Muſas, id eſt, novem Angelorum ordines, & credulitatem de ipſis, cum proprietatibus eorundem.

18 Tam ſingulare miraculum rapuit, abſorbuit calamum, ut penè nobis patriæ, geneſis, proprietatum, & generum Achatis oblivio ſubreperit. Et quamvis Tomo primo de Interpretatione multa ſcripſerimus, hic ad Deiparæ honorem aliqua decrevimus addere, quæ ſingulariter Dei Matri congruunt, & præcipuè ad oſtendendam virtutum eius multiplicitatem. Iſidorus ergò *lib.* 16. *Origin. c.* 11. inter nigricantes gemmas numerat Achaten, atque etymon ex prima eius patria, & genere recenſet. Achates, inquit, reperta primum in Sicilia juxtà flumen ejuſdem nominis, poſtea plurimis in terris. Eſt autem nigra habens in medio circulos nigros, & albos, iunctos, & variatos, ſimilis Hæmathiti. Magi ſuffitu earum, ſi creditur, tempeſtates avertunt, flumina ſiſtunt. Berchorius *lib.* 11. *Reduct. Moral. c.* 42. præter Siculum, duo alia genera Achatis commemorat, Creticum ſcilicet, & Indicum; & quodlibet eorum varias habet virtutum efficacias, & colorum varietates. Quid miraris in una Gemma tot virium diverſitates? Magis mirabilis Deus, qui tot diverſas condidit rerum naturas, ſed longè mirabilior in Virgine Matre ſua, quam creavit, & voluit eſſe totius Naturæ compendium.

19 A Siculo igitur genere incipiamus. Achates Sicula poteſt avertere tempeſtates, ſiſtere flumina: & ſecundùm Dioſcoridem valet ad Regum formas, & ſimulachra ſomniorum monſtranda. Nigrum habet colorem albis intercurrentibus venis diſtinctum. Quid autem hic lapis niſi Virginis typus, quæ nigredinem habet humilitatis, & candida caſtitatis præcingitur Zona? Ipſa procul dubio tempeſtatem futuræ damnationis à nobis avertit: flumina etiam carnalis infectionis repellit, & nè in animam influant, ſiſtere facit. Porrò in tempore mortis, figuras, & imagines Regum, viſionem ſcilicet Dei, & Angelorum, & Sanctorum oſtendit.

20 Achates Cretica nigri coloris eſt, maculis cęruleis interpicta. Multas habet virtutes. Nam juxtà Dioſcoridem amovet pericula, hominem gratum facit, affabilem, placentem, atque facundum. Et vires confert. Rectè talem virtutem habet Beata Virgo. Licet enim eſſet nigri coloris, hoc eſt, humilis, & abiecta per ſui contemptum, & humilitatem, cæruleis guttis, ideſt, cœleſtis vitæ, & converſationis Angelicę ſplendoribus radiabat. Per ſuam gratiam verò reddit hominem Deo, Angelis, & hominibus placentem. Conſtantiam, & virtutes, quæ ſunt animæ vires, ſibi pręſtat, & ſic pericula culpæ, & pœnę avertit ab eo. Videtur etiam ipſum gratum facere, affabilem, & eloquentem, ut de Ipſa, quod de Sapientia *Prov.* 27. dicitur, ad literam verificetur: *Stude ergò Sapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, ut poſſis exprobranti reſpondere ſermonem.*

21 Denique Achates Indica, ſecundum Dioſcoridem, ſitim tollit, viſum fovet, & reprimit venenum. In igne poſita ſuavem emittit odorem. Guttis verò internitet diſtincta ſanguineis. O Deipara, quam te Achatem ex Indiis intueor Paradiſi? Tuis enim exemplis, & documentis viſum fidei, & diſcretionis in hominibus egregiè foves, & nutris, ab avaritię ſiti, & cupiditatis ardore eos reprimis, & delectationum, & peccatorum venena compeſcis. Te autem guttis profectò ſanguineis interpictam præſtas Achatem, cum ſtantem videò juxtà Crucem filii tui, de cuius vulneribus ad dilutionem peccati, Mundique redemptionem aureus ſanguinis imber profluebat. O dilecta, qui tunc erant ſenſus tui cordis? Altera tunc certè Tabula pictoria cor tuum, altera Achates diverſo modo depicta, & figurata, in qua nimirùm divinus Apelles Crucifixus, clavorum pennicillo, ſacrique cruoris purpureà liturà ſuæ paſſionis pingebat Iliadem. Sed quis diſcendo aſſequi, aut verbis exprimere valeat, quàm ſuavem in igne tunc charitatis, & tribulationis poſita fragrantiam emittebas, quam nè Evangeliſta quidem expreſſit, ſed quodam ſilentii velo operuit?

CAP. VIII.

Quinque aliæ Gemmæ Mariæ Nomen inſigniunt.

1 LIteræ Parthenii Nominis, & Gemmæ reciprocantur. Singulæ literę, ſingulæ Gemmæ ſunt; & ſingulæ Gemmæ, ſingula eius Nominis elementa. Quo enim magis ab hoc Nomine, quaſi à fodina, eruimus gemmas eò ampliùs gemmis diteſcit. Ipſius quidem ignorabam virtutem, niſi me docuiſſet experientia. Inopes, igitur & mendici ad *Mariam* properate, quæ inexhauribilis gemmarum vena eſt. Vel ſi unicam tantùm habere, dabitur & vobis divitias omnes poſſidere. Rideo naturalium pretia gemmarum, quæ tanti apud homines ęſtimantur. Sed maximam hominum defleo in gemmarum luxuria prodigalitatem, cum ſæpè integra, & ampla patrimonia in uno lapillo ad mulieris ornatum ab auriculę extremitate dependeant. Sed & gemmis bibere caro pretio luxus humanus invenit.

2 Undè Plinius *lib.* 37. *Hiſt. Natural. c.* 2. loquens de Victoria Pompeii, exinde per quędam exempla Romanorum luxum in gemmatis potoriis damnat. Eadem, inquit, victoria primùm in Urbem murrhina induxit. Primuſque Pompeius ſex pocula ex eo triumpho Capitolino Iovi dicavit: quæ protinùs ad hominum uſum tranſiere, abacis

cis etiam, eſcariiſque vaſis indè expetitis. Excreſcitque in dies eius rei luxus, murrhino LXXX. ſeſtertiis empto, capaci planè ad ſextarios tres calice. Potavit ex eo antè hos annos Conſularis, ob amorem obroſo eius margine, ut tamen iniuria illa pretium augeret: neque eſt hodie murrhini alterius præſtantior indicatura. Idem in reliquis generis eius quantum voraverit, licet æſtimare ex multitudine; quæ tanta fuit, ut auferente liberis eius Nerone Domitio theatrum peculiare trans Tiberim hortis expoſita occuparent: quod à populo impleri canente ſe, dùm Pompeiano præludit, etiam Neroni ſatis erat, qui vidit tunc annumerari unius ſcyphi fracta membra, quæ in dolorem credo ſeculi, invidiamque fortunæ, tanquàm Alexandri Magni corpus in conditorio ſervari ut oſtentarentur, placebat. Titus Petronius Conſularis moriturus, invidia Neronis Principis, ut menſam eius exhæredaret, trullam murrhinam ccc. ſeſtertiis emptam fregit. Sed Nero, ut par erat Principem, vicit omnes, ccc. ſeſtertiis capidem unam parando. Memoranda res, tanti Imperatorem, Patremque patriæ bibiſſe.

3 Verùm undè digreſſus revertor. In literis Mariani nominis Gemmarum theſauri inveniuntur. Nullo pretio taxari poſſunt, quia Mariæ virtutes ſunt ſuprà rerum pretia, atque hominum ęſtimationem. Jam verò quas alias literæ illæ gemmati Nominis pariunt gemmas? Age. Secundum Gemmarum Quinarium in Maria perficiunt, gemmeumque Nomen efformant

M elchites.
A damas.
R ubinus.
I ris.
A methyſtus.

Quot literę, tot Gemmæ. Quot gemmę, tot Virtutes. O verè gemmeum Nomen! Cui meliùs, & aptiùs convenit quod de Earini nomine Martialis *lib.* 9. *Epigram.* canit.

Nomen, Erythrais quod litera facta lapillis,
Gemma quod Eliadum pollice trita notet.

§. I.

Quem typum Beatæ Virginis præferat Melchites.

4 PRæſtantiſſima in gemmarum coloribus, & virtutibus eſt Natura. Sic illas gignit variâ colorum venuſtate vernantes, ut ſimul & ipſas pariat plurimarum virtutum varietate pollentes. Clementiſſima Parens, quę hominum generi Gemmas providit amuleta malorum. Melchites ergò & colore præſtat, & virtute. Viridis eſt lapis, & ſmaragdo ſimilis in colore, & ſatis mollis. Valet ad cuſtodiendas infantium cunas, & à caſibus prohibet nocivis, ſecundùm Dioſcoridem apud Berchorium. Quam pulchro ſchemate Melchites ſua ſmaragdina viriditate virorem illum Virginitatis immarceſſibilem, quo Beata Vigo eminet inter virentes omnes Virginum choros. Licet & ex Melchitis teneritudine mollem Virginis animum compaſſione, & pietate adumbrare: in Ipſa enim nihil durum, vel auſterum eſt invenire, ſed undequaque amabilitatem, lenitatem, ſpirat & gratiam. Pios autem, & humiles, qui ſe eius patrocinio committunt, ab omni nocumento cuſtodit illæſos, quia verè ipſos prohibet à noxio caſu peccati. Cunabula verò infantium ſuorum, hoc eſt, Religionum ordines, qui ſui Nominis Titulo in Eccleſia inſigniuntur, & gloriantur, ſpeciali cura protegit, & defendit.

§. II.

Adamas viribus ſuis naturalibus ſupernaturales virtutes Dei Matris adumbrat.

5 NObiliſſima Gemmarum Adamas magnam ſibi gloriam aſcivit Fulgore, vi, & poteſtate inſignis. Tot habet virtutum ſuarum admiratores, quot experimento probatores. Adamas Stellata Cœli pars, vel tranſlucidum terrę Sidus. Profectò Plinius lib. 37. c. 4. Hiſtor. Natural. non exiſtimavit inglorium laudare adamantem à patrià, à genere, & proprietatibus. Maximum, inquit, in rebus humanis, non ſolùm inter gemmas, pretium habet adamas, diù non niſi Regibus, & iis admodùm paucis cognitus, unus modò in metallis repertus. Per quàm raró comes auri, nec niſi in auro naſci videbatur. Veteres eum in Æthiopum tantùm metallis inveniri exiſtimavere, inter delubrum Mercurii, atque inſulam Meroen, dixeruntque non ampliorem cucumeris ſemine, aut colore diſſimilem inveniri. Nunc genera ejus ſex noſcuntur. Indici non in auro naſcentis, ſed quadam cryſtalli cognatione. Siquidem & colore tranſlucido non differt, & laterum ſexangulo levore turbinatus in mucronem, aut duabus contrariis partibus, quò magis miremur, ut ſi duo turbines latiſſimis ſuis partibus jungantur, magnitudine verò etiam avellanæ nuclei.

6 Similis eſt huic quidem arabicus, minor tantum, ſimiliter & naſcens, cæterum pallore Gentis, & in auro nonniſi excellentiſſimo natalis. Incudibus hi deprehenduntur, ita reſpuentes ictum, ut ferrum utrinque diſſultet, incudeſque etiam ipſæ diſſiliant. Quippè duritia inenarrabilis eſt, ſimulque ignium victrix natura, & nunquàm incaleſcens. Undè & nomen *indomita vis* Græca interpretatione accepit. Unum ex iis vocant Cenchron, quod eſt milii magnitudine. Alterum macedonicum in Philippico auro repertum, & hic eſt Cucumis ſemini par. Poſt hos Cyprius vocatur in Cypro repertus, vergens in æreum colorem, ſed in medicinis, ut dicemus, efficaciſſimus. Poſt hunc Siderites ferrei ſplendoris, pondere ante cæteros, ſed natura diſſimilis. Nam & ictibus frangitur, & alio adamante perforari poteſt, quod & Cyprio evenit, breviterque ut degeneres nominis tantùm autoritatem habent.

7 Idque, quod totis voluminibus his docere, & mandare conati ſumus, de diſcordia rerum, concordiaque, quam antipathiam & ſympathiam appellavère Græci, non aliter clarius intelligi poteſt. Siquidem illa invicta vis duarum violentiſſimæ naturæ rerum, ferri, igniſque contemptrix, hircino rumpitur ſanguine, nec aliter quam recenti, calidoq; macerata, & ſic quoque multis ictibus, tunc etiam pręterquam eximias incudes, malleoſque ferreos frangens. Cuius hoc ingenio inventum? Quovè caſu repertum? Aut quæ fuit coniectura experiendi rem immenſi Secreti, & in fœdiſſimo animalium? Numinum profectò muneris talis inventio omnis eſt. Nec quęrenda in ulla parte naturæ ratio, ſed voluntas. Et cum feliciter rumpere contingit, in tàm parvas frangitur cruſtas, ut cerni vix poſſint. Expetuntur à Scalptoribus, ferroque includuntur, nullam non duritiam ex facili cavantes.

Adamas diſſidet cum magnete lapide intantùm quid juxtà poſitus ferrum non patiatur abſtrahi: aut ſi admotus magnes apprehenderit, rapiat, utque auferat. Adamas & venena irrita facit, & lymphationes abigit, metuſque vanos expellit à mente, & ob id quidem eum *anachiten* vocavere. Hęc Plinius.

8 Sed nunquid adamas *Maria*? Utique adamas. Eſt enim adamas lapis parvus, ferrugineus, cryſtallinus, & durus taliter, quod nec ferro frangitur, nec igne reſolvitur: & Beata Virgo fuit parva per humilitatem, ferruginea per mortificationis auſteritatem, cryſtallina per lucidam vitæ honeſtatem, & ità dura per conſtantię firmitatem, quod nec ferro adverſitatis ęxterioris frangi, nec igne tribulationis interioris potuit emolliri. Verùm quod in adamante potiſſimum admiror eſt nonniſi in auro excellentiſſimo natalis. Quid ergò cæteræ Gemmæ? Undè natalitiam habent originem? Non ab auro metallorum Rege præſtantiſſimo, ſed vel à mari, undè & freti eiectamenta dicuntur; vel à plantis, undè Eliadum lachrimæ; vel à terræ arenis, undè arenoſi ſcrupuli vocantur, vel à viſceribus animalium, undè propria vocabula ſortiuntur. Solus adamas concipitur, & naſcitur in auro perfectiſſimo. Quid autem hoc eſt, niſi quod Beata Virgo ſuæ habuit primordia conceptionis in auro pretioſiſſimos prævenientis gratiæ Dei; talis pretioſitas, & in auro conceptio, & origo decebat Virginem, quæ Dei filium in ſuo erat conceptura ſinu, ut adamas Regis Regum eſſet, ſoli Deo cognita, & accepta.

9 Quis igitur referat? Mariani adamantis virtutes? Plura mirabilia aggerit Berchorius lib. 11. Reduct. Moral. c. 40. quæ ad honorem Dei Matris repetere non piget. Primò. Adamas, inquit, habet virtutem attrahendi ferrum, quod tangit, & ſimiliter magnes, veruntamen quandò adamas ferro coniungitur, tunc licet magnes ipſum ferrum tetigerit, ab eo tamen non attrahitur, immò virtute adamantis à magnete violenter retrahitur, & aufertur; ut dicit Plinius, & Iſidorus. Adamas eſt Chriſtus, vel Beata Virgo; magnes eſt diabolus, ſeu mundus; quia verè uterque habet virtutem attrahendi ferrum, id eſt, peccatores, quia Beata Virgo attrahit ad gratiam, Chriſtus ad gloriam; mundus attrahit ad delectamentum, diabolus autem ad infernum, & ad tormentum. Sed verò licet ferrum, id eſt, peccator, coniunctum fuerit cum magnete, ideſt, cum mundo, vel diabolo per peccatum; tamen verè ſi verus adamas, Chriſtus ſcilicet, vel Beata Virgo eidem ferro ſe apponat per ſuam gratiam, & miſericordiam, & ſuæ auxiliationis impenſionem, tunc verè à magnete, ideſt, à poteſtate diabolica, & affectione mundi ipſum violenter retrahit, & educit, quia ſcilicet ipſum nunc per gratiam, & in fine per gloriam ad ſe trahit, & non è converſo, quia non obſtante poteſtate diabolica ipſum ferrum, ideſt, peccatorem, qui cum adamante, ideſt, Chriſto coniungitur per gratiam, & charitatem, vel cum Beata Virgine per fiduciam, & devotionem, non poteſt magnes, ideſt, mundus, vel etiam diabolus ab eo ſeparare, nec ad ſe trahere per peccata, ſuggeſtionem, & delectationem. Ideò dicit Chriſtus *Ioan.* 10. *Nemo tollet eos de manu mea.*

10 Secundò. Virtus adamantis ſecundùm Plinium, & Iſidorum eſt venena deprehendere, metus expellere, maleficis artibus obviare. Et ſecundùm Dioſcoridem Gemma eſt reconciliationis, amicitiæ, & amoris, quia ſi mulier à viro ſuo digreſſa fuerit, per virtutem huius lapidis ad Sponſi gratiam faciliùs revocatur. In brachio etiam ſiniſtro portatus valet contrà hoſtes, contrà inſaniam, contrà rixas, & iurgia, contrà incubos, & phantaſmata, contra vana ſomnia, & venena.

Talis eſt Beata Virgo, quæ fuit parva, firma, & ſtabilis, atque fortis. Nam quando iſta geſtatur, ſcilicet in corde per fiduciam, & devotionem, tunc verè iſta facit venena, ideſt, peccata corrigi, & deprehendi, & emendari, vanos etiam metus hoſtium excutit, & maleficorum artibus, ideſt, dæmonum tentationibus obviat, & reſiſtit. Et ideò iſta iuvat hominem ſibi devotum contrà hoſtes, & contrà venena, ideſt, contrà dęmones, tentationes, & peccata. Valet etiam contrà inſaniam, & iurgia. Item valet contrà incubos, ideſt, contrà luxuriam; & contrà phantaſmata, & ſomnia, ideſt, contrà mundi vanam proſperitatem: quia prò certo Beata Virgo adjuvat, & ſupportat hominem ſibi devotum, nè lædatur à vitiis ſupra dictis. Et iſta prò certo dicitur lapis reconciliationis, quia verè quando aliqua anima eſt ſeiuncta à Sponſo Chriſto per peccatum, tunc verè ſi iſtum lapidem ſecum per devotionem portabit, in Sponſi ſui gratiam revertetur. Undè iſta fuit Eſther, quæ reconciliavit Judęos Aſſuero. *Eſther* 8. Pone ſi vis per modum figuræ; quia ſecundum Benardum, Iſta dedit Cœlis gloriam, Angelis lætitiam, peccatoribus veniam, pacem hominibus, terris Deum. Hæc ille.

11 Quod autem à Plinio aſſeritur de illa re immenſi ſecreti, ſcilicet quod Adamas ignis, ferrique triumphator, & victor, ab hirci ſanguine calido quidem, ac recenti ità afficiatur, ut tandem fatiſcat, & ſeſe in minimas partes frangi

gi permittat, ad hieroglyphicum Virginis noſtræ traductum, arbitror per illud ſignificari, Deiparæ cor nullis cedens adverſitatibus, ictibus, iniuriiſque averſæ fortunæ, in paſſione filii ſui ex materno affectu ità emollitum fuiſſe, ſacro, calentique divini Hirci cruore perfuſum, ut ex amore fatiſceret, & ob nimiam charitatem etiam Ipſa Conredemptrix Mundi cum Filio ſeſe in minutiſſimas partes dividi pateretur, & poſſet dicere illud *Pſal.* 21. *Factum eſt cor meum tanquàm cera liqueſcens in medio ventris mei.*

§. III.

Quid perfectionis exprimatur per Rubinum in Beatà Virgine.

12 BErnardinus Buſtenſis 3. *p. Marial. ſerm.* 1. *de Nomin. Mariæ* conſiderabat tertiam huius Nominis literam, & aiebat. Tertia litera eſt *R*, per quam denotatur, quòd Ipſa eſt Rubinus, ſivè Carbunculus, qui eſt valdè ſplendidus, & habet virtutem lætificativam; ut dicitur in libro de proprietatibus rerum. Ipſa enim gratioſa Virgo lætos facit vivere devotos ſuos: undè illi poſſumus dicere illud *Cant.* 1. *Exultabimus, & lætabimur in te.* Vel poteſt dici ſecundùm quoſdam Doctores, quòd per *R*, denotatur, quòd Ipſa generavit, Rubinum, ſivè carbunculum, qui naſcitur in viſceribus Sapphyri habentis ſplendorem, & colorem cœleſtem. Iſte enim Sapphyrus figurat Beatam Virginem, in cuius viſceribus operatione Spiritus Sancti generatus eſt Rubinus, ſcilicet Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Hactenùs ille.

13 Sed Carbunculi, quem dicimus Rubinum, miras proprietates in Beatà Virgine deſcribit Berchorius *lib.* 11. *Reduct. Moral. c.* 57. Eſt quædam, inquit, ſpecies carbunculi in Indià, dicta Sandaſeros, in cuius ſpecie velut inter lucidos ignes apparent guttæ aureæ relucentes, & eſt pretii incomparabilis. Eſt etiam quædam carbunculi ſpecies cæteris nobilior, quæ Zonà candidà eſt præcincta. Omnis autèm Carbunculus nocte, & die rutilat, atque fulget, & more ignis iugiter inardeſcit. Et eſt quædam alia ſpecies quæ folia librorum, & paleas attrahit, cùm à Sole, vel attritu digitorum fuerit calefacta, ſecundùm Iſidorum.

14 Talis fuit Beata Virgo, quæ prò certo habuit ſplendorem honeſtatis, ruborem charitatis, Zonam candidam floridæ caſtitatis, & ideò pretii incomparabilis, & inæſtimabilis fuit: quià verè nec in nocte adverſitatis, nec in die proſperitatis ceſſat radios ſuæ gratiæ, & miſericordiæ emittere, & folia librorum, id eſt, clericos, & literatos, paleas, ideſt, laicos, & peccatores ad ſe attrahere, vel levare: & hoc quandò à digitis noſtris, ideſt, à noſtris operibus, & orationibus fuerint inſtigata, ſicut dicitur *Cant.* 1. *Trahe me poſt te, in odorem unguentorum tuorum curremus.* Iſta autèm in ſe repræſentavit guttas aureas, ideſt, univerſitatem bonorum operum, virtutum, & exemplorum, quę poſſunt in ea reperiri. Undè *Sap.* 7. *Cognovi quoniam omnium bonorum Mater eſt.*

15 Si verò loquamur de Beatà Virgine, quatenùs Dei Mater eſt, tunc Virginea Genitrix Sapphyrus ſuit, in cuius utero divinus Carbunculus, ſcilicet Chriſtus cœleſti virtute eſt generatus, juxtà illud *Iob.* 38. *Quis poſuit in viſceribus hominis Sapientiam?* Et de hoc quidèm Berchorius *lib.* 11. *Reduct. Moral. c.* 118. Invenitur, ait, Sapphyrus aliquandò in mineris Lazuly, & in ipſis venis, & minoris Sapphyri aliquandò lapis reperitur, qui Carbunculus à pluribus nominatur ſecundùm Dioſcoridem, eò ſcilicet quòd naſci in venis ipſius perhibetur. Et ideò ex naturà Sapphyri creditur eſſe carbunculus, quadam favillà cæruleà obumbratus. Carbunculus eſt Chriſtus propter ardorem charitatis. Sapphyrus eſt Beata Virgo. In venis ergò Sapphyri, id eſt, in utero Virginis benedictæ fuit inventus Carbunculus Dei filius per incarnationem, & ideò prò certo Mater Carbunculi, ideſt, Dei Mater, & Genitrix nuncupatur: quià verè ex naturà, & puris ſanguinibus iſtius Sapphyri ipſe Carbunculus Chriſtus contraxit illas favillas cęruleas, quas circà ſe habet, ideſt, illam carnem humanam, cui eſt unitus, quàm ſcilicet ex Virgine *Marià* Matre ſuà ibi ſumpſit: undè ipſe poteſt dicere: *In utero Matris meæ figuratus ſum caro. Sap.* 7.

§. IV.

In Dei Matre Iridis Gemmæ proprietates elucent.

16 NAturæ magiſterium admirabar, quòd ex radiorum Phœbi reflexu in nube roridà, concava, & opacà aeream pingeret Iridem, colorum portentum, & ſubtiliſſimarum prodigium linearum. Verùm cùm Iris illa Cœleſtis tàm citò evaneſcat, quàm primùm Solis aſpectus, radiique, aut diſpoſitiones in ſpeculo nubis deficiunt: obſtupui Naturæ ingenium, ut quià cœleſtis Iris in nubibus durare non poterat, in lapidibus ſaltem ęius perennaret imago.

17 Hæc autèm eſt Iris lapis. De quà Iſidorus *lib.* 16. *Origin. c.* 13. Iris, inquit apud Arabiam in mari rubro naſcitur coloris cryſtallini, ſexangulata, dicta ex argumento Iris. Nam ſub tecto percuſſa Sole, ſpecies, & colores cœleſtis arcus in proximos parietes imitatur. Albertus Magnus autèm in Tract. de lapidib. Iridi lapidi natale ſolum in Germaniæ iugis aſſignat, neque diverſa ſpecies eſt ab illà, quæ de Salo procedit, ut ſcilicet unus & idem lapis à Salo, & à Solo haberet originem, eſſetque non minùs maris, quàm terræ civis, & inquilinus. Undè ait Albertus: Iris cryſtallo eſt ſimilis. Et eſt ut frequenter exagonus. Dicit autèm Enax, quòd de Arabià venit, & in mari rubro naſcitur. Nos autèm invenimus maximam copiam horum lapidum in montibus Germaniæ, qui ſunt inter Rhenum fluvium, & Trevirenſem Civitatem: & diverſæ quantitatis omnes ſunt exagoni. In aliis autèm lapidibus cùm naturaliter ſunt rotundi, exagoni efficiuntur, ſicut foramina a[illegible]um in medio poſita exagona efficiuntur, cùm illa, quæ ſunt in extremis ſunt rotunda. Eſt autèm lapis ſicciſſimus, quod

ſua indicat ſubtilitas maxima. Fit autem ex aqueo ſucco, qui evadit de materià lapidis, qui generatur in luto rubeo. Et quià hoc aqueum vehementer à ſicco apprehenſum: eſt ſiccus, & dudurus lapis valdè. Cùm autèm ſub tecto Soli eius pars immittitur, & pars eius in umbrà teneatur, proiicit reflectendo pulcherrimos colores Iridis ſuper oppoſitum parietem, vel ſuper aliquod Corpus, propter quod Iris vocatur. Hactenus ille.

18 Quid igitur iris, niſi typus Mariæ? Et primò quidèm ratione figuræ. Nàm Iris ſex angulos habet, qui ſex anguli competunt ſex operibus miſericordię, quæ Chriſtus enumerat *Matth.* 25. *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare, &c.* Et Beata Virgo operibus miſericordiæ ſexangulata refulget. Quæ quidèm opera ad literam præſtitit Chriſto filio ſuo, ut alibi dixi. Et hominibus miſericordiam non ceſſat impendere.

Secundò ratione tincturæ, ſivè reſplendentiæ. Eſt enim pellucida, & cryſtalli modo refulgens. Et Beata Virgo eſt clara, & perſpicua per conſcientiæ puritatem. Et ideò ſicut illa dicitur Iris, quia ſub tecto poſita, & Sole repercuſſa, colores Cœleſtis Iridis in proximos parietes iaculatur: ità & Beatiſſima Virgo ſub tegumento humilitatis poſita, & Sole divinæ gratiæ perfuſa, colores arcus cœleſtis, ideſt, affectus, ſivè effectus Chriſti in proximos, ſibique propinquos emittit: vel coloribus, ideſt, bonis micat exemplis, & ſic ſpeciem Iridis, ideſt, ipſius Chriſti, qui fuit ſignum fæderis, repræſentat per eius imitationem. Undè *Apocal.* 10. *Vidi Angelum amictum nube, & Iris in capite eius.*

19 Tertiò ratione compoſitionis. Sicut enim Iris lapis juxtà Albertum Magnum componitur ex aqueo ſucco, qui tranſit in lapidem, qui in luto gignitur rubeo, undè ille lapis valdè ſiccus, & durus evadit. Ità & Beatiſſima Virgo, ex aqueo quidèm fuit ſucco, ideſt, ex fluiditate humanæ naturæ, quæ defluit ſicut aqua, ſed quià illud aqueum à graciæ ſicco fuit vehementer apprehenſum, in ſicciſſimum, & duriſſimum lapidem eſt condenſata, nempè in tantam virtutem, & gratiæ ſoliditatem, ut nulla vitii, & peccati eluvies illam potuerit penetrare.

Quartò denique ratione efficaciæ, quià hic lapis juxtà Iſidorum, & Dioſcoridem, mulieres iuvat parituras, ut citiùs pariant, vel ut ſaltèm partus dolores faciliùs ferant, neque tantum de periculo timeant. Ità & benigniſſima Mater per ſuam miſericordiam cooperatur pœnitentibus, ut citius ſatisfaciant, vel ſaltèm ut anguſtias, & labores pœnitentię faciliùs ferant, & de tentationum periculis minùs metuant.

§. V.

Amethyſti dotes in Beatà Virgine fulgent.

20 ET tù quidèm Amethyſte quemadmodùm inter purpureos lapillos principatum tenes, ità & in Coronariis Gemmis Dei Matris principem locum habere contendis. Sed quà ratione hunc prætendas honorem, ex natalibus, & proprietatibus tuis videamus. Placet itaque ex Franciſci Ruei *lib. 2. de Gemmis c.* 11. cauſas ſcribere. Præcipua, inquit ille, inter violaceas Gemmas Amethyſto laus, & autoritas: eius autèm plura enumerantur faſtigia. Porrò Indicæ ſupremam ſibi vendicarunt maieſtatem: Poſt has verò Arabicæ, Armeniacæ, Ægyptiæ, & quæ in Galatià reperiuntur. Infimæ omnium, quæ in Tharſo, aut Cypro gignuntur. Singulæ tamèn violas utcunque referunt, fulgent quoque, ſcalpturæ ut ſi quæ aliæ faciles. Abſolutiſſimam purpuram Indicæ repræſentant; inter quas eæ quidèm præcellunt, quæ veluti ex carbunculo irradiantis in murice roſei cuiuſdam nitoris jucundam anhelationem effundunt. Quarum, quæ blando quodam aſpectu tanquàm ignitam eiaculantur ſcintillam, generoſiſſimæ, atque efficaciſſimæ putantur. Neque hìc etiam adnotare pigebit, quòd accedunt quidem Amethyſti omnes ad vini ruborem, verùm eo non adepto in violaceum finiuntur, ut purpuræ videlicet fulgor uſque adeò igneus non ſit: ſed ut vini colorem evariet. Quanquàm inveniam & Amethyſtos quaſdam ad Hiacynthos deficere, alias verò ad vinum magis: nullæ tamen vinoſi coloris expertes omninò laudantur. Quæ verò ad cryſtallum ceù ſubalbidà quadam, ac levi purpurà deſciſcunt, cunctis ignobiliores habentur. Veneris gemmam coloris luxus, & illecebra vocari fecit.

21 Ariſtoteles autor eſt Amethyſtum umbilico admotum vini vaporem primùm ad ſe trahere, deindè eum diſcutere: proindeque à crapulà, & ebrietate ferentem vindicare. Homini prætereà contrà topica amuletum eſſe comperio. Addunt & alii malas illum arcere cogitationes, & præcox, felixque ingenium efficere. Ad hæc vigilantem, & Principibus gratum reddere eum, à quo portetur. Sunt qui grandinem avertere, & omnia proſpera invitare illum tradunt, &c. Et Dioſcorides addit, quòd eſt facilis ad ſculpendum. Plutarchus quoque lib. de audiendà Poeticà, ait Amethyſtum habere vin attrahendi ſibi vicina.

22 O quàm bellè Amethyſtum præfers, Virgo Beata? Ille quià violaceus, purpureus, & roſeus, ità oculis gratus eſt, ut Plinius eum vocet *Gemmam Veneris*. Sìc & tu Virgo adeò gratam violæ, purpuræ, & roſæ mixturam habes, ut ſummoperè oculis Dei placueris; & violæ color humillimam cognitionem; purpuræ, modeſtiam; roſæ, pudicitiam notet. Et quidem modeſtia eſt virtutum purpura, ait Ambroſius: nàm quaſi purpura eas tegit, veſtit, & ornat. Et pudicitia eſt roſa, quæ verecundo; & pudico coloratur rubore. Sed humilitas eſt viola, propter quam meritò *Gemma Veneris*, gratiarum ſcilicet omnium appellaris: undè non ſolùm vicina terrę, ſed etiam Cœli remotiſſima tibi attraxiſti. Quià enim Virgo humillima fuiſti, Verbum increatum ex te carnem ſumere coegiſti.

23 Quid cæteræ Amethyſti dotes? Perfectionum Reginæ Cœli planè ſunt hieroglyphica. Fuit enim Beata Virgo ſicut Amethyſtus roſea per ardentem charitatem, flammea per bonorũ exemplorum luciditatem, violacea per humilitatem, purpurea per modeſtiam, ſculptilis per obedientiam, & ſubjectionem. Et ideò ſi quis hunc lapidem, ſcilicet Beatam Virginem, per devotam memoriam ſecum habuerit, profectò ipſum efficiet vigilem per bonorum operum diligentiam, & boni intellectus per diſcretionem, & prudentiam, gratum verò reddet Deo, Angelis, & hominibus. Præcipuè autem non permittet ipſum inebriari ſcilicet vino, in quo eſt luxuria, ſed ipſum faciet omnes malas cogitationes penitùs amputare. Qui ſibi denique hanc Virginis Amethyſtum auſpicem, & propitiam habuerit, à ſe profectò grandinem æternæ damnationis avertet, proſpera autem conſequetur beatæ felicitatis.

CAP. IX.

Tertius Gemmarum Quinarius ad Deiparæ laudes conſecratur.

1 EUge Natura Gemmarum Parens, Optimæ Parenti, quæ rerum omnium peperit Conditorem, pretioſos lapides affer vectigales. Sed neque hoſce tui gremii partus naturales digna exiſtimo eſſe tributa: in ſuo enim Nomine gemmæ naſcuntur nobiliores. O quale, & quàm pretioſum ſe mihi repræſentat *Mariæ* Nomen! Eſt enim, ut video, dives Vena gemmarum. Quò plures ſpeculationis ſarculo fodiuntur, eò uberiori copia inveniuntur. Nomen ſub Cœlo datum hominibus, in quo poſt Nomen Jeſu diteſcant, & ſalvi fiant. Age ergò, & novas gemmas è literis Mariani Nominis reſultantes videamus. Sunt enim in *Maria* quinque literæ, & quinque Gemmæ, quæ hoc Nomen componunt, ſcilicet

M elantes.
A ſterites.
R eſten.
I enia.
A ſtrion.

Habes ergò in *Maria* quinque literas, & quinque lapides gemmantes. Sed jam videamus, quid per ſingulas gemmas ſignificetur.

§. I.

Per Melantem Deiparæ dulcedinem ſignificari.

2 ETiam duriſſimos lapides mellis, & olei fontes, nè quid ad delicias deeſſet hominibus, voluit eſſe Natura. Inter hos *Melantes* lapis dictus, eò quòd *melleum*, & dulcem ſuccum emittat: ait Iſidorus lib. 16. Origin. cap. 4. Hunc tamen lapidem Plinius lib. 36. c. 39. Melititem vocat. Et *Maria* verè Melitites tota dulcis, & mellea. Fatetur enim de ſeipſa *Eccli.* 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & favum.* Ipſam enim Deus humano generi providit tanquàm fontem dulcedinis, de cujus ſuavitate omnis humana dulcoratur amaritudo. O quàm ſuavis, & dulcis facta es nobis miſeris, & amaris! Et verè ſapida, quia veram genuiſti Sapientiam, quæ ſola ſapida eſt ſcientia, cujus guſtu anima reficitur, & jucundatur, inter amaricàntes mundi miſerias.

3 O Melitites dulciſſima, & ſuaviſſima! Miſericordia tua in amaritudine poſitis tota dulcoroſa, tota mellita. Non enim emittit niſi melleum dulcedinis ſuccum. Quid eſt ergò, quòd Eccleſia in Antiphona *Salve Regina* miſericordiam tuam in perſona miſerorum implorat, niſi quia de Melitite tanquàm de favo diſtillanti manare dulciſſimam ſuavitatem mellis miſericordiæ tuæ experitur? Planè in illa Antiphona de Melitite mellis, & olei dulcedinem ſugimus: ut quam Placidus Nigidus Opuſc. 2. de Beata Virgine ex Eccleſiæ ſenſu per ſingula verba expoſuit, iterùm repetere non incongruum, ſed nobis perquàm utile, & jucundiſſimum judicaverim.

4 Expoſitio Placidi Nigidi in Antiphonam

Salve Regina.

Argumentum.

In perſonà miſerorum Eccleſia miſericordiam implorat Virginis Dominæ.

Salve.

Salutat adiens illam per officiorum leges, à qua ſcilicet ſit aliquid imploratura. *Salve*, inquit. Et addit ſtatim laudes, non adulationis quicquam Spiritu, ſed laudationis, ut quæ Parentem laudis, & veritatis alloquatur.

Regina.

Summum illi tribuit titulum, nimirùm eum, qui in poteſtate ſit. *Regina*; quid enim majus? Et meritò; nam ſuprema eſt ex illa petitura. Videtur igitur illud inſinuare. Potes enim. Vel. Potes omnia, quandò, & cùm ſis ſummæ poteſtatis. Sed dùm non explicat, quorum Regnorum illam Reginam dicat, & intelligat: certè vel ſupremam, & per excellentiam Reginam dicit univerſorum, vel ſuam ipſius precantis, & in perſonà ſuà omnium noſtri. Ut ſit ſenſus. Vel, *Salve Regina* ſuprema, vel noſtri. Sed quid agis Eccleſia? Reginam deprecaris? Summæ poteſtatis eſt nomen, undè & ſeveritatis. Minimè, ait: Nam miraculum Illa naturæ, & gratiæ; & in ea ſublatis imperfectionibus, perfectiones ſunt cæterorum. Quarè quæ extrema ſunt, aut videri poſſunt, poteſtas, & clementia, in illa maximo vinculo conjuncta ſunt. Undè ſubdit.

Mater Miſericordiæ.

5 Accedamus nos igitur ad thronum clementiæ ejus ſecuri. Regina eſt, non poteſtate, non moribus; his enim Mater eſt Miſericordiæ. Sed quid eſt, *Mater Miſericordiæ*? An copiam ſignificat? Siquidem copioſa in illa miſericordia. An ſenſus eſt: Mater miſericors? Poſuerunt igitur te Reginam, ò Virgo; ſede, ſicut una ex nobis, memor noſtri,

ſtri, ò Domina *Maria*; neque enim cauſa noſtra, cauſa Regni, & poteſtatis eſt, ſed miſericordiæ, in qua nullum jus habemus, niſi jus agnitionis noſtrarum miſeriarum. Sequitur.

Vita, dulcedo, & Spes noſtra, Salve.

Vita gratiæ, dulcedo Spiritus, Spes æternitatis. Sic interpretamur, & meritò; nàm non ad hæc temporalia referenda; non ad æterna ſolùm; ibi enim vita, ſed non ſpes. Ad ea igitur, quæ ſunt gratiæ, & gloriæ ſimul. Et certè hic ordo rerum ſpiritualium; ut priùs ſit gratia, tùm dulcedo, tùm converſatio in Cœlis, viva Spe. Sicut in corporalibus prior eſt vita, tùm guſtus vitæ, tùm denique ſpes meliorum in vita. Hæc autem de Domina, quòd miniſterialiter dicatur, alibi fuſiùs dicitur. Miniſtra illa vitæ, dulcedinis, & Mater Sanctæ ſpei, dùm Mater ſpei, quæ in æternitatem proſpiciat. Et id quidem, quia ſemel horum omnium miniſtravit auctorem, quem quia ſemel miniſtravit, idcircò & ſemper miniſtrat hæc bona, cùm auctor horum ille ſit, quem Ipſa ſemel miniſtravit. Ad hæc, & quia impetrat hæc nobis prò ſua reverentia, idcircò ſic dicitur. Hæc ad laudem, & ſalutationem. Subdit nunc petitionem, & cauſam exponit.

Ad te clamamus exules filii Evæ.

6 Ac ſi. Agitur de noſtra reſtitutione; exules enim ſumus. Et qui exules, ac quanti? Et undè? Ac cur? Satis eſt ſi dicamur, quòd filii ſumus Evę, illius, cui tu contraria, ò Virgo; cujus veniſti emendare geſtum, & corrigere mores, Filia Matris. Hinc ex hoc uno intelligere poteris omnia; ut quid enim nos tibi exponamus, quæ ſcis? Meminiſti tu omnia, & potes meminiſſe. Itaque artificiosè Evæ meminit, & inſinuat ad impetrationem. Et quid habet: *Ad te clamamus exules.* Cui ad te exules? Quià tu Regina; tuum enim, Regina, eſt reſtituere, & tuæ ſupremæ poteſtatis. Quia tu Mater miſericordiæ; tuum enim velle propterèà, quia tu vita. Nam in exilio quæ vita? Mors enim exilium. Tu dulcedo. In exilio nullus fructus vitæ, nulla dulcedo. In exilio quæ ſpes? Tu ſpes certa. Subdit eodem ſenſu.

Ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle.

Auget rem, additque clamori ſuſpiria; ſuſpiriis gemitus, ac fletus, ut oſtendat ex corde fieri omnia. Ait autem hæc meritò fieri, quia degimus in valle lachrymarum: quod eſt, ſi alluditur ad locum illum flentium, &c. In hac verà lachrymarum valle. Itaque & exules ſumus, & non degimus niſi in miſerrimo loco; ut locus ipſe incitet ad clamandum; nè dùm patrium ſolum, undè ejecti ſumus. Hæc expoſitio cauſæ, ſivè enarratio cum confirmatione. Adiicit petitionem.

Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.

7 Ad nos? Quin potiùs loquere prò nobis ad Regem? Ingredere, & dic prò reis? Non ita ait; nàm potentiſſima hæc Advocata, ut ſi Ipſa miſericordiam capiat de reis, acta res, explorata ſalus Vel converte, ait, ad nos oculos, ut recrees afflictos, jubeaſque optimo eſſe animo, Te Advocata, & cauſam noſtram agente. Ad miſeros igitur converte oculos miſericordes. Sed quid eſt: *Illos tuos?* Expertes ſcilicet ſeveritatis, & nihil ſcientes illius. Illos, quos ità meritò à Providente auctore accepiſti, quibus deſponſa omnia; quos, reſpiciens in Cruce filium, repleviſti in redundationes miſericordià. Quid enim non tu faceres? Et quo modo non miſereris noſtri, quorum videris miſertum uſque ad mortem, & mortem Crucis filium Dei. Non meminit Eccleſia Crucis, lachrymis, & ſingultibus, coacta interrumpere orationem. Hoc medium. Ille finis.

Et Ieſum benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende.

8 Quin potiùs Patriam poſt exilium? At hæc eſt Patria, Pater; & Patriam videre, hoc eſt videre Patrem, qui eſt Dominus. Quo fit, ut Angeli dicantur videre ſemper faciem Patris, ut dicantur ſemper degere in Patria. Nam ſi ubi bonum, ibi Patria, certè maximum bonum, & omne bonum Dominus Jeſus. Id igitur bonum in exilio petendum, quod ſi obtineatur, abſtergat omnes exilii moleſtias. Cur autem non ait: *Oſtende in exilio?* Quia *non videbit me homo, & vivet. Pſal.* . . . Quia ſi oſtendat, jam non erit ampliùs exilium. Sed quid habent illa ſimul: *Benedictum fructum ventris tui oſtende?* Nunquid digreſſio eſt? Nequaquam. Oſtende, ait, quia potes, & tuum eſt oſtendere, quia tuus fructus. Tu oſtendiſti Paſtoribus, Regibus in hac vita. Erit igitur poſt exilium conſolatio, quia fructus, & fructus benedictus. Sic alibi. *Filii merces, fructus ventris. Pſal.* . . . . Denique perorat legibus perorationis. *O Clemens, ò Pia, ò dulcis Virgo Maria.* Hactenus ille.

O ſuaviſſima Virgo, tota dulcedo, tota pietas, tota miſericordia! Quàm veram te præſtas Melititen, totam dulcem, ac melleam. Eſto mihi ſuavis uſque ad oblivionem cæterorum, hæſionem una in Te, præclariſſimum bonum meum, & ad Deum viam. Tota clemens, tota dulcis, quia mel, & lac ſub linguà tuà, quia Spiritus tuus dulcis ſuper mel, & favum, quia ubera tua virgineo lacte redundantia. Inſtilla in os meum guttam lactis tui ſuaviſſimi: & jam omnes amaritudines dulcoraſti.

§. *II.*

Aſteriten in ſuis dotibus figurare Beatiſſimam Virginem.

9 BErchorius lib. 11. Reduct. Moral. cap. 49. Aſterites, inquit, eſt gemma candida, incluſam continens lucem ſicut ſtellam ambulantem, quæ reddit Solis radios candicantes, ut dicit Iſidorus lib. 16. c. 10. Talis eſt Beata Virgo, quià prò certo Ipſa fuit candida per florentem caſtitatem, & ideò lux, & Stella Iacob, ſcilicet Dei filius, intrà eius uterum ſe incluſit, ſcilicet per incarnationem, quià *orta eſt Stella ex Iacob. Numer.* 24. Et ideò Iſta reddit Solis radios candicantes, hoc eſt dictu, quòd quandò aliquis eſt ei devotus, prò certo Ipſa ſibi impetrat, quòd per Solis radios, ideſt, per virtutem, & gratiam Ieſu Chriſti candidetur, & dealbetur per caſtitatem, & honeſtatem. Eccè nubes candida operuit eum. *Matth.* 17.

10 Vel per Aſteriten poſſumus Beatæ *Mariæ* interpretari Virginitatem. Sicut enim hæc Gemma incluſam in ſe continet lucem, ſicut ſtellam intùs ambulantem, & reddit radios candicantes. Similiter *Mariæ* Virginitas exteriùs erat candida per carnis incorruptionem, lucida per gratiæ ſplendorem. Undè intùs in mente erat, ut Stella, quæ habet incorruptibilitatem, luminoſitatem, & mobilitatem. Similiter mens interior Beatæ Virginis erat incorruptibilis per virginitatis amorem, ideſt, quia Virginitas eſt in carne corruptibili perpetuæ incorruptionis meditatio, & fulgens per Dei agnitionem, & mobilis per orationis frequentationem. Movetur enim mens, & aſcendit per orationem in Deum, ſecundùm Damaſcenum. Radios autem emittebat candicantes, ideſt, candidas, & puras conſiderationes, & contemplationis rationes habebat. Virginitas enim multùm confert ad puritatem contemplationis. Vel Virgo carne habebat interiùs lumen divinæ gratiæ in mente, quod reddebat eam ut ſtellam in ſe incorruptam per caſtitatem, fulgidam aliis per morum honeſtatem, & mobilem ad operandum, ideſt, ad bonorum operum ſtudioſitatem, nè ſcilicet ocio reſolveretur.

§. *III.*

Lapis Reſten triplici ratione figurat Beatam Virginem.

11 SEcundùm Avicennam Reſten eſt lapis, qui invenitur in capite Cancri. Et triplici ratione poteſt eſſe figura *Mariæ*. Primò. Ratione coloris. Aliquandò enim eſt albus, & aliquandò flavus. Sic Beata Virgo interiùs fuit alba per innocentiam, exteriùs autem flava per temperantiam. Nam ſecundùm Avicennam color flavus generatur in materia temperata, ſcilicet reſpectu coloris viridis: undè folia arborum, quæ primo Vere, quandò multùm abundat humiditas, ſunt viridia: in Autumno diminuta, & temperata humiditate, ſcilicet à calore elevante, ſed non totaliter conſumpta, efficiuntur glauca, ſivè flava. Et ità humor, & vigor carnis per temperantiam quidèm minuitur, ſed non funditùs extinguitur, quo diminuto, caro manſueſcit ſpiritui, & ei humiliatur. Hæc autèm ratio verificatur in cæteris Sanctis, non autem in Beata Virgine, in quà nulla lis erat, nullum jurgium carnis, & Spiritus, ſed amico fœdere, datiſque dextris in reciprocam amicitiam conſpirabant; quià in Ipſà fomes, qui inimicitiarum eſt ſeminarium, per pleniſſimam gratiam, & Spiritus Sancti ſuperventionem penitùs erat extinctus. Poteſt tamen dici, quòd efficiebatur flava, quià per abſtinentiam Virgineum corpus macerabat.

12 Secundò. Ratione frigiditatis, & humiditatis. Nam Reſten lapis eſt naturaliter frigidus, & humidus. Et Beata Virgo fuit frigida à mundi amore, & humida in lachrymarum devotione.

Tertiò. Ratione vigoris, & medicæ virtutis. Dicitur enim hic lapis valere contrà morſum ſcorpionum, & muſtelæ, ſi tritus more emplaſtri ſuperponatur: & etiam contrà morſum canis rabidi, ſi pulvis eius bibatur. Per ſcorpiones, qui retrò pungunt, intellige occultè detrahentes. Per Muſtelam, apertè maledicentes. Sed per canes rabidos, tyrannicè perſequentes. Contrà quos omnes valet uti fomentis, ideſt, Beatiſſimæ Virginis exemplis, & pulvere, eius ſcilicet humilitate, quà contrà detractores uſa eſt linguæ placabilitate; contrà maledicentes, loquelæ taciturnitate; contrà Tyrannos, & perſecutores, veræ patientiæ firmitate.

§. *IV.*

Quem typum Beatæ Virginis Ienia Gemma prætendat.

13 MUlta de Gemmis mirabilia ſcripſimus, mirabiliora de Ienio lapide ſunt dicenda. Tradit enim Iſidorus lib. 16. Origin. c. 14. quod Ienia lapis in oculis hyenæ beſtiæ invenitur, qui ſi ſub linguà hominis ſubditus fuerit, futura eum præcinere dicunt. Hoc idem confirmat Ariſtoteles in lib. de animalibus, dicens: Gemmam hyena portat in oculis. Vel ut aliqui dicunt in fronte. Plinius, & Solinus idem ſentiunt. Varietas enim multiplex, colorumque mutatio ineſt oculis hyenæ, in quorum pupillis invenitur lapis, quem dicunt prædicendi futura præditum poteſtate. Undè & canitur in Lapidario:

Tollitur ex oculis lapis extollendus hyenæ.
Vatidicum munus dicunt inferre gerenti,
Quo queat imbutus præcinere quæque futura:
Sub linguà loto ſi contineatur in ore.

14 Talis Gemma eſt Beata Virgo, quam ſi quis ſub linguà ſuà poſuerit per devotionem, & conſiderationem myſteriorum, quæ in Ipſà peracta ſunt, faciet eum de futuris prædicere, & vaticinari. Cùm enim Ipſa fuerit officina incarnationis filii Dei, & pepererit Chriſtum Iudicem vivorum, & mortuorum, præmia, & pœnas prò operum aut bonorum, aut malorum qualitate diſtribuentem: ſi quis hæc myſteria conſideraverit, de futuris profectò divinabit, ſcilicet de Vità eternà, de inferno, & de iudicio vaticinabitur. Undè *Sap.* 8. *Novit præterita, & de futuris æſtimat.* Undè & providentiæ virtutem habebit, quà ſibi provideat de futuris, quà ſcilicet ratione nunc vivat, quorum teneat morum tenorem, quam con-

converſationis formam inſtituat, ut maximam omnium futuram calamitatem præcaveat, & felicitatem conſequatur æternam.

§. V.

Quid Aſtrion in Dei Matre præſignet.

15 BErchorius *lib.* 11. *Reduct. Moral. c.* 47. breviter, & clarè de Gemma, eiuſque ſignificationibus. *Aſtrion*, inquit, eſt gemma Indica, cryſtallo propinqua in colore, in centro autem eius lucet Stella fulgore Lunæ plenæ: & ideò dicitur *ab aſtris*, eò quòd eis oppoſita, fulgorem rapit, & regerit, ut dicit Iſidorus *lib.* 16. *c.* 13. de cryſtallis. Luna ſignificat tempus. *Pſal.* .... *Fecit Lunam in tempora*. Iſta Gemma ſignificat glorioſam Virginem, quæ prò certo quantùm ad fulgorem honeſtatis, & exemplorum, cryſtallo ſimilis poteſt dici. Quandò ergò Luna fuit plena, ideſt, quandò venit plenitudo temporis, tunc verè in centro, ideſt, in utero iſtius gemmæ apparuit ſtella Iacob, Dei filius per incarnationem, qui per miracula, & Sanctam vitam ſplenduit ſicut ſtella, quià tunc *miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, &c. ad Galat.* 4. Et ideò quandò iſta fuit oppoſita, & coniuncta ipſis ſtellis, ſcilicet Deo, Sanctis, & Angelis, in aſſumptione ſcilicet, tunc verè ſplendorem æternæ gloriæ ſibi ipſi rapuit, & aſſumpſit. Figura *Apocal.* 12. de muliere amictà Sole, & Luna, &c.

16 Vel dic, quòd iſte lapis eſt anima giorificata, quæ propter fulgorem gloriæ, quem acquirit, quandò conjungitur aliis ſtellis, ideſt, Sanctis, poteſt dici cryſtallo ſimilis in fulgore, quia prò certo ſtatim quòd ipſa venit uſque ad Lunam plenam, ideſt, uſque ad plenitudinem gloriæ Paradiſi, tunc in medio reſultat Stella, ideſt Deus, ſcilicet tanquàm in ſpeculo, quia in Beatis tanquàm in ſpeculis ſpiritualibus videbitur Deus, ſicut dicit Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 15. *Erit Deus omnia in omnibus.* Ideò *Eccli.* 50. *Sicut Luna perfecta in diebus ſuis lucet*. Hactenus ille. Quæ tamen de cæteris Sanctorum animis glorificatis in Patria dicuntur, majori excellentia prædicantur de Beatiſſima Dei Matre, quæ omnes Sanctos excedit in gloria, tanquam ſuperexcellens, & perfectiſſimum ſpeculum, in quo Deus ſublimiori modo fulgebit.

CAP. X.

Quinque alii lapides inſignes Dei Matrem coronant.

1 NIhil excellentiùs poſt Chriſtum, nihil perfectiùs Dei Matre. Hanc enim fecit Deus infinitam imaginem bonitatis ſuæ: verba ſunt Divi Thomæ in quodam ſermone. Et nos licet puſilli, hujus imaginis perfectiones delineare conamur, & quia à noſtræ cognitionis puſillitate ſunt valdè remotæ, ſaltem illas ex veſtigiis creaturarum ſatagimus deprehendere. Præeunt autem nos, tanquàm duces in hac inveſtigatione, literæ ſui Nominis, in quibus novæ ſemper conceptiones, novique rerum partus inveniuntur, ex quibus aliquo modo ſubjecti, de quo loquimur, deducimus excellentiam. Quid miremur unicum Nomen tot abundare myſteriis, cùm Chryſologus dicat: Satis Deum ignorat, qui hujus Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur? Eccè in ſexti libri concluſione ex creaturis, quæ habent tantùm eſſe, quinque alii lapides inſignes, quos dant literæ Parthenii Nominis, ex quibus alias Virginis prærogativas eruere poſſumus. Quid enim eſt *Maria*, ſi characteres ipſius conſideres, niſi

M agnes,
A miantos,
R *am*,
I ſciſtos,
A ndrodamantus?

Age ergò, & hieroglyphica exponamus. Novus labor, ſed jucundus. Sed jam de ſingulis diſſeramus.

§. I.

Magnete plurimas, & ſingulares dotes Beatæ Virginis ſignificari.

2 QUæ paſſim de Magnete ſcribuntur, miracula propè videri poſſunt. Ut ergò innoteſcant, breviter cum Franciſco Rueo lib. 2. de Gemmis c. 24. nomina, Geneſim, probationem, & virtutes Magnetis deſcribemus. Natura, inquit ille, ut ſaxis vocem homini obloquentem, immò & Echo reſonantem dediſſe videri poteſt: ita & Magneti ſenſum, manuſque tribuiſſe non ineptè exiſtimetur. Ferri nanque indomita propemodùm, pugnaciſſimaque natura trahenti illi extemplò cedit, utque propiùs acceſſit, ab eo continetur, & quodam veluti complexu cohæret. Sunt qui ab inventore, ità vocato in Indià Paſtore, nomenclaturæ illius rationem adferant: quibuſdam autèm Siderites, aliis Herculeus nominatur. Hic tametſi in Indià primùm repertus ſit, paſſim tamèn apud Hiſpanos, & in aliis quoque locis naſcitur. Qui verò à Troade petitur, qui & albus pumici haud abſimilis comparet, fœmineus eſt, & non uſque adeo efficacis potentiæ, ideoque reſpuitur. Æthiopicis laus, & præcipua commendatio, iis præſertim qui ad cæruleum magis inclinant, quales maximè in Æthiopià Zimiri regione arenoſà reperiri invenio. Æthiopici argumentum eſt, quòd Magnetem quoque alium trahit. In metallis ferreis oritur. Hanc Germani, atque Itali habent, ferrugineo tamèn, ſeù pullo magis colore: qui quà parte cœruleum propinquiùs refert, acriùs trahit. Autor eſt tamèn Diogenianus, probatiſſimum Magnetem argenti adeò ſimilem eſſe, ut incautos facilè fallat, quem & ad maleficia præſtantiorem eſſe teſtatur. Porrò omnibus pręfertur, qui maximè trahit, & qui uſtus Hæmatiten ferè repręſentat.

3 Quòd autèm ad vires attinet; Potus triobolorum pondere ex ſucco fœniculi hydropicis aquam detrahit: ferro item intoxicato vulneratis præſenti remedio ſubvenit, oculorum medicamentis imponitur, prætereà & ad epiphoras: adusta verò crematus, tritusque ſanat. Commentitium puto, quod de Magnete quidam nugantur: Nempè quòd in ſomnis ignorantis fœminæ capiti ſubditus, adulteram lecto deturbet: fidelem verò, probamque uxorem ad mariti amplexus, etiam dormientem prolectet. Vanum inſuper, necè re publicà eſſe iudico, quod quidem Magnetem furibus ſuo fumo, atque nidore, uſui eſſe narrant: quaſi ſcilicet ad furta lapis natus ſit.

Hìc ſubit vehementer mirari, admiratione non vulgari dignam huius lapidis tractricem virtutem, quà videlicet ferrum non ſolùm, quod contingit coram trahere, verùm etiam & ſuo contactu ſimiles in id transferre vires trahentes, undè & aliud quodcunque congeneum ferrum convellere poſſit, ut viderim non raró plures acus hac ratione ſeſe ſuſpendere, tanquàm ſcilicet mutuis ſeſe manibus invicem comprehendiſſent. Quinimmò non deſunt, qui facto periculo aſſirmare audeant, ferrum à Magnete in librà poſito tractum nihil Magneti ponderis adiicere, ſeu nempè ferri gravitas vi lapidis abſorbeatur.

4 Porrò tractricem hanc virtutem ab Urſà Cœleſti Magnetem mutuatum eſſe coniectant, argumento quòd acus hoc affricta liberè in ſolaribus horologiis pendens ad Urſam ſaltèm minorem ferè moveatur, Magnetis potentiis acum ſequacem trahentibus: Urſa verò utrumque, acum, & lapilli in eà virtutem, ceù ſibi affinem, congeneamvè, convellente, atque alliciente, eademque vi Sidus hoc appetente. Quod ſi ità eſt, facultas illa Magneti cùm ab initio perfuſa eſt, tùm perpetuò Urſæ radiis, & influxu vegetatur. Proindè ſi quis eorum, quæ de lapilli huius trahente poteſtate diximus, rationem expetat, non inſcitè reſponderi poſſit virtutis eius cauſam eſſe cùm lapilli ſpecificam formam, tùm eius germanitatem cum ferri naturà, & eorum quidèm utriuſque conſenſum cum Urſà illa Cœleſti, cui & obnoxior ſit lapillus ipſo ferro. Quibus & id adſtipulari video, quod ſolum ferrum Magnetis viribus parère palàm conſpiciatur, eaſque contumaciùs retinere perpendatur. Ad hæc, quòd Autore Plinio vulnera aſperiora fiunt ferro Magnete contacto.

5 Porrò huic lapidi contrarium invenio Theamedem Gemmam, omne à ſe ferrum reſpuentem, profligantemque. Eſt & Plinio genus aliquod Magnetis, vitri liquorem alliciens. Lapillo itèm illi cum Allio diſcordia eſt non obſcura: is ſiquidèm Allio illitus tractricem omnem facultatem perdere fertur. Diſſidet etiam cum Adamante, qui & juxtà poſitus illum trahere non ſinit, quinimmò convulſum jam ferrum admotus illicò revellit. An autèm vires hæ occultæ, mirificæque, Cacodęmonum impoſturis adſcribi debeant: an potiùs indè avidiùs admirandus, atque laudandus Dominus omnium creator Deus, ac per ea quæ in hoc lapide facta ſunt, ſempiterna eius virtus, & divinitas magis cognoſcenda, & in mirabilibus ſuis operibus benedicenda, tuum eſto iudicium, Lector. Hactenùs ille.

6 Magneticam porrò virtutem habere Deiparam probant plurima non quidèm naturæ, ſed gratiæ miracula. Undè enim ad ſe filium Dei traxiſſet, niſi tanquàm Magnes trahendi virtutem habuiſſet? Virtus autèm tractiva Virgine-Magnetis fuit eius humilitas: quià ſicut Magnes ferrum trahit, ità & Beata Virgo humillima corde rapuit filium Dei de ſinu Patris. Undè illa vulgatiſſima Bernardi ſententia: Virginitate placuit, humilitate concepit. Sed & verum eſt, quòd Virgo Magnes traxit ferrum, ſcilict Chriſtum, qui ſecundùm humanam, quam aſſumpſit, naturam, dicitur ferrum, juxtà illud *Iob.* 27. *Ferrum de terrà tollitur*. Ideſt humanitas Chriſti, quæ de terrà uteri Virginei ſumpta eſt à Verbo divino. Et quid Magnes communicavit ferro? Virtutem attrahendi, nempè miſericordiam affectivam, quæ ſibi attrahit miſerias cæterorum, ut experimento compati diſcat, & miſereri. Cùm enim Verbum divinum juxtà increatam naturam ſit impaſſibile, neque poſſit habere miſerum cor, hoc eſt, eſſe paſſibile, & receptivum alienæ miſeriæ: hoc Mater dedit Dei filio, cùm ferrum aſſumpſit humanæ naturæ, ut haberet cor miſerum, & paſſibile, miſericordiam videlicet affectivam, quà ſibi miſerias noſtras attraheret, & ærumnis noſtris compati poſſet, qui in divinà naturà miſericordiam tantùm effectivam habebat.

7 Prętereà Magnes dicitur Beata Virgo, quià ſicut ille lapis naturali attractivà virtute ferrum ad ſe trahit, ſic *Maria* ferreas mentes ſæpè convertit. Ferrum quippè eſt durum, frigidum, & & ponderoſum, nàm de terrà tollitur. Terra autèm eſt dura, frigida, & ponderoſa, & ſignificat peccatores, qui frigidi ſunt ad amandum Deum, duri ad convertendum, & ponderoſi per amorem terrenorum, & ideò nunquàm ad Cœleſtia elevantur, quos Beata Virgo inflammat, convertit, & ſublevat ad cœleſtia.

Magnes eſt lapis reconciliationis, & ferrum ità ſuſpendit in aere, ut ipſum cadere non ſinat, undè vi lapidis factum eſt, ut apud Iſidorum *lib.* 16. *c.* 4. refert Auguſtinus, ut in quodam templo ſimulachrum ex ferro in aere pendère videretur. Talis profectò Magnes eſt Beata Virgo, quę peccatores reconciliat Deo, & hominum corda ferrea peccatorum pondere ad tendendum deorsùm inclinata, ſuis precibus ſuſtinet, librat, nè per finalem deſperationem ruant in abyſſum inferni.

8 Illud prætereà mirabile eſt de Magnete, quòd virtute ſuà ponderoſitatem ferri ità diminuat, ut ſi Magnes in librà poſitus ferrum traxerit, nihil ponderis Magneti adiiciat, ſed potiùs ferri gravitas Magnetis virtute abſorbeatur. Et quid hoc eſt? Illud ſanè arbitror, quòd quandò Divina Iuſtitia, quæ per libram ſignificatur,

tur, vult punire peccatorem, qui ferro ſimilis eſt, propter cervicem ferream, & peccati ponderoſitatem, tunc ſi Magnes, id eſt, Beata Virgo ſe poſuerit in librà Divinæ iuſtitiæ, & ferreum peccatorem traxerit per ſuam miſericordiam, jam ferreus peccator Magneti Virgineo coniunctus per contritionem, & gratiam ità fit levis, ut gravitate peccatorum virtute Magnetis abſorptà, veniam, & remiſſionem à Deo Judice conſequatur.

9 Magneti autèm nihil adeò contrarium, ut Allii ſuccus, quo ſi fuerit perunctus trahendi virtutem amittit. Tanta inter nobilem lapidem, & rude olus eſt diſſenſio, atque naturæ diſſidium. Et per hoc quidem puto ſignificari nihil Beatam Virginem ſic execrari, & odiſſe ſicut peccatum, quod Allii in modum aceſcit, & putet, adeò quòd odioſo, & agreſti ſucco trahendi virtutem impediat in Magnete. Non enim te Virgo Magnes ad ſuum trahet miſericordiæ ſinum, quandiù per pœnitudinem culpam non fueris deteſtatus. Quod ſi feceris, jam Magnes Virgineus nedùm per ſuam clementiam te attrahet ad filii ſui amicitiam, verùm & vulneribus à venenato peccati chalybe animæ factis medebitur, & cauterium quod inuſſit culpa, ſanabit.

10 Magneticà etiam trahendi virtute Urſam Cœleſtem pollère tradunt, quià Dei Mater eſt Magnetica Poli ſtella. De quà Berchorius lib. 5. Reduct. Moral. c. 31. Polus, inquit, eſt ſtella altiſſima, & minima videtur, licèt ſit magna, fixa, & immobilis, circà quam totum Cœlum movetur. Hæc eſt etiam utiliſſima, quià propter ſui immobilitatem terrarum ſitus eſt diſcretiva, navigantium directiva, aſtrologorum certificativa, ferri more magnetis attractiva, breviſſimi circuli effectiva. Et ideò iſta Stella tàm ab nautis, quàm Aſtrologis potiſſimè intuetur. Hæc etiam ratione ſui ſitus, medii totius Cœli eſt oſtenſiva omnibus, ut dicit Beda.

11 Hæc eſt *Maria*, quæ prò certo altiſſima eſt per contemplationem, minima per ſui contemptum, & deiectionem, tamèn in ſe fuit maxima per meritorum cumulationem. Fixa fuit per fidei, & propoſiti firmitatem. Ideò iſta columna Eccleſiæ dicitur, quià omnes alii vacillaverunt præter ipſam, viſà morte Chriſti in Sabbato antè reſurrectionem. Et ideò dies ſabbati nomine ipſius jejunatur. *Eccli.* 4. *Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columnà nubis.* Iſta immobilis fuit per perſeverantiam, & durationem. Et circà eam ſemper debet volvi Cœlum, id eſt, mens humana per ſpem, & devotionem. *Cant.* 3. *Surgam, & circuibo Civitatem.*

12 Iſta navigantes, ideſt, in hoc mundo fluctuantes ad portum Paradiſi dirigit per orationes ſuas. Aſtrologos, ideſt, cœleſtia contemplantes, de vità æternà certificat, & erudit. *Eccli.* 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis.* Ferrum, id eſt, peccatores duros, ferreos, & obſtinatos ad miſericordiam redigit, & attrahit. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Oſæ* 11. Et ideò verè Iſta debet à navigantibus, ideſt, ab activis bonis ſecularibus, & ab Aſtrologis, id eſt, religioſis, & contemplantibus, per devotionem, ſpem, & orationem frequentiùs intueri.

13 Breviſſimum etiam facit circulum ſuum, quià parum de temporalibus ambiit, vel habuit, immò maximam paupertatem tenuit, mundique ambitum, & latitudinem non amavit. *Eccli.* 11. *Brevis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Et ſicut Polus eſt nobis perpetuæ apparitionis, ſic etiam Beata Virgo nobis eſt promptæ, & perpetuæ ſubventionis. *Apocal.* 5. *Eccè ſto ad oſtium.* Quinimmò ſicut iſte Polus Polo antarctico ſemper opponitur, ſic Beata Virgo Chriſto filio ſuo, & rigori ſuæ iuſtitiæ pro peccatoribus ſe opponit, inquantùm pro eis dulciter intercedit. Hæc Berchorius. Igitur ò Beatiſſima, ſivè Magnes, ſivè Magnetica Stella, te ſupplices rogamus, ut noſtri meminiſſe, & nos trahere ad te digneris, ut à mundi periculis per tuam clementiam erepti, Dei magnificentiam in Te laudare poſſimus, & dicere: Quam mirabilis Deus in Matre ſua!

§. II.

Quid figuret Amiantos in Beatà Virgine.

14 ET in hoc lapide Parthenii Scapularis admirabilia portenta recurrunt, illius ſcilicet indumenti, quo Carmelus induitur, cuiuſque fila propriis manibus Sapientiæ Mater contorſit, ac nevit. Non memoraverim eius comparatione fabuloſas loricas, quæ ſtigiis aquis temperatæ, nullis valeant iaculis penetrari. Non commentitias Heroum Parmas, in quibus tela extinguantur ignita. Sed quid Amiantos ad Virginem, vel ad veſtem?

15 Promamus Amianti naturam, quam deſcribit Iſidorus lib. 16. Origin. c. 4. Amiantos, inquit, appellatus à veteribus, eò quòd ſi ex ipſo veſtis fuerit contexta contrà ignem reſiſtat, & igni impoſita non ardeat, ſed ſplendore accepto niteſcat: & eſt ſciſſi aluminis ſimilis, veneficiis reſiſtens omnibus, ſpecialiter magorum. Scio Ambroſium Amianti prodigia ad jejunii virtutem referre; undè lib. de Elià, & jejunio c. 7. ſic loquitur. Eſt quędam Creaturæ natura, quam Amiantum vocant, nullo facilis igni conſumi: quæ impoſita focis igneſcit, illicò ſublata de flammà tanquàm aquarum infuſione mundata reſplendet. Talia erant Hebræorum corpora puerorum, quæ jejunio in Amianti transformata naturam, vapore ignis non ad diſpendium ſui, ſed ad gratiam utebantur. Denique cum furerent fornacis incendia, ut ultrà quadraginta cubitos flamma per circuitum funderetur, conſumens plurimos quos repererat Chaldæorum, qui naphtà, pice, & ſtuppà, atque ſarmento alimenta ignibus miniſtrabant: ubì, quià jejuni ingreſſi ſunt, diſcuſſo ardore flammarum in medio fornacis flatum roris refrigerantis ſpiritu hausère, ità ut eorum nullus capillus capitis exureretur, quià illam quoque jejunia comam paverant.

16 Quid igitur prohibet dicere *Mariam* ſimili modo Amianti habere naturam, ſeu ut meliùs dicamus, per gratiam in Amiantum ſublimioris ordinis transformatam, quam non ignis culpæ originalis, cuius flamma totum combuſſit genus humanum, lædere potuit, & nullius ardor concupiſcentiæ inflammare. Quam ſcilicet infuſo gratiæ rore præventam & ſuperfuſam igneus diaboli flatus attingere non valuit. Vel dicamus, quòd ſicut Amiantos in igne tribulationis poſita, per illam patientiæ, & conſtantiæ firmitatem, quam in adverſis habebat, nullà impatientiæ flammà aduri potuit, ſed indè accepto ſplendore nitidior relucebat.

17 Vel ſi de Amianto dicitur veſtis fabricari, quæ vim ignis eludit, undè & antiquitùs Regum, & Imperatorum cadavera in amiantinis telis cremebantur, ut eorum cineres ſervarentur illæſi. Magis, & vehementer Parthenii Scapularis virtutem admiror, quo quis præcinctus, riteque ſervatis, quæ ad dignam geſtationem præcipiuntur, Inferni voraciſſimos ignes indemnis evadet. Quàm quidem prærogativam Beatus Simon Stochius totius Ordinis Carmelitarum Generalis Magiſter à Beatiſſimà Virgine obtinuit, ut legitur in lectionibus ſecundi Nocturni prò officio in die eius feſto à Sacrà Rituum Congregatione approbatis. *Precanti ei Divam Virginem, ut Ordinem iam confirmatum, qui ſacro Titulo eius gaudet, ſingulari aliquo privilegio à cæteris diſcerneret, apparuit Ipſa Virgo benedicta Angelorum multitudine comitata, tenens præ manibus Scapulare Ordinis, dicens: Hoc erit ſignum tibi, & cunctis Carmelitis privilegium, quod in hoc piè moriens, æternum non patietur incendium.* Nobis ergò Cœlorum Imperatrix, verùm & confratribus, qui Scapularis ſocietati aggregantur, detulit Amiantum de Cœlo, qui vim urentem ignis infernalis elidit. O præclariſſimam veſtem, quam ſi quis per veram induet devotionem, ulteriùs magorum maleficiis, ideſt, dæmonum tentationibus obviabit, & reſiſtet.

§. III.

Ram pulchrum dat Virginis Typum.

18 BErchorius *lib.* 11. *Reduct. Moral. c.* 16. legit quidèm Ram: ſed ex Vincentio Belluacenſi legendum eſt Ranni. Ram argò, ait Berchorius, ideſt, bolus Armenicus, vena eſt terræ, quæ virtutem habet conſtringendi ſanguinem undecunque fluat: naturæ enim frigidæ eſt, & ſiccæ. Talis eſt munditia, & abſtinentia, in quà eſt frigus divini timoris, & ſiccitas, ideſt, carnis maceratio. Iſta enim habet poteſtatē reſtringendi ventrem, & ſanguinem, ideſt, omnes gulæ, & luxuriæ voluptates.

19 Verùm quæ dixit Berchorius de munditià, & abſtinentià, nos poſſumus de Beatà Virgine interpretari. Nàm Ipſa verè eſt Ranni optima terrę vena, à quà omnis vita noſtra procedit. *Prov.* 10. *Vena vitæ os iuſti, &c.* Si vena vitæ os iuſti (eſt argumentum à minori ad maiùs, quod proponit Albertus Magnus, *lib.* 9. *de laudib. Beatæ Mariæ c.* 19.) ergò multò fortiùs os Mariæ iuſtiſſimæ eſt vena vitæ, quoties filium prò nobis interpellat, & propter hoc dicit Ipſa: *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.*

20 Et Deipara quidèm optimæ terræ vena, quæ multas habet virtutes. Undè Voragines ſerm. 144. de Beatà Virgine plures reddit cauſas, propter quas Beata Virgo vocatur terra, dicens. Terra dicitur *Maria* multiplici de cauſà. Primò. Quanvis terra ſit omnium elementorum infima, eſt tamèn præ omnibus elementis magis adornata. Sìc Beata Virgo præ omnibus Sanctis fuit magis infima per humilitatem, ſed magis ornata propter virtutum varietatem. Infimam ſe vocabat, dicens *Luc.* 2. *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*: ſed ornatam virtutibus ſe oſtendebat, dicens *Eccli.* 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Hieronymus. Cęteris Sanctis gratia per partes præſtatur, *Mariæ* verò tota ſe infundit gratiæ plenitudo. Ipſa ſiquidèm fuit omnibus gratiis à Deo viſitata, amore Dei inebriata, & cunctis virtutibus locupletata. *Pſal.* 64. *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam.*

21 Secundò dicitur terra, quià licet videatur in Superficie deſpecta, intùs tamèn continet pretioſa, ſcilicet aurum, argentum, & lapides pretioſos. Sic & *Maria* exteriùs videbatur deſpecta, tamen interiùs continebat cœleſtem theſaurum, ſcilicet Dei filium. *Cant.* 1. *Nigra ſum* ſcilicet exteriùs per converſationem, *ſed formoſa* interiùs per filii Dei in meo utero habitationem. *Pſal.* 44. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intùs.*

Tertiò dicitur terra, quià licet ſit multipliciter attrita, eſt tamen firmiter ſtabilita. Sic & Virgo *Maria* fuit multipliciter attrita in filii paſſione, juxtà illud *Luc.* 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*: ſed tamèn fuit fortis per conſtantem fidem. *Eccli.* 1. *Generatio præterit, generatio advenit: terra verò in æternum ſtat.* Nam generatio Apoſtolorum præterivit à fide, cùm in horto omnes fugerunt, Chriſto relicto; undè tunc defecerunt à fide: generatio Latronis, & Centurionis venit ad fidem. Terrà verò, ideſt, *Maria* in æternum ſtat, quià fidem eius ſemper ſervavit.

22 Quartò dicitur terra, quià licet ſit frigida, & ſicca, eſt tamen ſupernorum luminarium maximè influentiæ ſuſceptiva. Sic & Beata Virgo fuit ſicca ab humore cupiditatis, & frigida ab omni concupiſcentià carnalitatis; fuit tamen divinarum influentiarum maximè ſuſceptiva. Nam ſecundùm Bernardum: In ventre fuit plena gratià deitatis, in corde gratià charitatis, in ore gratià affabilitatis, & in manibus gratia miſericordiæ, & largitatis.

Quintò dicitur terra, quià terra exteriùs venuſtatur plantis, & intùs ditatur theſauris, in intimis verò eſt plena tormentis, quià ibì Infernus eſſe perhibetur. Sìc & Beata Virgo fuit exteriùs ornata venuſtate morum, interiùs ditata theſauro virtutum, in intimis cordis vulnerata doloribus tormentorum. *Luc.* 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* *Cant.* 1. *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut pelles*

Salomonis : quæ erant rubricatæ . Ipſa enim fuit nigra, & denigrata in filii paſſione præ vehementia doloris, ſed erat formoſa decore virtutis, & rubicunda fervore converſationis.

Sextò denique dicitur terra, quià ſicut dicit Auguſtinus in *lib. de Trinitate*, bona terra eſt altitudine montium, temperamento collium, & planitie camporum. Sic B. Virgo fuit bona terra per Cœleſtium contemplationem. *Eccli.* 24. *Ego in altiſſimis habito*. Fuit temperata per diſcretionem. De cuius temperamento diſcretionis dicitur *Luc.* 2. *Maria autèm conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*. Fuit plana per humilem converſationem, quià cum Apoſtolis, & cæteris mulieribus ſanctis converſabatur. *Act.* 1. Ubi enumeratis omnibus Apoſtolis, in fine concludit Lucas. *Hi omnes erant perſeverantes in oratione cum Mariâ Matre Ieſu*. Hactenùs Voragines.

23 Quàm fœcunda igitur, & optima optimæ terræ vena eſt *Maria*, de quà non Armenici, ſed Cœleſtes boli conficiuntur, quibus vitiorum compeſcitur fluxus. Si quis enim conſideret *Mariæ* virtutes, & glutiat tanquàm bolos vitales per imitationem, & devotionem, facilè conſtringit ſanguinem cuiuſlibet malæ concupiſcentiæ fluentem. Quis non ſe temperet ab iracundià, ſi *Mariæ* cogitet manſuetudinem? Quis voluptates non execretur impuras, ſi Cœleſtem *Mariæ* puritatem ob oculos ponat? Quis huius ſeculi labentes non contemnat divitias, ſi Dei Matris, Cœlorum, terrarumque Reginæ ſummam recogitet paupertatem? Et ſic de aliis.

§. IV.

Iſciſtos aliud in Virgine aperit Theatrum virtutis.

24 TRadit Iſidorus *lib.* 16. *Origin. c.* 4. quod Iſciſtos eſt lapis, qui invenitur in ultima Hiſpanià, Croco ſimilis, cum levi fulgore, facilè friabilis. Mirum profectò Naturam coloribus lapides venuſtaſſe, quibus flores imitarentur, qui colore commendantur. Et quid hoc fuit niſi vel ut lapides verterentur in flores, aut flores tranſirent in lapides, reciprocà colorum ſimilitudine, ac venuſtate. Num fortè lapideſcunt flores, aut lapides floreſcunt? Hęc ego dixi, cùm Iſciſtos lapis croco ſimilis laudatur ab Iſidoro. Sed cur crocea illa lapidis ſpecies, & levi etiam fulgore ſcintillet? Autumo Iſciſton Crocum referre in Virginis typum.

25 Quapropter non pigebit ex Plinio *lib.* 21. *Hiſt. Natural. c.* 6. tradere originem croci, genera, atque proprietates. Crocum, inquit, ſilveſtre optimum ſerere in Italià minimè expedit, ad ſcrupula uſque ſingula areis decoquentibus. Seritur radicis bulbo. Sativum latiùs, maiuſque, & nitidiùs, ſed multò leviùs degenerans. Sed nec ubique fœcundum, etiam Cyrenis, ubì ſemper flores laudatiſſimi. Prima nobilitas Cilicio, & ibi in Coryco monte. Dein Lycio, monte Olympo. Mox Centuprino Sicilię. Aliqui Phlegræo ſecũdum locum dedère. Adulteratur nihil æquè. Probatio ſinceri, ſi impoſità manu crepat veluti fragile. Humidum enim, quod evenit adulteratione, cedit. Altera probatio; ſi manu prolata ad ora, leniter faciem, oculoſque mordeat.

26 Eſt per ſe genus ſativi blandiſſimum vulgo, cum ſit medio candidum, dialeucon vocant. Contrà Cyreniaco vitium, quod omni Croco nigriùs eſt, & celerrimè marceſcit. Optimum ubicunque, quod pinguiſſimum, & brevibus capillis: peſſimum verò, quod ſitum redolet. Mutianus autor eſt, in Lycià anno ſeptimo, aut octavo transferri in locum ſubactum, atque ita degenerans renovari. Uſus eius in coronis nuſquam. Herba enim eſt folio anguſto penè in capillamenti modum. Sed vino mirè congruit, præcipuè dulci, tritum & ad theatra replenda. Floret Vergiliarum occaſu paucis diebus, folioque florem expellit. Viret bruma, & colligitur. Siccatur umbra meliùs etiam hyberna. Carnoſa & illi radix, vivaciorque quam cęteris. Gaudet calcari, & atteri, pereundoque meliùs provenit. Ideò iuxta ſemitas, ac fontes lętiſſimum. Hæc Plinius.

27 Verùm Levinus Lemnius in explicatione *Herbar. Biblicar. c.* 38. alias etiam vires crocum tradit habere. Crocus, ait, radice bulboſa, ac cepicea in capillamenti exilitatem ſpargit folia junci multò tenuiora, è quibus floſculus emergit, tametſi is aliquandò antè folia conſpiciatur, cærulei coloris, in cuius medio velut crocea ſtamina, ac filamenta ſe proferunt fragrantiſſimi odoris, adeoque intenſi, ut cerebro vi ſoporoſa officiat. Cor verò Crocus ita recreat, ut digito annulari ſiniſtræ manus aſtrictus confeſtim ad cor penetret. Tanta eſt illi cum corde ſocietas, ut vel foris, vel intùs adhibitus abſque mora per arterias illùc perferatur. Quo fit, ut corpori venuſtatem adferat, & colorem floridum conciliet, modò nè ſit immodicus eius uſus. Nam immoderatus riſum perpetuum homini excitat, &, ut tradunt Medici, nimio gaudio hominem conficit, ſi trium drachmarum pondere exhibeatur.

28 Habemus ergò Iſciſton croco ſimilem, habemus & floridum Crocum: ille quidèm lapis, hic autèm flos lapidi ſimilis ſin colore. Cuinam igitur Virginis typus obveniet? Lapidinè, an flori? Dices. Potiùs flori, quam lapidi. Et ego fortaſſis exiſtimo, quod utrique, flori ſcilicet, & lapidi. Licet enim Iſidorus nullas memoraverit lapidis vires, non ignoramus tamèn multas lapidibus præcipuè inſignioribus ineſſe virtutes: & cùm Iſciſtos ſimilem Croco habeat colorem, fortè & iiſdem poterit ſi non omnibus, aliquibus ſaltèm gaudere virtutibus. Crocus igitur in flore, & Croci color in lapide, ut de utroque Virginis hieroglyphica componantur.

29 O Beatiſſima, quàm Croco ſimilem Te comperio! Prima nobilitas tua de Cœlo. Terris ſata, cęleſtem habuiſti originem, priùs Gratiæ partus, quàm Filia Naturæ. Te enim verè in Conceptione probaſti Crocum, cùm Gratię vigore faciem, oculoſque antiqui Draconis mordicaſti. Sed quid eſt, quòd croci uſus nuſquàm in coronis, niſi quia dùm Cœli, terræque evehebaris ad Regnum, immò quod maiùs eſt ad Dei Matris dignitatem, humillimum profeſſa es ancillatum, dicens: *Eccè Ancilla Domini*? Foliis itèm anguſtis, & in capillamenti exilitatem, ex humilitatis affectu, utpotè quæ de te non magna, ſed humilia ſentiebas. Vino autèm virtutum, & præcipuè dulci charitatis mero Te congruam indicaſti, quià nimirùm inter virtutem humilitatis, cœterarumque virtutum choros tanta eſt fœderatio, & amicitię ſocietas, ut ſinè humilitate reliquæ non habeantur. Nam, ut loquitur Juſtinianus Tract. de Vità Solitarià c. 14. ſicut abſque charitate, ità ſinè humilitate nemo ſalvus efficitur. Ceterùm juxtà humilitatis menſuram prærogat Dominus ſuis dilectoribus dona, ſuamque oſtentat præſentiam. Ubì enim reclinare diſponit, obſervat priùs utrùm ſit præſens humilitas, quam cum cum viderit, atque cognoverit, hilariter viſitat, ſuàque lætam facit pręſentià.

30 Proſequor reliqua ſymbola. Crocus inter brumæ floret aſperitates: & Beata Virgo inter brumales tribulationes ſummo floruit patientiæ virore. Ipſa enim gaudebat adverſis, ſicut & crocns atteri, atque calcari. Ideò juxtà Crucem Filii ſui,ronteſque ſanguinis ab eo promanantes lætiſſima, & novo illo martirii genere, quod eius agebatur in corde, pereundo cum filio, meliùs proveniebat: quià enim, ut inquit Ambroſius, cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem, Aula regalis etiam ſuà morte putabat ſe aliquid publico addituram muneri. In modum autèm croci pœnis trita, atque doloribus, illuſtravit Calvarii theatrum, & pulcherrimum reddidit, cùm ipſa nobiliſſimum facta eſt magnanimitatis, atque conſtantiæ ſpectaculum.

31 Quid verò illa ſympatica vis inter crocum, hominiſque præcordia? Arbitror ſanè *Mariam* ità congeneam devotis ſuis, ut non officiat, ſed ipſis quàm maximè proſit ad terrenorum oblivionem, quò ſcilicet memoriam transferant ad immutabilia, & æterna. Tanta enim eſt *Mariæ* cum humano corde ſocietas, ut ſi quis eam ſivè tanquàm crocum, ſive tanquàm lapidem Iſciſton, digito annulari ſiniſtræ manus, in quo eſt vena cordis ſcilicet amoris, per dilectionem aſtringat, ſtatim ſibi ſentiat cor inflammari, & igne charritatis accendi, ac recreari. Sicut autèm Mariæ dilectio animam pulchram, & floridam facit, ità nec in eius amore limitem admitto, quemadmodùm & modus diligendi Deum eſt diligere ſinè modo. Propterea nec in Mariæ dilectione uſus moderatus eſſe debet: ſed feliciſſimus qui eam exceſſivo diligat modo; nàm in Patriam eius ope ad viſionem Dei perductus, præ gaudio liqueſcens dicet: *Defecit cor meum, & caro mea in Deum meum.*

§. V.

Metam lapidibus, & Mariæ laudibus Androdamantus ponit.

32 AD calcem pervenimus entitatum, quæ in rerum naturà ſolum habent gradum eſſendi. Non quià multò plures etiam poſſent adduci, ſed nè in immenſum volumen excreſceret, his paucis Mariani Nominis magnificentiam libuit declarare. Androdamantus igitur, juxtà Iſidorum lib. 16. Origin. c. 4. eſt colore niger, pondere, & duritià inſignis, undè & nomen traxit: præcipuus reperitur in Africà. Trahere autèm in ſe argentum, vel æs dicitur, quique attritus ut hæmathites in colorem redigitur ſanguinis. Quid igitur ad Virginem Androdamantus? Nimirùm lapis eſt, colore niger, quià Beata Virgo fuit nigra per humilitatem: nigredo enim eſt color humilis, & deſpectus. Lapis pondere gravis eſt: quià Dei Mater fuit ponderoſa per prudentiam, & maturitatem. Duritiam habet, quià Beata Virgo per gratiam inflexibilis fuit ad culpam. Trahere in ſe argentum, vel æs dicitur; quià æs, & argentum humanitatis Chriſti ſumptum eſt de utero Virginali. Attrita verò in Filii paſſione per compaſſionis fervorem, tunc pulcherrima Eccleſię Luna verſa eſt in ſanguineum colorem.

MYSTICÆ ANATOMIÆ SACRATISSIMI NOMINIS DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM

Fruticum, herbarum, florum, atque arborum Coronamenta in præconia Sanctiſſimæ Dei Matris conſpirant.

1 HActenùs Cœli, elementa, meteorologicæ impreſſiones, temporum viciſſitudines, metalla, lapides, & Gemmæ amicà pugnà in laudibus Dei Matris certavère. Nunc lætum inter vegetabilia certamen exoritur, quodnam eorum potiori iure ſibi primum in laudatione *Mariæ* vindicet locum. Vel certè omnium vegetabilium Virginis Nomen laus eſt, & Corona, utpotè quòd à literis eius tanquàm laureà pulcherrimà coronentur. Nomen enim Virgineum, plantarium eſt Corollarum. Iàm ergò feracitas eius etiã in vegetabilibus noſcatur. Dividatur in ſua elementa, & quid ſingula pariant videamus. Eſt enim *Maria* in literis ſui Nominis

M andragora.
A mygdalus.
R ubus
I uniperus.
A gnocaſtus.

Fœcunda proles ſegetem præſagit fœcundam. Utique virtutis proles, & ſeges Mariæ perfectiones oſtendit.

§. I.

Pulchrè Mandragora Beatæ Virginis dotes repræſentat.

2 INter herbas aromaticas ſolam Mandragoram in radice humani corporis habere ſimilitudinem, admirandum Naturæ prodigium eſt. De hàc Iſidorus *lib.* 17. *Origin. c.* 9. *Mandragora*, inquit, dicta, quod habeat *mala ſuave olentia*, in magnitudinem mali Matiani. Undè & eam Latini *malum terræ* vocant. Hanc Poetæ ανθρωπόμορφον appellant, quòd habeat radicem formam hominis ſimulantem: ἄνθρωπος enim Græcè, Latinè dicitur *homo*. Cuius cortex vino mixtus ad bibendum datur iis, quorum corpus propter curam ſecandum eſt, ut ſoporati dolorem non ſentiant. Huius ſpecies duę. Fœmina, foliis lactucæ ſimilibus, mala generans in ſimilitudinem prunorum. Maſculus verò folia betæ ſimilia habet.

3 Pulcherrimè verò Albertus Magnus lib. 12. de laudib. B. Mariæ c. 4. num. 40. per omnia *Mariam* Mandragoræ ſimilem deſcribit. Sed primò loquitur de Mandragorę proprietatibus. Mandragora, inquit, herba eſt aromatica frigida, & ſicca, profundiſſimè radicatur in terrà, & terræ parum ſupereminet, cuius radix formã habet humani corporis, excepto capite. Poma habet rubea, & odorifera,
&

& pomis puniceis ſimilia: diligitur à Medicis, quià talis virtutis eſt, ut ægris laborantibus incommodo vigiliarum ſomnum indulgeat: tàm profundum etiam ſoporem inducit, ut ſi cortex eius vino mixtus ad bibendum detur ægrotanti, incidi poſſit abſque doloris ſenſu. Itèm illis medetur, qui ſic nauſeà laborant, ut nec cibos continere valeant, nec capere delectentur: confortat enim guſtum, & excitat appetitum.

4 *Maria* mandadragora. Quia frigida, & ſicca per virginitatem, &c.

Opinione, & omnium virtutum genere aromatica Deo, Angelis, & hominibus. Undè ei dicitur *Cant.* 4. *Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata*.

Profundiſſimè radicata per dilectionem, & contemplationem, in terrà ſtabilitatis ęternę: quià optimam partem elegit. *Luc.* 10.

Illi terræ ſupereminens quo ad Angelos, & animas Sanctas, ſed non quantum Chriſtus homo, qui caput eſt totius creaturæ.

Chriſto homini humanato ex eà ſimilis per humanitatem, quæ fuit radix eius, ſed non per divinitatem: caput enim Chriſti Deus, ideſt, divinitas.

Pomum eius, ideſt, Chriſtus, rubeum proprii ſanguinis effuſione, & odoriferum: quià fracto corporis eius alabaſtro, domus, ideſt, Eccleſia repleta eſt ex odore unguenti.

Simile etiam malo punico: quià fractum in Cruce apparuit candidum per innocentiam, & rubicundum per charitatem, & patientiam, & plenum granulis, ideſt, virtutibus univerſis.

5 Diligitur à Medicis, ideſt, Prædicatoribus, & ipſis peccatoribus, qui ſanari deſiderant à languoribus vitiorum: quià ſuis orationibus, meritis, & exemplis, eis ſomnum indulget, de quibus dicebatur *Prov.* 4. *Non dormiunt, niſi malefecerint, & non rapitur ſomnus ab eis, niſi ſupplantaverint*.

Cortex eius, ideſt, exemplum ſuæ converſationis, vino prędicationis admixtus, & ab auditoribus devote ſuſceptus, tàm profundè ſoporat hominem per contemplationem, & ſui imitationem, ut nec læſionem proprii corporis, nec damna ſentiat rei familiaris: per gratiam, ipſorum cordibus inſpirans, quòd non ſunt condignæ paſſiones temporis huius ad futuram gloriam, quæ revelabitur in eis. Ad *Rom.* 8.

Nauſeantibus per faſtidium verbum Dei, remedium præſtat. Hactenùs Albertus.

6 Sed & illud addendum puto, quòd per Mandragoram vita contemplativa Mariæ ſignificetur. Habet enim Mandragora ſuavitatem odoris, & ſaporis. Mandragora enim ſic eſt dicta, eò quod habeat mala, ideſt, poma miræ redolentiæ, & ſaporis. *Cant.* 7. *Mandragoræ dederunt odorem ſuum in portis noſtris*. Quaſi autèm poma mandragoræ fuerunt in *Marià* vitæ contemplativæ ſtudia, quæ multum redolebant Deo, & gratiſſimo ſapore Deiparam delectabant, ut à ſenſibilibus abſtracta ſoli Deo per intimam inhæreret contemplationem, dulcique ſomno correpta diceret illud Sponſæ *Cant.* 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*.

Denique & Mandragora præſtat fœcunditatem prolis, quià hęc herba ſecundùm Conſtantinum, & Plinium fœminis dicitur præbere virtutem ad concipiendum, & hoc ſi ex nimio calore matrix ſit impedita: quià cùm herba frigida ſit, & ſicca, matricem ad debitam convenientiam reducit, & ſic ad conceptum diſponit, propter quod mulieres frigidas non iuvaret, ſed potius impediret. Et qui ſimiliter Mariam guſtaverit per veram animi devotionem, atque fervorem, profectò fœtibus bonorum operum fœcundabitur.

§. II.

Amygdali proprietates quàm maximè Beatæ Virgini quadrare.

7 ARridet pręmittere Pierii hieroglyphica, quæ de Amygdalà lib. 51. ſcripſit ad Hieronymum de la Rovere, ità ut ſingula quæque ſingulariter virtutibus Dominæ noſtræ aptentur. Quoniam verò, inquit Pierius, nobiliſſime Hieronyme, ſpem eam quàm de præclarà iſtà indole tuà optimam omnes conceperant, vel antè tempus explere, tàm in bonarum artium ſtudiis, quàm in inſignium morum elegantià iamdudum occœpiſti, Amygdalum tuum eſſe hieroglyphicum animadverti: ea enim arbos antè alias omnes floribus induta, non ſuæ tantùm ſpem oſtentat opulentiæ, ſed & aliarum frugum annum feracem pollicetur. Undè Maro cùm videret eam primam omnium florère, nihil vel Ianuarii rigore deterritam, ex florum eius multitudine lœtæ identidèm fœturæ ſpem in frumentis concipere nos poſſe monet his verſibus.

Contemplator item, cùm ſe nux plurima Silvis
Induet in florem, & ramos curvabit olentes,
Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.

Quòd ſi ſpes, ut Speuſippus Platonicus definit, eſt expectatio boni, velut è converſo metus animi concitatio in expectatione mali, ſique floribus inſpectis uſum indè fructuum expectare ſolemus, nulli dubium erit, quin flos ſit futuri boni prænuncius, & frugem paulò poſt ſuccreſcentem polliceatur, nàm & Themiſtius iucundiſſimam floris ſpeciem fructuum prænunciam eſſe dicit.

8 Et quid ità lætificat futurorum præſagio, ſicut Amygdalus Mariana, quæ cùm primò per nativitatem floruit in hoc orbe, omnium extitit auguratrix bonorum, annique æterni prænuncia feracitatis. Undè *Pſal.* 64. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*. Ex flore enim virginitatis ſuæ uberrima rei frumentariæ copia eſt ſecuta, cùm nobis peperit Chriſtum, frumentum electorum: floſque iſte fructum ſuaviſſimum nobis dedit; cui propterea dicitur *Cant.* 7. *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis*. Et quidèm ſicut flos lilii virginitatis eſt typus, ità & ſpei hieroglyphicum, ut diſceremus ex flore fructum ſperare. Undè & ei dicimus: *Benedictus fructus ventris tui*. Vel aliter poſſumus dicere, quòd flos de flore proceſſit, ſcilicet Salvator de Virgine,
qui

qui eſt flos ſecundum illud *Eſa.* 11. *Et flos de radice eius aſcendet*: ſed nobis prò præſenti ſtatu flos eſt, fructus autèm Beatis, juxtà verbum *Pſal.* 126. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, eccè hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris.* Nos quidèm in odorem eius currimus ſicut canis venaticus in odorem feræ, & hoc uſque ad montem Dei: ſed Beati guſtant ipſum ſicut fructum. Flos autèm rectè dicitur, quià ſicut in flore eſt ſpes fructus, ſic in Chriſto ſpes noſtræ ſalutis: & ſicut flos ad calorem ſolis, & infuſionem roris producitur abſque læſionem arboris, ſic Beata Virgo operatione Spiritus Sancti, qui eſt amor, filium ſuum concepit abſque detrimento virginitatis. Fructus verò eſt Beatis, quià eos reficit, ſecundum illud *Ioan.* 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.*

9 Amygdali flores igitur fœcunditatem frugum prçſagire dicuntur, & lçtæ etiam iuventutis ſymbolum eſſe. Ad hæc, ſubdit Pierius, flos omnis iuventutis habetur hieroglyphicum: iuventus autèm omnis ſemper ſpei plena, cùm ſenectus contrà omnia deſperet: ſivè hoc accidit iuvenibus ex exiguo rerum uſu, ſenibus verò ex irrità multorum votorum experientià: ſivè quià iuvenes naturà vegetiore, quæ cupiunt ardentiùs futura etiam ſibi proponunt, ſpemque impendio paſcunt: ſenes debilitate confecti, præ timore etiam cùm aſſecuti ſunt diffidere videntur, ideoque minùs bonis gaudent. Alii dicunt æquiùs ideò juvenes ſperare, quàm timere, quia ſpes eſt de futuro tempore: in ſenibus autèm multa memoria reſidet, ac earum præcipuè, quæ ſpem plurimam eluſère, tùm autèm memoria ipſa ſpe quodammodò contraria conſtituitur.

10 Magnam profectò lætitiam, atque hilaritatem ingerit nobis Virginis flos, ſcilicet ſpes, quam de Ipſa conceptam habemus, neque aliquid aliud ſic floridam facit animæ iuventutem, ut propterea dicatur ſpei plena, ſicut de Matris Dei clementià ſperata protectio. Cùm enim Ipſa dicat *Eccli.* 24. *Ego Mater Sanctæ ſpei*: ex eius verbis fiducialiùs, & ardentiùs ſperare docemur potiora bona, quæ futuro tempore erunt. Ipſa enim poſt Chriſtum eſt unica ſpes noſtræ ſalutis. Audi Bonaventuram de Sancto Franciſco in eius vità c. 9. loquentem. In Matre Domini, inquit, poſt Chriſtum præcipuè fidens, eam ſui, ac ſuorum Advocatum conſtituit. Damaſcenus orat. 1. de dormit. B. Virginis. Tibi, ait, nos quoque hodierna die aſſidemus ò Domina, Domina, atque iterùm dicam, Domina, Dei Genitrix, & Virgo: animas noſtras ad ſpem tuam non ſecùs, atque ad firmiſſimam quandam anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos nos denique tibi dicantes, ac conſecrantes, pſalmis, & hymnis ſpiritualibus quantum poſſumus honorantes. Sed præcipuè Germanus Patriarcha Conſtantinopol. Orat. de oblat. Deiparæ in fine. Certè, inquit, Domina Dei Parens, certè meum refugium, vita, & defenſio, arma, & gloriatio, ſpes, & robur meum: concede mihi, ut ego quoque fruar inenarrabilibus, & quæ comprehendi non poſſunt, tuis bonis in Cœleſti perſeverantià. Habes enim ſat ſcio cum tuà voluntate concurrentem potentiam, ut quæ ſis Mater Altiſſimi, & propterea audeo. Nè ergò priver meà expectatione, ò Domina intemerata, quæ univerſorum expectationem ſuprà rationem peperiſti, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et ut denique rursùm Damaſcenus Orat. 2. de Virg. Aſſumpt. Virgo Dei Mater eſt inexhauſtum pelagus gaudii, unica mœroris òbliteratio, pharmacum ex omni pectore dolorem propulſans.

11 Porrò Amygdalum eſſe continentiæ typum Pierius aſſirmat, dicens. Apud *Ieremiam c.* 1. ubì ſe is *virgam vigilantem* videre aſſerit, Theodotio reddit *amygdalinam*. Undè colligitur, Amygdalum caſtioris hieroglyphicum eſſe temperantię: nucem enim eam videmus amariſſimum habere putaminis corticem, teſtàque ligneà, eàque duriſſimà cingi, amaritie corticis difficultatem indicante, integumenti duritià virtutem ipſam: fieri autèm ut cùm putamina illa & amara, & dura ſummoveris, fructu fruare ſuavi admodùm, & delicato. Sic continentiæ caſtigata, coercitaque cuſtodia, amara primùm videtur, perdifficilis, & ab omni delectatione remotiſſima, ſed ex quà fructum colligas dulciſſimum, ſuaviſſimumque: Ait enim Heſiodus: *Virtutis radices amaras eſſe, fructus verò ſuaviſſimos.*

12 Sed in Beatà Virgine non ſolùm habemus temperantiæ hieroglyphicum caſtioris, ſed etiam exemplum ſpectatiſſimum, ipſa enim exemplo ſuo docuit caſtitatem ſervare. Undè Iacobus de Voragine ſerm. 4. de B. Virgine probat, quòd rectè dicitur Amygdalus ratione floris, hoc eſt, Virginitatis exemplo. Sicut enim, ait, Voragines, Amygdalus antè omnes arbores flores producit, ſic & Ipſa antè omnes mulieres votum virgnitatis emiſit, & poſt eam multæ. *Pſal.* 44. *Adducentur Regi Virgines poſt eam.* Ex iſtà virginitatis promiſſione ſecuta eſt converſio Gentium, & reprobratio Judæorum. *Eccl. ult. Florebit Amygdalus, & diſſipabitur Capparis, & impinguabitur locuſta.* Tunc Amygdalus floruit, quandò Virgo Beata votum Virginitatis emiſit. Et tunc locuſta, ideſt, Gentilitas inſtabilis, & vaga, gratià Spiritus Sancti impinguata fuit, Capparis verò, ideſt, populus Judæorum in diſſipationem ivit. Capparis enim eſt frutex ſpinoſus ſuper terram expanſus, & ſignificat populum Judaicum durum, & rebellem, & terrenis ſemper addhærentem.

13 Dicitur etiàm Amygdalus ratione fructus. Nàm eius fructus ſunt nuces longæ. Dicit autèm Auguſtinus in ſermone, ubì loquitur de virgà Aaron, quæ protulit nuces, quòd in nuce ſunt tria, ſcilicet Corium, teſta, & nucleus. Per Corium ſignatur caro Chriſti, quæ habuit aſperitatem, & amaritudinem in paſſione. Per nucleum intelligitur eius divinitas, quæ habuit dulcedinem, & dat illuminationem. Per teſtam, quæ eſt inter nucleum, & Corium media, ſignificatur eius anima, quæ fuit firma contrà omnia adverſa, & quæ eſt media inter naturam divinam, & carnem, quæ mediante animà, divinitas ipſa fuit carni unita.

14 Notandum eſt autèm cùm Berchorio lib.

12.

12. Reduct. Moral. c. 2. quod ſi Vulpes comederit Amygdalum, moritur. Nàm ſæpè quod uni prodeſt, alteri nocet. Peccator enim, qui per fallaciam dicitur vulpes, ſi comederit Amygdalum, ideſt, Chriſti corpus indignè, ad mortem animæ toxicatur: quià verè ſæpè accidit, quòd illud, quod bonis eſt remedium, malis eſt venenum. Chriſtus enim eſt Amygdali fructus, quem virga Aaron, ideſt, Beata Virgo, nobis protulit, qui quanvis bonis, & perfectis ſit cibus, & medicina ſpiritualis, vulpibus tamèn, malis ſcilicet peccatoribus hæreticis, & fraudulentis, eſt mors animæ per peccatum, & etiam finaliter corporis, & animæ per tormentum: quià *qui manducat corpus, & bibit ſanguinem Domini indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.* 1. *Corint.* 11.

15 Denique ex Amygdalo fit oleum medicinale quod valet contrà multas infirmitates. Nàm vermes, & lumbricos in corpore necat, menſtrua purgat, contrà ſurditatem aurium efficaciter juvat, eorumque ſaniem mundat, ſi auribus tepidum inſtilletur. Flores etiam eius decocti in oleo, caducos, & læthargicos curant; triti cum melle, morſibus obviant, & ulcera ſanant. Et Maria Amygdalus. Ipſa enim ſtillat oleum compaſſionis, pietatis, & miſericordiæ: & ideò de eà dicitur *Cant.* 1. *Oleum effuſum nomen tuum.* Quo ſcilicet oleo vermes invidiæ necantur, compeſcuntur purgamenta luxuriæ, ſpirituali ſurditati affertur medela, & ſi auribus animę cum devotionis calore inſtilletur, à ſanie vitiorum purgantur. Flores quoque bonorum exemplorum, atque virtutum eius ſi cum oleo decoquantur, ſcilicet per amorem, & imitationem in corde, qui caduci erant, & lçthargici in peccato, ſanantur, & triti cum melle bonorum operum, morſibus obviant, & curant ulcera peccatorum. Conſule Tomum primum de Interpretatione, verbo Amygdalus, & ibi plura videbis.

§. III.

Maria excellenter figuratur in Rubo.

16 PUlchrè quidèm Albertus Magnus lib. 12. de laudib. Beatæ Mariæ c. 6. §. 3. Deiparam in Rubo figurat, dicens. *Maria*, rubus. Et Ipſa, vel eius conceptus eſt illa viſio magna *Exod.* 3. quam deſiderabat videre Moyſes quaſi de propè, dicens: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quarè non comburatur rubus, &c.*

Hæc viſio magna propter ſingularitatem: quià nec primam ſimilem viſa eſt, &c.

Utilitatem: quià nulla maior utilitas eſſe poteſt.

Rei magnitudinem: ſcilicet quòd Virgo concepit, non purum hominem, ſed Filium Dei.

Rei novitatem. *Ierem.* 31. *Creavit Dominus novum, &c.*

Significationem: quià & præſens miraculum exhibuit & incarnationem, ubi & Virginis Matris perpetuam integritatem præſignavit. Magni myſterii repræſentationem.

17 Sed quid videbat Moyſes? Flammam ignis, id eſt, Filium Dei, qui dicitur flamma ignis, id eſt, ſplendor lucis æternæ: quià *Deus noſter ignis conſumens eſt*, *Hebr.* in fine, procedentem de medio rubi, ideſt, uteri virginalis. Et dicitur ibi, quòd rubus ardebat, & non comburebatur: quià Virgo concipiebat filium, nec violabatur: gravidabatur, ſed non gravabatur: alleviabatur in partu, ſed nec dolebat, nec evacuabatur. Vel per flammam intellige Spiritus Sancti gratiam: Domino apparente in rubo, flamma rubum non læſit: quià Filio Dei aſſumente carnem in Virgine obumbratà à Spiritu Sancto, pudor virgineus illæſus permanſit.

Vel ſic. Ignis in rubo, Chriſtus in corpore virgineo, qui ibi ardebat, quià fœcunditatem accendebat, nec virginitatem conſumebat: & in hoc magna viſio, quià cùm ſit ignis conſumens, non conſumebat. Iſidorus videtur velle, quòd *Rubus* ſit quædam arbuſcula, quæ Gallicè dicitur *Botomer*, & dicitur *Rubus*, quià fructus eius, vel virgultum *rubet*: & ideò Dominus voluit apparere in rubo, quià de eà non poſſunt fieri imagines.

18 Maria, Rubus arbor. Parvula per ſummam humilitatem, & contemptum ſui, qui eſt humilitas.

Aſpera per exercitium virtutum, contrà mollitiem, & diſſolutionem.

Viridis per fidem, vel per perpetuam Sanctitatem, vel per virginitatem: vel quià non emarcuit corpus eius per putrefactionem.

Florida per virginitatem. Vel quià ſicut in flore eſt ſpes fructus, ſic in eà ſpes omnis boni. Undè dicit: *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis. Eccli.* 24.

Odorifera per Sanctam opinionem. Undè dicit *Eccli.* 24. *Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans dedi odorem ſuavitatis.*

Aculeata per multiplicis tribulationis punctionem: & hoc maximè in filii paſſione. Eſt enim Rubus, genus arbuſculæ ſpinoſæ. Hactenùs ille.

19 Albertus quidèm pulchram nobis *Mariæ* figuram deſcripſit in Rubo. Sed nunquid aliter ſpecies eius poteſt repræſentari? Non inficior. Habemus enim ex Berchorio lib. 2. Reduct. Moral. c. 132. & pulcherrimam deſcriptionem, & *Mariæ* hieroglyphicum in Rubo. Licet enim de viris iuſtis, & de Chriſti Cruce intelligat ſymbolum, illud demùm adaptat Deiparę. Rubus, inquit, licèt generaliter ſit nomen ſpinarum, & veprium, appropriatur tamèn ſpinoſo frutici ferenti mora agreſtia, primò alba, tandem rubea, finaliter nigra, & dulcia, quæ Paſtorum famen relevant in deſerto. Ramos autèm habet multos, interiùs molles, exteriùs ſpinoſos: & in omni parte ſui aculeis, & ſpinis eſt plenus. Folia etiam eius ſpinis recurvis parvulis ſunt munita. Fructus eius dulcis eſt, ex quibuſdam granis ordinatiſſimis conſtans, medicinalis, & nutritivus, tingens manus, dentes, & digitos comedentis: & valet contra multos

mor-

morbos, ut dicit Platearius, & Conſtantinus.

20 Talis eſt per omnia Vir perfectus, quià more Rubi debet eſſe intùs in corde mollis & medulloſus per pietatem, exteriùs ſpinoſus per ſeveritatem; vel etiam ſpinis divini timoris, & aſperitatis pœnitentiæ circundatus, & munitus à radice uſque ad mortem. *Sepiam vias tuas ſpinis. Oſeæ* 2. Flexibilis tamen eſſe debet per pietatem, & benignitatem, & ad terram inclinatus per obedientiam, & humilitatem. *Eſa.* 2. *Poſuiſti ut terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.* Folia autem eius, ideſt, verba debent eſſe brevia, & non multa; & ſpinis, ideſt, duris, & aſperis correctionibus circunſepta; quià ſcilicet tales, & maximè Prælati, & Prædicatores, debent alios pungere, & arguere, verbis non palpare, vel adulari. Quod eſt contrà multos, qui ſic non faciunt. 2. *Timoth.* 4. *Argue, obſecra, increpa.* Fructus autèm eorum, ideſt, opera, & exempla debent alios nutrire per eleemoſynas, & informationem, gratiis, & virtutibus compoſita, & formata. Et hæc primò ſint alba per innocentiam, rubea per charitatem, nigra per humilitatem.

Vel dic, quod Rubus, ſeu morus agreſtis eſt Crux, quæ licèt ſit ſpinoſa, ideſt, difficilis ad tolerandum, fructus tamèn eius Chriſtus ſuavis eſt, & medicinalis.

21 Vel dic, quòd Rubus eſt Beata Virgo, quæ verè fuit circundata ſpinis per pænitentiæ aſperitatem, inclinata per humilitatem, medulloſa per pietatem: & ideò fructum dulcem, ideſt, Chriſtum nobis protulit, & portavit. Figura *Exod.* 3. *&c.* Quià verè licet iſta viſa fuerit, & credita ardere, & inflammari per concupiſcentiam carnalem in partu, & conceptione filii: Ipſa tamèn integra Virgo, & caſta ſinè combuſtione carnalis concupiſcentiæ perduravit. Ideò canitur: *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, &c.* Et ſicut Rubus oritur in terrà ſterili, ſic Beata Virgo, & Sancti in ſterilitate paupertatis vixerunt, juxtà illud *Tob.* 5. *Pauperem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum.* Hæc ille.

22 Rubus igitur eſt Beata Virgo Sed nunquid Rubus iſte ſinè ſpinis? Ità quidèm. Sed dices. In Canticis Dei Mater comparatur lilio inter Spinas, & ab Eccleſià dicitur Rubus utique ſpinoſus: ergò ſicut non ſinè ſpinis eſt lilium, ita nec rubus. Ioannes Raulinus Cluniacenſis ſerm. 7. de Purificat. Virg. reſpondet, quòd Beata Virgo dicitur lilium inter ſpinas, non quòd habeat ſpinas, quia Ipſa inter cæteros puros homines lilium ſine ſpina culpæ propter innocentiæ puritatem. Et ſimiliter fuit Rubus, ſed caruit ſpinis peccati. Audi Cluniacenſem.

Reſpondetur, quòd omnes formoſitates aliarum Creaturarum continet *Maria*: ideò ſi quid in Rubo boni ſit, in *Marià* reperitur. Nullum autèm malum eſt, quin aliquo ſubſiſtat bono, alioquin deſtrueretur. *Maria* autèm non ſolùm Rubo, ſed etiam Rubo ardenti, & non combuſto comparatur. Rubus uterus Virginis: flamma exiens de medio Rubi, filius Dei exiens de utero Virginis, ſinè flammà libidinis, ſinè corruptione, ſinè lęſurà, ſinè gravamine. *Deuter.* 4. *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Erat autèm Rubus parvulus per humilitatem, aſper per abſtinentiam. Sibi ipſi aſpera: alijs autèm mollis erat. Ideò non eſt periculum ad eam accedere, quę hodiè ter *Benigna* canitur. Si velis ardere amore, & iudicio divino non comburi, accede ad *Mariam*, quià ab eà exit ignis ardens, non comburens. Si devotione calefieri, accede, & fervebis devotione. Nè timeas, non combureris, quamvis ſit ibi ignis quià Rubus ille refrigerativam habet virtutem.

Vel poſſet dici, quòd ſicut ſuprà naturam fecit Deus, ut Rubus arderet, & non combureretur, ut Virgo conciperet, & non corrumperetur: Sic fecit ſuprà naturam, ut *Maria* Rubus eſſet, & ſpinis careret. Cùm enim alii ſpinoſi ſint, ſola ſinè ſpinis apparuit. Undè Adam de Sancto Victore: *Nos Spinetum*, nos *peccati ſpinà ſumus cruentati.*

§. IV.

Iuniperi qualitates expreſſæ in Dei Matre.

23. A Vocis exordimur etymologià, quam tradit Iſidorus lib. 17. origin. c. 7. dicens. *Iuniperus* Gręcè dicta: ſivè quòd amplo in anguſtum finiat, ut ignis: ſivè quòd conceptum diu teneat ignem: adeò ut ſi prunę ex eius cinere fuerint opertę, uſque ad annum perveniant. Πῦρ enim apud Grecos *ignis* dicitur. Iuniperus autèm, alia parva, alia magna eſt. Bercorius quoque lib. 12 *Reduct. Moral. c.* 79. ait. Iuniperus eſt arbor ſpinoſa, nunquàm perdens virorem, multùm calida, ſcilicet in tertio gradu, & ideò in cinere per annum ignem ſervat inextinguibilem. Ideò *Iuniperus* quaſi *gignens pyr*, ideſt, *ignem*, dicitur: quià *pyr* Gręcè, *ignis* Latinè nuncupatur.

24. Iuniperus iuxtà Plinium cariem, & vetuſtatem non ſentit, montes amat, folia non deponit, & ſpinas habet prò folijs. Medicà vi ad plures ægritudines curandas prępollet. Vnde lib. 23. Hiſtor. Natural. c. 9. hęc habet, Iuniperus vel antè cętera omnia excalfacit, extenuat, Cedro aſſimilis. Et eius duo genera: altera maior, altera minor. Utraque accenſa ſerpentes fugat. Semen ſtomachi, pectoris, lateris doloribus utile. Inflationes, languoreſque diſcutit, tuſſes concoquit, & duritias. Illitum tumores ſiſtit: item alvum, baccis ex vino nigro potis: item ventris tumores illitis. Miſcetur & antidotis oxyporis. Urinas ciet. Illinitur & oculis in Epiphoris. Datur convulſis, ruptis, torminibus, vulvis, iſchiadicis cum vino albo potum pilulis quaternis, aut decoctis viginti in vino. Sunt qui & perungant corpus è ſemine eius in ſerpentium metu.

25 *Maria, Iuniperus.* Quià quaſi *gignens ignem.* Genuit enim Chriſtum, qui eſt ignis ardentiſſimus: undè *Pſal.* 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Hoc igne erant inflammati illi duo Diſcipuli, qui cum Chriſto ſub ſpecie Peregrini confabulabantur euntes, ut ipſimet faſſi

ſunt *Luc.* 24. *Nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?*

Vel Iuniperus: quià conſervavit ignem Spiritus Sancti, & flammam charitatis, ſub cinere humilitatis.

Calida, & ardens divino amore:

Semper florens, & virens per honeſtatem.

Quià nunquam depoſuit foliorum comam per perſeverantiam in bono, & in exemplis honeſtæ converſationis.

Quià cariem peccati non ſenſit, nec vetuſtate, hoc eſt, virtutis defectu, vel deſidia, aut negligentia contabuit.

Montes amavit; quià in altiſſimis iugis ſanctitatis, & perfectionis educata, læta proveniebat: & Ipſa dicit *Eccli.* 24. *Ego in altiſſimis habito.*

26 Fuit etiam ſpinoſa per vitæ auſteritatem. Aculeata, hoc eſt, virtutum ſpinis munita.

Igne charitatis accenſa, ſerpentes, hoc eſt, dæmones fugat. Sicut enim fluit cera à facie ignis, ſic fugiunt, & pereunt peccatores, & nequam diabolici ſpiritus à facie *Mariæ*.

Aliter calida, quià per ignem ſuæ charitatis devotos ſuos accendit ad bonum, & ad virtutes inflammat.

Medicinalis, quià medetur animæ languoribus.

Denique minor, & maior. Minor per ſui contemptum, & deſpectionem: Maior meritorum cumulo, & altitudine gloriæ.

§. V.

Quàm bellè Agnus caſtus figura Mariæ.

27 INtegrum hunc paragraphum dat nobis Berchorius *lib.* 12. *Reduct. Moral. c.* 14. Agnus caſtus, inquit, eſt herba ſemper virens, quæ ſuo odore, & uſu caſtum facit hominem, & pudicum: quià portata dicitur libidinem refrænare. Unde etiam Romanę mulieres ſolent iſta herba uti, & ſecum eam in conviviis, & exequiis portare ut eius virtute poſſint caſtius, & honeſtius ſe habere, ut dicunt Plinius, & Platearius: & valet contrà multas infirmitates.

Talis eſt Beata Virgo, quæ re vera fuit Agnus per pietatem, & benignitatem, caſta per integerrimam puritatem. Hæc enim fuit ſemper virens per rutilantem honeſtatem: & ideò ſi iſta odoretur per devotionem, & ſi comedatur per imitationem, ſi portetur per ſpem, confidentiam, & invocationem, facit hominem caſtum, & corporaliter, & ſpiritualiter, & iuvat eum contrà infirmitates omnium peccatorum. *Erit folium eius ſemper viride. Ierem.* 17.

CAP. II.

Secundus vegetabilium Quinarius exprimit multiplices in Beata Virgine perfectiones.

1 SUaviſſimum *Mariæ* Nomen fragrat, & flagrat; olet, incendit; liqueſcit, & medetur; aromatizat, & floret. Tantæ nè unico Nomini cęleſtes virtutes? Ità quidem. Eſt enim *Maria*, eminens quædam forma, quæ plurimas continet perfectiones. Theſauraria gratiarum Dei, & Theſaurus, in quo ſpiritales chariſmatum gazæ congregantur. Promptuarium Dei, de quo ſalutis humanæ remedia promuntur. Plantarium, de quo quidquid boni ad valetudinem animarum deſideratur, habetur. Noviter ergo quinque literę ſui Nominis florent, & in quinque alias vegetabilium ſpecies ſe transformant, atque in *Maria* integrum conſtituunt Nomen, videlicet:

M yrrha.
A momum.
R eſina.
I ncenſum.
A rtemiſia.

Eſt ergo Myrrha, Beata Virgo: eſt Amomum: eſt Reſina: eſt Incenſum: eſt & Artemiſia: ut patebit ex probationibus.

§. I.

Vt Myrrha prædicatur Beata Virgo.

2 MYrrham pulcherrimam Nympham in arborem fabulatur Ovidius *lib.* 10. *metamorphoſ.* eſſe converſam, & lachrymas de cortice arboris indè ſtillantes, myrrhę nomen habere: unde cecinit.

Quæ quanquam amiſit veteres cum corpore ſenſus,
Flet tamen, & tepidæ manant ex arbore guttæ.
Eſt honor & lachrymis: ſtillataque cortice Myrrha
Nomen herile tenet, nulloque tacebitur ævo.

Sed Beatiſſimam Virginem omnium pulcherrimam Nympharum, nequaquam fabuloſam, ſed Myrrham veracem prędicamus: cùm & Ipſa dicat in Canone Scripturarum: *Quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris. Eccli.* 24. Agè ergò & videamus quam rectè *Maria* ſit myrrha.

3 Et ad probationem quidem unus ſufficit prò omnibus Albertus Magnus, qui *lib.* 12. *de laudib. Beatæ Mariæ c.* 6. §. 10. rem totam ità pertractat dicens. Myrrha eſt arbor in Arabia quinque cubitis creſcens in altum, odorifera, albę ſpinę ſimilis, guttam quandam diſtillat, quę viridis eſt, & amara: quę gutta dicitur ſimiliter myrrha, quandoque inciſo cortice, quandoque ſinè corticis inciſione. Quę etiam talis eſt virtutis, quod corpora mortua, quę ipſà

perungitur, à putredine, vermibus, & fœtore dicitur conſervare. Quę ſponte manat, pretioſior eſt,& dicitur myrrha electa. Quæ verò per inciſionem corticis emanat, vilior eſt, & minoris efficaciæ. Hęc etiam gutta medicinalis eſt.

Comparatur autem Sapientia myrrhę electæ, quæ docet ſpontaneam carnis mortificationem, dicens ad *Coloſſ. 5. Mortificate membra veſtra, &c.* Docet etiam perfectam continentiam, quæ eſt Myrrha electa, ſi ſit voluntaria: ad depreſſionem enim carnis communia ſunt amaritudo pœnitentiæ, & continentiæ. Et hæ duo dant aliis odorem: quià ædificant: non tamen dant ſuavitatem odoris, niſi ſit myrrha electa, ideſt, penitentia, & continentia voluntaria.

4 Dicit etiam *Maria*: *Quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.*

Maria, myrrha: quià myrrha arbor in *Arabia*, quæ interpretatur *veſpera, vel occidens*. *Myrrha* interpretatur *amaritudo*. *Maria* mare amarum propter multas amaritudines, quas ſuſtinuit in filio. Fuit autem arbor myrrhę in veſpera paſſionis filii: fuerat enim arbor lætitiæ quando dixit: *Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*. Sed amaritudinis, quandò occidit Sol iuſtitiæ, &c.

Spinæ ſimilis. Per ſpinas intelliguntur peccatores. Unde *Maria* apparuit quaſi ſpina, quandò legem datam de mulieribus, quæ de Viris conceperant, & conſuetudinem obſervavit.

Guttam diſtillat, quæ viridis eſt, & amara. Gutta, Chriſtus filius *Mariæ*, viridis; qui color refertur ad Cœleſtia: quia Chriſtus de Cœlo venit in Virginem: amaritudo refertur ad paſſionem.

5 Chriſtus gutta myrrhæ: quià gutta hæc acumine caloris *inviſcatur circà* arborem ſuam: quià Chriſtus virtute dilectionis eximiæ adhæſit Matri ſuæ ipſum educanti. Undè *Luc. 2. Deſcendit cum illis Nazareth, &c.*

Gutta hæc pretioſa eſt, cuius pretio ſumus redempti. *Iob. 18. Neſcit homo pretium eius*. Huius pretii Crux fuit ſtatera:& quià præponderavit peccato, ſublatum eſt peccatum, & paſſio deſcendit in terram. *Amos 9. Faſciculum ſuum ſuper terram fundavit*. Præponderavit etiam debito detentionis multorum in inferno. Unde eo deſcendente ad mortem, ſepulturam, & inferos,ipſi elevati ſunt de inferno. Ideò de Cruce egregiè dictum eſt: *Statera facta eſt corporis, prædamque tulit tartari*.

Gutta ſpontè manans pretioſior eſt elicità corticis vulnere. Et Chriſtus exivit in nativitate de Virginis utero clauſo, & ſignato. Sponte etiam ſe obtulit pro nobis paſſioni. Undè *Ioan. 18.* proceſſit obviam venientibus ad capiendum ſe. Ideò comparatur Camelo; quia ſpontè ſe inclinavit ad onera noſtræ infirmitatis ferenda. *Luc. 18. Facilius eſt Camelum, &c.*

6 Gutta hęc lucida interiùs: quia Chriſtus lumen divinitatis accendit in teſta noſtrę mortalitatis: & ideò obſcuratur exterius velut teſta.

Corpora mortuorum indè peruncta ſervat à putredine, vermibus, & fœtore: quod fit quandò ad eius exemplum facimus pœnitentiam. Putredo, avaritia: vermis, ſuperbia: fœtor luxuria. Auguſtinus: Vermis divitum, ſuperbia.

Odoris eſt præcipui. Undè hic dicitur: *Quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris*: contrà illum odorem, de quo meretrix dicit *Prov. 7. Aſperſi cubile meum myrrha, & aloe, &c.* Hæc meretrix, vanitas, aut voluptas. Cubile, mundana delectatio. Sed iuſti debent attendere in hac myrrha, non delectationem, vel odorem, ſed amaritudinem pęnæ ſequentis. Omnis enim voluptas myrrha eſt reſperſa: quia *riſus dolore miſcebitur Prov. 14. Et extrema gaudii luctus occupat.* Myrrha autem paſſionis Chriſti fuit amariſſima Chiſto patienti: ſed ſuaviſſima, & odoris præcipui Chriſtiano recolenti. Nihil enim dulciùs captivo, quàm ſi pretium ſuę redemptionis audiat numerari: quod fit quando paſſionis articuli diſtinguuntur. Myrrhæ ergo guſtus amarus, & odor ſuavis.

7 Gutta myrrhę eſt rotunda: quia per eam ęternę glorię nobis aditus aperitur.

Gutta hæc calida, & ſicca. Valde enim calidus fuit Chriſtus, quando dixit. *Sitio*. Undè ſicut Sol guttam amaram, ſic Chriſtus tunc latronem attraxit, & dulcoravit.

Gutta hæc medicinalis eſt ad minùs quadrupliciter. Primo quia reſtringit humores à capite fluentes: quia cogitationes pręſumptionis elidit memoria Crucifixi,ſicut patet in Petro, qui recogitans Chriſtum paſſum, fecit gyrari Crucem ſuam. Secundo quià valet contrà ſtricturam pectoris. Per pectus ſcientia, per ſtricturam anguſta ſcientia, quam mirabiliter Chriſti paſsio dilatavit. Tertiò quià maſticata tollit fętorem oris, qui eſt loqui ſublimia gloriando. Undè *Eſa. 43. Reduc me in memoriam, & iudicemur ſimul: Et narra ſi quid habes, ut iuſtificeris*. Quartò quia conſumit putredinem vulnerum, quę eſt iteratio peccati. Undè *Pſal. 37. Putruerunt, corruptæ ſunt cicatrices meæ*: quia recidivantes rursùm ſibi crucifigunt Filium Dei. Ad *Hebr. 6.*

8 Secundùm ſupra dicta *Maria* eſt arbor myrrhæ, cuius arboris gutta Chriſtus Dominus veruntamen quia ſecundum quod hæc litera legitur de Beata Virgine, Beata Virgo comparatur guttę myrrhæ. Notandum ergò quod myrrha arbor deſignat Iudęam propter amaritudinem peccatorum cui dicitur *Ierem. 2. Quomodo converſa es in amaritudinem*, ubi aliena noſtra litera habet, *in pravum*. Hęc arbor in Arabia fuit tempore Beatæ Virginis; quia tendebat in defectum. Quinque cubitos huius arboris faciebant regnum, & Synagoga, quę Synagoga, ſicut dicit Gregorius, de quatuor angulis domus filiorum Iob diviſa erat in quatuor, Principes Sacerdotum, Scribas, Seniores populi, & Phariſæos: & omnes hi erant ſimiles ſpinę per multas peccatorum punctiones. Ab hac arbore effluxit quaſi gutta myrrhę Beata Virgo, ut poſſit dicere: *Sicut myrrha electa dedi ſuavitatem odoris*. Cętera ſecundùm hunc proceſſum à ſuperioribus colligantur.

9 Dicitur ergò myrrha electa. Illa autem myrrha eſt electa, quę ſinè vulnere manat ab arbore: & illam amaram carnis mortificationem deſignat, quam profert anima nullo peccati vulnere ſauciata. Talem myrrham diſtillavit Beata Virgo,

quæ licet peccati vulnus non haberet, ſeipſam tamen multipliciter mortificare curavit. Et talis mortificatio, ſivè myrrha propter Deum eſt. Undè ipſe dicit *Cant. 5. Meſſui myrrham meam, &c.* Et hæc myrrha, *prima, & probatiſſima*, ſicut ibidem dicitur: & *myrrha electa*, ut ſuprà Minùs enim pretioſa eſt pœnitentia peccatorum, quàm pœnitentia iuſtorum. Et nota, quod Dominus meſſuit myrrham iſtam in ſuà aſſumptione: & ideò iuſtum erat, ut in menſe Auguſti quandò metuntur ſegetes, celebretur aſſumptio eius.

10 Itèm *Maria* comparatur myrrhæ. Quia ſicut myrrha corpora indè peruncta ſervat à corruptione, ſic *Maria* per gratiam meritorum, exemplorum, & orationum ſuarum ſervat familiares ſuos à corruptione luxuriæ. Myrrha probata, caſtitas coniugalis; probatior, continentia vidualis; probatiſſima, Caſtitas virginalis: quam ipſa præ cæteris elegit in exterminium legis, quæ virginitatem habebat opprobrio. Ideò ipſa dicit *Cant. 5. Digiti mei*, ideſt, diſcretæ cogitationes, & affectiones meæ, *pleni ſunt myrrhà probatiſſimà*: quia de Virginitate cogito. Et ideò dedit non ſolum odorem per exemplum virginitatis, ſed odoris ſuavitatem, ut multos alliciat ad propoſitum virginitatis. Odor enim non allicit, ſed ſuavitas odoris. Undè *Pſal. 44. Adducentur Regi virgines poſt eam*.

§. II.

Beata Virgo Amomi proprietatibus illuſtratur.

11 TRahimur ſuavibus virtutum Beatæ Virginis odoramentis allecti. Inæſtimabilis enim in veſtimentis eius redolet ſpiritalis ſuavitas odoris, ut mirè, & omnimodè fragret. Undè igitur & odorum ſpiramentum Amomi? Ex ipſius qualitatibus naturalibus myſticum inducimus Mariæ hieroglyphicum. Amomum enim vocatum, ut *lib. 17 Origin. c. 8* tradit Iſidorus, quod veluti odorem cinnamomi referat. Naſcitur in Syria, & Armenia: frutex eius botroſum ſemen reddens ſibi connexum,flore albo veluti violæ, foliis ſimilibus brioniæ, odore etiam bono, ſomnos ſuavificat

12 Apud Plinium verò *lib. 12. Hiſt. natural. c. 13.* Amomum eſt in duplici ſpecie. Nimirùm & frutex, & herba. De utroque igitur ait. Amomi uva in uſu eſt, Indicà vite labruſca: ut alii exiſtimavere frutice myrtuoſo, palmi altitudine: carpiturque cum radice, manipulatim leniter componitur, protinùs fragile. Laudatur quàm maximè Punici mali foliis ſimile, nec rugoſis, colore ruffo. Secunda bonitas pallido. Herbaceum peiùs, peſſimumque candidum, quod & vetuſtate evenit. Pretium uvę in libras XIX. friato vero amomo XLVIII. Naſcitur & in Armenię parte, quæ vocatur Otene, & in Medià, & in Ponto. Adulteratur foliis Punicis,& gummi liquido,ut cohæreat,convolvatque ſe in uvæ modum. Eſt & quæ vocatur Amomis, minùs venoſa, atque durior, ac minùs odorata: quo apparet, aut aliud eſſe, aut colligi immaturum. Et *lib. 26. c. 7.* de herba Amomon, & eius medica virtute. Sanguinem expuentibus ſubvenit Agaricum, victoriati pondere, tritum, & in mulſi quinque cyathis datum. Idem & Amomon facit.

13 Berchorius *lib. 12. Reduct. Moral. c. 7.* Amomum non fruticem, ſed herbam vult eſſe,coloris ſubrufi,odoris ſuaviſſim,fructus copioſiſſimi, & floris albi,more violę. Quæ utilis eſt medicinæ, ſummèque virtuoſa,& in omnibus nobilibus admiſcetur antidotis.Eſt nè igitur Amomum Beata Virgo? Ità. Et hoc, ſivè ſit frutex, ſivè ſit herba.

14 Et primò Beata Virgo eſt Amomum propter odorum varietatem. Eſt enim Amomum ſecundùm Dioſcoridem herba odorifera habens odorem ſicut Cinnamomum.Eſt etiam colore ſubrufa, habens folia coniuncta, & ſemina copioſa, & florem album,ut viola. Similiter Beata Virgo eſt odorifera per honeſtatem, colore ſubrufa per inflammantem charitatem.Folia verò, ideſt, verba habet coniuncta,inquantum ſuadet amicitiæ unitatem, & concordię unionem, & in ſemine copioſa per verborum affabilitatem, vel affluibilitatem. Nam ſemen eſt verbum Dei, quo Ipſa affluit. Sed florem habet album per contemplationis puritatem; quià quaſi albi flores ſunt puræ meditationes.

15 Secundò Beata Virgo aſſimilatur Amomo propter proprietatum eligibilitatem: quià illud Amomum eſt eligendum, quod eſt recens,longum, album, ſemine plenum, ſuper virgas purpureas expanſum, maximè odoriferum, & ponderoſum. Undè propter omnes iſtas conditiones Beata Virgo ad noſtram tutelam eſt eligenda. Nam ipſa eſt ſemper recens in ſubveniendo; non fatigatur, non deficit virtus eius; ſemper viret, & floret ad utilitatem noſtram. Eſt autem longiſſima per temporis diuturnitatem, quià non ceſſabit ſuccurrere, & miſereri uſque ad finem mundi. Et ideò Ipſa de ſe dicit *Eccli. 24 Ab initio, & ante ſecula creata ſum, & uſque ad futurum ſeculum non deſinam*, miſericorditer ſubvenire.

16 Alba propter veritatem, & puritatem verborum. Nam, ut inquit Albertus Magnus *lib. 2. de laudib. B. Mariæ c. 2. num. 10.* Lingua eius eucharis,quę calamus eratScribæ velociter ſcribẽtis, ſcilicet Spiritus Sancti, ipſo Scriba movente calamum, eructavit illud verbum bonum, mellifluum, & ſuave: *Eccè Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*. In hoc autem verbo nectareo intantum exhilaravit de ſalute noſtra ſolicitum Regem Cœli, quod quaſi factus immemor iniuriæ primorum Parentum, à ſede regali ſtatim deſcenderet, velut depoſito diademate gloriæ, & Cœlos diſrumpens, exiliret eodem momento de ſinu Paterno in uterum virginalem, vociferans illud *Prov. 8. Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*.

17 Hinc verbo Dei fœcundata, innumeros filios ſpirituales in fide Chriſti, ſtans ſub cruce filii, generavit. *Iacob. 1. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis.* Eſt autem ſuper virgas purpureas, ideſt, ſuper mentes Doctorũ,&Martyrum expanſa. Quià in ſcientia, & dilectione Dei ſuper omnes Docto-

res, & Martyres excellit. Ipſi enim fuerunt virgæ propter tranſgreſſorum correptionem, propter errantium directionem, propter debilium ſuſtentationem. Fuerunt etiam purpurei per amoris inflammationem, per ſanguinis effuſionem, vel propter regiminis prælationẽ. Nàm purpureus quidem color eſt Regalis color. Rursùm odorifera per honeſtatem. Honeſtas enim aſſimilatur odori propter attractionem: quià *honeſtum eſt, quod ſuà virtute nos trabit*, ut dicit Tullius. De ſapientià autèm dicitur, & de Marià, quæ Mater eſt Sapientiæ: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illà, & innumerabilis honeſtas per manus illius. Sap.* 7. Demum ipſa eſt ponderoſa per ſententiarum gravitatem. *Eſa.* 33. *Verba legis ponderans*.

18 Tertiò propter virtutis multiplicitatem. Habet enim Amomum multas virtutes, ſcilicet ſcorpionum ictibus reſiſtendi, oculos fovendi, & dolores inteſtinorum ſedandi. Sic Beata Virgo deceptionibus obviat hæreticorum, oculos mentis illuminando confortat, & in doloribus conſolatur, & lætificat. Hinc in Letaniis Lauretanis ter invocatur, & diverſimodè, ſcilicet: *Sancta Maria: Sancta Virgo Virginum: Sancta Dei Genitrix*. Et cur hoc? Quià Ipſa eſt, quæ extinguit tria illa venena, de quibus 1. *Ioan.* 2. *Omne quod eſt in Mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*. Ità interpretatur Ioannes Cluniacenſis *ſerm.* 2. *de Nativit. Virg.* dicens. *Maria* maris ſtella illuminans oculos ſpirituales contrà concupiſcentiam oculorum: *Virgo Virginum* contrà concupiſcentiam carnis: Et *Dei Genitrix*, quià illud beneficium maternitatis præcipuè adepta eſt propter humilitatem contrà ſuperbiam vitæ.

19 Sed præcipuè Amomum adverſans tribus hæreticorum venenis: & ideò ter invocatur. Undè ſubdit Cluniacenſis. Verum eſt tamen, quòd dicunt Doctores ter dici contrà tres errores. Primus fuit eorum, qui dicebant Deum non eſſe Creatorem viſibilium: contrà hoc dicitur *Stella maris*, ideſt, Dei, qui mare creavit. Secundus fuit eorum, qui dicebant ipſam non eſſe Matrem Domini; ſed contrà hoc fuit ordinatum in concilio Epheſino, & conſequenter in Calcedonenſi, ut diceretur *Theotocos*, ideſt, *Dei Genitrix*: & tunc ceciderunt araneæ multæ de Cœlo in ſignum, quod ceciderant araneæ errorum. Tertius fuit error Helvidii, qui dicebat Matrem Domini genuiſſe aliquos filios poſt Chriſtum, & ſic non manſiſſe Virginem perpetuam: ſed contrà hoc dicitur ei: *Sancta Virgo Virginum*.

20 Denique ſicut placidum, ſuave, & efficax Amomum ſuavificat ſomnum, ideſt, mortem dilectorum ſuorum: undè eorum mors propter ſuavitatem, & dulcedinem vocatur Somnus. *Pſal.* 126. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum*. Tunc enim, inquit Albertus Magnus *lib.* 2. *de laudib. B. Mariæ c.* 1. *num.* 42. Servorum ſuorum animas de corporibus exeuntes protegit ab incurſu aerearum poteſtatum, quibus eſt terribilis ut Caſtrorum acies ordinata, ſicut ſæpè legitur in miraculis eius. Fugiunt enim qui oderunt nos à facie eius: & Ipſa exurgente in adiutorium noſtrum, diſſipantur inimici ſui, & noſtri. Cuſtodit enim exemplo filii animas ſervorum ſuorum, & de manu peccatoris liberabit eos. Undè *Sap.* 10. *Eos, qui ſe amant, à doloribus conſervabit*. Ibidem. *Cuſtodivit illum ab inimicis, &c. Prov.* 4. *Nè dimittas eam, & cuſtodiet te: dilige eam, & ſervabit te*.

§. III.

Reſinæ medicinales virtutes Beatiſſimæ Virgini convenire.

21 ET primò de nominis etymo agamus. *Reſinam* ergò, ait Iſidorus lib. 17. Origin. c. 7. Grçci ῥητίνην vocant, ῥέων enim Græcè dicitur *quicquid manat*. Eſt enim lachryma ſudore exhalata lignorum, ut ceraſi, lentiſci, balſami, vel reliquarum arborum, ſive virgultorum, quæ ſudare produntur, ſicut & odorata Orientis ligna: ſicut gutta balſami, ac ferularum, vel ſuccinorum, cuius lachryma dureſcit in gemmam.

22 Plinius verò lib. 24. Hiſt natural. c. 6. Reſinæ ſpecies, Patriam, diverſa nomina, & vim medicam deſcribit, dicens. Reſinam è ſupradictis arboribus gigni docuimus, & genera eius, & nationes in ratione vini, ac poſteà in arboribus. Summæ ſpecies duæ, ſicca, & liquida. Sicca è pinu, & picea fit, liquida è terebintho, larice, lentiſco, Cupreſſo. Nam & eæ ferunt in Aſia, & Syrià. Falluntur qui eandem putant eſſe è piceà, atque larice. Picea enim pinguem, & thuris modo ſuccoſam fundit: larix gracilem, ac mellei liquoris virus redolentem. Medici liquidà raro utuntur, & in ovò ferè: è larice propter tuſſim, ulceraque viſcerum. Nec pinea magnopere in uſu. Cæteris nonniſi coctis. Et coquendi genera ſatis demonſtravimus. In arborum diferentia placet terebinthina, odoratiſſima, atque leviſſima: nationum Cypria, & Syriaca, utraque mellis Attici colore, ſed Cypria carnoſior, ſicciorque. In ſicco genere quærunt, ut ſit candida, pura, perlucida. In omni autèm, ut montana potiùs, quam campeſtris: item aquilonia potiùs, quam ab alio vento.

23 Reſolvitur reſina ad vulnerum uſus, & malagmata oleo, in potiones amygdalis amaris. Natura in medendo contrahere vulnera, purgare, diſcutere collectiones: Item pectoris vitia. Terebinthina illinitur: & eadem calida membrorum doloribus, ſpaſticiſque illinitur in Sole, totiſque corporibus, mangonum maximè curà, ad gracilitatem emendandam, ſpatiis ità laxantium cutem per ſingula membra, capacioraque ciborum facienda corpora. Proximum locum obtinet è lentiſco. Ineſt ei vis aſtringendi. Movet & antè cæteras urinam. Reliquæ ventrem emolliunt, cruda concoquunt, tuſſim veterem ſedant, vulvæ onera extrahunt etiam ſuffitæ. Privatim adverſantur viſco. Panos, & ſimilia, cum ſevo taurino, & melle ſanant. Palpebras lentiſcina commodiſſimè replicat. Fractis quoque utiliſſima, & auribus purulentis. Item in pruritu genitalium. Pineæ capitis vulneribus optimè medetur.

24 Reſina ſignificat gratias, & virtutes ſtillantes à *Maria* arbore, quæ variæ ſunt, & diverſæ, omnes tamèn ſunt nobis utiles, & medicinales contrà infirmitates vitiorum, & peccatorum. 1. *ad Cornith.* 2. *Diviſiones gratiarum ſunt*. Ideò conſulitur *Ierem.* 51. *Tollite reſinam ad dolorem eius, ſi fortè ſanetur*.

Maria, Reſina. Quià per ſuam humilitatem medetur ſuperbiæ, quæ eſt capitis vulnus.

Quià per ſuam obedientiam ſanat aurium purulentiam, hoc eſt, inobedientiam.

Quià per ſuam gratiam extrahit de conſcientià animæ peccatricis maxima onera peccatorum, cùm eam ad confeſſionem, & pœnitentiam inducit.

Quià per divitiarum contemptum adverſatur viſco, ideſt, terrenorum cupiditati.

Quià per ſuam modeſtiam docet extollentiam oculorum compeſcere, & in devotis ſuis luminum palpebras facilè plicat nè videant ſeculî vanitates.

Eſt autèm Reſina aquilonaris, quæ potiſſimè laudatur, quià in adverſitatibus, & tribulationibus per virtutem patientiæ ſemper fuit probatiſſima.

25 Propterea ægris, & infirmis demonſtratur undè petenda ſanitas, & à cuius virtute ſalus expetenda. *Ierem.* 48. *Aſcende in Galaad, & tolle reſinam virgo filia Ægypti: fruſtra multiplicas medicamina: ſanitas non erit tibi*. In Marià enim ſunt omnium ægritudinum animæ medicamenta. Nec ſanitas niſi per Mariam haberi poteſt. Nàm ſi vis fidelis anima ab infirmitatibus tuis liberari, oportet, quod ad Mariam accedas, quæ ſudat reſinam optimam, ait Albertus Magnus lib. 12. de laudib. B. Mariæ c. 6. §. 16. ideſt, Chriſtum, qui eſt medicina languentium animarum. Nota, ſudat: quià ſicut ſudor exit de carne, ipsà carne manente integra, ſic natus eſt de eius carne manente integra Filius Dei. Et ſicut ſudor medicinalis eſt carni humanæ, ſic Filius caro factus medicina carnis, & animæ noſtræ. Undè appellatur *fluvius Dorix Eccli.* 24. quod intpretatur *medicamentum generationis*.

§. IV.

Beata Virgo odora ſicut Incenſum.

26 FUmum ſuaviſſimum, miram, & redolentem fragrantiam evaporat incenſum, in igne poſitum: vi enim ardoris ſolvitur in nebulam odoriferam, quæ dum evaneſcit, magnam diffundit odoris ſuavitatem. Nàm licet per ſe inenſum redoleat, dùm tamen in prunis flagrat, ſuaviùs fragrat. Fumus autèm ille aromaticus incenſi, eſt infernè ſtrictus, & latus supernè, & multùm mobilis: anfractuosè ſuperiùs tendit, obnubilat aerem, & ſui odoris replet fragrantià, directè pentrat ad cerebrum, ſpiritus animales recreat, atque confortat, fluxum humorum, & lacrymarum ſtringit, & valet ad multa alia.

27 Et jam videò per odoratum incenſi ſpiramentum devotiſſimas *Mariæ* preces ſignificari: nàm ſuper ignem charitatis poſita fumum odoriferum orationis emittit ad plurimorum utilitatem, immò & totius mundi conſervationem; eius quippè precibus orbis ſuſtentatur univerſus. Undè Deo Ipſa dicit cum Prophetà: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Pſal.* 140. Et quidem iſte fumus aerem humanæ naturæ obumbrat, & protegit: undè in eius perſona dicitur *Eccli.* 24. *Sicut nebula texi omnem carnem*. Replet autèm animas mirà ſui odoris fragrantià. Interiores animæ vires, & affectiones recreat, intellectum confortat, corroborat, abigitque triſtitiam.

28 Sed iſte fumus aromaticus incenſi ſecretiorẽ habet intelligentiam, de quo admirativè dicitur ab univerſitate Angelorum, *Cant.* 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentariis?* Et cur fumus odoratus *Maria*? Reſpondet Albertus Magnus lib 12. de laudib. B. *Mariæ* c. 3. n. 7. *Maria* dicitur fumus: quià gracilis, & ſubtilis per innocentiæ puritatem, & ſeipſam ſemper gracilians per ſummam humilitatem. Undè cùm eligeretur in Matrem Domini, ſe obtulit in Ancillam. Gracilis etiam per paupertatem: quià omnia temporalia contemnebat: vel ſi ea aliquandò habuit, largiter erogabat. Gracilis etiam per carnis extenuationem: quià licet nunquam peccaverit, ſemper in pœnitentià manſit. Fuit etiam gracilis; quià cœleſtibus extenuata diſciplinis, & ſubtilis in vità contemplativà. Gracilis etiam ut ſinè obſtaculo tranſiret per arctam viam, & intraret portam, quæ ducit ad vitam. *Matth.* 7.

Quià liberè alta periens per ſubtilitatem contemplationis, & rectitudinem intentionis. *Cœlos* enim *attingebat ſtans in terrà Sap.* 18.

29 Quià agilis: levi enim curſu, levi ſaltu, velut *Idithum*, ideſt, *tranſiliens*, omnes vitiorum ſpinas, lutulenta, & foveas tranſiliit. Agilis etiam per officioſitatem, quandò ſe tranſtulit ad beatam Eliſabeth viſitandam. Agilis etiam per obedientiam, deferens filium ad templum, & fugiens cum eo in Ægyptum.

Quià levis, ideſt, ſinè ponderoſitate peccati: & ideò ſursùm continuè ferebatur deſiderio æternorum.

Quià flexibilis per humilitatem quò ad ſe, per obedientiam quò ad Deum, per compaſſionem, & pietatem quò ad proximum.

30 Quià virgula per humilitatis diminutionem, quæ maximè cooperatur ad aſcenſionem: quià *qui ſe humiliat, exaltabitur. Luc.* 14.

Quià obſcura per tribulationum multitudinem, quas patiebatur amore filii ſui. Undè dicit *Cant.* 1. *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quià decoloravit me Sol*, ideſt, filius meus.

Quià aromatica per bonam opinionem, & devotionis fragrantiam. Undè ſequitur. *Sicut virgula fumi ex aromatibus, &c.*

Quià calida per dilectionem. Undè & dicitur virgula fumi, qui de igne procedit: quià deſiderium ex amore venit. Ipſa enim ardore Spiritus ſancti accenſa, ſic aſcendendo profecit in gratià, ſic aſcendit in glorià, quòd omnem cogitationem

humanam excedit. Ideò dicitur virgula fumi, qui naturaliter aſcendit,& quaſi occultè: quià viſibiliter aſcendens diſparet in momento. Similiter & Ipſa diſparuit, quià quantum aſcenderit, ratio humana non capit, ſipit. Modus etiam aſcenſionis ſuæ occultus fuit: quià utrùm in ſolà anima, an in anima ſimul, & corpore aſcenderit, prælegit Eccleſia piè neſcire, quàm temerè aliquid diffinire.

Quia quantò magis aſcendit, tantò amplius extenuatur, & ſubtiliatur. Sic etiam fidelis anima quò magis proficit in virtute, tantò magis humiliatur in ſe, ſicut patet in Marià, quæ cum peteretur in Matrem Domini, quod erat ei ſumma dignitas, ſe obtulit in Ancillam, quod erat ſumma humilitas, &c. Fuit ergò Beata Virgo odorifera ſicut aromaticus fumus incenſi.

§. V.

Quàm verè Beata Virgo dicatur Artemiſia.

31 NEc mirandum, ſi *Mariam* vocaverim Artemiſiam. Nàm & ab herbis appellari non inglorium putaverunt inclyti Viri. Sed & Heroides fœminæ magnum ſibi honorem aſciſcere ex herbarum nominibus arbitratæ. De utriſque Plinius *lib. 25. hiſtor. natural. c.* 7. adducit exempla. Gentianam invenit Gentius, Rex Illyriorum, ubique naſcentem, in Illyrico tamen præſtantiſſimam, folio fraxini, ſed magnitudine lactucæ, caule tenero pollicis craſſitudine cavo, & inani, ex intervallis foliato, trium aliquandò cubitorum, *radice lentà*, *ſubnigrà*, *ſinè odore*, aquoſis montibus *ſubalpinis* plurima. Uſus in radice, & ſucco. Radicis natura eſt excalfactoria, *ſed* prægnantibus non bibenda. Invenit & Lyſimachus herbam lyſimachiam, quæ ab eo nomen retinet, celebrata Eraſiſtrato. Folia habet ſalicis viridia, flo rem purpureum, fruticoſa, ramulis erectis, odore acri, gignitur in aquoſis. Vis eius tanta eſt, ut iumentis diſcordantibus jugo impoſita, aſperitatem cohibeat.

32 Mulieres quoque hanc gloriam affectavère. In quibus Artemiſia uxor Mauſoli, adoptatà herbà, quæ antè Parthenis vocabatur. Sunt qui ab Artemide Ilithyà cognominatam putent, quoniam privatim medeatur fęminarum malis. Eſt autem abſinthii modo fruticoſa, maioribus foliis, pinguibuſque. Ipſius duo genera. Altera latioribus foliis, altera tenera tenuioribus, & non niſi in maritimis naſcens. Sunt qui in mediterraneis eodem nomine appellent, ſimplici caule, minimis foliis, floris copioſi, erumpentis cùm uva matureſcit, odore non iniucundo, quam quidam botryn, alii ambroſiam vocant. Talis in Cappadocià naſcitur. Hactenùs Plinius. Sed Iſidorus lib. 17 etymol. c. 9. ab altiori origine, nempè divinà, licet fabuloſà, Artemiſiæ nomen derivatum tradit, dicens. *Artemiſia* herbà Dianæ à Gentilibus conſecrata eſt, undè & nuncupata. Græcè enim *Diana ἄρτεμις* dicitur.

3[3] Et Dioſcorides hoc idem confirmat, niſi quod in tria genera Artemiſiam diſtinguit. Artemiſiæ, inquit, tria ſunt genera. Unum eſt quod vocatur *Artemiſia monodos*: ideſt: *mater herbarum*: quæ eſt fruticoſa, & ſimilis abſcinthio, folia maiora, & pinguiora habens, & haſtas longas. Naſcitur in maritimis locis, & lapidoſis. Floreſcit autem æſtatis tempore, floribus albis parvulis, graveolentibus, amaris. Altera Artemiſia Tagetes nominatur: quæ tenera eſt, ſemen habens minutum, & unam haſtam foliis plenam. Naſcitur in locis mediterraneis, & altioribus, florem mellinum, atque tenuem, & iucundiorem comparatione prioris ferens. Hæc à Græcis vocatur Tagetes, vel Tanacetum. Et nos in linguà Latinà vocamus eam, Thanaſiam, vel ſecundùm quoſdam Athanaſiam. Et eſt tertia Artemiſia, quæ Leptaſillos dicitur: naſcitur circà foſſas, & agros. Floſculum eius ſi contriveris, Sanſuci odorem habet: & ipſa amara. Has ſpecies Artemiſiæ Dianam dicunt inveniſſe, & virtutes earum, & medicamina Chironi Centauro tradidiſſe. Hæc herba ex nomine *Dianæ*, quæ *Artemis* dicitur, accepit nomen *Artemiſia*, quæ calefacit, & ſiccat.

34 Artemiſia, Beata Virgo: nam & ipſa Parthenis vocatur. Et verè Deipara, Virgo eſt Parthenia, quę numeroſam virguncularum multitudinem ſibi adoptat in filias, & virginali connubio Filio ſu adducit in Sponſas. Ipſa quidem Artemiſia Parthenis, quę fœminarum ignominiam abolevit. Undè enim Ipſa dicitur: *Benedicta tu in mulieribus*? *Luc*. 2. Niſi quià omnium mulierum reparavit honorem? Ità exponit Albertus Magnus lib. 1. de laudib. B. Mariæ c. 6. num. 6. *Benedicta tu in mulieribus*. Poteſt, inquit, hic dici eo modo quo dictum eſt *Gen. ſ. 27. In pinguedine terræ, & in rore Cœli deſuper erit benedictio tua.* Ros Cœli, Virginitas; pinguedo terræ, fœcunditas. Per *Mariam* enim effuſa eſt benedictio ſuper mulieres. O quot eius auxilio, & precibus de maledictione ereptæ ſunt, & quotidiè eripiuntur.

35 Vel ideò benedicta in mulieribus, quod de alia non legitur, ut per hoc notetur, quod non ſolum inter mulieres gloriam habitura ſit, ſed etiam quodam privilegio ſpirituali ſibi mulierum dilectionem vendicaverit, & affectum, utpote per quam evaſit opprobrium ſexus ille. Priuſquam etenim *Maria* conciperet Salvatorem, opprobrium erat, & ignominia eſſe mulierem propter proditionem primæ Matris. Similiter & eſſe hominem propter latrocinium, & proditionem Adæ. Filii enim eramus proditoris, & latroniſſæ. Undè dicitur *Eſa* 1. *Principes tui*; ſcilicet Adam, & Eva: *infideles*, *ſocii furum*, ideſt, dæmonum. Et propter hoc clamabat genus humanum ad Dominum Salvatorem ſub typo ſeptem mulierum. *Eſa.* 4. *Invocetur nomen tuum ſuper nos*: ſcilicet ut à Chriſto dicamur Chriſtiani: *aufer opprobrium noſtrum.* Opprobrium igitur primorum Parentum per eam à nobis ablatum eſt, & inſuper adeò generoſi facti ſumus, quod Regis, & Reginæ Cœlorum effecti ſumus fratres. Meritò ergò benedicitur in mulieribus, & inter mulieres, per quam tantum primę mulieris opprobrium ablatum eſt à mulieribus, & tantus honor collatus eſt mulieribus, ut mulier Cœlorum Regina, & Dei Genitrix ſit effecta.

36 Nec ſinè myſterio Artemiſia ſecundùm Dioſcoridem dicitur herbarum mater, calidi, & ſicci temperamenti, & quæ multum valeat ad medicinam. Nam calculum frangit, fœtum mortuum expellit, dolores mitigat, & omnem tumorem diſpergit. Siquidem Dei Genitrix omnium herbarum, ſcilicet virtutum Mater eſt, & calida igne Spiritus Sancti, quo hominem durum, & obſtinatum frangit, & emollit, & ab eius corde fœtum mortuum peccati mortalis per contritionem, & confeſſionem facit expelli. Ipſa dolores temperat noſtros, & ſuperbiæ tumores in nobis per humilitatem ſanat. Plinius autem affirmat Artemiſià fugari dæmones, & irritas reddi incantationes: quià à Mariæ præſentià nequitię aerearum poteſtatum diffugiunt, non ſecus ac nebulæ à radiis ſolis: & incantationes, ideſt, tentationes evaneſcunt. Traditur etiam, quod ſi quis infantem hilariorem efficere velit, Artemiſiam incendat, & ſuffumiget, & omnes malorum incurſiones avertet. Profectò ſi quis velit animum exhilarare, habeat *Mariam* in corde per devotionem, & ſuper ipſam ignem congerat dilectionis, & ab omni liberabitur malorum incurſu. Et huic quoque ſequens aut proximum, aut ſimile eſt, nempè quod ſi quis iter faciens, Artemiſiam ſecum portaverit, non ſentiet laborem itineris: quià qui in peregrinatione huius vitæ Mariam ſecum ferunt, per imitationem, & recordationem, ærumnarum tædia ſuperant, & mirificè recreantur.

CAP. III.

Tertius vegetabilium Quinarius in literis Nominis Mariæ conſideratur.

1 TAntam vim literæ Mariani Nominis habent, ut quicquid viret in pratis, aut floret in hortis, aut in viridariis olet, complectantur. Decebat nimirum, ut quę omnium erat creaturarum perfectiſſima, omnium colligeret perfectiones. Eccè jam tertiò quinque literæ Marię Nominis in nova germina erumpunt, nec literæ quidèm variantur, aut multiplicantur, ſed ipſæ res per literas ſignificatæ, ut ſciremus unam quidem eſſe cauſam, ſed plures, & diverſos effectus ab eadem procedentes. Ex quinque igitur literis quinque alia vegetabilia habemus, ex quibus novo modo encomia Deiparæ floreſcunt, & Nominis idea conſurgit, ut variato tenore legentibus contemplationem ſimul pariant, & delectationem. Quid igitur rursùm in ſuis literis *Maria*? Hoc quidem, ſcilicet ut ſe indicet eſſe

M entam.
A netum.
R utam.
I a, ſcilicet Violam.
A rborem vitæ.

Et hæc procul dubio devotis ſuis erunt cum ſapida, tum medicinalia, tùm defenſiva, & delectabilia.

§. I.

Menta ex ſuis proprietatibus naturalibus Mariæ typus.

2 COnſulendus Plinius rerum naturæ inveſtigator, quibus Menta polleat viribus, aut dotibus naturalibus. Inquit igitur *lib.* 19. *hiſt. natural. c.* 8. Eodem tempore, ſcilicet favonio, & ab æquinoctio Autumni ſeritur Menta planta, vel ſi nondum germinat, ſpongia. Minùs hæc humido gaudet. Æſtate viret, hyemè flaveſcit. Genus eius ſilveſtre, mentaſtrum eſt. Et hoc propagatur ut vitis, vel ſi inverſi rami ſerantur. *Menta* nomen ſuavitas odoris apud Græcos mutavit, cùm alioqui *mintha* vocaretur, undè veteres noſtri nomen declinaverunt. Grato Menta menſas odore percurrit in ruſticis dapibus. Semel ſata, diutinà ætate durat. Congruit pulegio, cuius natura in Carnariis refloreſcens ſæpius dicta eſt. Hæc quoque ſervantur ſimili genere, mentam dico, pulegiumque, & nepitam.

3 Undè & *lib.* 20. *c.* 14. diſtinguens inter Mentaſtrum, & Mentam, de utriuſque viribus ſubdit. Mentaſtrum, ſilveſtris menta eſt, differens ſpecie foliorum, quaſi figura ocimi, pulegii colore. Propter quod quidam ſilveſtre pulegium vocant. Iis commanducatis, & impoſitis ſanari elephantiaſin, Magni Pompei ætate, fortuito cuiuſdam experimento, propter pudorem facie illità, compertum eſt. Eadem illinuntur, bibunturque adverſùs ſcolopendras, & ſerpentium ictus, drachmis duabus in vini cyathis duobus. Adverſus ſcorpionum ictus cum ſale, oleo, & aceto. Item adverſus ſcolopendras jus decocti. Adverſuſq; omnia venena ſervantur folia arida, ad farinæ modum. Subſtratum, vel accenſum fugat Scorpiones. Potum fœminas purgat à partu, ſed partus necat. Orthopnoicis, torminibus cholericis efficaciſſimum: Item lumbis, podagris impoſitum. Succus auribus verminoſis inſtillatur. In regio morbo bibitur, ſtrumis illinitur. Somnia Veneris inhibet. Tineas pellit ex aceto potum. Contrà porriginem ex aceto infunditur capiti in Sole.

4 Mentæ ipſius odor animum excitat, & ſapor aviditatem in cibis, ideò embammatum mixturæ familiaris. Ipſa aceſcere, aut coire, denſarique lac non patitur. Quarè lactis potionibus additur, nè huius coagulati potu ſtrangulentur. Data in aqua, aut mulſo, eadem vi reſiſtere & generationi creditur, cohibendo genitalia denſari. Æquè maribus, ac fęminis ſiſtit ſanguinem, & purgationes fœminarum inhibet. Cum amylo ex aqua pota Cœliacorum impetus. Syriation, & vomitus vulvę curavit, &c.

5 Et quid magis Mentę vires, & nomen quam Mariam nobis exprimunt, cuius nè quidèm Nomen à ſuavis odoris excluditur ſocietate? Quicquid enim odoris, aut fragantiæ in virtutibus eſt, ſpirat, & fragrat.

Menta Dei Mater: Quià in æſtate, & affluen-

fluentià donorum ſpiritualium floruit per viriditatem gratitudinis, & gratiarum actionis, ſed in hyeme, hoc eſt in paſſione filii ſui per ſummum dolorem, & compaſſionem ad faviciem amaricati animi declinavit.

Quia vim habet odoram ad recreandum, & confortandum: nihil enim ægrorum, & debilium ſic fovet, & reparat ſenſus, ſicut frequens Nominis eius recordatio.

Quià verè menſas pauperum in ruſticis dapibus grato paupertatis, & temperantiæ percurrit odore.

Quià eius odor virtutum animos excitat ad emulationem virtutis, & præclariſſima facta gerenda.

Quià ſapor eius, ideſt, devota deguſtatio dulcedinis ſuæ parit ſupernorum aviditatem, & cœleſtium deſiderium.

Quia corda devotorum ſuorum, ſicut lac, in terrenis deſideriis denſari non permittit.

Quià eos caſtos facit, & pudicos: & elephantiaſin in inverecundiæ ab eorum facie per modeſtiam expellit.

Quià denique eſt antidotum efficaciſſimum contrà vitiorum venena, & potentiſſimum ad curandos quoſlibet animæ morbos ſpirituales remedium.

§. II.

Per Anetum deſignatur Virgo Beata,

6 TEſtatur Plinius *lib.* 20. *hiſtor. natural. c.* 18. Anetum movere ructus, & tormina ſedare. Alvum ſiſtere. Epiphoris radices illini ex aquà, vel vino. Semen fervens olfactum cohibere ſingultus. Sumptum ex aquà, ſedare cruditates. Eius cinerem, uvam in faucibus levare: oculos, & genituram hebetare.

In horto autèm Sanitatis Tractat. de herbis c. 27. hæc habentur. Anetum eſt herba hortulana odorifera. Eius ſemen principaliter convenit uſui medicinæ: radix ſecundariò: herba verò tertio loco. Seritur menſe Februario frigidis locis. Omnem ſtatum Cœli patitur, ſed tepidiore locatur. Rigandum eſt, ſi ſe abſtineat imber. Serendum eſt rarius. Aliqui ſemen eius non obruunt, opinantes quod à nullà ave tangatur. Coctum in oleo diaforeticum, & immoleſtum, ſomni factivum, & digeſtivum crudorum, nec non indigeſtorum humidorum exiſtit.

7 *Maria*, Anetum. Quià herba hortulana. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te. Cant.* 8. Degit enim in hortis Eccleſiæ, ut omnibus pateat acceſſus ad ipſam.

Quià odorifera per virtutes, & per ſummam pietatem, & miſericordiam cuilibet, qui ad eam confugerit.

Quià Februario, & locis frigidis debet ſeri, ideſt, cordibus frigidis per caſtitatem, & in temperantiæ Februario exiſtentibus.

Quià ſemen eius, potentia ſcilicet, imperium, & vis adeò efficax eſt, ut nullæ dæmoniorum volucres infernales ad eam accedere audeant.

Quià olfacta per devotionem, & fiduciam internos inhibet conſcientiæ ſingultus, & ad patriam cœleſtem excitat aſpirationes, quæ quaſi ructus ex magnò deſiderio de corde procedunt.

Quià cinis eius humilitatis ſanat oris, & linguæ ſuperbiam: caſtificat homines, & malum concupiſcentiæ hebetat oculum.

Quià denique cruda, & indigeſta terrenorum facit evacuari deſideria, & ad ſomnum divinæ contemplationis in Domini amplexu conducit.

§. III.

Per Rutam exprimi Mariæ virtutes.

8 MAgnas divina providentia contulit vires, & admirabiles proprietates herbarum naturæ, ut earum innumeræ non tantum in cibum, verùm & in medicinam ſint paratæ. Nec unius tantùm, ſed etiam multiplicis ſaporis, & varii odoris, ac ſpiramenti, ut etiam illud valde ſit mirum, unamquamque tùm in foliis, tùm in floribus eſſe diverſam. Adeſt ergo & Ruta, quæ ſibi honorem in Mariæ hieroglyphicis ſatagit promereri. Neque enim eſt adeò inglorium herbæ virgultum, ut inter laudatas, aut laudabiles numerari non poſſit. Ab Iſidoro ponitur inter olera odorata *lib.* 17. *etymolog. c.* 10. De quà & ait. Ruta dicta, quod ſit ferventiſſima. Cuius altera agreſtis, atque virtute acrior: ſed utraque ferventiſſima comprobatur. Hanc veneris repugnare Muſtelæ docent, quæ dum cum ſerpente dimicaverint, cibo eius armantur.

9 Plinius *lib.* 19. *c.* 8. Ruta, inquit, ſeritur favonio, & ab æquinoctio Autumni: odit hyemem, & humorem, ac fimum, apricis gaudet, & ſiccis, terra quàm maximè lateraria. Cinere vult nutriri. *Hic* & ſemini miſcetur, ut careat erucis. Autoritas etiam peculiaris apud antiquos ei fuit. Invenio muſtum rutatum populo datum à Cornelio Cethego, in Conſulatu collegę Quinti Flaminii, comitiis peractis. Amicitia eſt ei & cum ficu, in tantum, ut nuſquàm lætior proveniat quàm ſub hac arbore. Seritur & ſurculo, melius in perforatam fabam indito, quæ ſucco nutrit comprehendendo ſurculum. Seritur & à ſeipsà. Nanque incurvato cacumine alicuius rami, cum attigerit terram, ſtatim radicatur.

10 Et *Maria* planè Ruta, quæ in cordibus Chriſtianorum ſeritur, Favonio devotionis aſpirante, & ineunte Autumni æquinoctio, operibus videlicet iuſtitiæ, cæterarum etiam accedente feracitate virtutum.

Apricis lætatur, & ſiccis, nempè conſpicuà morum, & pudicitiæ honeſtate.

Hyemem, ſcilicet negligentiæ, deſidiæque torporem, & fimum, ac luxuriæ odit humorem.

Cinere, nempè humilitate vult educari: in cordibus enim humilium lætabunda maximè radicatur.

Lætiſſima autèm provenit ſub arbore fici, in iis videlicet qui amant crucem Chriſti, & ſub huius arboris umbrà per compaſſionem, & devotionem, tùm per imitationem Crucifixi, ſedere; & per compaſſivam meditationem fructus eius

dulcedinem deguſtare, ut & cum Ipſa Dei Matre dicere poſſint: *ſub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Cant.* 2.

11 Ruta planè Deipara. Sculptores enim rutam comedunt, ut viſus eorum acuatur: & ideò erravit Pythagoras, qui rutam oculis nocere putavit.Ità & iis, qui Rutam Marianam comedunt, nomen eius frequenter habentes in ore, oculi animę acuuntur ad perſpiciendam cęleſtium rerum æternitatem, & caducarum fugacitatem, nè in his, ſed in æternis quærant manſionem.

Rutæ odor ſerpentes fugat, & alia venenoſa ab hortis: ità & Mariæ odor, & virtus ab hortis conſcientiæ dovotorum ſuorum tentationes venenoſas expellit.

Ruta comeſta Caſtitatem generat, quod ei competit ſecundum medicos, à tota ſpecie, & natura, & occulta proprietate, cum ſit calida, & ſicca, ut tradit Berchorius. Sic & Maria comeſta per recordationem, & incorporata per iugem medicationem, facit hominem caſtum & corporaliter, & ſpiritualiter.

Qui Rutæ cibo armantur, à veneno ſervantur innoxii. Quod quidem docuit Rex Ponticus, qui cum fratris ſui timeret inſidias, rutæ folia cum duabus nucibus, & totidem caricis, admixto ſale, jejunus accipiebat, & ſic cum eo ſecure agebat, ut ſcribitur in horto ſanitatis. In Mundo plurima, & diverſi generis ſunt venena, pericula ſcilicet, & occaſiones peccatorum, quibus diabolus inſidiatur, & ad perniciem utitur animarum. Sed qui verè Mariam colunt, & virtutum ſuarum cibo muniuntur, diaboli inſidias evadunt, & innoxios ab occaſionum veneno ſe pręſervant.

§. IV.

Ia, ſcilicet Viola pulcherrimus Mariæ Typus.

12 PRodeas & tu Viola, odorati nuncia Veris, quæ poſt roſas, & lilia tertium obtines locum in florum primatu. Et quidem in *Mariæ* Nomine etiam ſuavius affectas olère. Sed quid illa novitas nominis *Ia?* Plinius ergò *lib.* 21. *hiſt. natural. c.*6. rationem reddit illius appellationis. Violis, inquit, honos proximus. Earum plurima genera. Purpureæ; luteæ; albæ: plantis omnes ut olus ſatæ. Ex iis verò quæ ſponte apricis, & macris locis proveniunt purpureæ, latiore folio ſtatim ab radice carnoſa exeunt, ſolęque Græco nomine à cæteris diſcernuntur, appellata *Ia*, ut ab his Ianthina veſtis. Sed ſativis maxima autoritas luteis. Genera iis tuſculana, & quæ marina appellatur, folio aliquanto latiore, ſed minus odorato In totum verò ſinè odore, minutoque folio calathiana, munus Autumni, cæteræ Veris.

13 Nunc conſideremus, quà ratione *Ia*, ideſt, Viola ſit *Mariæ* typus. Inter alios Patres primò occurrit. Hugo de Sancto Victore, qui ſermonem integrum, ſcilicet 46. conficit in Aſſumpt. Beatæ Mariæ, & multis hieroglyphicis Beatiſſimam Virginem eſſe Violam oſtendit. Et ideò nè huius Violæ odore, colore, & medica virtute privemur, libenter quæ ille ſcripſit, iterum repeto, & meis hiſcè cartis committo.

Inter cætera, inquit, dilectiſſimi, glorioſa miracula, quæ in Aſſumptione Beatiſſimæ Virginis *Mariæ* legendo, vel canendo ad ipſius laudem ſæculis omnibus attollendam, & recolendam recitamus, purpuream ut Violam, Ipſam eſſe devotiſſimè cantare ſolemus. Quemadmodum autem in ſuperiori quodam ſermone breviter inſinuavimus, quęcunque in ſcripturis, quæcunque in Creaturis ſunt amabilia, quæcunque ſuavia, quæcunque dulcia, quæcunque pulchra, quæcunque redolentia, quæcunque iucunda, quæcunque pretioſa, quæcunque ſunt laudabilia, eius laudibus ſunt convenientia. Sed prætermiſſis omnibus aliis, de ſola Viola dicamus, ut qualiter Beatiſſimam Virginem non ſolum purpureo colore, verum & aliis quibuſdam proprietatibus ſuis evidenter ſignificet oſtendamus.

14 Phyſici ſuis in libris affirmant, & Medici in ſuis confectionibus probant Violam naturam habere frigidam, & idcirco contrà calidos morbos eſſe bonam. Significat ergo rectè carnalium extinctionem vitiorum. Carnalia quippè vitia quaſi calidi morbi ſunt, quia miſeram animam, quam tenent, ſuis fervoribus incendunt. Quaſi ergo Viola membris malè calentibus apponitur, ut ſanentur, quoties gratia Cœleſtis nobis infunditur, ut fervores vitiorum in nobis mitigentur.

15 Habet Viola colores duos, viridem ſcilicet, & purpureum. Solent Doctores per virorem, cœleſtium, & immarceſcibilium bonorum operum ſpem intelligere. Cœleſtia nanque bona quaſi ſemper virent, & nunquam marceſcunt, dum à perpetuo ſuæ bonitatis, ac pulchritudinis ſtatu, nulla mutabilitatis ariditate decidunt. Quæ dùm firmiter, conſtanter, & indeſinenter ſperamus, quaſi eorum immarceſcibili virore nos coloramus. Poſſumus quoque per virorem, cuiuſlibet virtutis, aut boni operis inchoationem intelligere. In germinantibus enim de occulto ſinu terrę prodeuntibus viror primum apparet. Quaſi ergo novelli germinis virorem in nobis proferimus, dum naſcentis in nobis, & ex nobis virtutis, vel boni operis noſtra pulchritudine decoramus. Poſſumus etiam per virorem virtutum, & bonorum operum immarceſcibilem intelligere perpetuitatem. Quaſi enim ſemper in nobis vireſcunt, dum in nobis abſquè defectu ſubſiſtunt.

16 Purpura autem Regum eſt. Hinc eſt, quod Alexander Rex Syriæ miſit Jonathæ purpuram, & auream coronam velut regio munere honorando. Sed & cum idem Jonathas pręfato Regi, & Ptolomęo Regi Ægypti apud Ptolemaidem occurriſſet, iuſſit eum pręfatus Rex ſuis veſtibus ſpoliari, & purpura indui, volens cum regio ornamento glorificare. Benè ergò Purpura regalem ſignificat dignitatem. Beata itaque Virgo Maria verè Purpura fuit, quę ſuper omnes Sanctos regali dignitate, velut Domina mundi, & Regina Cœli, effulſit, quę ſe prę omnibus regaliter egit, & rexit, vitia depreſſit, virtutes erexit. Depreſſit enim in ſemetipſa ſuperbiam, erexit humilitatem: depreſſit iram, erexit pa-

cem: depreſſit invidiam, erexit charitatem: depreſſit triſtitiam ſeculi, erexit exultationem Dei: depreſſit tenacitatem, erexit largitatem: depreſſit gaſtrimargiam, erexit parſimoniam: depreſſit luxuriam, erexit caſtitatem, immò virginitatem eximiam. Quia ergo mala depreſſit, & bona erexit: Vel quia ſecundum Prophetæ ſententiam, illa evellit, & deſtruxit, iſta ædificavit, & plantavit; verè fuit purpura, verè regià dignitate decorata.

17 Habet etiam Viola bonum odorem, per quem bonam deſignat opinionem. Non ſolùm enim bona conſcientia, ſed & bona opinio eſt neceſſaria. Hinc eſt, quod Chriſma duos in ſe habet liquores. *Chriſma* autem Græcè, *unctio* dicitur Latinè. Eſtque Chriſma oleum cum Balſamo mixtum, quo unguntur capita Regum, & Pontificum, quo etiam baptizatos Sacerdos ungit in vertice, ſicut eodem Pontifex per impoſitionem manus confirmandos ungit in fronte. In Chriſmate verò principaliter Spiritus Paraclitus datur. Undè & per abundantiam gratiæ duos liquores mixtos habet, oleum, & Balſamum: oleum conſcientiæ; Balſamum famæ: oleum, quo intus conſcientia perungitur; Balſamum, cuius odore foris proximi reſperguntur: oleum intus ad pacem cum Deo: Balſamum foris ad exemplum cum proximo.

Habuit igitur Beatiſſima Virgo non ſolum intùs ſanctitatem ad conſcientiam, ſed & foris ſanctitatis opinionem ad famam. Novit enim quod quemadmodum quidam ait:

Criminis eſt, formam componere, ſpernere famam.

Novit, quod *melius eſt nomen bonum, quàm unguenta pretioſa. Eccl.* 7. Novit quod *memoria iuſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet. Prov.* 10. Novit ſecundum Apoſtolum, quod *Chriſti bonus odor eſt in omni loco* 2. *Corinth.* 2. Verè ergo ut Viola odorifera fuit, cuius odor non tantum homines reſperſit, ſed & Angelos in admirationem ſui convertit. Verè odorifera fuit, cuius odor non ſolum terram, ſed & Cœlum implevit.

18 Omnis denique Viola naturaliter caput, ideſt, floſculum ſuum ad ima deflectit, ac per hoc humilitatem convenienter exprimit. Quam virtutem in Beata Maria excellenter fuiſse quis dubitet? Cum enim ab Angelo pronunciaretur Mater Dei, & per hoc verè Domina mundi, & Regina Cœli, humiliter reſpondit. *Ecce Ancilla Domini*. Verè ergò & in hac Viola fuit, quod verè caput ad ima deflexit, dum in eo quod maior extitit, ſemetipſam amplius humiliavit, eligens non alta de ſe ſapere, ſed magis humilibus conſentire. Habebat quippè jam ſcriptum in corde ſuo, quod *omnis qui ſe humiliat, exaltabitur: & qui ſe exaltat, humiliabitur. Luc.* 14. Et illud *Prov.* 16. *Antè ruinam exaltatur ſpiritus, & ante gloriam humiliabitur*.

19 Rectè ergò Beata *Maria* ſecundum omnia, quæ ſuprà dicta ſunt, Viola fuit, dum omnia, quæ myſticè ſunt dicta, veraciter exercuit. Et nos chariſſimi, nos inquam Viola ſimus, nos Beatam Virginem imitemur quantum valemus. Simus quaſi naturaliter frigidi per incendii carnalis extinctionem, ſimus virides per iuſtitiæ inchoationem, & per ipſius perpetuitatem, vel cœleſtium bonorum ſpem immarceſcibilem, & expectationem. Simus purpurei nos metipſos benè regendo. Odoriferi apud omnes nomen bonum obtinendo: caput ad ima deponamus, de nobis humillima ſemper ſentiendo. Conformemur Beatæ Virgini prò viribus in ſanctitate, ut conſortes illi fieri mereamur in beatitudine. Hactenùs ille.

20 Sed nec deficit alter ex Patribus, ſcilicet Albertus Magnus, qui *lib.* 12. *de laudib. B. Mariæ c.* 4. *num.* 34. exponit in Deipara Violæ dotes, dicens. *Maria*, Viola. Undè dicit cum Filio *Cant.* 2. *Ego flos campi*: qui propriè eſt *Viola*, ſicut quidam dicunt. Secundum Iſidorum dicitur *à vi odoris*, cuius flos antè omnes alios flores apparens, ſerenitatem temporis venientem deſignat: quia naſcitur incipiente tempore vernali. Similiter *Maria*, quæ prima (inter mulieres) votum emiſit perpetuæ virginitatis, quaſi in principio naſcentis Eccleſiæ apparuit, & in tempore vernali, quando omnia terræ naſcentia quodammodo innovantur. Nam ab ipſa incœpit reparatio mundi; & poſtea Ipſa purpurata eſt in Filii paſſione, cuius dolor ei pro martyrio computatur, quod in purpura figuratur.

21 *Maria* Viola: quia Viola flos parvulus per humilitatem.

Inclinis per obedientiam.

Terræ adhærens, ideſt, terrenis peccatoribus per compaſſionem, pietatem, & affectum miſericordiæ.

Subtilis, & ſuavis odoris, per ſuaveolentem opinionem, Deum, Angelos, & homines delectantem. Ideò propter *vim odoris* dicitur *Viola*.

Temperatæ complexionis per omnimodam modeſtiam, quando regebatur omni moderamine rationis.

Purpurei, aerei, & hyacinthini coloris, & etiam lividi. Purpurei: quia Regi Regum conveniens. Purpura enim Regibus convenit. Vel purpurei per martyrium animæ: quià ſanguis, quo ſignatur martyrium purpurei coloris eſt.

Hyacinthini, qui color cœleſtis eſt: quia converſatio eius erat in Cœlis. *Philip.* 3.

Aerei, ratione ſuæ contemplationis: Cœlos enim attingebat ſtans in terra. *Sap.* 18.

Lividi: quia mente compaſſa eſt Filio patienti. Undè dicit *Cant.* 1. *Fuſca ſum, quia decoloravit me Sol*: ideſt, Filius meus mortis eclypſim patiens.

22 Ardores febrium reprimit, ideſt vitiorum tentantium, maximè in familiaribus ſuis. Ardor, tentatio carnis, vel iracundia mentis: frigus, avaritia, pigritia, ignavia, torpor, & deſperatio.

Noxios, & corruptos purgat humores: quia orationibus, & exemplis ſuis malos eliminat, & egregios format mores.

Deſiccata, & arida membra humectat: quia amatoribus ſuis, devotionis, & charitatis pinguedinem ſubminiſtrat.

Ex ea componitur Syrupus violaceus: quia ſingulis ægritudinibus peccatorum medicinalis eſt interceſſio eius. Hæc Albertus Magnus.

§. V.

Per Arborem vitæ iure optimo Beatiſſimam Virginem deſignari.

23 NEminem arbitror ignorare Beatam Virginem *Mariam* Paradiſum eſſe deliciarum. Nam ſicut dicitur *Geneſ.* 2. *Plantaverat Dominus Deus Paradiſum voluptatis*, ideſt, *Mariam à principio*, ideſt, in partibus Orientis, *in quo poſuit hominem, quem formaverat*: quià Deus in eius utero poſuit Chriſtum, quem operatione Spiritus Sancti formavit. In Paradiſo autem, inquit Iacobus de Voragine *ſerm.* 113. *de B. Virgine*, fuit diverſitas arborum. *Geneſ.* 2. *Produxit Dominus Deus omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave*. Iſta diverſitas arborum fuit in Maria, quæ dicit *Eccli.* 24. *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano, &c.* Ubi ponuntur ſex differentiæ arborum, quæ fuerunt in eà, ſcilicet Cedrus contemplationis excelſæ, Cypreſſus odoriferæ famæ, Palma glorioſæ victoriæ, Roſa patientiæ, Oliva miſericordiæ, & Platanus fidei perfectæ. Platanus enim dicitur habere folia ad modum ſcuti, & ſignificat fidem: ſivè quià ad modum ſcuti habet tres angulos, ideſt, tres principales articulos, quibus credit Sanctam Trinitatem. Sivè quia ad modum ſcuti defertur, & habetur in læva, ideſt, in præſenti vità, non in dextera, ideſt, in beatitudine æternà, quia hìc eſt fides, & ſpes. Sivè quià fides eſt nobis ſcutum contrà diaboli tentamenta. *Epheſ.* 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei.* Non tantum in Paradiſo erat diverſitas arborum, ſed maximè ibi fuit lignum vitæ, ideſt, in medio Paradiſi. De quo ſic dicit Auguſtinus. Virgo *Maria* Paradiſus dicitur, in cuius medio lignum vitæ, cuius foliis ſanantur infirmi, cuius odor vivificat mortuos, cuius ſapor dulcorat amaros, cuius umbra refrigerat miſeros, cuius aſpectus lætificat Angelos.

24 Sed Alberto Magno placuit *lib.* 12. *de laudib. B. Mariæ c.* 6. *num.* 4. per lignum, ſivè arborem vitæ ſitam in medio Paradiſi Deiparam intelligere, quæ Chriſtum fructum vitæ produxit. Undè ait. Lignum eſt Beata Virgo, cuius fructus, ideſt, Chriſtus vita eſt. *Ioan.* 14. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Vita gratiæ in præſenti, vita gloriæ in futuro. In medio Paradiſi terreſtris, ſcilicet Eccleſiæ militantis, vel in medio Paradiſi Cœleſtis, ideſt, Eccleſiæ triumphantis.

In medio tripliciter. Primò in medio propter communitatem: quià Beata Virgo communiter omnibus fructificavit Chriſtum, ſcilicet Angelis, hominibus detentis in limbo, præteritis, præſentibus, & futuris. Ad hoc ſignandum peperit in via, in domo communi, vel ſtabulo. Et etiam fructum ſuum adhuc tenerrimum quadrageſimo die detulit ad templum, quo totus conveniebat mundus, quaſi de ipſo totum mundum volens mittere in poſſeſſionem, & ad opus totius mundi ſuſcepit eum Simeon in ulnas ſuas. Sciebat nanque Mater de fructu ſuo prædixiſſe *Eſa.* 9. quaſi in perſona totius mundi: *Puer natus eſt nobis* inquantum homo, *& filius datus eſt nobis* inquantum Deus.

25 Vel in medio Paradiſi: quia neminem à ſuà benignitate excludit. Nam omnibus omnia facta eſt, ut quantum in ſe eſt, lucrifaciat univerſos. 1. *Corinth.* 9. dicens cum filio *Matth.* 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos* fructu meo. Quod ſignat eius imago tenens filium, quaſi omnibus offerens illum. Et quia deſcribitur hoc lignum eſſe in medio Paradiſi, ideò ſolet eius imago poni in medio Eccleſiæ iuxtà imaginem Crucifixi. Vel in medio; Chriſtus enim in ſummo, nos in imo: Ipſa verò quæ maior eſt omni homine, ſed minor ſolo Chriſto, bene deſcribitur eſſe in medio, quaſi communicans cum utroque extremorum, & tanquam noſtra ad filium mediatrix. Mater enim Chriſti per naturam, Mater eſt populi Chriſtiani per gratiam: undè & *diluculum* appellatur *Oſeæ* 6. quod nocti interponitur, & diei. Item alia ratio. Sicut enim lignum vitæ viridius erat cæteris lignis, ſic *Maria* ſanctior cæteris Sanctis: quià vigor deſignat ſanctitatem. Non enim ad menſuram data eſt ei gratia, ſed ſuperexcellenter datum eſt ei totum quidquid puræ dari potuit creaturæ. Et his paucis innuiſſe ſufficiat benè *Mariam* dici arborem vitæ.

CAP. IV.

Alter vegetabilium Quinarius perfectiones Dei Matris commendat.

1 PLanè inter ſe vegetabiles Creaturæ certare videntur in compoſitione Nominis *Mariæ*, & in ipſius exprimendis perfectionibus. Et quid in rebus creatis eſt, quod non conetur ſuo modo laudare *Mariam*, per quam omnia creata ſunt reparata, dum eorum Creatorem edidit, & Reparatorem? Non moror igitur etiam hoc quartum certamen deſcribere, in literis enim Virginei Nominis alii quinque certatores inveniuntur, qui novis laudibus affectant Deiparam cumulare. Inde enim *Maria* in ſui Nominis elementis eſt,

M yrtus.
A maranthus.
R hamnus.
I nceſaria.
A rundo.

O pulchram decertantium pugnam in qua nullus vinci vult, aut ſuperari! Sed jam de ſingulis agamus.

§. I.

In Myrto mirabiliter adumbratur Beata Virgo.

2 LEvinus Lemnius in *Explicat. Herbar. Biblic. c.* 39. ſingulares quaſdam Myrti proprietates, ac hieroglyphica, & uſum in pompis, atque triumphis deſcribit, dicens. Myrtus arbuſcula, aut potiùs apud nos frutex, & virgultum perpetuò virens, Veneri dicata eſt, ac ſacrata coniugio, in quo exigitur caſtitas, & concordia. Folia profert oleæ, aut liguſtro anguſtiora ſaturati viroris, baccas nigras Iunipero affines, ſapore vinoſo, ex quibus ut etiam ex molliſſimis eius foliis oleum exprimitur; quo Eſther delibuta Regi Aſſuero in matrimonium aſſumpta eſt. Conficitur etiam ex baccis vinum myrtites, quod pollet vi aſtrictoria, ac ſtomachum diſſolutum confortat. Id etiam ruptis, atque ex alto delapſis commodè exhibetur.

3 Huius arbuſti ramis Hebræos adornaſſe ædes ſuas, veſtibula in Enceniis, hoc eſt, ſolemnitate feſtorum, quæ celebrari ſolent ob templum poſt Perſarum exilium inſtauratum: in Scenopegiæ, hoc eſt, tabernaculorum feſto à figendis tabernaculis nomen ſortito Scriptura paſſim teſtatur. Sic Neemias urbis, ac templi, legiſque inſtaurator præcepit populo reduci ex captivitate, atque exilio in Ieruſalem, ut velut in publicà lætitià, ac triumpho conferant ſe in montes, ac Silvas, atque ex nemoribus adferant Olivæ, Cupreſſi, Citri, Palmarum, ac Myrti ramos, quo conficerent ex virenti fronde umbracula, paſſimque inter ſe exhilaſcerent, atque eſſent Geniales. Hic mos etiam Belgis vulgaris eſt, ſi quandò ſolemnis aliqua, annuaque pompa exhibetur, aut Regem, vel Principem inaugurari contingit, aut parta ex hoſtibus victorià, longaque obſidione liberata civitate, triumphus per vicos, ac compita agitur. Id etiam Troianos factitaſſe abſolutà longa urbis obſidione, pulſiſque (ut iis perſuaſum erat) Grecis, Virgilius teſtatur Æneid. 2.

Nos delubra Deùm miſeri, quibus ultimus eſſet
Ille dies, feſta velamus fronde per urbem.

4 Cæterum Eſaias (quem alias teſtati ſumus in illuſtrandis vaticiniis ſtirpes, herbaſque ſuis narrationibus accommodaſſe) illos pronunciat felices fore, omniaque illis ad proprietatem, ac ſucceſſum optabilem futura adiumento, qui Deo fidunt, eiuſque bonitati, & clementiæ innituntur, ità ut nihil incommodi ſit acceſſurum, adeò ut quæ nocitura videbantur, rebus mutatis, fructum non exiguum ſint allatura, quod ſic indicat *c.* 55. *Prò ſaliunca aſſurget abies* à proceritate dicta, & quod in ſublime abeat. *Pro urtica* mordaci, & comptempta herbà, *myrtus*, ſuavis, ſpecioſus, & odoratus frutex. Quo deſignat prò noxiis, infeſtiſque fruticibus, fœcundos, amabiles, ſalutares, frugiferos ſubſtituendos: hoc eſt, prò vitiis virtutes; prò ſervitute libertatem; prò exilio reditum, regreſſumque in Cœleſtem Patriam.

5 Rursùs cum ſe oſtendit non defuturum afflictis, ac deſperationi proximis, ſed in extremà calamitate, clade, anguſtiis ſubventurum, *Irrigabo*, inquit *Eſa.* 41. *ſcaturigine aquarum terram aridam, ac ſiticuloſam. Ponam in deſerto abietem, ulmum, cedrum, myrtum, cupreſſum, populnam in locis incultis, ac ſqualidis pinum, & buxum*, arbores quæ ſunt perenni virore, & quibus folia non defluunt. Quo Deus indicat ſe præter naturæ ordinem, præter ſpem, atque hominum opinionem, rebuſque deploratis adfuturum populo ſuo, ſicut in regione deſerta ſpecioſiſſimæ arbores ſe proferant, hoc eſt, hominum mentes jejunæ, ac ſiticuloſæ florentiſſima virtutum germina ſint allaturæ.

6 Ex quo Levinii diſcurſu inferimus *Mariam* eſſe lætiſſimam Myrtum, fauſtis auſpiciis bona quælibet promittentem, & in extremis anguſtiis, ac calamitatibus ſubvenientem, ſuæ bonitatis, ac clementiæ præſidio. Medicam myrtum per virtutem pietatis, aromaticam per famoſitatem, imputribilem per bonæ vitæ, ac perſeverantiæ longanimitatem, ac immarceſcibili perpetuæ virginitatis ſemper virore florentem. Ex ramis eius hilaritatis tabernacula, lętitiæque texuntur, quibus vel in exilio æternæ Patriæ amenitati pręluditur, quo denique qui ſtrenuè egerint, devictis vitiis, & ſeculo triumphato, de ſervitute ad libertatem, de miſerià ad beatitudinem pervenient.

7 Sed quàm egregiè Albertus Magnus *lib.* 12 *de laudib. B. Mariæ c.* 4. *num.* 39. Myrti virtutes, proprietates, & vim ægritudinum ſanativam in Dei Matre deſcribit. *Maria*, ille inquit, *Myrtus*. Quià *à mari* dicitur: quià litorea eſt arbor, vel herba. Undè Poeta:

Et amantes litora myrtæ.

Gręcè autem dicitur *Myrtena*: creſcit enim libenter in litoribus maris. *Maria* verò, quę interpretatur *mare amarum*, pervenit ad gloriam ſpiritualis martyrii, quandò amarè compaſſa eſt filio patienti, & ità crevit iuxtà mare.

8 Secundùm Phyſicos idonea multis neceſſitatibus mulierum. Et Beata Virgo cunctis neceſſitatibus fidelium animarum.

Reſtringit vomitum; quià orationibus, meritis, & exemplis coercet homines, & maximè ſibi devotos, nè ad vomitum redeant, ideſt, nè peccata reiterent, quæ confitendo evomuerant: quia ſic evomeret eos Chriſtus ex ore ſuo. *Apocal.* 3.

Reſtringit fluxum concupiſcentiarum, & deſiderium temporalium, & vomitum guloſitatis, qui ſequitur intemperantiam.

Membra feſſa, vel paralytica reparat, & conſolidat, iuxtà præceptum filii. *Eſa.* 35. *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate, &c.*

9 Dicitur habere virtutem repreſſivam libidinis, & propter hoc fabulantur Poetæ Myrtum eſſe arborem Veneri dicatam. Ideò benè *Maria*, & Sancti deſignantur per Myrtum, qui corruptionem luxuriæ priùs in ſe, & poſt in aliis perſequuntur.

Fa-

Facit dormire laborantes febre acutà: quià æſtuantes carnalibus deſideriis, vel terrenis concupiſcentiis refrigerat, eiſdem indulgens ſomnum, ideſt, quietem pectoris, virtutem caſtitatis, contemptum rei temporalis, ſabbatum, vel otium contemplationis.

Temperatæ complexionis, & ex eà fit potus myrtinus qui valet ad frangendum calculum: quia per partum ipſius confracta eſt idololatria; propter quod ei canitur: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti*. Et hoc ſignificatum eſt, quandò Ipsà ingrediente Ægyptum cum Filio, corruerunt ſimulachra Ægypti. *Eſa.* 19.

10 Brevis ſtaturæ per humilitatem: frigidæ naturæ per virginitatem.

Aromatica eſt. Nam Ipſa in his, qui ſalvi fiunt, eſt *odor vitæ in vitam.* 2. *Corinth.* 2.

Imputribilis, ſicut dicitur: quia ſinè invidià, & cupiditate temporalium, quæ putrefaciunt corda amatorum ſuorum.

Radicatur, & creſcit in profundo humilitatis, vilitatis, & abiectionis.

De hoc profundo dicitur *Zachar.* 1. *Vidi noctu*, ideſt, non benè manifeſta viſione, quæ erit in futuro. *Et eccè Vir*, ideſt, Chriſtus, *aſcendens ſuper equum rufum*. Equus caro Chriſti, quam benè rexit, coercens eam frœno temperantiæ, & urgens quaſi calcaribus, quæ ſignant duos adventus. Equus autem iſte fuit rufus; quia proprio ſanguine in cruce rubricatus. *Qui viſus eſt ſtare inter myrteta*, ideſt, inter viros iuſtos, paratus eos iuvare, ſicut Stephanus vidit eum ſtantem, ideſt, iuvare paratum, qui ſimiles ſunt myrto, id eſt, tranquilli in conſcientià. Et cęteras proprietates eis aſſigna. Et hi ſunt conſolatores Eccleſię.

Vel inter Conſolatores Eccleſię ſtat Chriſtus: quià talium conſortio delectatur, & tales conſolatur. Quæ erant *in profundo* humilitatis, & vilitatis, & abiectionis, ut dictum eſt. *Et poſt eum* per imitationem *Equi rufi*, ideſt, Martyres, qui expreſſiùs eius imitantur veſtigia. *Varii*, per virtutes, & bona opera decorati, & quo ad tales dicitur Eccleſia circundata varietatibus, vel propter varietatem tormentorum. *Et albi* per innocentiam, & caſtitatem. Hæc ille.

11 Unum ſupereſt addere ex Plinio *lib.* 15. *hiſt. natural. c.* 29. nimirùm Myrtum eſſe fruticem triumphalem, & victores in bello triumphalibus redimire coronis. Bellicis quoque, inquit, ſe rebus inſeruit, triumphanſque de Sabinis Poſthumius Tubertus in Conſulatu (qui primus omnium ovans ingreſſus urbem eſt, quoniam rem leviter ſinè cruore geſſerat) Myrto Veneris victricis coronatus inceſſit, optabilemque arborem etiam hoſtibus fecit. Hæc poſteà ovantium fuit corona, excepto Marco Craſſo, qui de fugitivis, & Spartaco laurea coronatus inceſſit. Maſſurius autor eſt, curru quoque triumphantes myrteà coronà uſos. Ità quoque & qui vitia, ſeculumque vicerunt, hoſtibus Orci, & mundi debellatis, à Dei Matre myrteo gloriæ ſerto coronantur.

§. II.

Quid ſignet Amaranthus in Beatà Virgine.

12 SEd quid Amaranthus? Nunquid & ipſe eſt in coronamentis? Et quidem meritò ait Plinius *lib.* 21. *hiſt. natural. c.* 8. Nam Amarantho non dubiè vincimur. Eſt autèm ſpica purpurea veriùs, quam flos aliquis, & ipſe ſinè odore. Mirumque in eo, gaudere decerpi, & lætius renaſci. Provenit Auguſto menſe. Durat in Autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus aſſervatur. Mirumque, poſtquam defecere cuncti flores, madefactus aquà reviviſcit, & hybernas coronas facit. Summa eius natura in nomine eſt, appellato, quoniam non marceſcat.

13 Pierius vero lib. 55. hieroglyphicorum tradit Amaranthum incorruptæ valetudinis ſymbolum, & eius uſum in corollis ad funera, & ſacrificia. Si quem, inquit, Ægyptii inoffenſa valetudine vixiſſe corporis, ad extremum uſque dignitate, viribuſque ſervatis, hieroglyphicè oſtendere voluiſſent, Amaranthi corollam capiti eius imponere mos erat.

Eſt autem Amaranthus ſpica purpurea veriùs, quàm flos aliquis, aſſervaturque decerpta, ac poſtquam defecère cuncti flores, madefactus aqua reviviſcit, & hybernas Coronas facit: ſummaque eius hæc natura nomen invenit ἀπὸ τῆς μημαραίνεσϑαι, ideſt, propterea quod *minimè marceſcat*, *Amaranthum* ſit appellatum.

Hinc Theſſali ad tumulum Achillis libamina, & expiationes quotannis Oraculi Diodonæi admonitione ferre iuſſi, cum omnia quæ ſacrificio ritè operando neceſſaria eſſent, ex ſolo patrio aſportare conſueſſent, duos quippè tauros, album unum, nigrum alterum, utrunque verò manſuetum: Silvam ex monte Pelio cæſam, ignem ex Theſſalia, molamque, & aquam ex Sperchio hauſtam: Coronas inſuper amaranthinas primi omnium excogitaverunt, eaſque ad Sacrum eiuſmodi ferri ſanxerunt, ut ſi fortè venti navem repuliſſent, aut alià quapiam de causa morà iniecta eſſet, Coronæ tamen neque flaccidæ, neque deformes ſuſpenderentur.

14 Et *Maria* immarceſcibilis Amaranthus, propter incorruptibilis privilegium virginitatis, quæ nullum unquam ſenſit aculeum libidinis. Et hoc Amarantho omnes ſivè homines, ſivè mulieres non dubiè vincuntur. Nam ſub Deo, & poſt Chriſtum, nulla alibi maior puritas, quàm in Virgine.

Si autem Amaranthus potiùs purpurea ſpica, quàm flos: & Ipſa illa eſt nè dùm purpurea, ſed & aurea ſpica, quæ Chriſtum generavit electorum frumentum.

Et verè Auguſto floruit menſe, cùm in Paradiſum aſſumpta. Durat autem in Autumum, ſcilicet in beatitudinis æternitatem, quę omni bonorum cumulo in ęternum fœcunda.

Præ cunctis Sanctorum floribus omni tempore viret, & ſi cuipiam fortè aruit per pecca-

catum, ſtatim compunctionis, & pœnitentiæ lachrymis madefacta ad ſalutem pœnitentis animæ reviréſcit.

Verè in ſuo funere Amaranthi corollis ornata, utpotè cui nunquam per defectum in bonis moribus, & ſanctæ vitæ converſatione marceſcere contigit: undè & ad eius tumulum Amaranthinæ corollæ ſuſpenſę, ut immarceſcibilem, & glorioſam animæ, & corporis teſtarentur immortalitatem: neque enim decebat, ut ea caro, cuius pars in Chriſto glorioſa, & immortalis reguabat in Cœlo, putreſceret in tumulo.

§. III.

Malæ Rhamni proprietates emendantur in Dei Matre.

15 RHamnum à Sacris Scriptoribus in malam partem interpretari notiſſimum eſt. Nam ex ſchemate ſuo, ſuiſque propriis qualitatibus talem ſeſe eſſe prodit. Rhamnus ſiquidem, ut ait Berchorius *lib.* 12. *Reduct. Moral. c.* 136. eſt arbor parva, & nodoſa, dura, ramoſa, & ſpinoſa, folia habet multa, ſpinis acutiſſimis circunſepta, & ideò manum ſolet lędere contingentis, & pedes pungere conculcantis. Ramos habet multos, in quibus ſunt aculei circunquaque: in ſuo principio folia habet mollia, & ſpinas parum pungitivas, ſed quantò plùs creſcit, & ſeneſcit, tantò in acutiorem aculeum indureſcit, ſecundùm Plinium.

Ex qua deſcriptione, tyrannidis, rapinæ, impatientię, contumelię, murmurationis, & detractionis, cędis, & nocumenti hieroglyphica deſumuntur. Impii enim, & Tyranni, & detractores, rapiunt, pungunt, lacerant, & cruentant, ſpinis avaritię, iniuriarum aculeis, ſentibus detractionis. Duri per obſtinationem, ſpinoſi per crudelitatem, aculeati per excoriationem. Qui quantò plùs vivunt, & antiquantur, eò ampliùs in ipſis durę vitiorum ſpinę efficiuntur, & acutę.

16 Unum etiam addam ex Berchorio loc. cit. nimirùm quòd Rhamnus habet naturam igneam, ſicut tangit Magiſter hiſtor. ſuper *Iudic.* 9. ſecundùm Ioſephum. Nam propter nimiam eius ſiccitatem, folia, & rami ipſius quandò cadunt, & deſiccantur in calidis regionibus, ad fortem repercuſſionem Solis ignem pariunt, & emittunt, à quo tam ipſi, quam proximę Silvę, ſępius mirabiliter accenduntur, diſſipantur penitùs, & uruntur. Sic verè ſunt furibundi, iracundi, & impatientes, qui verè ignem iracundię, impatientię, crudelitatis, & rapinę de facili pariunt, & emittunt, quià quando ſunt in calida regione, ideſt, in ſtatu proſperitatis, & ęſtu, ideſt, fervore avaritię inſtigantur, tunc verè ex ſe emittunt ignem, ideſt, verba, & opera crudelia, raptoria, atque dura, intantum quòd prò certo arbores circunſtantes, ideſt, ſui ſocii, & vicini per eos exuruntur, & deſtruuntur per iniurias, exhęredationes, & ſimilia, de quibus *Pſal.* 55. *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos.*

16 Sed Beata Virgo Rhamnus ex oppoſito in meliorem, & optimam partem.

Ipſa ſiquidem arbor parva per humilitatem.

Spinoſa per pœnitentię auſteritatem.

Dura per conſtantię firmitatem.

Ramoſa per bonarum affectionum multiplicitatem.

De facili inflammabilis per cœleſtia deſideria, & charitatem. Vel devotis piorum precibus faciliter ad ferendum ſubſidium inflammatur.

Prudentię verbis tanquam foliis ornata.

In omnibus cautelæ ſpinis munita, & aculeata.

Vel innatæ beneficientiæ aculeis, & ſtimulis circunſepta.

Mollis, & dura. Mollis per teneritudinem compaſſionis. Dura per duritiem patientiæ, & fortitudinis.

Nodoſa per virtutum multiplicitatem.

17 *Maria* Rhamnus aculeata. Quia ſerpentis caput, ideſt, peccati punxit, & cruentavit.

Quià prædas, & ſpolia animarum de manibus raptoris tulit.

Quià inſpirationum aculeis homines rapit, & ad Dei incendit amorem.

Quià ignem charitatis emittit, quo ſibi vicinos, & magis devotos ad opera virtutum inflammat.

Et ideò benè ſignatur per Rhamnum *Iudic.* 9. quam ligna petierunt in Regem. *Dixerunt omnia ligna ad Rhamnum: Veni, & impera ſuper nos: Quæ reſpondit eis: ſi verè me Regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite.* Quià omnes, qui ſub Mariæ regimine, & principatu ſe ſe flexibili obſequio regendos offerunt, ſecuri ſub umbra illius requieſcunt.

§. IV.

Præclarum in Incenſarià habetur Beatæ Virginis hieroglyphicum.

18 IUxtà Dioſcoridem, ut habetur in horto Sanitatis Tract. de herbis c. 233. Incenſaria eſt herba, facta ſicut Arnogloſſa: ſed aſpera, & ſuper terram ſpanſa: cuius odor eſt ſicut odor thuris: habens in coſtis aliqualem piloſitatem, & albedinem ſicut Enula. Et folia habent formam aliqualiter cordis naſcentia. Deſiccat humiditatem pectoris, & conſortat nervos.

19 Cui autem magis congruit nomen, & virtus huius herbæ, quam Beatæ Virgini? Herbam enim Incenſariam non incongruè Ipſam poſſumus appellare, longè, latèque odoratam: & cœleſtem dixerim potiùs Incendiariam, cuius faces, lampades ignis, atque flammarum, charitatis Dei ſcilicet, & dilectionis quibus Orbem accenderet, & incenderet univerſum.

Aſpera per auſteritatem vitæ.

Super terram expanſa per intimæ, & profundæ humilitatis affectum, & veritatem.

Eius

Eius odor ſicut odor thuris per orationem ſuaviter olentem. Vel per ſuaviſſimum ex omnibus virtutibus thimiama.

Per lanuginem in coſtis intellige ſummam cuſtodiam virginitatis, quæ per albedinem deſignatur.

Per folia verò naſcentia, quæ formam cordis habent, in quo eſt naturalis vitæ principium, intellige, quod omnes eius actiones procedebant à gratià, in qua eſt ſupernaturalis vitæ principium.

Denique pectoris humiditatem exſiccat, & roborat nervos, quià in devotis ſuis cupiditatem terrenorum deſiccat, & virtutum nervos confortat.

§. V.

Arundinis mirabilia in Dei Matre verificantur.

20 POſſet quis meritò dicere, arundinis hieroglyphicum nequaquam Deiparæ convenire. Eſt enim arundo iuxtà Ioannem à S. Geminiano *lib.* 3. *de Vegetabilib. & Plantis c.* 32. hypocritæ Symbolum.

Primò quià arundo in arena radicatur: quia ſcilicet hypocrita radicem amoris habet in terrenis. Illud enim, quod in arena plantatum eſt, vel fundatum, tria timet, ſcilicet ventum, pluviam, & flumen, ut habetur *Matth.* 6. Per ventum, qui ab aere procedit, & venit, intelligitur tentatio dæmonis, qui in aere commoratur. Per pluviam, quæ de Cœlo deſcendit, intelligitur adverſitas, quæ à Deo venit. Per flumen quoque, quod per terram fluit, intelligitur perſecutio, quam Tyrannus infligit. Ex quo patet, quod ille eſt, ut arundo in arenà fundata, qui vel vento tentationis frangitur; vel in pluvia adverſitatis per impatientiam corrumpitur; vel flumine mundanæ perſecutionis eradicatur; quæ omnia contingunt hypocritis.

21 Secundò, quià arundo à vento agitatur. *Matth.* 11. *Sed quid exiſtis videre? Arundinem vento agitatam?* Sed hypocrita eſt inconſtans, quia modo vento adverſitatis inclinatur ad iracundiam, modo vento proſperitatis erigitur in ſuperbiam. *Eſa.* 1. *Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.*

Tertiò quià arundo medullæ plenitudine non ſolidatur. Undè eſt exterius pulchra, & interius vacua. Sic hypocrita non habet ſoliditatem, & plenitudinem interioris gratiæ, ſed ſolùm pulchritudinem exterioris apparentię. Undè Dominns dixit *Matth.* 2. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ.* Et poſt. *Vos quidem à foris apparetis hominibus iuſti.* Gregorius in Moralib. Quid eſt vita hypocritæ, niſi quædam viſio phantaſmatis, quæ hoc oſtendit in imagine, quod non habet in veritate?

Quartò, quia arundinis viriditas brevi tempore terminatur. Nam citò creſcit, & citò areſcit. Nam *arundo, ab ariditate* nomen accepit. Sic hypocritæ gloria parum durat. Citò enim creſcit, & citò decreſcit. *Iob.* 20. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.*

Quintò, quià arundini manus innitentis perforatur: quia ſcilicet hyporita decipit, & lædit adhærentem ſibi. *Eſa.* 36. *Eccè confidis ſuper baculum arundineum confractum.*

22 Prætereà Berchorius *lib.* 12. *Reduct. Moral. c.* 6. in arundine figurat fallacem mundi proſperitatem, & peccatorem, qui levior, & inconſtantior eſt, quàm arundo. De primo igitur inquit. *Arundo* dicitur *ab arendo*, ſecundùm Iſidorum, eò quod faciliter areſcat. Et eſt arundo levis, concava, nodoſa, ventis, & turbinibus cedens, & de facili manum lędens. Talis eſt mundana proſperitas, quæ verè de facili areſcit, deficit, atque perit. Hæc enim ventis tribulationum concutitur, & movetur: & eſt concava, vacua, atque vana, nullum præbens homini fulcimentum: quià de facili frangitur, & per multa mala deſideria, & peccata ſuum lędit, & vulnerat poſſeſſorem.

23 Figura *Eſa.* 36. ubi dicitur: *Confidis ſuper baculum arundineum Ægypti*, cui ſi homo innixus fuerit, confringetur, & perforabit manum eius. Sic verè Mundi proſperitas dicitur baculus: quia ſuper ipſam peccatores per confidentiam innituntur. Dicitur arundineus: quià bona eius faciliter confringuntur, ſicut patet de divitiis, deliciis, honoribus, fortitudine, ſapientia, &c. Dicitur baculus *Ægypti*, quod interpretatur *anguſtia*: quia verè mundi bona anguſtiæ comitantur. Et ideò benè dicit, quod quandò homo ei innititur, tunc frangitur: quià quando credit, ut proſperis utatur, tunc ei deficiunt: & ſic ſuos poſſeſſores decipit, & eos per ſolicitudinem vulnerat, atque lædit. *Ezechiel.* 29. *Fuiſti baculus arundineus filiis Iſrael, quem cum apprehendiſſent manu, confractus es.*

24 Et de ſecundo ſubdit. Vel dic, quod arundo eſt peccator, qui faciliter areſcit, ſcilicet à ſtatu, & virore gratię, & honeſtatis; & eſt vacuus ſcilicet ab omni bono; fragilis ſcilicet ad reſiſtendum vitiis, & peccatis; & facilis ad frangendum, ſcilicet per impatientiam; levis per inconſtantiam; & in paluſtribus, & mundi deliciis moratur per luxuriam; flatu etiam venti ſcilicet vanitatis, vel ſuperbiæ, vel adulationis faciliter commovetur per inconſtantiam. *Naves cum magnæ ſint, modico vento moventur. Iacob.* 3.

25 Quę cum ità ſe habeant, longiſſimè diſſita à *Mariæ* virtutibus arundo videtur, utpote cui nihil per ſimilitudinem ſit commune cum illà; verum ſi Plinii dictis *lib.* 16. *Hiſtor. natural. c.* 36. fidem damus; arundo & à natura, & ab arte multis mirabilibus eſt inſignita, quibus admirabiles Dei Matris virtutes adumbrari poſſe non dubitamus.

Nam inter ea, Plinius ait, quæ frigidis gaudent, & aquaticos frutices dixiſſe conveniat, Principatum in his tenebunt arundines, belli, paciſque experimentis neceſſariæ, atque etiam in deliciis gratæ. Teguloenim earum domus ſuas Septentrionales populi operiunt, durantque ęvis tecta alta. In reliquo verò Orbe, & cameras leviſſimè ſuſpendunt. Chartiſque ſerviunt calami Ægypti maximè, cognatione quadam papyri. Probatiores tamèn Gnidii, & qui in Aſià circà Anaiti-

ticum lacum naſcuntur. Noſtratibus fungoſior ſubeſt natura, cartilagine bibula, quæ cavo corpore intus ſupernè tenui inareſcit ligno; fiſſilis, præacuta ſemper acie, geniculata. Cætero gracilitas nodis diſtincta, levi faſtigio tenuatur in cacumina, craſſiore paniculo coma, neque hac ſupervacua. Aut enim prò plumà ſtrata cauponarum replet: aut ubi limoſiore callo induruit, ſicut in Belgis, contuſa, & interiecta navium commiſſuris ferruminat textus, glutino tenacior, rimiſque explendis fidelior pice.

26 Calamis Orientis populi bella conficiunt. Calamis ſpicula addunt irrevocabili hamo noxia. Mortem accelerant pinna addita calamis. Fitque & ex ipſo telum aliud fracto in vulneribus. His armis Solem ipſum obumbrant. Propter hoc maximè ſerenos dies optant. Odère ventos, & imbres, qui inter illos pacem eſſe cogunt. Ac ſi quis Æthiopas, Ægyptum, Arabas, Indos, Scythas, Bactros, Sarmatarum tot gentes, & Orientis, omniaque Parthorum regna diligentius computet, æqua fermè pars hominum in toto mundo calamis ſuperata degit. Præcipuus hic uſus in Cretà bellatores ſuos præcipitavit. Sed in hoc quoque, ut cæteris in rebus, vicit Italia: quandò nullis Sagittis aptior calamus, quam in Rheno Bononienſi amne, cui plurima ineſt medulla, ponduſque volucre, contrà flatus quoque pervicax libra. Quippe non eadem gratia Belgicis. Hæc & Creticis commendatioribus: quanquam præferantur Indi, quorum alia quibuſdam videtur natura, quando & haſtarum vicem præbent additis cuſpidibus. Hæc ille.

27 Sed ò qualem Te nobis, Virgo Beatiſſima, arundinem præſtas, belli, paciſque artibus utiliſſimam, atque etiam in deliciis chariſſimam, ac gratiſſimam! Tegulo enim protectionis tuæ operta animarum domicilia, in quibus per gratiam *habitat* Deus in præſenti, & in futuro per gloriam moraturus, ſempiternæ lætitiæ ævo perennabunt. Concamerationes quoque de virtutibus tuis mirè picturatas per meditationem devoti tui toto Orbe ſuſpendunt. Verùm tu eadem & calamus ſcriptorius & papyrus Ægyptia. Calamus quidem lingua tua à Spiritu Sancto ductus, membranæ autem viſcera tua, in quibus triti conchilii ardore, hoc eſt, puriſſimis ſanguinibus tuis, ſcripſit immenſum illum Patris Characterem, ſcilicet Dei filium humanitatis purpura ſuperveſtitum, & coloratum. Undè & in perſona tuà cecinit Vates: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Pſal.* 44.

Gracilitas, hoc eſt, humilitas tua pluribus graduum eiuſdem virtutis, aut reliquarum virtutum diſtincta nodis.

Comis verò vel tanquam plumis molliora ſtrata familiaribus tuis præparas quietis ſcilicet, & ocii contemplationis, in quibus poſt activæ vitę labores dulciter cubent, & requieſcant. Vel tanquam capillamentis navium rimas imples, & commiſſuras: hoc eſt in fidelium animis aditum tentationibus intercludis, tenaci tuæ charitatis glutino, atque fidelitatis pice.

28 Sed quid in pugnis, & præliis? Sagitarii ſunt *Mariæ* calami, & haſtæ bellicæ. De quibus Vates prophetaſſe videtur: *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. Abac.* 3. Fulgeſcit Sagittarius *Mariæ* calamus, fulgurat arundinea, & prœliaris haſta. Calamis ſuis Orientales populi, hoc eſt, Chriſti fideles, qui in oriente gratiæ degunt, contra viſibiles, & inviſibiles hoſtes, nempè mundum, carnem, & diabolum, bella conficiunt. His armis mundanæ gloriæ ſolem obumbrant. His ſagittis mundum proſternunt, diabolum vulnerant, & debellatam carnem ſub iugo ſubiectionis mittunt. His Calamis Gentilitas ſubacta, dum ad cognitionem, & cultum Chriſti, qui de Virgine Matre natus, eſt converſa. His haſtis arundineis hæreticorum orbis ſuperatus, dum Beata Virgo cunctas hæreſes interemit in Univerſo.

29 Nec tantum bellica arundo, ſed & tibialis calamus ad iucundiſſimam ſoni modulationem. Nam ut Plinius loco ſupra citato. De Orchomenii, inquit, lacus arundinetis accuratius dici cogit admiratio antiqua. Characiam vocabant craſſiorem, firmioremque, plotiam verò ſubtiliorem, hanc in inſulis fluitantibus natam, illam in ripis expatiantis lacus. Tertia arundo eſt tibialis calami, quem auleticon dicebant. Nono hic anno naſcebatur. Nam & lacus incrementa hoc temporis ſpatio ſervabat, prodigioſus ſi quandò amplitudinem biennio extendiſſet: quod notatum apud Chæroniam infauſto Athenienſium prælio, & apud Lebadiam ſæpè notatur influente Cephiſo. Cum igitur anno permanſerit inundatio, proficiunt in aucupatoriam quoque amplitudinem: vocabantur Zeugitæ. Contrà bombyciæ maturiùs reciproco, graciles, fœminarum latiore folio, atque candidiore, modica lanugine, aut omnino nulla, Spadonum nomine inſignibus. Hinc erant armamenta ad incluſos cantus, non ſilendo, & reliquo curæ miraculo, ut venia ſit argento iam potius cani. Cœdi ſolebant tempeſtivè uſque ad Antigenem tibicinem, cùm adhuc ſimplici muſica uterentur, ſub Arcturo: ſic præparatæ aliquot poſt annos utiles eſſe incipiebant. Tunc quoque multa domandæ exercitatione, & canere tibiæ ipſæ docendæ, comprimentibus ſe ligulis, quod erat illis theatrorum moribus utilius. Poſtquam varietas acceſſit, & cantus quoque luxuria, cædi antè ſolſtitia cœptæ, & fieri utiles in trimatu, apertioribus earum ligulis ad flectendos ſonos: quæ inde ſunt & hodie, &c. Ità ille.

30 Sed verius *Maria* tibialis arundo. De lacu, aut de mari gratiarum exorta. Prodigioſus quidem lacus, quià omnium incremento gratiarum adauctus. Et muſica arundo in hoc fluitabat lacu, quià *Maria* receptaculum gratiarum. Tibialis calamus ſeptem diſcriminibus vocum diſtinctus, quia ſeptenario donorum Spiritus Sancti compactus. Non Canere hæc tibia docenda fuit, quia Sancti Spiritus impleta magiſterio ſuaviſſimum edidit ſonum, quo Deum, & totam lætificavit creatam naturam, cum filium Dei conceptura, aſſentiendo Angelicę legationi reſpondit, & dixit: *Eccè Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Luc.* 1. Ut in hos vocem ſuam flecteret

cteret ſonos Mariæ calamus tibialis, expectabat, invitabat ipſe Deus, redempturus genus humanum, cùm dicebat *Cant.* 2. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* An non verè nos admiratio cogit exclamare, & dicere? Salve tibialis arundo, quæ tam ſuavem, ac dulcem modulata es harmoniam, ut Cœlos, & terras, Angelos, & homines, & quod maiùs eſt, ipſum rapueris Deum.

CAP. V.

Novi flores, & plantæ in Mariæ laudes ſe effundere gliſcunt.

1 PLaudunt, exultant herbæ, flores, & ligna, cùm laudare, aut Dei Matrem geſtiunt coronare. Si enim in terribili expectatione judicii futuri, teſte Davidico Vate, *Pſal.* 95. *Tunc exultabunt omnia ligna ſilvarum à facie Domini, quià venit: quoniam venit iudicare terram:* quantò magis in adventu miſericordis, & pacificæ Sunamitis, quæ non ad judicandum, ſed venit ad miſerendum, omnes arbores, herbas, & flores tripudiare fas eſt? Præclarum igitur, ferax, & odoriferum Mariæ Nomen germinat plantas, & flores, ut ex arboribus fructus ad guſtum, ex floribus ad olfactum habeamus odores. Hoc enim Nomen fructuum ſuavitate reficit palatum, & odorum fragrantià recreat odoratum. Undè ergò ex Parthenio Nomine hi novi flores, & plantæ? Ex ipſius procul dubio literis, quæ iuxtà ordinem ſuum diſpoſitæ ipſius Virginis Nomen efformant: eſt enim in ſuis literis *Maria*:

M orus.
A bies.
R oſa.
I ris.
A nemona.

Pulchra varietas, & diſpoſitio. Quidni igitur in ſingulis & pulchritudo venuſta, & varius ordo diſpoſitionis? Sic ergò de ſingulis agamus.

§. I.

In Moro Mariæ habetur Imago.

2 PLurimum quidem Alberto Magno debemus, qui integrum volumen de laudibus Beatæ Virginis ſcripſit, undè poſſumus noſtras paginas adornare, & coronariis Reginam Cœli redimire præconiis. Nam quod attinet ad Mori ſimilitudinem cum Deiparà, eruditis literis tradit *lib.* 12. *c.* 6. §. 24. dicens. *Morus* quæ ſecundùm Iſidorum, ſic vocatur à Græcis, ſed à Latinis *rubus*: eò quod fructus eius, vel virgultum *rubet*. Fructus facit ſilveſtres, quibus fames Paſtorum in deſertis confovetur. Folia eius ſuperiecta ſerpenti, ipſum dicuntur interimere. Fructus Mori, qui Chriſtus eſt, tricolor: quià primò viret, ſecundò rubet, tertiò nigreſcit, maturus dulceſcit. Vel etiam ipſa *Maria*, quæ poteſt comparari moro fructui, viridis ſanctitate, candida virginitate, rubea paſſione, vel compaſſione, nigra, ideſt, deſpecta quò ad filium in paſſione. Vel etiam Chriſtus fuit niger in ſepulturà, quandò *non erat ei ſpecies, neque decor. Eſa.* 53. Vel quò ad Matrem, quando reputabatur corrupta. Undè dicit: *Nigra ſum, ſed formoſa. Cant.* 2. Vel in paſſione filii fuit *Maria* nigra, quandò cum decolorato decolorabatur Mater, & obſcurabatur cum obſcurato.

3 De foliis mori dicuntur paſci quidam vermes, qui faciunt ſericum, ideſt, conſcientiæ humilium, qui doctrinà, & exemplis *Mariæ* in præſenti ſibi veſtem contexunt nuptialem. Item folia, ideſt, verba, & orationes *Mariæ* occidunt in ſuis amatoribus ſerpentes vitiorum, & annihilant ſerpentes, ideſt, venenatas perſuaſiones dęmonum. Et nota, quod morus Chriſtus, morus Crux, morus *Maria*, quorum verba occidunt diabolum.

4 Moraliter. Candor mori fructus, innocentia: viror, fides: groſſities, ſpes: rubor, charitas: maturitas, perſeverantia: nigredo, humilitas, conſummans omne bonum, quià contemnens ſeipſum. Vel mortis deſiderium. Undè *Philip.* 1. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Collectio, mors corporalis: mortua enim corpora nigreſcere ſolent, & morum colligitur quandò nigreſcit.

5 Pulchrè igitur *Maria* dicitur *Morus*, quæ fructum produxit Chriſtum, cuius corpus ad mundi redemptionem fuit ligno Crucis affixum. Etenim, ut inquit Joannes à S. Geminiano *lib.* 3 *de Vegetabil. & Plantis c.* 49. Fructus mori primò albet, deinde viret, tertiò rubet, ultimò nigreſcit, & lucet. Sic corpus Chriſti fuit album, ideſt, purum, & candidum in conceptione, quià de Spiritu Sancto conceptum: poſteà viride, ideſt, virtuoſum in converſatione, uſque ad paſſionem: poſteà rubrum, ideſt, ſanguine rubricatum in paſſione: nigrum in morte, lucidum autèm in reſurrectione. Et nota, quod ex fructu mori, ut dicit Rabanus, fit potus nobilis, quem elephantes potantes fiunt animoſiores ad bellum. Unde dicitur 1. *Machab.* 6. quod oſtenderunt Elephantis ſanguinem uvæ, & mori, ad acuendum eos in prœlium. Iſte potus eſt ſanguis Chriſti, qui per modum potus in Sacramento ſumitur ad ipſam paſſionem rememorandum. Undè iſte ſanguis, ſivè rememoratio debet multùm accendere cor noſtrum, & animare ad bellandum contrà vitia, & ad tolerandum quęcunque pericula.

6 Secundò ratione ſeminum, quià ſecundùm Dioſcoridem ſeminum mori ſunt tres virtutes, ſolutiva ſcilicet, & purgativa, & fœcundativa. Semina mori, ideſt, paſſionis Chriſti nobis relicta, ſunt Eccleſiæ Sacramenta: quià ſicut virtus mori remanet, & ſervatur in ſeminibus: ità virtus paſſionis Chriſti remanſit, & ſervatur in Sacramentis: unde Sacramenta omnia operantur in virtute paſſionis Chriſti. Et iſta ſunt ſemina, ex quibus plantæ ſpirituales, ideſt, filii Dei regenerantur, ſicut præcipuè patet in Sanctis. Omniaque hæc ſemina, ideſt, Sacramenta habent virtutem purgativam mentis, quià omnia con-

conferunt gratiam, & gratia ſanctificat animam. Sed aliquod Sacramentum ſpecialiter purgat ab originali, ut baptiſmus: aliquod ab actuali mortali, ut pœnitentia: omnia alia purgant à veniali, licèt etiam habeant maiores alios effectus.

7 Tertiò ratione frondium, nam ſicut dicit Ambroſius, folia mori ſuperiecta ſerpenti, ipſum interimunt. Folia mori ſunt exempla Crucifixi, quę omnem ſerpentem, ideſt, diaboli ſuggeſtionem interimunt. Nam ſi tentat de avaritià, conſidera Chriſti Crucifixi paupertatem, & nuditatem. Si de ſuperbià, obiice eius humilitatem. Si de luxurià, penſa pœnarum corporis eius acerbitatem: & ſic extinguetur omnis tentatio. Et hoc figuratum fuit in ſerpente æneo, in deſerto exaltato, cuius aſpectus à venenoſis ſerpentum morſibus liberabat. *Numer.* 21.

§. *II.*

Quid particulariter ſignet Abies in Beata Virgine.

8 Dicimus per Abietem deſignari in Beata Virgine excellentiſſimam ſpiritus paupertatem. Abies ſiquidem ſublimiter augmentatur, unde ſecundum Iſidorum dicitur *abies ab eundo*, eò quod præ cæteris arboribus in altum eundo porrigitur. Eſt enim expers terreſtris humoris, & ideò arbor eſt levis. Undè ſecundùm Ariſtotelem quia arbor eſt ſubtilis humoris, ideò calor eius naturalis, fortificatus à calore Solis, humiditatem illam ſursùm trahit, & convertens illam in ſubſtantiam arboris, arborem altam facit. Et ſimiliter Beata Virgo, quia pauper erat ſpiritu, & expers terreni amoris, qui animam gravat, efficiebatur ſpiritualiter levis ad aſcendendum, & ſubtilis ad contemplandum: unde divino amore confortata, & ſursùm tracta, miro modo creſcebat, & exurgebat in altum. *Geneſ.* 32. *Creſcere me fecit Deus in terrà paupertatis meæ.* Pertingit enim paupertas ſpiritus uſque ad regnum Cęlorum. *Matth.* 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum.* Undè *Eſa.* 55. *Prò ſaliunca aſcendet abies.*

9 Secundò, quià abies rectilinealiter elevatur. Eſt enim arbor nihil quaſi habens tortuoſitatis, & hoc propter virtutem caloris attrahentis, & humoris obedientis. *Sic & Maria* pauper ſpiritu, recto itinere ad Cęlum tendebat, ità quod in nullam partem retorquebatur, ſcilicet neque ad dexteram proſperitatis, neque ad ſiniſtram adverſitatis, quià ex quo mundum contemnebat, nec eius adverſa metuebat, nec proſpera quærebat. Nam calor divini amoris eam ad ſuperna trahebat, cuius attractioni animus eius, quia nullum terrenum habebat affectum, non reſiſtebat, immò ſequebatur, & obediebat: & ideò directo ſpiritu ſurſum tendebat. Undè Chryſoſtomus in *Epiſt. ad Hebr.* dicit, quod paupertas eſt manuductrix quædam in via, quæ ducit ad Cęlum, unctio autentica, exercitatio quędam magna, & admirabilis, & portus tranquillus.

Tertiò, quia Abies eſt faciliter inflammabilis. Nã quià eius humiditas unctuoſa eſt, igni applicata faciliùs inflammatur. Sic quoque Deipara pauper ſpiritu habebat humiditatem unctuoſam, ideſt, affectionem mentis devotam. Et ideò igni Spiritus Sancti applicata, ſtatim fuit inflammata, ſecundùm illud *Pſal.* 104. *Eloquium Domini inflammavit eam.* Vel etiam quià pia, & compatiens, igne alienæ miſeriæ, & tribulationis, per flammam interioris compaſſionis inflammatur ad præſtandum miſeris auxilium. Plura etiam videre poteris Tom. 1. de Interpretatione verbo *Abies.*

§. *III.*

Pulcherrimum in Roſa oſtenditur Mariæ hieroglyphicum.

10 IAmdudum viſendi in paginis noſtris pulcherrimum florem deſiderio tenebar, Roſam ſcilicet, quà nullus flos elegantior, nullus pulchrior, atq; venuſtior. Ades tandem aſpectibus noſtris trabeata florum Regina, luteis apicibus, tãquàm aureo diademate coronata. Te lenes Zephyrorum flatus, aulici nempè obſequentes adorant. Tibi florũ Ephębi deſerviunt venuſtiſſimi, Te ſuſurrantes Aurarum Domicellæ comitantur, Te aculeati circunſtant, & præcedunt Apparitores. Regali nimirum undequaque rutilas fronte, regià fulges maieſtate, regio denique inclyta apparatu.

11 Undè recitaverim præconia Roſæ? Roſa quidem, ait Alapide in *Eccli. c.* 24. eſt Regina florum, & Veris purpura: candidat enim ut adamas, rubet ut pyropus. Ad hæc odoris eſt ſuaviſſimi, & in cibis, ac medicinis ſana æquè, ac ſapida, tàm ſapore, quàm vigore cæteris floribus antecellit: undè ex roſis diſtillatur aqua roſacea, quę aciem oculorum clarificat, & dolores mitigat. Quocircà Roſa ſcarabæum à ſtercore, cui incubat, ſordentem, & fętentem, odore ſuo necat. Hinc & *Roſa* Græcè dicitur ῥόδος à ῥέειν, ideſt, *fluere*, quod odoris redundantià diffluat, ait Plutarchus. Talis eſt ſapientia, nimirùm puriſſima, odoratiſſima, & ſapidiſſima. Porrò Eucherius in *form. allegor.* ait Roſas eſſe hieroglyphicum Martyrii, Martyreſque coronari roſis, ob ruborem ſanguinis prò Chriſto effuſi. Rursùm, Roſa ſymbolum, & corona eſt Virginitatis, & Virginum.

12 Audi Roſæ encomia ex Ioſepho Stephano in defenſione Roſarii Beatæ Virginis *c.* 3. Roſa apud Veteres lætitiæ, & pulchritudinis eſt ſignum, cùm inter flores omnes ſola purpureo conſpicua colore reſplendeat, & toto rubentium, rutilantiumque foliorum orbe pandatur. Sappho, apud Achillem Tacium, eam florum Reginam, terræ ornamentum, plantarum decus, oculum florum, prati ruborem, pulchritudinem coruſcantem, terræ riſum appellavit. Roſis verò Muſas coronari ſolitas eadem Sappho cecinit, ut *lib.* 1. *Pedagog. c.* 8. Clemens Alexandrinus eſt auctor.

13 Anacreon vetus Poeta, qui in Roſæ encomiis maximam operam, & ſtudium contulit, ità eam laudibus proſecutus eſt.

Fo-

Foliis Roſa decoris,
Roſa ſingularis, ò flos,
Roſa prima cura Veris,
Roſa Cœlitum voluptas,
Charitum choros frequentans.

Et paulo poſt:

Cum Vere Patre florum,
Socianda laus Roſarum,
Roſa flos, odorque Divûm,
Roſa hominum voluptas,
Decus illa Gratiarum.

14 Olim enim Gratiis ſacram fuiſſe Roſam, ob inſignem floris elegantiam, auctor eſt Pauſanias *lib.* 6. cum eius Venuſtas, & καλλίφολος, ut loquitur Anacreon, ideſt, *foliorum decor*, & *ornatus*, ipſammet vivam imaginem pulchritudinis exprimat. Aurora quoque, quæ aureo vultu ſplendentem Solis faciem reducit, quæ mundum novo pingit lumine, & rutilanti lucis flore ſpargit omnia, ab antiquis auctoribus *Dea Roſea*, ab Anacreonte ῥοδοδάκτυλος, ideſt, *roſeis digitis decora* nuncupatur. Prætereà veteres Poetæ quamprimum Minervam è capite Iovis prodiiſſe fingunt, ſtatim nobilem Roſarum ſtirpem editam, Matriſque ſinu exceptam fabulantur. Conſtantinus Cæſar *lib.* 11. de Agriculturà *c.* 18. Ut Roſæ ſuavitatem exprimeret, è divino nectare in terram effuſo eam emanaſſe teſtatur. Hæc Ioſephus Stephanus.

15 Sed ad quid ego encomia Roſæ ex aliis colligere ſatago? Nunquid omnia Elogia Roſæ ex una omnium pulcherrimà, & venuſtiſſimà ſatis habentur? Ipſa eſt Deipara roſarum omnium fragrantiſſima, & ſpecioſiſſima, de quà *Eccli.* 24. *Quaſi plantatio Roſæ in Iericho.* Nam, ut ibi interpretatur A Lapide, Roſa in Iericho eſt Beata Virgo in ſublunari hoc Orbe (*Iericho* enim Hebraicè *Lunam* vel *odorem* notat) omnia enim encomia Roſæ jam data, multò aptiùs conveniunt Beatæ Virgini, quæ ornatiſſima ſuà pulchrtudine, & dignitate omnem mundi ſplendorem vincit. Ipſa enim eſt aurea Roſa, virtutum gratia ſimul pulcherrima, & uberrima, æquè ac ſplendidiſſima, ac fulgentiſſima, quæ umbris depulſis novum lumen edidit mundo. Ipſa eſt, quæ poſt longam peccati triſtiæ, & deſolationis hyemem enata, novum Ver gratiæ, lucis, & conſolationis attulit mundo.

16 Quocircà in *Dominica Lætare*, quæ ſub Feſtum Annunciationis occurrere ſolet, Roſa à Pontifice Romano benedicitur, tanquam lætitiæ, gaudiique prænuncia (ut ait Innocentius III. Sermone hac de re edito) ut indè omnes agnoſcant novam prolem, & propagationis ſpiritalis ſobolem editam in Eccleſia, cum ſcilicet ipſa puriſſima Virgo lætitiæ, & exultationis florem, ornamentum humani generis, & totius Orbis Auctorem in ſe concepit, & corporavit. Inſuper, Roſa verecundiæ, & Virginitatis Inſigne, quam niſi Virginem Virginum denotat? Sanè Columella *lib.* 10. Roſam florem pudicitiæ plenum nuncupat. Ad hæc, odorata eſt Roſa, & odore diffluit. Quis verò in Marià virtutum omnium quaſi odoramentorum fluxum non ſentit? Quis eo non trahitur, & ſuavitate non allicitur? Quis in illius unguentorum odorem non percurrit? Etenim per eam maximum odorem notitiæ ſuę Chriſtus manifeſtat in omni loco (ut ait Paulus 2. *ad Corinth.* 2.) Divinitatis thymiama, amomum, muſcum, & omnem pigmentorum exquiſitam elegantiam effundit, & efflat, & quaſi balſamum aromatizans odorem ſuavitatis mittit, floribuſque Paradiſi, ut ait Sanctus Epiphanius, totum mundum exornat: Adeò ut meritò Roſa Iericho fuerit appellata. Hactenus ille.

17 Sed age. Delectemur, & recreemur in huius gratia Roſæ, in pulchritudinis ſuavitate, in odoris fragrantia, atque in eius elegantiæ vernanti decore. Pulchrè quidem, & eleganter Albertus Magnus *lib.* 12. *de laudib. Beatæ Mariæ c.* 4. per Roſam, quæ in Iericho ſata eſt, interpretatur *Mariam*, & Chriſtum. Nota, inquit, quod Chriſtus Roſa, *Maria* Roſa. De hac Roſa dicitur *Eccli.* 24. *Quaſi plantatio Roſæ in Iericho*: Ideſt, quædam planta Roſæ. *Iericho* interpretatur *Luna*; vel, ut quidam dicunt, *odor eius*: quià os cuiuslibet Chriſtiani debet eſſe aromaticum, laudes *Mariæ* reſonando, ſicut os aromaticum redditur, ſpecies aromaticas ruminando. Luna candida eſt, Roſa rubicunda: Roſa in Luna, rubor in candore. Plantatio ergò Roſę in Jericho, eſt in candore Virginitatis plantata affectio martyrii, & paſſionis. Ideò *Luc.* 1. dictum eſt eleganter: *Et nomen Virginis Maria.*

18 Dicitur, quod in Iericho creſcunt Roſæ ſpecioſiſſimæ habentes centum quinquaginta folia. Dicitur ergo *Maria* quaſi Roſa, non quælibet, ſed Ierichuntina, ideſt, ſpecioſiſſima, & maximè habito reſpectu ad filii paſſionem, cui mente compaſſa eſt. Color enim roſeus quaſi ſanguineus eſt, & ſanguis ſignat martyrium. Et benè quaſi Roſa: Chriſtus enim vera Roſa fuit, ſanguine proprio rubricatus. Ipſa verò non ſuo ſanguine, ſed ſanguine filii rubricata: & ideò Roſa: quantum enim filius paſſus eſt corporaliter, tantum ipſa compaſſa eſt præcordialiter. Ipſa enim fuit Roſa in *Iericho*, Quod ſonat *defectus*, quià compaſſa eſt filio, quandò fides in omnibus defecerat præter ipſam.

19 Aliter. Plantata fuit *Maria*, & firmiter radicata in defectu, & aculeis paupertatis. Undè tanquam pauperrima non habuit undè filium natum ſufficienter operiret, vel ubi honeſtè reclinaret: & ex hoc defectu, & his aculeis in odorem, & decorem aſcendit ſpecioſiſſimæ Roſæ.

Aliter. Chriſtus, Roſa; Iericho, defectus: ipſe enim plantatus fuit ſecùs decurſus aquarum in die paſſionis, ideſt, ſecùs noſtræ mortalitatis defectus. Vel Iericho, odor eius: quià fracto alabaſtro corporis eius in Cruce, repleta eſt domus, ideſt, Eccleſia ex odore unguenti, odore ſcilicet ſpei, & gratię. Roſa enim cum plantatur in horto, minimè apparet, ſed poſt excreſcit: & floret. Sic Chriſtus in paſſione cum radicatiùs adhęſit terræ, ideſt, Eccleſiæ. *Eſa.* 53. *Vidimus eum, & non erat aſpectus.* Tunc enim fuit ipſe *Deus abſconditus. Eſa.* 45. Sed poſt floruit hæc Roſa, ideſt, refloruit caro eius in reſurrectio-

 ne,

ne, quæ roſeo eius cruore perfuſa fuerat in paſſione.

20 Expoſitis quæ pertinebant ad interpretationem textus Scripturę, pergit Albertus Magnus oſtẽdere ſigillatim qualitates, & proprietates Roſæ omninò Deiparæ convenientes. Undè ſubdit. *Maria*, Roſa. Quià Roſa inclinis, & humilis in ſtatura, per humilem obedientiam, iuxta doctrinam Spiritus Sancti dicentis ad eam: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, &c. Pſal.* 44.

Aromatica. Undè *Cant.* 4. *Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.*

Maria, Roſa, propter pulchritudinem naturalem. Undè *Cant.* 3. dicit ei Sponſus: *Tota pulchra es amica mea, &c.*

Verecundiam virginalem. Undè dicitur ei *Cant.* 4. *Sicut fragmen mali punici, ità genæ tuæ, &c.*

Patientiam ſingularem: purpurei enim, vel ſanguinei coloris eſt: & in ſanguine ſignatur martyrium, quia mente compaſſa eſt filio: & intenſio illius doloris ſignatur in Roſa per intenſionem ruboris.

Dei, & proximi charitatem. Roſa enim coloris eſt ignei, & per ignem charitas deſignatur. *Luc.* 12. *Ignem veni mittere in terram.* Eſt etiam Roſa intenſiſſimi ruboris, in quo ſumma perfectio amoris.

Eſt & frigida, in quo notatur excluſio totius pravi amoris, quod benè competit Beatæ Virgini, quæ dicit *Cant.* 2. *Dilectus meus mihi.* Hunc perfectum amorem habuit ipſa in Iericho, ideſt, in creatione mortali.

Iericho defectus.

21 Frigida folia eius, verba eius. Undè proteſtata eſt *Luc.* 1. *Quoniam Virum non cognoſco.* Frigida etiam in foliis ab effectu: quia orationibus ſuis, meritis, & exemplis malarum concupiſcentiarum fervores refrigerat, & maximè in familiaribus ſuis.

Copioſa, maximè Ierichuntina: quià multiplex myſterium, ſivè intelligentia, vel doctrina latet in verbis ipſius.

Calida: quià ſemen eius Chriſtus Dominus charitas eſt.

Amara, & hoc ab effectu: quià ſemen eius, ideſt, verba, & exempla in ſuis imitatoribus amaricant mundi noxias voluptates: Ipſa enim deſignatur per librum, quem devoravit Ioannes *Apocal.* 10. qui erat dulcis guſtu, & amarus effectu.

Crocea: in quo deſignantur affectus intimæ charitatis ſuæ. Ei enim eſt cura de omnibus. *Sap.* 6. Quaſi diceret illud *Philip.* 1. *Teſtis mihi eſt Deus, quomodo vos omnes cupiam in viſceribus Chriſti* filii mei.

22 Terrena per voluntariam paupertatem, vel temporalium, ſi unquàm habuit, largam erogationem.

Spiritualis, ſcilicet in anima per ſummam humilitatem.

Corporalis per temperantiam, & carnis macerationem.

Stiptica, ideſt, fluxus capitis reſtrictiva: quo deſignatur verboſitas. Ipſa enim eſt *mulier ſenſata, & tacita. Eccli.* 25. Et ſuo exemplo in ſuis imitatoribus fluxum reſtringit ſupra dictum. Quaſi diceret: *Nolite multiplicare loqui ſublimia, gloriantes.* 1. *Reg.* 2. Reſtringit enim ſuis orationibus, & exemplis fluxum vitiis cuiuslibet, maximè in amatoribus ſuis: & dicitur *Vitta Coccinea. Cant.*..

Capitis confortativa. Per Caput, mentem intellige. Confortavit enim Baſilium Iulianum Apoſtatam formidantem, & Theophilum jam ferè deſperantem, quando locuta eſt ad cor eius. Ideò dicitur Roſa in *Iericho*, quod interpretatur *defectus*: quià ſæpè niſi confortaret peccatores, deficerent.

Oculorum clarificativa: de roſis enim efficitur aqua roſea.

Doloris mitigativa.

More gariophili potuum conditiva: de roſis enim conficitur vinum roſatum: quanto enim dignitas Virginis ſubtilius exponitur, tantò vinum prædicationis ſapidiùs, & odoratiùs redditur.

23 Regina: purpurei enim coloris eſt, & purpura Regibus convenit. Alii enim pulchri flores, aliæ bonæ mulieres. Ipſa verò Regina Virginum, & decus mulierum, ſicut Roſa florum.

Pulcherrima ad intuendum. Ipſa eſt enim *Pulcherrima mulierum. Cant.* 5. ſicut Roſa florum, cui dicit filius *Cant.* 2. *Oſtende mihi faciem tuam, &c. quia facies tua decora.* Item *Cant.* 6. dicit ei tota Trinitas: *Revertere, revertere ſunamitis, &c. ut intueamur te.* Et in hoc verbo, *ut intueamur te*, oſtenditur, quod tota Trinitas ipſius ſpeciem deſiderat intueri.

Suaviſſima ad tangendum. Roſa enim de ſpina naſcitur, non ſpinoſa. Et *Maria* de Judæis, qui erant quaſi ſpinæ. Undè: *Sicut ſpina Roſam &c.* Sed ipſam non inveniunt peccatores ſpinoſam, aut ſcrupuloſam: quià ſuavis eſt univerſis.

Delicatiſſima ad olfaciendum. Undè dicunt adoleſcentulæ *Cant.* 1. *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Et propter pulchritudinem, & hanc ſuavitatem dicit ei Eccleſia: *Specioſa facta es ad intuendum, & ſuavis ad tangendum, & olfaciendum.*

24 Spinis adhæret, licet omninò eis diſſimilis. Et *Maria* peccatoribus, qui ſunt ſpinæ, pietate adhæret, & compaſſione, licet à peccato omnino immunis.

Priùs clauſa, ad Solis radium aperitur. Cum enim vovendo virginitatem, conſenſum animi Conceptioni clauſiſſet, & generationi, Soli tamen aperuit iuſtitiæ, cum intellexiſſet ſe Dei filium poſſe concipere, & parere manens Virgo. Undè dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi, &c.* Undè & dicit *Cant.* 5. *Surrexi, ut aperirem dilecto meo, &c.*

Cum perfectè creverit, ſurſumpatula, deorſum undique flectitur: quià nec ad perfectum crementum exultationis cœleſtis ſublimata, & ad divini luminis ſuſceptionem tota virtute expanditur, & ad mortalium ſuffragia per compaſſionem undique ſine perſonarum acceptione flectitur, & æqualiter, ideſt, communicativè, eſt illi cura de omnibus. *Sap.* 6.

Antequam marceſcat, carpitur: quia antequam beatiſſima caro eius putredine marceſceret, ad utriuſque ſtolæ immortalitatem de mundo creditur aſſumpta: non enim dedit Dominus Sanctam ſuam videre corruptionem. Auguſtinus: Credimus, quod nunquam caro computruerit in terris cuius pars glorificata eſt in Cœlis. Huc uſque Albertus Magnus.

25 Et quid ultrà addam in huius Roſæ commendationem? Unam, & alteram Berchorii Periodum *lib.* 12. *Reduct. Moral. c.* 133. Primò igitur inquit, Roſa domeſtica, aut alba eſt penitus, aut rubea, ſummè odorifera, & medicinalis, de ſpina durà naſcitur, tamèn naturam ipſius nullatenùs imitatur, immò odore, & decore nobilitat ſpinam ſuam. Mollis eſt, & tenera, multa habens folia; exteriùs autem ſunt quinque folia viridia, dura, & acuta, quibus flos interior eſt munitus, & ſunt iſtorum duo ſinè barbà, alia duo cum barbà, & quintum in una parte barbatum, in alia non. Undè verſus:

Fratres ſunt quinque, medius partitur utrinque,
Sunt duo barbati, ſinè barba ſunt duo nati.

Et in medio floris eſt ſemen aureum, odoriferum, & minutum.

Talis eſt per omnia Beata Virgo, quià prò certo eſt flos purus, & ex multis folliculis, ideſt, ex multis gratiis, & virtutibus compoſitus, & formatus. Iſta enim licet de ſpina, ideſt, de duro populo Judæorum fuerit nata, ipſorum tamèn naturam nullatenùs eſt ſecuta: quià verè non fuit ſpinoſa per ruditatem, & crudelitatem, ſed lenis, & mollis per pietatem, & benignitatem. Alba fuit per caſtitatem, rubea per charitatem, odoroſa per famoſitatem, decora per converſationis decentiſſimam honeſtatem, & ideo ſpinam ſuam, ideſt, totam Iudęorum progeniem, & etiam totum humanum genus nobilitavit, & penitùs decoravit. Semen aureum, ideſt, Dei filium in ſe continuit, genuit, & portavit, quià *ſemen cecidit in terram. Mar.* 4. Ideò *Eccli.* 49. *Quaſi Roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificate.* Et in iſta fuerunt quinque folliculi, ideſt, quinque principales virtutes, in quibus ipſa fuit contenta, & ſituata, ſcilicet humilitas, caſtitas, benignitas, pietas, & charitas: & iſtæ ſunt barbatæ per pœnitentię auſteritatem, & hirſutæ.

26 Secundò denique inquit. Roſa inter omnes flores obtinet principatum, & hoc ratione virtutis, lenitatis, odoris, & coloris. Nam ſuo odore olfactum afficit, ſuo decore aſpectum reficit, ſuà lenitate tactum demulcet, ſua virtute infirmis ſubvenit, & ſuccurrit. Ex roſis enim per decoctionem ignis extrahitur aqua roſacea, utilis in medicinis. Ex eis etiam fit ſaccarum roſaceum, & multa alia antidota, quæ valent contra multiplices paſſiones. Virtutem enim habet confortandi, & mundandi, ſecundùm Platearium.

Talis eſt per omnia Beata Virgo, quæ inter alios Sanctos obtinet principatum, ratione virtutis, & bonitatis, coloris, & honeſtatis, odoris, & famoſitatis, lenitatis, & benignitatis. Color enim, & decor ſuæ honeſtę converſationis aliorum reficit aſpectum, & delectat: odor ſuæ bonæ famæ alios recreat, & confortat. *In odorem unguentorum tuorum, &c. Cant.* 1. Virtus autem ſuæ Sanctitatis, & efficaciæ infirmos, ideſt, peccatores relevat, & ſupportat. Nam quià iſta Roſa calefacta eſt igne ferventiſſimæ charitatis, ideò nobis ſtillat aquam fluidæ pietatis, per quam ab infirmitatibus omnium criminum ſublevamur. Et ideò ſicut propter pulchritudinem, & elegantiam roſæ, Roſà nobilior pars hominis inde adornatur, ſcilicet caput: ſic verè anima ſemper debet habere in capite, ideſt, in intentione, & corde, & affectione Roſam, ideſt, Virginem glorioſam per affectionem, & devotionem. *Coronemus nos Roſis, antequam marceſcant. Sap.* 2.

§. IV.

Herba, Floſque Iris aptiſſimus Mariæ Typus.

27 De flore ad florem progredimur: nihil enim niſi floridum in *Maria*. De odore currimus ad odorem: quicquid enim in Deipara totum eſt odoratum. De pulchritudine properamus ad venuſtatem: nam in Dei Matre omnis elegantia principatur. Iris igitur & ipſa inter odoratos flores, & herbas fragrantiſſimi odoris, officio ſuo non vult deeſſe. Laudes *Mariæ* nimirum exprimere per hieroglyphicum.

28 Quid ſit ergò Iris, Plinius optimè tractat *lib.* 21. *hiſt. natural. c.* 7. de odoramentorum diverſitate, dicens. Aliqua arida diutius odorem continent, ut melilotos. Quædam locum ipſum odoratiorem faciunt, ut Iris, quin & arborem totam cuiuſcunque radices attingunt. Heſperis noctu magis olet, indè nomine invento. Animalium nullum odoratum, niſi ſi de Pantheris quod dictum eſt credimus. Illa quoque non omittenda differentia, odoramentorum multa nihil pertinere ad coronamenta, ut Irin, atque Saliuncam, quanquam nobiliſſimi odoris utranque.

29 Sed Iris radice tantum commendatur, unguentis, & medicinæ naſcens. Laudatiſſima in Illyrico. Et ibi quoque non in maritimis, ſed in ſilveſtribus Drilonis, & Natonæ. Proxima in Macedonia, longiſſima hæc, & candicans, & exilis. Tertium locum habet Africana, ampliſſima inter omnes, guſtuque amariſſima. Illyrica quoque duorum generum eſt: Rhaphanitis à ſimilitudine, quæ & melior Phizotomos ſubrufa. Optima, quæ ſternutamenta tactu movet. Caulem habet cubitalẽ, & rectũ. Floret diverſi coloris ſpecie, ſicut Arcus cœleſtis, undè & nomen. Non improbatur & Piſidica. Et foſſuri tribus antè menſibus mulſa aqua circunfuſa, hoc veluti placamento terræ blandiuntur, circunſcripta mucrone gladii orbe triplici: & cum legerint eam, protinùs in Cœlum attollunt. Natura eſt fervens, tractataque puſtulas ambuſti modo facit. Præcipitur antè omnia, ut caſti legant. Terèdines non ſicca modò, verùm & in terrà celerrimè

rimè ſentit. Optimum anteà Irinum Leucade, & Elide ferebatur, &c.

30 Inde Cœlius Auguſtinus in additionibus ad Pierii hieroglyphica *lib.* 60. Iridem herbam transfert ad eloquentiæ typum. Iridem, inquit, herbam eloquentiæ ſymbolum eſſe, nemini mirum videri debet: cum Homerus fingat Troianorum Oratores, ut qui diſertiſſimi eſſent, *Lirioeſſam*, ideſt, *Iridem* herbam floridam comediſſe, quod eloquentiæ præcepta illos hauſiſſe ſignificat: proptereà quod eius herbæ flos colorum varietate, atque ornatu, Iridi cœleſti, quæ & ipſa eloquentiæ Dea habebatur, ſimilis ſit: & quià talem oportet eſſe orationem, nempè colorum, ac figurarum varietate diſtinctam: multaſque hæc herba eloquentiæ ſimiles vires habet. Nam ut de illa tradunt Medici, Iris halitus pravum odorem corrigit, gratumque, & ſuavem reddit ſpiritum, & venena repellit: ſic etiam ornata oratio quaſi ſuavis quidam halitus gratiam conciliat, & animi venena, hoc eſt, perturbationes depellit.

31 O Virgo florens Iris, flos ſuavis, & herba florea! O quam verè tanquàm Iris, immò ſuprà Irin, flores, & oles! Sed undè incipiam hieroglyphicha, & decora tua? A radice quidem. Quid autem radix tua? Certè Gratia. Nimirùm radix tuæ conceptionis, & vitę ſpiritualis fuit Gratia: nam ut ait Damaſcenus: Natura Gratiæ fœtum antevertere non eſt auſa, verùm tantiſper expectavit, donec Gratia fœtum ſuum produxiſſet. Prius igitur filia Gratiæ, quam Naturæ: ſemper ſub dominio gratiæ, nunquam ſub iugo culpæ. Undè *Rom.* 11. *Si radix ſancta, & rami.* Hæc radix odoratiſſimis ſpiritualium chariſmatum totam Irim animę non ſolùm perfudit unguentis, verùm & terram corporis, in quà plantata, reddidit odoratiorem. Nec mirum quod pulchra diverſi coloris ſpecies in ipſa præcipuè commendetur, & trinam colorum pulchritudinem quæ in Iride cœleſti laudatur, imitetur, undè & ab illa nomen acceperit, quoniam varius animę ornatus à gratiæ infuſione procedit. Quanquam illam ſpeciem tricolorem ad altiorem retulerim intelligentiam, & operationem, nimirùm ad Individuæ, atque Increatæ Trinitatis efficaciam, qua ſingulæ Perſonę ſuis attributis trium colorum varietatem in Iri Parthenia pinxerunt: Pater nimirùm potentià: Filius ſapientià; & Spiritus Sanctus amore, ac bonitate.

32 Iure merito autem antè omnia præcipitur, ut nonniſi caſtis manibus legatur, quià qui *Mariam* colunt, debent pudicitià nitère: & qui ſic eam legerint, protinus in Cœlum laudibus attollant. Teredines etiam non patitur, quià impudicitiam quam maximè execratur. Sed tactu ſui movet ſternamenta, cum vehemens in familiarium ſuorum animis excitat repudium terrenorum.

33 Si verò ad eloquentiæ hieroglyphicum Irin flectamus, Deiparam non negabis Lirioeſſam comediſſe. Quæ gratia, & elegantia in eius verbis? Dicitur enim Ipſi: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Pſal.* 44. Qui eloquentiæ flores ab eius ore dimanant, ut Roſam dixeris loquentem? Quæ colorum, ac figurarum concinna varietas, ut quaſi in labyrinto animus hęreat audientis? Et ipſa quidem veriùs eloquentię Dea, quam Iris cœleſtis fabuloſo Poetarum commento: Nam divinę Mater Sapientię, atque facundię, cùm Genitrix Filii Dei, quod eſt Verbum Patris facundiſſimum, & totius eloquentiæ magiſterium. Nihil enim apud Deum efficaciùs Marię eloquentià: quià, ut inquit Albertus Magnus *lib.* 2. *de laudib. B. Mariæ c.* 1. *num.* 22. prò ſalute famulantium ſibi, non ſolùm poteſt Filio ſupplicare, ſicut alii Sancti, ſed etiam poteſt auctoritate materna eidem imperare. Undè ſic oramus eam: *Monſtra te eſſe Matrem.* Quaſi imperioſè, & maternà auctoritate ſupplica pro nobis Filio.

Illud denique ſingulare videtur, quod halitu ſuo in fidelibus pravum eliminat peccatorum odorem; ſuavem reddit ſpiritum ipſorum per lenitatis, & clementię ſpiritum, tum denique à corde venena, hoc eſt, ab animo perturbationes à paſſionibus excitatas expellit.

§. V.

Anemona quid figuret in Beata Virgine.

34 TAndem & Anemonis ſuus honor in Deiparę laudibus. Nec ſinè ratione, tum ob pulchritudinem floris, tùm propter medicam virtutem. Ut igitur earum differentię cognoſcantur, & origo nominis, adire Plinium oportet, *lib.* 22. *Hiſt. natural. c.* 23. Anemonas, inquit, coronarias tantùm diximus: Nunc reddemus & medicas. Sunt qui phenion vocent. Duo eius genera. Silveſtris prima, altera in cultis naſcens, utraque ſabuloſis. Huiuſque plures ſpecies. Aut enim phœniceum florem habet, quæ & copioſiſſima eſt, aut purpureũ, aut lacteum. Harum trium folia apio ſimilia ſunt. Nec temerè ſemipedem altitudinem excedunt cacumine aſparagi. Flos nunquam ſe aperit niſi vento ſpirante, undè & nomen accepit.

34 Silveſtri amplitudo maior, latioribuſque foliis, flore phœniceo. Hanc, errore ducti, argemonem putant multi: alii rursùs papaver, quod rhocan appellavimus. Sed diſtinctio magna, quod utraque hæc poſteà floret. Nec aut ſuccum illarum Anemonę reddunt, aut calices habent, nec niſi aſparagi cacumen. Proſunt Anemonę capitis doloribus, & inflammationibus, vulvis mulierum, lacti quoque. Et menſtrua cient cum ptiſana ſumptæ, aut vellere appoſitæ. Radix commanducata pituitam trahit, dentes ſanat, decocta oculorum epiphoras. Magi multum quidem iis tribuère, quamprimùm aſpiciatur eo anno tolli iubentes: dicique colligi eas tertianis, & quartanis remedio. Poſteà alligari florem panno roſeo, & in umbra aſſervari; ità cùm opus ſit adalligari. Quæ ex his phœniceum florem habet, radice contrità, cuicunque animalium impoſita, ulcus facit ſepticà vi. Et ideò expurgandis ulceribus adhibetur.

35 Maria igitur Anemona. Et primum quidam Coronaria. Nàm Ipſa eſt ſuorum devotorum Coronamentum. Coronat enim omnes, qui colunt

lunt

lunt, & diligunt illam. Undè de eà etiam intelligitur, quod dicitur de Sapientià, *Prov.* 4. *Arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab eà, cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.*

Et pulchrè flos Anemonæ nunquam niſi vento ſpirante comantem foliorum pulchritudinem expandit: quià Beata Virgo tunc florem virginitatis ſuæ aperuit, cum in conceptione Verbi Auſter Spiritus Sancti illam perflavit; & florem ſuum cognovit non decolorandum, ſed Dei virtute præſervandum, & gratià pulchriori augendum.

Florem phœniceum habuit: quià ſingularis Phœnix in terris, ut eſſet Mater ſimul, & Virgo: Mater quidem fœcunda, ſed Virgo ſemper intacta: cui ſic acceſſerit fœcunditatis fructus, ut non deciderit flos virginitatis. Undè unicus Phœnix, & de ſingularitate famoſus: quià ut canitur:

Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem,
Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore.

Fuit etiam flos purpureus per charitatem, & lacteus per eximium puritatis, & innocentiæ candorem.

36 Gaudet ſabuloſis Anemona locis, & *Mariæ* patientia duris.

Semipedalem altitudinem non excedit, quià humilitate in omnibus ſemper voluit eminere.

Ægritudines ſpirituales tollit, & ulcera peccatorum etiam inveterata expurgat per gratiam filii ſui.

Abigit capitis dolores, ſuperbiæ ſcilicet cogitationes, quæ mentes ſuperborum maximà anxietate contorquent.

Dentes ſanat, hoc eſt, exemplo ſuæ charitatis in proximum, docet nullum lacerare per caninam maledicentiam, & detractionem.

Oculorum quoque morbos, livorem videlicet ſanat invidiæ.

Tertianis concupiſcentiæ, & quartanis avaritiæ medetur. Omnibns denique omne remedium infirmitatibus.

CAP. VI.

Poſtremus Quinarius Vegetabilium laudibus Dei Matrem honorare decertat.

1 QUis tantam in *Mariæ* Nomine fœcunditatem crediſſet, niſi veritatem experimento tam claro didiciſſet? Sunt tamen pauca, quæ adduximus exempla, cum rerum ſeries multò plures in literis Parthenii Nominis contineri nullum ſit dubium. Ex his reliqua coniice. Jam ergò & quinque alia vegetabilia Virginis Nomen componere gloriantur, nè cæteris in hoc laudis certamine inferiora videantur. Sunt autem,

Malum Punicum.
A mbroſia.
R uſcus.
I lex.
A ſaron.

Mira quidem varietas, ſed non ſinè causà. Neque enim omnes Mariæ perfectiones unico exprimi poſſunt hieroglyphico. Et ideò de ſingulis videamus.

§. I.

Quid præferat Malum Punicum in Beata Virgine.

2 ALbertus Magnus *lib.* 12. *de laudib. B. Mariæ c.* 6. §. 21. myſterium Mali Punici nobis exponit, dicens. Maluſgranata, vel Punica, quod idem eſt ſecundùm Iſidorum: ſed dicitur *Punica*: quià ex Punica regione tranſlatum eſt genus eius. Malus granata genere fœminino, eò quod inter corticis rotunditatem, granorum contineat multitudinem, cuius flores Græcè dicuntur *quitinas*, Latinè dicuntur *caduci*. Agreſtium verò malorum flores dicuntur Græcè *balauſtion*, quorum alii albi, alii purpurei, alii roſei ſimiles floribus malipunicæ. Negant Phyſici cibo malorum corpora nutriri. Sed ſic opinantur eis utendum, ut medicari potiùs, quàm alere videantur.

3 Chriſtus, malus. Undè de eo dicit *Maria*, vel Sponſa, ideſt, Eccleſia *Cant.* 2. *Sicut malus inter ligna Silvarum, ſic dilectus meus inter filios.* Quià ſicut Malus omnia ligna Silvarum viſu, guſtu, & odore præcellit, ſic & Chriſtus omnes Sanctos. Flores huius mali Sancti ſunt, candidi caſtitate, purpurei compaſſione, roſei charitate.

Vel, ut *Maria* dicatur malus, cuius flos Chriſtus Dominus, qui fuit candidus naſcendo, purpureus patiendo, roſeus, ideſt, pulcherrimus reſurgendo, quando refloruit caro eius. Ipſa etiam fuit candida virginitate, purpurea compaſſione, roſea intenſiſſimà charitate, quià Roſa intenſiſſimi ruboris eſt.

4 Itèm Malus in vere, & æſtate ſpecioſa florum amœnitate, in autumno fructuoſa pomorum ubertate, ſed in hyeme ſcabroſa frigoris aſperitate. Similiter & *Maria* ſpecioſa converſatione, fructifera filii Dei portatione, ſed rugoſa, & deſpicabilis in hyeme paſſionis Dominicæ. Fuit etiam inter arbores ſublimes, ideſt, inter cæteros Sanctos exigua humilitate, inter lenes ſcabroſa paupertate, inter planos ſpinoſa filii compaſſione, & multiplici pœnalitate.

5 Et hinc eſt quòd à Sponſo maximè laudantur genæ Sponſæ ſuæ *Cant.* 4. propter Mali Punici ſimilitudinem: *Sicut fragmen Mali Punici, ità genæ tuæ abſque eo quod intrinſecus latet.* Quæ verba Albertus Magnus *lib.* 5. *de laudib. B. Mariæ c.* 2. *n.* 14. taliter exponit. Mala punica

ad

ad literam eadem ſunt quæ & malagranata, & dicuntur Punica à Punica regione, in quà creſcunt, & abundant. Granata verò dicuntur propter multitudinem granorum, & fracta maiorem emittunt odoris fragrantiam, quam integra. Fragmen etiam Mali Punici ruborem oſtendit, & candorem. In genis decor, & ſpecies mulieris conſiſtit. Dicitur etiam Beata Virgo ſpecioſa, propter ruborem pulchritudinis naturalis, verecundiæ virginalis, eximiæ charitatis, & patientiæ ſingularis: & propter candorem innocentiæ, virginitatis, & immortalitatis: & etiam propter immunitatem peccati. *Abſque eo*, ideſt, præter illud *quod intrinſecus latet*, ſoli Deo cognitum, nemini manifeſtum: nàm quanta ſit *Maria* ſpecies, ille ſolus novit qui dedit.

§. *II.*

Similitudines inter Deiparam, & Ambroſiam.

6 POſt olentem mali ſpeciem ſequitur Ambroſia, odoratiſſimæ fragrantiæ herba. Apud Plinium pluribus in locis non ſatis conſtat de certo nomine huius herbæ: nàm aliqui Artemiſiam, quidam Botrin, alii Ambroſiam vocant. Undè *lib.* 27. *c.* 4. inquit expreſsè. Ambroſia vagi nominis eſt, & circà alias herbas fluctuati: fruticem unum habet denſum, ramoſum, tenuem, trium ferè palmorum, tertia parte radice breviorem, foliis Rutæ. Circà imum caulem in ramulis ſemen eſt uvis dependentibus, odore vinoſo: qua de causà Botrys à quibuſdam vocatur, ab aliis Artemiſia. Coronantur illà Cappadoces. Uſus eius ad ea quæ diſcuti opus ſit.

7 Et pariter in horto ſanitatis *Tract.* de herbis c 21. Iſidorus inquit. Ambroſia eſt herba, quam Latini Apium ſilvaticum vocant. De quà Virgilius ait *Æned. lib.* 1.

Ambroſiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere.

Et Dioſcorides ait: Ambroſia, quam multi botryn, vel Artemiſiam dicunt, frutex eſt multas habens virgas tribus palmis longas, & folia initio minuta rutæ ſimilia: virgæ ſunt plenæ ſemine.

8 Per ambroſiam igitur, quæ Divis fabuloſis ad comarum odores deſerviebat, ut ſuprà de Venere, cùm ſe Æneæ aperuit, dixit Virgilius, Cœleſtium virtutum ſignificatur fragrantia, & Beatæ Virginis ſuaviſſimus odor. Odorifera enim fuit, & eſt tota Virgo *Maria*, ut benè probat Jacobus de Voragine *ſerm.* 106. Nec mirum, inquit, quià Ipſa fuit plena balſamo divinæ ſapientiæ. *Eccli.* 24. *Quaſi balſamum non mixtum odor meus.* Ipſa fuit hortus plenus liliis munditiæ. *Cant.* 2. *Sicut lilium inter ſpinas, &c.* Ipſa fuit alabaſtrum plenum unguento devotionis, & gratiæ. *Cant.* 4. *Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Ipſa fuit apotheca plena aromatibus virtutum. *Cant.* 5. *Genæ tuæ ſicut areolæ aromatum*. Bernardus: Si vaſa pigmentaria diù ſervant fragrantiam aromatum, quantò magis apotheca omnium gratiarum, in quà Cœleſtis pigmentarius cum omnibus ſuis unguentis, cum omnibus deliciis accubuit. Ipſa fuit cellarium plenum vino cœleſtium doctrinarum. *Cant.* 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.* Item *Cant.* 7. *Guttur tuum ſicut vinum optimum.* Et ſic patet, quod Ipſa fuit Ambroſia herba, quæ ſuaviſſimum in ſe omnium virtutum collegit odorem.

§. *III.*

Ruſcus Beatæ Virginis Typus.

9 BRevibus verbis Levinus Lemnius *c.* 39. *Explicat. herbar. Biblic.* deſcribit Ruſcum inter myrtos ſilveſtres. Refertur, ait, inter ſilveſtres myrtos Ruſcus foliis quidem Myrti, ſed latioribus, mucronatà cuſpide munitis, ſic ut incautiùs attrectata digitis aculeum infigat, ut veſpæ. Inhærent foliis nullà petioli appendice baccæ piſi magnitudine, myrteis minores, corallino, rubentique colore perfuſæ, cuius radice utimur in ciendo lotio, & atterendis calculis. Et Plinius *lib.* 22. *c.* 26. Ruſci, ait, radix decocta, bibitur alternis diebus in calculorum valetudine, & tortuoſiore urina, vel cruentà. Radicem pridiè erui oportet, poſtero mane decoqui. Ex eà ſextarium vini cyathis duobus miſceri. Sunt qui & crudam radicem tritam ex aquà bibant: & in totum ad virilia, cauliculis eius in vino, & aceto tritis, nihil utiliùs putant.

10 Ruſcus ergò frutex aculeatus eſt *Maria*, quæ mucronatà gratiæ cuſpide præmunita diabolum vulneravit, & caput antiqui ſerpentis terebravit, eiuſque vires contrivit. Ipſa igitur diabolum confixit aculeo. Et quàm pulchrè Jacobus de Voragine *ſerm.* 35. de Beatà Virgine oſtendit hoc, dicens. Contrivit Virgo *Maria* caput ſerpentis infernalis, iuxtà illud *Geneſ.* 3. *Ipſa conteret caput tuum.* Per caput poteſt intelligi eius ſuggeſtio, vel poteſtas, vel aſtutia. Primum caput, ſcilicet ſuggeſtionis ipſa contrivit, & confregit, ità quod nulla ad Ipſam appropinquare, vel accedere auſa fuit. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus. Quid eſt caput ſerpentis conterere, niſi principalem diaboli ſuggeſtionem reſiſtendo ſuperare? Et ſubdit. Beata igitur *Maria* eius caput contrivit in hoc quòd virginitatem, & humilitatem ſervavit: virginitate nanque extinxit concupiſcentiam carnis, humilitate ſuperbiam mentis.

Secundum caput, ſcilicet, eius poteſtatem Ipſa contrivit per filium, quem genuit, qui diabolum ſuo dominio ſpoliavit.

Tertium caput, ſcilicet, eius aſtutia dividitur in tria Capita, ſcilicet in ſapientiam terrenam, animalem, & diabolicam, ſicut dicitur *Iacob.* 3. ed Ipſa contrivit ſapientiam terrenam per paupertatem: animalem, ideſt, carnalem, per virginitatem: & diabolicam, ideſt, ſuperbiam, per humilitatem.

11 Vel poteſt dici, quòd diabolus eſt malitioſus, immundus, ſuperbus, & aſtutus. Ipſa enim

enim contrivit malitioſum per charitatem ſuam. *Iudith* 9. *Percuties eum labiis charitatis meæ.* Sicut enim venenum ſerpens portat in ore, ſic Diabolus ſemper portat in ſuggeſtione. Et ſicut ſerpens quandò lapidibus obruitur, funditùs necatur: ſic diabolus orationibus Beatæ *Mariæ* percutitur, & ab omni ſua malitia enervatur. Ideò benè dicitur: *Percuties eum labiis charitatis meæ.* Labia charitatis ſunt Beatæ Virginis orationes, quas prò nobis effundit ex intimo affectu cordis.

Secundò contrivit immundum per virginitatem ſuam. Dœmones enim dicuntur immundi, quia diligunt immunditias. Immunditias procurant, & ſuadent, & in cordibus immundorum morantur libenter. Sed iſtos immundos Ipſa contrivit merito ſuæ virginitatis, & puritatis. *Iudith* 9. *Erit enim memoriale nominis tui, cùm manus fœminæ dejecerit eum.* Iſta eſt illa manus, de qua dicitur *Prov. ult. Manum ſuam miſit ad fortia.* Quæ autem ſint illa fortia, dicitur ibidem. *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum.*

12 Tertiò contrivit ſuperbum per humilitatem ſuam. *Iudith* 14. *Una mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor.* Sicut enim eſt magna confuſio alicui Giganti, ſi una Puella ipſum ligaret: ſic ſuperbis dœmonibus fuit magna confuſio, quandò una Puella per ejus humilitatem, eorum ſuperbiam ſuperavit. *Iob* 40. *Ligabis eum ancillis tuis.* Una de majoribus ancillis Dei fuit Virgo *Maria*, quæ per ſuam humilitatem, diaboli poteſtatem alligavit.

Quartò, contrivit diabolum aſtutum per ſuam ſapientiam. *Iudic.* 4. *In manu fœminæ tradetur Syſara:* id eſt, diabolus. Ipſe enim diabolus eſt valdè aſtutus 2. *Corinth.* 12. *Timeo autem, nè ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia: ità corrumpantur ſenſus veſtri.* Virgo autem Sapiens eſt valdè. *Prov.* 14. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam:* ideſt, militantem Eccleſiam. Ipſe igitur Syſara traditus eſt in manus fœminæ, quia aſtutia diaboli tradita eſt Sapientiæ *Mariæ*. Quia illud, quod diabolus aſtutè cogitat, hoc Ipſa ſapienter ordinat. Iſta eſt illa mulier ſapiens, de qua dicitur 2. *Reg.* 20. *Exclamavit mulier ſapiens de Civitate.* Et infra. *Ingreſſa eſt ergò ad omnem populum, & locuta eſt eis ſapienter. Qui abſciſſum caput Sibæ projecerunt ad Ioab.* Iſta mulier ſapiens ad Deum clamat, quandò ſuis orationibus prò nobis apud Deum interpellat. Iſta ſapienter ad populum loquitur, quandò ejus inſpirationibus illuminamur. Iſta caput Sibæ amputavit, quandò diabolicas ſuggeſtiones frangit penitùs, & enervat.

13 Vel poteſt dici, quòd per hoc quod dicitur: *Ipſa conteret caput tuum*: oſtenditur victoria Virginis ſuper diabolum, quadruplici ratione.

Primò, ratione conterentis, cùm dicitur, *Ipſa*: quia non fuit Vir, ſed fœmina.

Secundò, ratione modi conterendi: quia non percuſſit, nec vulneravit, ſed contrivit. Quod enim percutitur, & vulneratur, interdùm ſanatur: quod verò conteritur, nunquàm ulteriùs reparatur.

Tertiò, ratione partis, quam contrivit, quia non caudam, ſed caput, id eſt, ſuggeſtionem ſuam: & ideò dicit: *Caput tuum.* Serpens enim percuſſus in cauda evadit: in capite contritus nunquàm reſurgit.

Quartò, ratione perſonæ, quam contrivit: quia non aliquem de parvis dœmonibus, ſed ipſum principem dœmoniorum contrivit: quod notatur ſimiliter per hoc, quod dicitur. *Caput tuum.* Ille enim ſerpens, qui Evam decepit, figurabat perſonam Luciferi, qui eſt Caput dœmonum. Hactenus ille.

14 Et eccè quàm benè figuratur in Ruſco Beata Virgo. Virtutes ejus ſunt mucronatæ: ex omni parte feriunt vitia contraria. Labia ejus cuſpide ſunt armata: quia charitas ejus telum acutum, quo adverſarias deiicit poteſtates. Preces ejus aculeatæ, penetrant enim quocunque vadunt. Ipſius baccæ corallino, rubentique colore perfuſæ, quia Chriſtus, quem Ipſa genuit, purpurea, rubenſque eſt bacca, cujus virtute duri, & obſtinati peccatorum calculi franguntur, atteruntur ad pœnitentiam.

§. *IV.*

Quid denotat Ilex in Beata Virgine.

15 ET Ilex multas habet proprietates, quibus Virginis dotes exprimi poſſunt. Species glandiferæ quercus, cujus fructus ſecundùm Plinium multas enutrivit nationes: nàm homines antiquitùs glande vivebant. Parco ſcilicet, ac parabili victu, quo temperantiam colebant. Et Beata Virgo Ilex glandifera, tanquàm pia nutrix homines alit temperantiæ alimento. Vel Ilex, quæ nobis ad alimoniam ſpiritus glandem Chriſti produxit.

16 Ilex autem, ut tradit Berchorius lib. 12. Reduct. Moral. c. 78. eſt arbor profundæ radicis, corticis duri, & ſpiſſi, magnæ rotunditatis, ramoſitatis, & umbroſitatis. Magnæ eſt etiam ſoliditatis, & imputribilis firmitatis. Et Beata Virgo per omnia fuit talis. Habuit enim fidei radices profundas, benè fixas, & firmas: nam cùm alii in Chriſti paſſione defecerunt à fide, fidei radices in ipſa ſteterunt immotæ, neque ab ejus corde potuerunt avelli. Corticem etiam, ideſt, exteriorem apparentiam habuit rudem, quia indumentorum curioſitate reiecta, ſimplici utebatur veſte, ut exigentiam ſtatus ſui decebat.

17 Ramoſa quidem per bonas affectiones. Fœcunda per bonas operationes. Umbroſa per probitatis exempla. Vel umbroſa per conſolationes, & refrigeria, quibus in hac vita viatores recreat, atque confortat. Undè quilibet ſuus devotus de Ipſa dicere poteſt: *Sub umbra illius, quam deſideraveram, ſedi. Cant.* 2. Solida per conſtantiæ firmitatem, & imputribilis per perſeverantiæ longanimitatem: quia nunquam potuit putrefieri per peccatum, ſcilicet interrumpendo bonam vitam, & ſanctitatem.

Denique Ilicis lignum eſt forte, durabile, & quaſi imputribile. Nàm truncus ejus ſub aqua, & terra defoſſus, in ſimilitudinem lapidis induratur, & quantò longiùs ibi ſteterit, tantò magis efficitur durus: & ideò de talibus lignis ſolebant in templis Deorum, & in palatiis Regum fieri imagines, & columnæ. Quod quidem præclariſſimum hieroglyphicum eſt invictæ patientiæ, quam in adverſitatibus, & tribulationibus hujus mundi habuit Beata Virgo, ut de illa dici poſſit illud *Iob* 41. *Cor ejus indurabitur quaſi lapis*, *& conſtringetur quaſi malleatoris incus*. Teſte enim Tullio 2. *de finib. Patientia eſt honeſtatis*, *& utilitatis cauſa, rerum, & arduarum, & difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio*. Ut non mirum ſit, ſi Virginem patientiæ ſimulachrum, & ſuſtinentiæ columnam in Eccleſia vocaverim.

§. *V.*

Aſarum qua ratione figura Deiparæ.

18 PLinius *lib.* 12. *hiſt. natural. c.* 13. Nardi inquit, vim habet & Aſarum, quod &, ipſum aliqui ſilveſtre Nardum appellant. Eſt autem ederæ foliis, rotundioribus tantùm, mollioribuſque, flore purpureo, radice Gallici nardi. Semen acinoſum, ſaporis calidi, ac vinoſi Montibus in umbroſis bis anno floret. Optimum in Ponto, proximum in Phrygia, tertium in Illyrico. Foditur cùm folia mittere incipit, & in Sole ſiccatur, celeriter ſitum trahens, ac ſeneſcens.

Et Iſidorus in horto ſanitatis relatus Tract. de herbis c. 47. hæc habet. Aſarum naſcitur in umbroſis montibus: herba floribus Cariæ ſimilibus. Ineſtque flos juxtà radicem purpureus, in quo ſemen continetur uvarum ſimile, radicibus pluribus, ac tenuiſſimis, & benè redolentibus: & eſt virtute ſimilis Nardo.

19 Dioſcorides ibidem. Aſarus, inquit, eſt quam multi Nardum agreſtam appellant. Habet folia ederæ ſimilia, tenuia, & rotunda; florem inter folia juxtà radicem purpurei coloris in ſimilitudine. Juſquiaſmi ſemen verò ſimile uvis. Habet & radices plurimas tenues, atque nodoſas, & geniculoſas, ſimiles agreſti, id eſt, gramini: odore ſuaves, ac linguam remordentes, cum fervore ſufficienti.

Et ſubditur ex Avicenna. Aſarum eſt herba habens ſemina plurima, cujus radicum nodus eſt tortus, & aſſimilatur piperi boni odoris linguam mordicantis. Habet florem inter folia apud radicem ſuam: cuius color eſt purpureus ſimilis flori juſquiaſmi. Radix ejus eſt magis juvans quàm aliquid quod in eo ſit. Et ejus virtus eſt virtus acori, vel eo fortior. Et eò meliùs eſt, quod ſubtilis odoris eſt. Nam calidum, & ſiccum in tertio gradu. Et dicitur, quòd ſiccitas ejus eſt major caliditate ipſius.

20 Habet & virtutes medicas. Jocinerum vitiis ſalutare eſſe traditur, uncia ſumptum in hemina mulſi mixti. Alvum purgat ellebori modo. Hydropicis prodeſt, & præcordiis, vulviſque, ac morbo regio. Valet contrà ſerpentum ictus. Aperit, & ſedat omnes dolores extrinſecus, proprieque infuſio ejus. Subtiliat, & reſolvit, & membra frigida calefacit. Confert ſciaticæ, & dolori aurium antiquo.

21 Et quid mihi Virgo Beata niſi Aſarum floridum, purpureum, & odoriferum? Florida quidem in virore virtutum, purpurea in charitatis ardore, odorifera in humilitatis fragantia. Nardo autem ſimilis in virtute. Eſt enim Nardus herba modica, ſpinoſa, & odorifera. Quæ maſticata linguam deſiccat, & virtutem habet confortandi. Spiritus reparat odoratu, oris fœtorem tollit, linguæ paralyſim curat, conceptionem adjuvat, opilationes ſplenis aperit, epilepticos juvat, & ad alia multa valet, quæ omnia etiam præſtat oleum, quod ex ea eliquatur, ut dicit Iſidorus *lib.* 17. & Platearius.

22 Similiter Beata Virgo parva per humilitatem, calida per dilectionem Dei, & proximi, ſpinoſa per pœnitentiæ auſteritatem, odorifera per bonam famam, & vitæ ſanctitatem. Undè fidelium corda confortat per ſpem de æternis; ſpiritus, id eſt, gratias, & virtutes reparat: oris fœtorem, id eſt, verborum infamiam, & eorum amputat inhoneſtatem; paralyſim linguæ, id eſt, verecundiam confitendi, & loquendi impedimentum ſpiritualiter tollit; conceptionem boni propoſiti procurat, & ad alia multa valet.

23 Illud verò maximè advertendum mihi videtur, quòd præcipua virtus Aſari ſit in radice. Quid autem in Deipara radix virtutis, niſi ejus humilitas? Undè enim omnes ejus virtutes, niſi à radice humilitatis? Undè ſubliſſimum divinæ maternitatis faſtigium, niſi à radicali, & profundiſſima humilitate? Undè ſupremus ſuper omnes Angelos, & Sanctos beatitudinis, & gloriæ apex, niſi à demiſſa radice nedùm humilitatis, ſed & nihilitatis ſuæ? Quæ quidem in plurimas, ac tenuiſſimas fibras ità ſe extenuavit, ut ad nihilum ſe reduceret, ſed tamen odore ſic optimo redolentes, ut ab illo divino æterni Patris accubitu in ſua viſcera Dei filium attraxerint. Cujus non linguam mordicat ſapor ejus meditatione maſticatus? Quis ità frigidus in amore Dei, qui ab ejus fervore non caleſiat? Sic etiam omnibus aliis animi verbis medetur, qui per corporales ægritudines deſignantur.

CAP. VII.

Viventia ſenſibilia honoris tributa deferunt Matri Dei.

1 HActenùs vegetabilia, quæ infimum vitæ gradum habent, in Deiparæ laudibus decertarunt: Nunc verò viventia ſenſibilia, quæ vitæ gradu nobiliori à vegetabilibus ſecernuntur, & ipſa in hoc certamine adipiſci coronam affectant. In his enim vigent ſenſus, prævalet ingenium, acuitur ſagacitas, clareſcit induſtria, & quædam Rationis umbræ præfulgere videntur. Quorum aliqua alarum remigio per inane volant, alia ſuper terram gradiuntur, alia in aquis natant. Et horum igitur differentias ad compoſitionem Parthenii Nominis amicabili fœdere dimicare nullum eſt dubium. Ut & ipſis ſenſibilibus nedum ſit jucundum, ſed etiam honorabile, unumquodque eorum unam ſibi literam de illo Sacratiſſimo Nomine appropriare. Videamus ergò, quot, & quæ ſint. Primo igitur loco ſi literas Virginei Nominis, quod eſt *Maria*, ſeces, & dividas; hæ juxtà ordinem ſuum tibi dabunt

M uſtelam.
A pem.
R oſurellam.
I bidem.
A laudam.

Jam verò de ſingulis diſtinctè loquamur, & quam rerum novam faciem inducant, videamus.

§. *I.*

Per Muſtelam mirificè Beatam Virginem adumbrari.

2 CElebris apud Berchorium *lib.* 10. *Reduct. Moral. c.* 69. illa Plinii ſententia eſt: *Natura nihil reliquit ſinè ingentibus remediis, atque cauſis.* Quod quidem dictum Catholicè effatū ſummam Dei providentiam exprimit, quæ nullis malis ſua remedia deeſſe voluit, & amuleta quibus curarentur providit. Et hoc verùm eſſe tam in ordine naturæ, quàm & ſummoperè in ordine ſpiritali probamus. Undè præcellentiſſimam Virginem, & Matrem ſuam à Deo poſitam in hoc mundo ad hominum ſalutem aut ignorare, aut negare maximum nefas eſſet. Hinc ergo è naturalibus Muſtelæ proprietatibus, quibus Ipſam contrà multa noxia præſentiſſimum eſſe remedium tradidere Scriptores, per ſimilitudinem hieroglyphicum virtutis Marianæ deducimus, qua cuilibet in periculis, & caſibus noxiis præſentiſſimè opitulatur.

3 *Muſtela*, ut ait Berchorius loco ſupra citato, dicitur *à telon*, quod eſt *longum*, quaſi *Mus longus*. Hæc ingenioſa eſt, quia catulos ſuos de loco ad locum transfert, nè locus ſuus deprehendatur. Hæc armata rutà contra baſiliſcum pugnat: ſerpentes odit: & filios ſuos caſu aliquo læſos; etiam mortuos ſucco cujuſdam herbæ ſuſcitat, atque curat.

Beata Virgo per perſeverantiam dicitur longa. Semper enim in via virtutum, ad ulteriora perfectionis incrementa ſe extendit. Filios ſuos, quos ſibi materno adoptat affectu, de loco ad locum, id eſt, de amore mundi ad amorem Cœli, de vitiis ad virtutem, de virtute ad virtutem, de gratia denique transfert in gloriam: & hoc nè venator diabolus ipſos valeat invenire. *Pſal.* 83. *Ibunt de virtute in virtutem*. Et 1. *Paral.* 16. *Tranſierunt de gente in gentem*, *& de regno ad populum alterum. Non dimiſit quemquam calumniari eos.* Berchorius vertit ultimam clauſulam. *Non reliquit hominem nocere eis*. Et ſi aliquandò hi filii ſui adoptivi læduntur per tentationem, & moriuntur per peccatum, divinæ gratiæ ſucco eos ſuſcitat, atque ſanat. *Ierem.* 30. *Obducam cicatricem tibi*, *& à vulneribus tuis ſanabo te*.

4 Ferunt autem Muſtelam ad ineundam pugnam cum baſiliſco ſe priùs armare Rutà, quæ eſt herba ſaporis amari: quia Beata Virgo docet devotos ſuos ſe Rutæ ſucco præmunire, id eſt, ſanguine Chriſti, & amaræ ſuæ paſſionis memoria, cùm debeant contrà baſiliſcum diabolum fortiter dimicare, atque alios ſerpentes ejus ſocios, & aſſeclas impugnare: ut juxtà illud Davidicum dicere poſſint: *Iniquos odio habui*, *&c. Pſal.* 118.

Muſtela poſita ſuper morſum ſcorpionis, confert valdè, inquit Albertus Magnus *lib.* 22. *de Animalib. Tract.* 2. *c.* 1. Et ſacra Virgo medetur iis, qui à ſcorpionibus vitiorum percuſſi, devotè invocant illam.

Coria maſculi confecta, ut refert idem Albertus Magnus, ſi ſcribatur in eis, & ſuſpendantur ſuper dæmoniacos, & incantatos, confert. Et Mariæ Nomen potentiſſimum, vel prolatum, vel ſcriptum in charta, ſi ponatur ſuper energumenos, dæmones torquet, terit, & terret.

§. *II.*

In Ape pulchra Mariæ figura.

5 ET in volatili parvo, ſed ingenioſo, ſumma ſolertia, ſagacitas, & induſtria, exercitatio ſuavis, & laborioſa adeò præeminet, ut Thomas de Villanova conc. 2 de Sancta Dorothea Virgine, & Martyre adhibuerit Apem ad quaſcunque Virgines ſymbolicè exprimendas. Virgo devota, inquit, Api quam ſimillima eſſe debet, quæ longè à ſuo apiario volans, pulchros undique flores legit, ex quibus intrà alveum concluſa mellificat: Sic vos Spiritus Sancti flatu in cœleſtia raptæ, placidos è Paradiſo ſanctarum cogitationum, & meditationum flores colligite, unde dulciſſimos, & mellifluos intrà viſcera deſideriorum favos conficiatis. *Spiritus enim Domini ſuper mel dulcis*, *& hæreditas ejus ſuper mel*, *& favum*. *Eccli.* 24. *Pſal.* 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ*, *Domine, quam abſcondiſti timentibus te*: quos etiam in abſcondito vultus tui à conturbatione hominum, & à contradictione linguarum abſcondere dignatus es. *Pſal.* 30.

6 Apis quæ ſemper foras vagatur, nunquàm mellificat. Monialis quæ curis ſecularibus implicatur, ſpiritus ſuavitatem ignorat. Quàm benè ſibi conſonat Apis, & Virgo! Apis non coitus libidine, ſed Solis calore generatur; pudiciſſima eſt; omnem labem ignorat, dulciſſimos fructus facit. Unde enim dulcedo niſi à puritate confici debuit: Qualis artifex, tale opus. Materia quoque non diſſonat. Flore enim quid pulchriùs? Quid puriùs? Quid ſua-

ſuavius? Quàm eximiam analogiam retinent hæc omnia, ſi ad Spiritum ſuo ordine transferantur? Apis Deo dicata Virgo: flos cœleſtis meditatio: favus ſpiritualis dulcedo: Ros ille eſt, de quo *Eſa.* 26. *Ros lucis*, *ros tuus*: alveus, aut virgineum pectus, aut Religionis clauſtrum, in quo velut examina Apum, Virginum chori in pace, & ſilentio mellificant ſub Magiſtra. Volate ergò Virgines Dei aſſiduè in florigeram Paradiſum, atque indè placidos flores vobis colligite, ut mellifluos ſpiritus conficiatis favos. Hactenus Villanova.

7 Verùm ſtrictè, & magis proprià Apis Virgo Beata, de qua *Eccli.* 11. *Brevis in volatilibus Apis, & initium dulcoris habet fructus illius*. Nam ſicut multa, & magna, ait *ſerm.* 20. Victorinus, nobis ſatis documenta præſtant quælibet minima geſta Sanctorum in Scripturis: ita nonnunquàm præcipua virtutis exempla nobis præbent ea, quæ minima videntur in creaturis. Apis etenim quamvis in volatilibus brevis ſit, magna nobis tamen hortamenta juſtitiæ, natura, & actione ſua proponit. Apis nanque, quod & nobis præſens Scriptura ſonat, in volatilibus brevis eſt, ideſt, parva. Affert aquas ad operis ſui compoſitionem. Habet naturaliter iram. Habet aculeum, per quem exercet vindictam. Sinè coitu eſt: operatur ceram; operatur mel. Habet pedes, habet pennas, promit ſuſurrum. Ducem imitatur; & in ſuo volatu velox invenitur.

8 Hæc autem omnia, quæ de Ape diximus, ſpiritualiter de Beata Virgine convenienter intelligimus. Ipſa nanque brevis, ſive parva eſt per humilitatem, dùm non vult altum ſapere, ſed timere, & quantò ſe ſentit per juſtitiam ſublimiorem, tanto magis ſe ſatagit humiliare. Sumit quoque in opus ſuum aquam *devotionis per æternæ Patriæ recordationem*. Habet iram, dùm ergà malos juſtè iraſcitur. Habet aculeum, quo pungit, dum peccantes compunctionis ſpinà compungit. Sinè coitu eſt, dùm ſemetipſam ab illicita voluptate cohibet. Ceram verò operatur, dùm aliis per ſuam ſanctitatem juſtitiæ modos demonſtrat. Mel etiam congregat, dùm dulcedinem charitatis in penetralibus cordis accumulat. Habet pedes, dùm de virtute in virtutem, de bona actione in bonam actionem intrat. Habet pennas, dùm ab imis ad ſumma per contemplationem volat. Suſurrum promit, dùm in omnibus Creatori gratias agit. Ducem ſequitur, dùm quanlibet antiquarum Heroidum humiliter imitatur. Velox denique eſt, quia in omni exercitatione virtutis, & exhibitione boni operis expedita eſt. Et hic paucis mutatis eſt Victorini diſcurſus.

9 Denique ex Berchorio *lib.* 10. *Reduct. Moral. cap.* 6. pulchra habetur ſimilitudo. Ait enim. Apes ſecundùm Avicennam licèt ſint ſinè libidine, & virgines perpetuò perſeverent; tamen præ aliis avibus ſunt fœcundæ, quia non ſolùm unum fœtum, immò gemellos generant omni anno. Sic licet Beata Virgo libidinem neſciverit corporalem, tamen partum peperit duplicem, hoc eſt dictu, illum qui duplicem naturam continet in ſeipſo, divinam ſcilicet, & humanam: vel duplicem habet partum, hoc eſt dictu, populum Judaicum, & Gentilem: vel etiam bonos, & malos, qui ab Ipſa tanquàm partus proprius diliguntur, defenduntur, & proteguntur. Et ideò ſibi poteſt dici illud *Eſa.* 54. *Lætare ſterilis, quæ non paris, quia multi filii deſertæ*, &c. Vide inſuper Tomum primum de Interpretatione, verbo *Apis*, & ibi invenies plura.

§. *III.*

Ex Roſurella nonnihil habetur, quo poteſt Beata Virgo figurari.

10 Dicitur in horto ſanitatis Tract. de Animalib. cap. 123. quod Roſurella eſt animal circa aquas habitans. Ut frequenter muſtela maius, & pirolo minus. In dorſo ſubruſum, in ventre candidum. In terra facit habitacula: digerit ſtercus odoriferum valdè, & muſco ſimile in odore, ſed impar virtute, & odoris violentia. Viſus hominum fugit, uno tamen in loco ſtercus illud congerit: & hoc mirum in beſtia, quia bonum ſuum præſto omnibus accipiendum ponit: quo videatur bonum non invidere.

11 Et Beata Virgo, Roſurella, roſei quidem coloris in dorſo per charitatem, qua ſuper humeros ſuos, omnes portat debiles, & infirmos, vel tanquàm amantiſſima Nutrix infantes. In ventre verò coloris albi per mundiſſimam, & virginalem caſtitatem. Mora ejus jugis ſecùs aquarum decurſus, ſacrarum ſcilicet Scripturarum, quas jugi meditatione conferebat in corde ſuo. Humanorum refuga oculorum, ſolis divinis patère volebat, undè & ſola in domicilio ſuo ab Angelo inventa, ut Virgines edoceret aſpectus hominum declinare. Bonum autem virtutum ſuarum odorem omnibus communem exponit, quia nulli invidet bonum, ſed ex liberalitate, & magnificentia optima quæque cuique communicat.

§. *IV.*

Ibis pulchrum Beatæ Virginis typum repræſentat.

12 Ibis ſecundùm quod ſcribitur in lib. de naturis rerum, eſt avis ſuper Nilum requieſcens, aquam tamen nunquàm ingrediens, ſed cadavera ab aquis eiecta quærens, quibus veſci delectatur. Mentiuntur planè qui dicunt Ibides eſſe ciconias: niſi fortè dicant genus eſſe Ciconiarum in orbe noſtro ignotum. Nam Ibides affirmat Plinius habere roſtrum aduncum: quod de Ciconiis noſtris eſt falſum, quæ roſtrum habent longum, directum, & in ſummitate acutum. Hæc avis ore parit. Et Gloſſa ſuper Eſaiam. Ibis eſt avis aquatica, ſerpentibus inimica. Undè Joſephus narrat hujuſmodi aves à Moyſe in bellum delatas contra Æthiopes: quia ſerpentes abundant in terra illa, per quam aditus erat. Et Plinius lib. 10. ſcripſit. Invocant Ibides ſuas Ægyptii contra ſerpentium adventum.

13 Ibis, Beata Virgo, quæ circà Nilum

hujus

huius mundi decurrit, & cadaveroſos quęrit peccatores, ut eos ſibi incorporet per dilectionem, & eis tribuat gratiæ vitam. Talibus Ipſa libenter paſcitur, & delectabiliter; nam nulla maior Dei Matri delectatio, quàm de peccatoribus efficere Sanctos. Parit quidem & ore, quià inſtructionibus ſuis, & occultis inſpirationibus plurimos generat ad vitam ęternam. Serpentibus inimicatur, quià nullum peccatum in familiaribus ſuis amat, ſed perſequitur, & odit, uſque ad exterminationem. Vel ſerpentibus, ideſt, dæmonibus inimica: quam ſi quis per deſertum huius mundi pergens ad terram Cœleſtem promiſſionis, tulerit ſecum per imitationem, & devotionem, prævalebit in bello contrà Æthiopas æternæ noctis nigrore fuliginoſos, eoſdemque infernales fugabit ſerpentes.

§ *V.*

Alauda Deiparæ laudes canit.

14 Volucrem muſicam, & vocalem dignum erat Deiparam omnium avium Angelorum ſcilicet & hominum vocaliſſimam laudare. *Alauda* enim avis, inquit Albertus Magnus *lib.* 23. *de Animalib. Tract. de Avibus*, eſt *à laude* vocata, eò quòd muſicà, ſereno, & calido congaudet tempore. Hæc duplex eſt, plano videlicet capite, vel criſtato, & hæc *Galerica* vocatur, vel *Criſtata*. Eſt autèm coloris cinerei, maior parùm paſſere, & in poſteriori digito pedis ingentis longitudinis habens unguem, in agro habitans, non in ſilvis, granis, & vermibus veſcitur. Mas eius muſicus eſt valdè, & multæ modulationis, æſtatem primò inter aves prænuncians, & diem in Aurorà, promens laudem cantus ſui. Pluvias, & tempeſtates abhorret: accipitrem tantum timet, quòd fugit in hominum ſinus, & manus, vel in terrà ſedens permittit ſe capi. Cantat aſcendendo per circulum volans: & cùm deſcendit, primò quidem paulatim deſcendit, & tandèm alas ad ſe convertens in modum lapidis ſubitò decidit, & in illo caſu cantum dimittit. Hæc quandò domeſticatur, in ergaſtulo cantat, alas commovens, & ad liberum aerem exire geſtu quodam depoſcens: ſed ſi diu Captiva tenetur, ut frequenter in altero excæcatur oculo: & hoc ſæpiùs ſum expertus, quod in nono anno altero oculo cæcatur. Hæc avis utilis eſt in medicinam.

15 Mirę quidèm proprietates Alaudę, quas recitavit Albertus. Et cuinam magis conveniunt, quam Beatiſſimæ Virgini, quæ ſummæ lætitiæ avis eſt, & *Alauda* dicitur *à laudando? Exulta, & lauda habitatio Sion. Pſal.* .... Ipſa enim habitatio *Sion*, quæ *Speculum* interpretatur, quià eius uterus fuit domicilium Filii Dei incarnati, qui in Patrià eſt ſpeculum Beatorum.

Coloris cinerei per maximam humilitatem, vel per vitę ſummam auſteritatem.

Capite Galeata per eximiam gratię collationem: undè Apoſtolus, *Et galeam ſalutis aſſumite*: vel rutilantibus criſtis decorata per ſpiritualium donorum refulgentiam.

Unguem ingentis longitudinis habet in poſteriori digito pedis, per quem tenax, & firma in bono denotatur perſeverantia, quæ longanimis eſſe debet: nàm ſicut unguis quod capit, tenaciter tenet, & eſt digitorum finis; ità & perſeverantia bonum quod incœpit, & cepit, non deſerit, ſed uſque ad finem perſeverat in illo: quià *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Matth.*..

16 Moratur in agris, & ſatis, hoc eſt, in cordibus per diſciplinam benè excultis, non autèm in Silvis incultis frementium belluarum, paſſionum ſcilicet per indiſciplinam tumultuantium.

Granis paſcitur, hoc eſt, iis qui per amicitiæ unionem integri ſunt, & coniuncti; vermibus autèm veſcitur, nempè iis, qui per humilitatem ſe reputant vermes, dicentes cum Vate: *Ego autem ſum vermis, & non homo, Pſal.*..

Fuit valdè muſica, & magnæ modulationis: Ipſa enim primò æſtatem, hoc eſt, plenitudinem temporis, & gratiæ de proximo annunciavit quam cæteræ aves Prophetarum de longè prænunciarunt. Diem autem in Aurorà, hoc eſt, juſtitiæ Solis de ſe jam jam exorituri diurnos fulgores concentu ſuo prædixit, cùm cecinit: *Magnificat anima mea Dominum. Luc.* 1.

17 Accipitrem, hoc eſt, ſuperbiam adeò extimuit, quod vel viſà eius umbrà, ad ſinum, & manus humilitatis confugerit, & voluntarià deditione ſe totam ipſi tradiderit.

Vel Accipitrem, hoc eſt, diaboli inſidias, & efferatam crudelitatem, non in ſe, ſed in ſuis timet amicis: & ideò quandò accipitrem infernalem inſidioſè volantem, atque impetu immanitatis irruentem conſpicit, docet eos ad filii ſui humaniſſimam confugere miſericordiam, & ad ſuæ pietatis, atque clementiæ ſinum, dicendo illud Davidicum: *libera me Domine, quia ad te confugi*.

Præclarè autèm canendo aſcendit, & per gyrum volando circulos facit amoris in ſerenitate conſcientiæ, & divinæ gratiæ ſplendore, & à terrenis per contemptum elongata, ſursùm ſe ad Cœlum per contemplationem agendo, in ſpiritalem lætitiam reſolvitur, in laudem, & gratiarum actionem dulci modulamine vocalis erumpit, & in Deo lętificè gloriatur, ecſtaticos, atque harmonicos repetens Davidicos ſenſus: *Lauda anima mea Dominum: laudabo Dominum in vità meà: pſallam Deo meo, quandiù fuero. Pſal.*..

Quid autem illud eſt, quod Alauda cicurata, præcinit quidem in caveà, ſed alas commovet, & geſticulatione quadam liberum aerem depoſcere videtur: niſi quià Beata Virgo poſt aſcenſionem filii ſui ad Cœlum, adhuc corpore detenta, ſacro amoris enthuſiaſmo agitata, liberum expetebat volatum ad Filium, in quo tandem ſicut in centro votorum ſuorum quieſceret?

Quod autèm tradunt Alaudam diu captivam altero excœcari oculo, ſignificat Deiparam ex longo amoris angore jam penè nullum corporalium oculorum uſum habuiſſe, ſed animæ ſolum intuitum ad videndum Dilectum præoptatum ſibi remanſiſſe.

CAP.

CAP. VIII.

Alia ſenſibilia ſubeunt onus laudandi Deiparam.

1 LUdite, plaudite, exultate in laudibus Dei Matris Viventia ſenſibilia. Olim Adami imperio ex Dei præcepto ſubiecta, nunc jure naturali Reginæ veſtræ dominio demandata. Molimini igitur & vos quid egregium in Auguſtæ Matris honorem, & quæ ſitis quæ onus laudandi ſuſcipitis, detectis vultibus, aperite. Jam hæc quoque ipſi Nominis *Mariæ* characteres oſtendunt, & quilibet facilè in ipſius literis eruditus inveniet. Nam ſi elementa diſponat, unumquodque ſuum parit laudatorem, ut ſuprà ad mirationem ſit, tantam Virgineo Nomini fœcunditatem eſſe. O præclarum igitur Nomen, quod intacto Virginitatis virore in novos fœtus erumpit! A Literis enim eius producuntur

M erula:
A ureola:
R hinoceros:
I ſpida:
A nſolomes:

Quæ & ipſum integrum Nomen Virginis, quod eſt *Maria*, efformant.

§. I.

Quem Deiparæ typum Merula præferat.

2 ALbertus Magnus *lib.* 23. *de Animalib. Tract.* de Avibus Merulam tali pacto deſcribit. *Merulam* ſic vocatam quidam dicunt, eò quòd antiquitus *Modula* vocaretur, quaſi *modulos, & melos edens*. Undè dicunt quidam Merulam arte fuiſſe doctam, quòd novem modos notarum, quibus omnis cantilena componitur, adeò benè modulabatur, quòd à nullo hominum perfectè potuit imitari: & quaſi glorians in hoc avis illa ſepè in præſentià hominum per ordinem notas formabat. Quidam autem dicunt *Merulam* dictam: quia *Meir*, hoc eſt, *Solitaria* volat. Hæc verno tempore canit, hyeme balbutit. Avis nigra eſt, aliquantulùm fuſca in pectore. Clauſa ergaſtulis propter pinguedinem diutiùs cantat, & tunc contrà naturam carnibus veſcitur, & propter eas libentiùs cantat. Hæc contrà conſuetudinem avium non mutat pennas; ſed roſtrum, & pedes crocei habet coloris, & multum nitentis: & cùm ubique nigra ſit, in Achaiæ partibus eſt candida. Hęc Albertus.

3 Et ecce Deipara noſtra in avis typo dulciſſima modulatrix, cuius moduli, ſuaviſſimique concentus orbem univerſum lętificarunt. Quę quidem non humanę, ſed divinę artis magiſterio edocta, nedùm novem, ſed etiam decem notarum modos eſt modulata tanto mentis ardore, quod nullus ſivè hominum, ſivè etiam Angelorum illam perfectè potuerit imitari. Novem ſiquidem Angelorum ordines, tanquàm novem notarum modos diſſonante Luciferi perduellione à conſonà exturbatos harmonià, decimamque humanę naturę notam invidià diaboli vitiatam, admirabili ſuo concentu reparavit, ut propterea nec ſinè myſterio in ſuo cantico *magnificat* decem verſiculorum modulos decantaverit.

4 Avis ſolitaria, quià Beata Virgo hominum conſortia fugiebat: undè & Iſidorus in etymologiis *Merulam* ſic vocitatam ait: quià ſola volat, quaſi *mera volans*.

Nigri coloris per ſui contẽptum, & abiectionem. Vel nigra per humilem converſationem, ſed venuſtiſſima per pulcherrimam honeſtatem. Undè & Ipſa dicit *Cant.* 1. *Nigra ſum, ſed formoſa filia Ieruſalem*. Vel nigra per doloris acerbitatem, & compaſſionem in Filii paſſione: unde iterùm & benè ipſa dicit *Cant.* 1. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decoloravit me Sol*, ſcilicet Filius meus eclypſatus in Cruce.

Non mutat pennas: hoc eſt, nunquam exuit virtutes, & gratiam, quæ ſunt pennæ animarum, quia confirmata per excellentiſſimę gratię privilegium in bono, in peccati lapſum cadere non potuit, quod fuit pręter conſuetudinem hominum, & Angelorum, quià homo cecidit per culpam, & *in Angelis ſuis Deus reperit pravitatem. Iob. c* 4.

5 Roſtrum autem crocei coloris habet, quia Virginis os aureum eſt eloquentię claritate, quà mirabiliter Reorum cauſas defendit, Deique juſtitiam vindicem ad favorabilem miſericordiam flectit.

Pedes etiam auri fulgore nitentes habet, quià affectus eius, qui ſunt animę pedes, quibus progreditur de virtute in virtutem, & de bono ad optimum, atque perfectum, aurei ſunt per charitatem, quę omnes affectiones ad inſtar auri liquati deaurat Unde & Ipſi dicitur *Cant.* 7. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis*.

Merula, ut dicitur in *lib.* de naturis rerum, libenter balneatur in aquis, & roſtro plumas ordinat, & pulchrè ſecernit. Nam Beata Virgo in Divinitatis fonte per jugem contemplationem ſe abluebat, & roſtro diſcretionis, atque prudentiæ virtutum pennas recto ordine diſponebat, earumque exercitium juxtà temporum exigentiam diſtribuebat.

Juxtà Plinium *lib.* 10. *c.* 29. Merula ęſtate canit, hyeme balbutit, circà Solſtitium muteſcit. Et Beata Virgo in ęſtate, hoc eſt, in amoris fervore cecinit per gratiarum actionem, in hyeme verò, in horridà ſcilicet filii paſſione, cùm juſtitię Jubar ſolſtitium egit in Cruce, præ nimio dolore penè obmuteſcere viſa fuit.

Quod denique in *Achaia*, quæ intepretatur *Soror Domini*, Merula ſit alba, præſignat in Beatiſſima Virgine inviolatum virginitatis candorem: ut tamèn ſit Soror, & ſponſa Spiritus Sancti: Soror per teneritudinem affectionis: Sponſa per nuptiales arrhas: nàm Ipſam vocat & Sororem, & Sponſam. *Cant.* 5. *Veni in hortum meum Soror mea Sponſa.*

§. II.

In Aureolà Beatæ Virginis Hieroglyphicum.

6 SCiebam apud Theologos aureolam ſumi pro gloria accidentali, quà poſt eſſentialem Beati fruuntur in Patria. Quòd verò nomen aureolæ poſſet reciprocari cum avibus, nondum attigeram. Sed Berchorius *lib.* 7. *Reduct. Moral. c.* 56. omnem mihi abſtulit dubitationem. Aureola enim, inquit, eſt avis crocei coloris, quæ nidum ſuum in ramis arborum pendentem mirà ſubtilitate facit, ac ſi in ſolo aere pendère videretur. Sic illi, qui ſunt coloris aurei per auream converſationem, faciunt ſibi nidum ſursùm in ramis Crucis per devotionem, ibique ex toto pendère videntur per ſpem, fiduciam, & affectionem. *Iob* 7. *Elegit ſuſpendium anima mea.*

7 Verùm de te, ò Beatiſſima, per excellentiam verificatur, quòd ſis Aureola aurei coloris per Angelicam, cœleſtemque converſationem: ut etiam ſis tota auri quodam ſpiritali deaurata fulgore ad fimbrias uſque extremas: juxtà quod fatidicus cecinit Vates: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: in fimbriis aureis, &c. Pſal.* 44.

Quæ nidum in ramis vivificæ Crucis tibi conſtruxeras, in qua filius pendebat, ut indè non poſſes avelli, ſed diceres præ exceſſivo in filium amore: *In nidulo meo moriar. Iob* 29. Stabas enim juxtà Crucem ecſtaſi amoris ſuſpenſa, & oculis in filium Crucifixum defixis, tanquam magnes à ferro tracta (novum miraculum, ut ferrum magnetem traheret) à clavis ſcilicet Crucis, & lanceà, tota ex toto in aere pendère videbaris. Verè duplici ex amore, divino ſcilicet, & materno ſuſpendium elegit anima tua, ut primo tanquam Conredemptrix ſacrum pignus ad Mundi redemptionem traderes Cruci, ſecundo tanquam Mater filio morienti commorereris.

§. III.

Quid myſterii Rhinoceros habeat in tertià literà Nominis Mariæ.

8 PUlchritudinis efficaciam virginalis à Rhinoceronte fateri, plurimi literis tradidère. Nam ferociſſima bellua, quæ à nullo ſe capi permittit, ſpontè virgineæ venuſtati captivam ſe tradit. O pulchrum, & admirandum myſterium! Rhinoceros non ſolùm in *Mariæ Nomine*, tertià literà tanquam vinculis irretitus, ſed etiam in eius ſinu ferocitate depoſità ligatus, & captus. Verùm explicemus ſecretum.

9 Berchorius igitur *lib.* 10. *Reduct. Moral. c.* 85. Rhinoceros, inquit, qui & Unicornis, eò quòd unicum cornu habeat in fronte, cum quo ventilat Elephantem, ſecundùm Iſidorum *lib.* 12. eſt beſtia fortiſſima, quæ nullo ingenio poteſt capi. Veruntamen Puella Virgo in deſerto venienti Unicorni proponitur, & ei ſinum aperit, & tunc beſtia omni feritate depoſità, in eius gremium ſe inclinat, ac ſi ibi vellet dormire: & ibì à venatoribus deprehenditur, & occiditur, & necatur, & lanceis, & iaculis vulneratur. Et eſt Rhinoceros ſimilis Elephanto in longitudine, ſed crura habet mirabiliter breviora, ut dicit Plinius *lib.* 8. *c.* 20.

10 Rectè chariſſimi per iſtam beſtiam intelligitur Dei filius, qui fortiſſimus Deus ſpirituum nuncupatur *Numer.* 16. Undè prò certo venatores, hoc eſt dictu, Judæi, vel Sancti Patres ipſum non poterant capere, & ad mundum attrahere aliquà arte, vel ingenio: Veruntamèn quando Virgo, & Puella, ideſt, Beata Virgo *Maria* fuit in deſerto huiusmundi poſita, & virtute Sancti Spiritus pręparata, & ei ſinum, ideſt, cor aperuit, & per amoris deſiderium dilatavit (juxtà illud *Pſal.* 77. *Ædificavit ſicut Vnicornis ædificium ſuum*) tunc prò certo Dei filius depoſuit omnem feritatem ſuam, ideſt omnem rigorem juſtitiæ, quà primitùs præpollebat; & in ſinum, ideſt, in ventrem huius Virginis ſe recluſit, ubì carnem humanam aſſumpſit, & ſic à Judæis venatoribus crudelibus eſt occiſus per lanceam, & per clavos. Unde *Numer.* 23. *Deus ex Ægypto vocavit eum, cuius fortitudo eſt ſimilis Rhinoceronti, & requieſcens acquievit ut leo.*

Si vis pone figuram de Sunamite, in cuius ſinu dormiebat David, &c. Et iſte eſt ſimilis Elephanto, ideſt, cæteris peccatoribus in corpore, ideſt, in exteriori apparentià humanitatis. *Similis aliis hominibus. Sap.* 7. Sed verè crura, ideſt, affectiones, & deſideria ipſius non ſe extenderunt ad tot, & tanta, ſicut noſtra, quia iſta mundana nunquàm concupivit ullo modo.

11 Libet etiam eandem Unicornis venationem ex Hugone Victorino *lib.* 2. *de beſt. c.* 6. repetere, quià & quantùm ad eius corporis ſimilitudinem, & quantùm ad hieroglyphicum unici cornu aliquid habet diverſum. Eſt animal, inquit, quod dicitur Monoceros. *Monoceros* autèm Græcè, *Vnicornis* dicitur Latinè, eò quod unum cornu habet in medio capite. Phyſiologus dicit hanc Unicornem habere naturam, quòd ſit puſillum animal, & hædo ſimile, acerrimumque habet in capite cornu unum, ipſumque nullus venator vi aut prævenire, aut capere poteſt, ſed hoc duntaxat commento, ac dolo capiunt illud. Puellam, Virginenque ſpecioſam ducunt in locum, ubi moratur, & dimittunt eam ſolam, cùm autèm ipſa viderit illud, aperit ſinum ſuum, quo viſo, omni ferocitate depoſità, caput ſuum in gremium eius deponit, & ſic dormiens deprehenditur ab inſidiatoribus, & exhibetur in palatium Regis.

12 Sic & Dominus Ieſus Chriſtus ſpiritualis Unicornis deſcendens in uterum Virginis per carnem ex eà ſumptam captus à Judæis, morte Crucis damnatus eſt, quo David *Pſal.* 28. *Et dilectus quemamodùm filius unicornium*. Et alibi *Pſal.* 91. *Et exaltabitur ſicut Vnicornis cornu meum*. Et Zacharias *Luc.* 1. *Suſcitavit cornu ſalutis noſtræ, in domo David pueri ſui*. Quià verò habet hoc animal unum cornu in capite, ſignificat hoc, quod Salvator ait: *Ego, & Pater unum ſumus. Ioan.* 11. *Caput enim Chriſti Deus eſt.* 1. *Corinth.* 11. Quià acerri-

rimum dicitur, ſignificat quòd neque Principatus, neq; Poteſtates, neq; Throni neque Dominationes intelligere Deum valent, ſicut eſt. Quià autèm dicitur puſillum, propter incarnationem eius, & humilitatem dicitur, dicente ipſo: *Diſcite à me, quià mitis ſum, & humilis corde. Matth.* 11. Qui intantùm acerrimus eſt, ut ſubtiliſſimus diabolus intelligere, & inveſtigare incarnationis eius myſterium non valuerit, ſed ſolà voluntate Patris deſcendit in uterum Virginis, & *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Ioan.* 1. Hædo autèm ſimilis eſt Unicornis, quià Salvator ſecundùm Apoſtolum *factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum.* Hæc ille.

13 Verum quis non admiretur virgineam Deiparæ pulchritudinem, quæ ſacro quodam amoris illicio fortiſſimum Unicornem Dei filium ad terras de Cœlis attraxit? In huius igitur admirabilis myſterii contemplatione lubet aliquantulùm immorari, & cùm Beato Thomà de Villanovà *Conc. 4. in die natal. Domin.* iteratò examine hoc ipſum ponderare. Hęc Virgo Beata, inquit ille, nobis Deũ protulit, & hominem: hæc ſuà eum pulchritudine, & decore à Cœlis allexit: amore illius captus eſt, & humanitatis noſtræ nexibus irretitus: ſicut in *Pſal.* 28. Scriptum legimus. *Et dilectus quemadmodùm filius Vnicornium.*

14 O comparationem mirificam! Unicornis enim, Iſidoro teſte, cùm ſit animal ferociſſimum, & agile, nullà arte, nullà induſtrià capi poteſt; ſed hac eum venatores arte deludunt: Opponunt ei Virginem decoram, modo venuſto ornatam, cuius decore ex naturà ſuà, ità capitur oculis ut depoſità feritate, velut manſuetiſſimus agnus, apud Virginis pedes advolvatur, & ſe tractandum illi ludens, & benevolus exhibeat: quæ dùm illi leniter blanditur, collo eius laqueum furtivè immittit, & à venatoribus propè latentibus; fortiter retinetur. Mira naturæ vis, quæ feroci bruto puellarem gratiam ſic conciliat. Quid mirum ſi fortes viros enervet fœmina, quæ ferociſſimos Unicornes ſolà pulchritudine domat?

15 Quid enim filio Dei ſimiliùs, quàm filius Unicornium? Captus eſt & ipſe amore Virginis, & maieſtatis oblitus, carneis vinculis irretitur. Undè in Canticis quaſi capturam ſuam prævidens, ex amore ad Virginem clamat. *Cant. 6. Averte oculos tuos à me; ipſi me avolare fecerunt*: avolare inquam, à ſinu Patris in uterum Matris: à ſummo Cœlo ad infimum limum. Et iterùm *Cant. 4. Vulneraſti cor meum, Soror mea Sponſa, in uno oculorum tuorum; in uno crine colli tui.*

Licet enim omnis huius Puellæ venuſtas ei grata fuerit, oculi tamen, & crinis maximè ſe pulchritudine teneri, vulnerarique fatetur: quià fides, & humilitas Incarnationis opus in eà præcipuè perfecerunt. Undè & à beata Eliſabeth protinùs de fide laudata eſt: & Ipſa in Cantico ſuam præcipuè humilitatem commendat, dicens: *Quià reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, &c. Luc.* 1. Oculus ergò fidem, Capillus humilitatem deſignat: quibus potentis Dei filio Virgo maximè complacuit, illumque uno capillo colli ſui, licet fortiſſimum, & potentiſſimum, fortiter alligavit.

His nimirùm Virgo Regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter, & corporis decore præfulgida, ſpecie ſuà, & pulchritudine ſuà in cęleſtibus agnita, Cęli civium ad ſe provocavit aſpectus: ità ut in ſui amorem, Regis animum inclinaret.

16 Extat huius rei eximia figura licet in affectu carnali, in fortiſſimo illo Samſone pulcherrimæ Dalilæ amore capto, ligato, tonſo, irriſo, & inimicis tradito. Qui vir à ſeculo potentiſſimus, in fortitudine corporis nemini comparandus, poſt tot peractas victorias, poſt tot res benè geſtas, poſt mille hoſtes aſini mandibulà ſuperatos; mirabile dictu, ipſe unius Puellæ pulchritudine victus eſt, ligatus, & tonſus, inimiciſque ſuis ad illudendum expoſitus. Quis unquàm vidit vitutem viri, & fortitudinem in capillis? Quis unquàm audivit hominem per ſolam capillorum tonſionem infirmari, debilemqe, & ſinè viribus reddi? In muſculis, & nervis robur eſſe ſolet, non in capillis.

17 Non dubium eſt, magnum aliquid portendere hanc capillorum fortitudinem, & grande aliquod in portentoſo Viro latère myſterium. Neque enim humana fortitudo erat, unius mandibulæ telo exercitus cuneum ſuperare. Agnoſco fortiſſimum Samſonem in egreſſu populi ab Ægypto aſini mandibulà cuneos Principum ſuperantem. Quid enim populo illo Hebræorum debiliùs? Quid infirmiùs? Nunquid non mandibula aſini eſt uſque hodiè? Cùm enim puſillanimitatis ludibrio quemlibet annotamus, Judæum eum vocare ſolemus: quià nihil Iudæo debiliùs invenitur. Et tamen bone Deus, quantas Gentium, & populorum ſtrages hac debili mandibulà illo tempore perpetraſti? Quot regna, quot Reges illo populo ſubiugaſti? Vt per hoc brachii tui potentiam, & nimiam fortitudinem tuam oſtenderes, qui tàm infirmo populi inſtrumento, tales, ac tantas victorias obtineres: & de Gente alioquin fortiſſimà toties tàm mirificè triumphares.

18 Hic ergo ipſe, qui tantæ fortitudinis, & vigoris magnitudinem oſtenderat, qui toto Orbe terribilis, & formidabilis apparuerat, unius Virginis amore prehenſus, hodiè infans, infirmus, ligatus, & tonſus, æmulis exponitur illudendus: neque enim teneretur niſi homo, neque crucifigeretur, niſi homo. Quæ ergò eum carne veſtivit, & Ipſa illum ligavit, Ipſa eum ludibrio, & morti expoſuit.

19 Vide nunc ò anima devota, inſpice Samſonem illum potentiſſimum, infirmatum, ligatum, & tonſum, in dilectæ ſuæ Dalilæ gremio recumbentem. Vbi nunc capilli qui de capite eius, ideſt, divinitate profluunt ab æterno, in quibus virtus eius tota cõſiſtit? ubi Sapientia, ubi potentia, ubi æternitas, immenſitas, immutabilitas, infinitas, & virtutes aliæ divinæ, quibus Sacrum illud caput inundat?

Tonſus eſt noſter Samſon, tondente ſe Dalila: non eius crines evulſi ſunt, ſed detonſi: intùs in capite radices manent, ſed aliquandò prodibunt. *Expecta me*, inquit, *in die reſurrectionis meæ. Sophon.* 3. Expecta modicum, expecta modicum, ut noſter Samſon adiungatur ad templi columnam, ideſt, fortiſſimam Crucem: ſi enim exal-

tatus fuerit à terra, omnia trahet ad ſeipſum, & morietur Samſon, & ſimul omnis æmulatio diſſolvetur: plures enim moriendo, quàm vivendo proſternet, & in morte, quam in vita potentior apparebit. O ſacram Dalilam, ò feliciſſimam Virginem, quæ fortiſſimum alligaſti, & omnipotentem Deum noſtris commodis infirmaſti: quàm læta, quàm jucunda hodiè de Samſone triumphas? &c. Hactenus Villanova. Magna ergo vis pulchritudinis, magnum venuſtatis illicium, & imperium, potens virtus amoris, quibus Virgo Beata omnipotentem irretivit, & captivum fecit fortiſſimum Unicornem.

§. IV.

Quid de Beata Virgine figuretur in Iſpida.

20 Bellè quidem avis hęc in nomine ſibi contraria eſt. Squalorem enim in vocabulo præfert, & inſigni pulchritudine nobilitatur in corpore. Cur ergò non pulchra, ſed Iſpida dicitur? De hoc infra. Interim Albertus Magnus lib. 23. de Animalib. Tract. de Avibus ipſam nobis deſcribat. *Iſpida*, inquit, avis eſt pulchra, quæ Germanicè *Iſuogel* vocatur. In dorſo colorem habet medium inter viridem, & cæruleum, cui cùm radius Solis incidit, Sapphyrini coloris eſſe videtur. In pectore colorem habet carbonum ardentium. Circa aquas volat, piſciculis inſidiatur, & vermiculis. De hac dicunt, quod pellis ejus detracta, & parieti infixa, mutat pennas annis ſingulis: ſed probavi in aliquibus verum non eſſe. Dicunt etiam auguria ſectantes, quòd hæc avis conſervata in theſauris, theſauros auget, & abolet paupertatem. Hæc eſt Iſpida ab Alberto deſcripta.

21 Iſvogel igitur eſt avis hiſpida, & pulchra, per quam vitæ auſteritas ſignificatur, quæ helluonibus abdomini ſuo natis, Lucullis, & Apiciis in Apolline cœnantibus nimirùm horrida, aſpera, ſentibus hiſpida eſſe videtur, ſed è contrario ſobriis, & temperantibus amabilis, pulchra, & ſuavis. Sic & Beata Virgo temperantiæ, & ſobrietatis amica, hiſpida quidem auſteritate vitæ, ſed decora nimis, & pulchra ex venuſtate virtutis.

Poſteriora dorſi ejus colore medio inter viridem, & cæruleum depicta eſſe videntur: quia Ipſa ſemper fuit media inter ſpem vicidem æternorum, & inter cæruleam cœleſtium converſationem. Radiis autem Solis æterni repercuſſa in Sapphyrinam Cœli ſerenitatem transformabatur.

22 In pectore habet colorem carbonum, ſeu carbunculorum ardentium. Carbunculi enim ſunt quidam gemmmantes, & igniti carbones. Quid verò de igneo carbunculorum colore in Deipara noſtra philoſophamur? Plurima cum Berchorio *lib.* 11. *Reduct. Moral. cap.* 57. Eſt enim, inquit ipſe, quædam ſpecies carbunculi in India, dicta Sandaſeros, in cujus ſpecie, velut inter lucidos ignes, apparent guttæ aureæ relucentes, & eſt pretii incomparabilis. Eſt etiam quædam carbunculi ſpecies cæteris nobilior, quæ zona candida eſt præcincta. Omnis autem carbunculus nocte, & die rutilat, atque fulget, & more ignis jugiter inardeſcit. Et eſt quædam alia ſpecies, quæ folia librorum, & palas attrahit, cum à Sole, vel attritu digitorum fuerit calefacta, ſecundùm Iſidorum.

23 Talis fuit Beata Virgo, quæ pro certo habuit ſplendorem honeſtatis, ruborem charitatis, zonam candidam floridæ caſtitatis, & ideò pretii incomparabilis, & inæſtimabilis fuit. Quia verè nec in nocte adverſitatis, nec in die proſperitatis, ceſſat radios ſuæ gratiæ, & miſericordiæ emittere, & folia librorum, id eſt, clericos, & literatos; & paleas, id eſt, laicos, & peccatores ad ſe attrahere, vel levare: & hoc, quando à digitis noſtris, id eſt, à noſtris operibus, & orationibus fuerit inſtigata; ſicut *Cant.* 1. *Trahe me poſt te, in odorem unguentorum tuorum curremus.* Iſta autem in ſe repræſentavit guttas aureas, id eſt, univerſitatem bonorum operum, virtutum, & exemplorum, quæ poſſunt in ea reperiri. Undè *Sap.* 7. *Cognovi, quoniam omnium bonorum Mater eſt.* Hactenus ille.

24 O quam pulchra, & venuſta Iſpida eſt Deipara. Sed etiam nobis utilis, & fructuoſa. Volatu enim circa mundi hujus aquas ſe provehit, & piſciculos, hoc eſt, homines, quos juxtà Prophetam Deus fecit, ſicut piſces maris, inſidiis amoris ſui deſiderabilibus ſatagit irretire, juxtà illud *Oſeæ: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.*

Verè autem in theſauro virtutum conſervata, auget ſpiritualium donorum theſauros, & abolet animæ paupertatem, per ipſam enim diteſcit, & potioribus gratiæ bonis, atque divitiis augetur.

§. V.

Quid per Anſolemes ſignificetur in Beata Virgine.

25 ANſolemes, ſeu aves Paradiſi, ut tradit Berchorius lib. 7. Reduct. Moral. c. 11. ſunt quædam aves ad quantitatem anſerum, alias circa, quæ ita ſunt diverſis coloribus coloratæ, ut nullus color dicatur eis deeſſe: & iſtæ ità habent vocem piam, & dulcem, quòd excitare poſſunt hominem ad devotionem. Et dicuntur aves Paradiſi, eò quòd neſcitur undè veniant, aut quò vadant. Earum enim coitus, aut generatio non videtur, ſed certis temporibus aggregatæ veniunt, & certis temporibus recedunt, ſicut ponit Auctor in lib. de natura rerum.

26 Talis per omnia fuit Chriſtus, quia ſcilicet generatio ipſius fuit hominibus penitùs ignota. *Eſa.* 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Ideò etiam dixit Judæis de ſeipſo *Ioan.* 8. *Vos autem neſcitis undè venio, aut quò vado.* Iſte enim certo tempore per Incarnationem venit: quia ſicut dicitur *Ierem.* 8. *Turtur, hirundo, & ciconia cognoverunt tempus adventus ſui.* Certo etiam tempore per paſſionem receſſit, dicens *Ioan.* 16. *Tempus eſt, ut revertar ad eum, qui miſit me.*

27 Iſte igitur dicitur avis Paradiſi, quia ſci-

licet iſte ad literam de Paradiſo venit in mundum. *Eccli.24. Exivi de Paradiſo*, &c. Et Ideò iſte fuit coloratus omni colore virtutis, & perfectionis. *Ezech.* 16. *Sumpſiſti veſtimenta tua multicoloria*. Et vocem habuit ità piam, ſicut patet per decurſum Evangeliorum, quòd ſecundùm rei veritatem hominem potuit ad devotionem movere, & ad compaſſionem, & fletum aliquoties excitare. Ideò de voce ſuæ locutionis, & de colore ſuæ decoræ converſationis dicitur *Cant.* 2. *Oſtende mihi faciem tuam: ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & faties tua decora.* Hæc ille.

28 Sed nunquid etiam Beata Virgo, avis Paradiſi? Et talis profectò, quia Mater Chriſti. Quia ab oriente æternitatis per vocem ſuam vocavit avem Paterni Paradiſi inquilinam, ut in utero ſuo per incarnationem tanquàm in nido habitaret. Cujus quidem conceptionis modus adeò fuit admirabilis, ut pœnitùs Angelis, & hominibus fuerit ignotus.

Avis etiam Paradiſi, quia omnigenis virtutum, tanquàm colorum, circumamicta varietatibus.

Vocem denique habuit tàm piam, ac dulcem, ut vel ipſum filium ſuum ad compaſſionem excitare potuerit, cùm in nuptiis Canæ Galileæ deficiente vino, nè Sponſi erubeſcerent, dixit filio: *Vinum non habent. Ioan.2.* Undè Chriſtus maternæ vocis dulcedine commotus aquam convertit in vinum.

CAP. IX.

Proſequuntur ſenſibilia in ſuo certamine Beatam Virginem laudare.

1 BOna quidem, & laudabilis illa eſt certaminis æmulatio, quæ ſibi laudis ſtipendia promeretur. Laudationem igitur ab avibus, & feris in *Mariæ* laudibus emeritam ſilentio prætereundam minimè arbitramur. In volucribus enim vocis ſuavitas, & pulchritudo coloris eſt, in feris autem induſtriæ, & ſolertiæ dotes, tùm maculoſa colorum venuſtas. Quæ quidem ad hieroglyphica *Mariæ* ſumuntur. Noviter ergò certare videntur. Neque enim dignè ſatis laudatur, quæ omnem meretur, & exſuperat laudem. Non tamen propter hoc ab ejus præconiis abſtinendum, ſed quia aliter non poſſumus, ſaltem prò modulo noſtro commendanda. Emergunt igitur à literis ſui Nominis volucres quinque, quæ novam exhibent materiam laudis, & hanc præcipuè quia Virginis Nomen, quod eſt *Maria*, exornando componunt, ſcilicet:

M erox.
A lcion.
R egulus.
I ſida.
A eriophilon.

Vides ex diverſa volucrum ſpecie varietatem concentus, & laudis. Sed ex ſingulis meliùs intelligetur quid habeat unaquæque.

§. I.

Merox ſingularem Mariæ ſolicitudinem in educandis fidelibus deſignat.

2 NOn te moveat vocabuli novitas. Merox enim, juxtà Albertum Magnum *lib.23. de Animalib. Tract. de Avibus*, eſt avis de picorum genere, cujus garritum Augures multum obſervant. Eſt aliquantulum viridis: & ideò picus viridis vocatur. Habet tamen in dorſo aliquantulum coloris Kyavi: in pectore ſubrutilus eſt, & in ventre pallet caliditate naturali. Fodit autem in terra ad altitudinem ſex pedum, & ibi nidum conſtruit, & pullos uſque ad perfectionem nutrit.

3 Merox, ſivè Picus viridis Beata Virgo. Nihil languidum, nihil flaceſcens, ſed viride totum in Ipſa. Viriditas enim alacritatis in omni ejus opere viguit, ut ex ea deſidem negligentiam tuam in operando arguere poſſis.

Flavitiem autem quandam coloris habet in dorſo; quia pudoris, & pudicitiæ flammeo cooperta, nullis hominum voluit patère conſpectibus.

Pectore ſubrutila: quia igniculi amoris, & charitatis latère non poterant.

Pallebat autem in ventre, non quidem caliditate ciborum, ſed temperantia, atque jejunio.

4 Hujus autem garritum ſi attentà aure perceperis, plurima indè auguria deducere poteris. Quid ejus garritus, niſi occultus inſpirationis ſuſurrus? Quid verò inſpirat, niſi leges, præcepta, & conſilia filii ſui? Quæ ſi per executionem, & perſeverantiam adimpleveris, optimus augur felicitatis tuæ eſſe poteris.

Vel per garritum intellige conſcientiæ ſyndereſim, quam Ipſa in te excitat, cùm aliquid mali feceris, ut quamprimùm odias, deteſteris, & in poſterùm fugias.

In educandis verò pullis ſuis quàm induſtria, & pia Nutrix? Quos enim Ipſa per gratiam filios gignit, optimo nido in profunditate humilitatis conſtructo eos fovet, & virtutum pabulo nutrit, nec dimittit, donec ad conſummatam vitæ æternæ perfectionem perducat.

§. II.

Quid habeatur ex Alcione, quo Beata Virgo figuretur.

5 INcultam ruſticani eloquii noſtri ruditatem, civilis, & urbanæ eloquentiæ Ambroſii elegantia, ac venuſtate aliquantulùm poliamus. De Alcione enim in Virginis typum acturi, nulla cultiori, quàm Ambroſii lingua poſſumus loqui. Ille igitur *lib. 5. Hexam. c. 13.* mira dicendi ſuavitate, naturam, proprietates, ſolertiam, atque fiduciam Alcionis deſcribit. Alcion, inquit, eſt avis maritima, quæ in litoribus fœtus ſuos edere ſolet, ita ut in arenis ova deponat medio ferè hyemis. Nam id temporis fovendis habet deputatum partubus, quandò maximè inſurgit mare, litoribuſque vehementior fluctus illiditur, quò magis repentinæ placiditatis ſolemnitate avis hujus eluceret gratia. Nam ubi undoſum fuerit mare, poſitis ovis ſubitò miteſcit, & omnes cadunt ventorum procellæ, flatuſque aurarum quieſcunt, ac placidum ventis ſtat mare, donec ova foveat Alcion ſua. Septem autem dies fotus ſunt: quibus decurſis educit pullos, fœtuſque abſolvit: illicò alios quoque ſeptem dies adjungit, quibus enutriat partus ſuos, donec incipiant adoleſcere. Nec mireris tàm exiguum nutrimenti tempus, cùm abſolutio fœtuum tàm paucorum dierum ſit.

6 Tantam autem gratiam minuſcula avis divinitùs indultam habet, ut hos quatuordecim dies nautici præſumptæ ſerenitatis obſervent, quos & alcionidas vocant; quibus nullos motus procelloſæ tempeſtatis horreſcant. *Nonne vos paſceribus pluris eſtis?* Dominus ait *Luc.* 12. Si igitur avis minuſculæ contemplatione & inſurgit mare, & repentè comprimitur, atque aſpera hyemis inter ingruentes procellas, tempeſtateſque ventorum detergit nubila, fluctuſque componit elementis omnibus ſubitò infuſa tranquillitas: quantum præſumere debes ò homo ad imaginem Dei factus agnoſcis; ſi tamen aviculæ iſtius fidem ſtudio devotionis imiteris. Illa tempeſtates videns inſurgere, ſævire ventos, inter hyberni ſæva, non revocatur, neque reflectitur, ſed impellitur. Denique in litore ſua ova conſtituit, ubi ea relabente fluctu madida adhuc arena ſuſcipiat; nec inſurgentes fluctus, quos immurmurare, atque allabi videt, reformidat.

7 Et nè putes quòd ovorum videatur habere contemptum, continuò ubi depoſuerit ova, nidificat, & ſuo partus corpore fovet, nec ſaluti propriæ alluvione litoris pertimeſcit, ſed ſecura de Dei gratia, ventis ſe committit, & fluctibus. Parum eſt hoc. Adjungit totidem alios ad nutriendum dies, nec interpellari tot diebus infidi maris tranquillitatem veretur, tentatque meritum ſuum naturæ jam ſolemnitate fundatum, & teneros fœtus non latibulis aliquibus abſcondit, aut tectis, nec includit cavernis, ſed nudo, & rigenti committit ſolo, nec defendit à frigore, ſed divino fotu quò magis cætera deſpiciat, tutiores fore exiſtimat. Quis noſtrum parvulos ſuos non veſtimentis tegat, tectiſque abſcondat? Quis non claudat eos ſeptis cubiculorum? Quis non ità diligenter undique feneſtras obſtruat, nè quæ poſſit aura vel leviter penetrare? Meritò quos tam ſolicitè induimus, ac fovemus, exuimus clementiæ cœleſtis involucro: Alcion verò quos proiicit, eos divino veſtit indutu. Hactenùs mellita Ambroſii eloquentia.

8 Pulchrè Ambroſius ex Alcione nos docuit ſpem & fiduciam ponere in Deo, nec ulli divinam deeſſe Providentiam, quà nimis anxia in rebus humanis ſolicitudo damnatur. Sed quid dicimus de Alcione, quatenùs hanc avem Virginis hieroglyphicum eſſe prædicamus? Berchorius *lib. 7. Reduct. Moral. cap.* 6. Alcionis hiſtoriam interpretatur de Chriſto. *Alcion*, inquit, dicitur *ab ales*, & *oceanus*, quaſi *Ales Oceani*. Eſt enim avis, quæ in medio hyemis, ubi mare eſt tempeſtuoſum, ſolet in mari nidum ſuum facere, & in ipſo ova ſua ponere, ſed ſtatim quòd in nido incipit cubare, in toto mari fit maxima ſerenitas, ità quòd ſeptem diebus, quibus ova fovet, & ſeptem aliis quibus pullos eductos nutrit, nulla penitùs turbatio fit in mari: & ideò nautæ iſtos quatuordecim dies perpetuæ ſerenitatis obſervant, & ipſos alcionidas vocant. Et iſta videtur eadem velle Ovidius, qui *lib.* 11. *Metam.* cecinit:

Perque dies placidos hyberno tempore ſeptem
Incubat Alcione pendentibus æquore nidis.
Tùm via tuta maris: ventos cuſtodit, & arcet
Aeolus egreſſu, præſtatque nepotibus æquor.

9 Chariſſimi per mare fluctuoſum intelligitur mundus, juxtà illud *Pſal.* 103. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum.* Per hyemem intelligitur tempus legis antiquæ, in quo mare hujus mundi erat tot fluctibus, & tempeſtatibus plenum, quòd nulla navis, id eſt, nulla anima poterat venire ad portum Paradiſi. Per iſtam volucrem intelligo Dei filium, qui ſcilicet rectè dicitur *Alcion ales Oceani*, inquantùm ſcilicet ille, qui erat propriè ales Cœli, fieri voluit ales oceani, id eſt, hujus mundi quandò ſcilicet poſtea *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Baruch.* 3.

10 Iſta ergò Alcion, id eſt, Dei filius videns, quòd motus, & fluctus tribulationum, & contentionum, diſcordiarum, & diviſionum, in mari hujus ſeculi abundant, juxtà illud *Matth.* 8. *Motus magnus factus eſt in mari, ità ut navicula operiretur fluctibus:* volens omnia pacificare, & ſedare, venit ibi per beatam incarnationem in nido utori virginalis, & etiam in nido militantis Eccleſiæ. *Ioan.* 21. *Manifeſtavit ſe Ieſus ad mare Tyberiadis.* Ibique ova, & pullos, id eſt, fideles, & diſcipulos ſpiritualiter genuit, & produxit, juxtà illud *Iacob.* 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.*

11 Et tunc procul dubio facta eſt ſerenitas pacis, & concordiæ, nec non ſerenitas virtutis, & gratiæ in iſto mari, quia ſcilicet diſcordia, quæ erat inter Deum, & homines, & etiam inter homines, & homines, fuit penitùs concordata, ità quòd tunc Angeli cecinerunt: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus. Luc.* 2. Et ideò etiam Eſaias vocat iſtam Alcionem, id eſt, Dei filium, *Patrem futuri ſeculi, Principem pacis. Eſa.* 9. Et ſic factum eſt, quòd ex tunc per quatuordecim dies, id eſt, per tempus iſtius vitæ, quæ duplici ſeptenario currit, ſcilicet ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, nautæ, id eſt, fideles ſerenitatem proſperè navigandi ad Paradiſi portum habeant, & ibi naves ſuas, id eſt, animas deducendi. Eſt iſta figurantur *Matth.* 8. ubi cùm tanta eſſet tempeſtas in mari, quòd diſcipuli ferè ſubmergebantur, clamaverunt ad Dominum, dicentes: *Domine, ſalva nos, perimus.*

mus. Et dicitur ibi, quòd Jeſus imperavit vento, & mari, & facta eſt tranquillitas magna, ità ut alii mirarentur, dicentes: *Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Ita Berchorius.

12 Nos autem per Alcionem in medio hyemis nidificantem, & parientem, Virginem Beatiſſimam interpretamur, quæ Verbo Dei fœta, profecta eſt in Bethleem, & in Præſepio inter frigidiſſimæ noctis rigorem Chriſtum nobis peperit Deum, & hominem. Sæviebat hyems, hybernę ingruebant brumæ, Aquilones rigidi flabant, nec tamen tenella Virgo ab itinere deterretur, vel retardatur. Quis eius non admiretur in Deo fiduciam, & ſpem, ut tali tempore ederet partum ſuum? Quantum Divinæ ſe Providentiæ committebat, quæ nullis fulta adminiculis humanis, filium ſuum ſic pariebat?

13 Audiamus itaque Thomam de Villanova Conc. 1. in die Natal. Domini totam divini hujus ſeriem partus exponentem. Neque hic leviter, inquit, prætereunda Virginis anguſtia eſt, cùm vicina partui lares proprios dimittere, & alienas petere cogitur ædes, longam terere viam, & per montoſam exulare regionem: Virgo, inquam, tenera, & gravida, Virgo publici neſcia, domi aſſueta, Virgo ſuper omnes fœminas prudentiſſima. Neque minùs Viri Sancti Joſeph anxietas, & afflictio diſſimulanda, cùm pervagatis ſingulis quibuſque domibus, nullum Virgini reperit domicilium, nullum ſibi, & Sponſæ adinvenit hoſpitium. Triſtabatur utique, & ſeipſum fortè talibus infortuniis improperabat, ſibique uni hoſpitii repulſam attribuebat, & quantò magis illam omni honore digniſſimam cogitabat, tantò magis illam videns inhonoratam dolebat: ſed ſacræ Virginis temperabatur eloquio, *illum* adhortantis, ut libenti, forti, & alacri animo pateretur, *ſciens ſinè decreto Dei nihil fieri poſſe*, & quòd Vir bonus quicquid ei *acciderit* æquo animo debet ſuſtinere.

14 *Sivè* igitur neceſſitate cogente, ſivè quia advenarum tumultum, & frequentiam diverſorii Virgo horrebat, in porticum quandam Civitatis muro proximam hoſpitari conſilium fuit. Eſt locus ſub rupe cava, non hominum manibus, ſed Deo fabricante conſtructus, quem tanto myſterio ab initio natura formaverat, & nè unquàm ſacra deficeret ædes, non ex lapidibus, non ex lateribus, ſed ex fortiſſima, & duriſſima rupe omnium Creator defixerat: undè & hodiè omnium ſacrarum illius temporis ædium ſola permanſit, cæteris aut bello, aut vetuſtate conſumptis.

15 O locum ſacrum, ò locum benedictum, ò Porticum Cœlo parem, myſtico illo tabernaculo digniorem, Sanctorum Sancta ſanctiorem, quem tibi & Angeli, & homines non debent honorem, cùm in te naſcatur Dominus & Angelorum, & hominum? O quantò purpuratum, inauratum, & gemmatum dignitate ſuperas templum: Templum, inquam, illud magnificum Salomonis, tanta mole conſtructum, toto Orbe celeberrimum, cunctiſque mortalibus admirandum! Felix Bethleem tanti Regis ditata natali: felix Creatoris tui Patria, quæ de tanto filio gloriaris; lætare Bethleem, & per omnes vicos tuos feſtivum hodiè alleluia cantetur. Quæ tibi civitas, quæ regio, quod regnum, pretioſum illud ſtabulum non invideat? Hoc te toto Orbe celebrem fecit: hoc famam, nomenque tuum cunctis gentibus ubique terrarum publicavit: hoc tuam ſuper aſtra gloriam evexit: propter hoc ubique laudaris, ubique deſideraris, undique terrarum confluentibus in te Gentibus avidiſſimè frequentaris. Non Oriens ſuos detinet Indos; & Occidens ad te ſuos mittit Iberos: ut à Solis ortu uſque ad occaſum tua gloria decurrat.

16 Hoc ſacrum Sacellum ſæpius, ut exiſtimo, Regius Propheta Deum adoraturus intrabat: pręnoverat enim, Spiritu monſtrante, loci dignitatem, & Sanctitatem, & quorum futurum eſſet quandoque hoſpitium non ignorabat. Hoc eſt quod in *Pſal*. 131. legimus. *Eccè audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in Campis Silvæ, introivimus in tabernaculum ejus: adoravimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus*. Et infra: *Ibi producam cornu David*: id eſt, Salvatorem Meſſiam, per quem regnum, & potentia David in ſeculum confirmabitur. Quibus utique verbis, & futuram in Bethleem Domini nativitatem apertiſſimè Prophetam cognoviſſe, atque in illo ſacri Natalis Domini loco ſæpius eundem adoraſſe monſtratur. Neque te moveat, quòd de præterito enunciat: *Steterunt pedes ejus*: hoc enim commune eſt Prophetis, propter certitudinem Prophetiæ, futurum tempus in præteritum commutare.

17 Intrat igitur Virgo Regia pauperis hoſpitii incompoſitas anguſtias: intrat domicilium paleis, & animalium ſtercore ſordidatum: domunculamque vento, & frigori perviam gratanter inhabitat. Non ibi ſella, non lectus, non menſa, non ignis, non denique alia ſupellex, præter humile præſepium paſcendis animalibus aptum. Hæc ſunt, bone Jeſu, partus ſolatia, quæ Matri puerperæ præparas? Hæ deliciæ, hæc ampla palatia, hæ opes, hic miniſtrantium apparatus?

Quis jam de adverſa fortuna conqueratur? Quis de ſua ſorte audeat indignari? Quis quantumlibet adverſa patiatur, non æquo ferat animo? Mater Dei hæc ſuſtinet: mundi Domina, & Regina Cęlorum tali hoſpitatur hoſpitio. Et indignabitur vilis vermiculus, quicquid illi accidat, quomodocunque tractetur; & pauper non aget gratias, in tam deſpecto loco filium Dei videns? Se ſimilem Dei noſtri in paupertate cognoſcens? Et ſi dura ſibi acciderint, nonnè in ipſis gloriabitur, cùm tàm dura, & aſpera Matrem, & filium, & prò ſeipſo pati perſpiciat? Huc uſque Villanova.

18 Noſtra igitur generoſa Alcion, Mater, & Virgo, vera Ales oceani, hoc eſt, omnium gratiarum, toto Orbe terrarum in pace compoſito, poſtquam peperit filium ſuum, reclinavit eum in præſepio, tanquàm in nido, undè homines evolarent ad pacificam Paradiſi amœnitatem. Nunquid non filius ejus avis diſcolor, & tincta per totum? Diſcolor divinorum varietate attributorum, & per totum tincta colore virtutum. Cujus natali Cœlis pax reſtituta, tranquillitas terris, hominibus concordia, deſpumantes ſiluerunt bellorum fluctus, pacatique diſcordiarum tumultus: quo denique ferrea primùm deſiit, ac

toto

toto ſurrexit gens aurea mundo.

19 Age iam infans decore (loquor cum Villanovà ut ſuprà) noſtras incipe ſentire miſerias, noſtros incipe portare dolores, ſalutis noſtræ aggredere præludia, maior poſtmodùm maiora facturus: accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſſime, exulta ut gigas alacriter ad percurrendam laborioſam vitæ mortalis viam. Laborioſum iter aggredere, & opus incipe, ad quod veniſti: longa enim tibi reſtat via, plura remanent periculoſa diſcrimina, innumera tibi vincenda certamina, acerrimique pro nobis ſubeundi dolores.

O elegantem puerum, ò puerum pulcherrimum tantis laboribus natum! Felices lachrymæ, quibus noſtra abluuntur crimina: felices ploratus, quibus æterna gaudia poſſidemus: felices panni, quibus noſtra nuditas operitur; & glorià nos immortalitatis veſtimur: felix arctitudo præſepii, quà nobis Cœli amplitudo donatur.

20 Tu enim Domine iaces in præſepio, ut nos ſedeamus in gloriæ, & honoris throno: Tu brutis animalibus aſſociaris, ut nos Angelicis inſeramur cuneis: Tu virgineo lacte cibaris, ut perpetuas nos mereamur deguſtare delicias. Meum tua paupertas patrimonium eſt, & mea virtus infirmitas tua, mea gloria deiectio tua, & mea eſt ſapientia infantia tua, meum eſt totum quod prò me pati dignatus es. Mei ſunt ploratus, meæ ſunt lachrymæ, meum eſt quod ſuſtines frigus, & mea quam pateris, omnium indigentia. Totus es meus bone Ieſu, totus es meus, & in meos uſus expenderis. Me illa arctitudo dilatat: me illa indigentia ditat: me vagitus ille lætificat: me ſtabuli abiectio ſublimat.

Quanta mihi in his omnibus fiducia, quanta gloria: Plùs nanque Domine injuriis tuis debeo, quibus redemptus ſum, quàm operibus tuis, quibus conditus ſum: & plùs me tibi ſubditum facit humilis hæc deiectio tua, quàm portentoſa illa maris diviſio, & mirabilium operum apud Ægyptios perpetratio. Longè enim plùs eſt minimum quodque prò homine Impaſſibilem pati, quam mirabilia cuncta prò homine Omnipotentem perpetrare.

§. *III.*

Ex quo Regulus parvula avis dici poſſit Virginis Typus.

21 REgulus eſt minutula avis, quam Itali vulgari ſermone appellant *Reatino*. In lib. autèm de naturis rerum Regulus, qui & *Parra* quaſi *avis parva* dicitur, multa eſt in prole, & garritu. Ingenio etiam, & ſolertià præſtans. Condixerant enim aliquandò aves inter ſe, ſicut fabula refert, ut illa pro Rege haberetur, quæ ſublimi volatu omnes alias vinceret. Cumque parrà ſub aquilæ aſcellà latitante, Aquila omnes alias aves cæteras tranſcenderet, exiliens Parra inſedit aquilæ capiti, & indè ſe eſſe victricem aſſeruit.

22 Optimo jure Beata Virgo avis parva, quæ altiſſimo volatu humilitatis omnes aves Angelorum tranſcendit. Præcipuè verò Luciferi caput Ipſa calcavit, & vicit. Nam cùm Angelus ille ſuperbus, tanquàm aquila nimio faſtu tumeſceret, penniſque ſuperbiæ ultrà Cœlos vellet volare, dicens in corde ſuo: *In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Eſa.* 14. Liquatis ardore Solis juſtitiæ cereis præſumptionis pennis, Icarus alter miſerabiliter cecidit, & in ſuperborum exemplum pœnas ſuperbiæ luit. Parra autèm, ideſt, Virgo Beata humi advolans, humillimo ſuæ mentis volatu, Luciferum ſuperavit, ſuperbiæ caput attrivit. Undè & merito ſuæ humilitatis ſuper omnem Angelorum altitudinem exaltata.

§. *IV.*

Quà ratione Iſida ſit Mariæ figura.

23 EX libro de naturis rerum habentur hæc verba. Iſida ſono vocis dicta eſt; avis quidem parva, ſed pennarum venuſtate clariſſima. In dorſo colorem habet inter viridem, & cæruleum. In pectore verò præfert imaginem carbonum ardentium. Duos tantum habet in pede digitos; ungues aduncos; ſed roſtrum parvum, ac directum. Circa aquas aſſidua eſt, piſciculis vivit; terram roſtro cavat, ibique nidum congerit, ac fœtus facit.

24 Similiter & Beata Virgo ſemper tendit ad parvitatem ex affectu humilitatis. Et ideò venuſtiſſima eſt pennarum pulchritudine, ſcilicet clariſſima virtutibus. Cærulei, & viridis coloris, tùm etiam medii inter utrunque alibi retulimus hyeroglyphicum. In pectore quoque imaginem eſſe carbonum ardentium jam ſumus interpretati. Novum quid eſt duos tantùm in pede digitos habere. Quod quidem hieroglyphicè ſignificat geminam Dei, & proximi dilectionem, quam ſcimus ab unà charitatis planta prodire. In unguibus aduncis tenacem in bono perſeverantiam notamus. Roſtrum parvum, & directum rectam ipſius dicimus intentionem. Circà aquas Scripturarum aſſiduam fuiſſe non ignoramus. Piſciculis autem vivere, eſt ſe humilium exemplis nutriiſſe. Terram roſtro fodere, ibi nidum ædificare, & ſuos edere fœtus illud ſignificat, quod Beata Virgo prudentià, & diſcretione in omnibus ſe regebat, alta fugere, & humilia ſapere affectabat, neque in magnis, & elatis, ſed in humili ſui conſideratione nidum ſuarum conſtruere cogitationum, ibique fœtus gignere meritorum.

§. *V.*

Præclaram in Aeriophilone Mariæ figuram haberi.

25 MUltæ ſunt volucres peregrinę, quarum notitia apud multos ferè nulla

ha-

habetur. Inter quas *Aeriophilon* videri poteſt, quæ ut notatur in libro de naturis rerum, ex etymologià ſui nominis, quaſi *aeris amatrix* dicitur, licet vulgariter Alcion appelletur. Eſt avis nobiliſſima, paulò maior Aquila, volatu potens, & alis velociſſima. Pennas habet ſubrufas, caudamque longam: ungues, ac roſtrum, & crura maxima. Aeris ſerena inhabitat intantùm, ut vix unquam, vel parùm in terrà reſideat, aut quieſcat. Super nubes quoque frequentiùs elevatur, ità quod non videri poſſit ab homine: cibumque capit in aere, & hunc quoque prædantium avium more. Cui ſi ſe avis obviam in aere tulerit, mox ab eo corripitur, & de ſummo aere in terram deiicitur: nec ab homine videri poteſt, quis eam ab aere occiſam deiecerit. Hæc avis dùm adhuc in pullo eſt, & nec dùm cognoſcit, ſe, ab hominibus capitur, & domeſticatur, & ad capturam ferarum inſtruitur.

26 O quàm pulchrum, & aptum Cœleſtis converſationis *Mariæ* hieroglyphicum. Vera Aeriophilon, rara avis, & peregrina, aeris amatrix, hoc eſt, cœleſtium inhabitatrix, licet enim corpore moraretur in terris, ſemper tamèn mente converſabatur inCœlis. Avis nobiliſſima proavorum titulis, Regiique ſtemmatis claritate. Potens volatu contemplationis, aliſque miſericordiæ celerrima.

Longitudo caudæ eſt perſeverantia longanimis. Pennæ ſubrufæ mixturam præferunt humilitatis in operibus ſuis. Crura maxima extenſionem progreſſus in perfectione. In magnitudine roſtri maxima cœleſtium deſideria, juxtà illud *Pſal.* 118. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum*. In unguibus amplis, ſpei latitudo.

Serenitate aeris gaudet: quià maximà conſcientiæ tranquillitate fruebatur.

Ultra altitudinem nubium conſueverat per extaſes frequenter volare, & volando cibum capere ſpiritalem.

Ad capturam ferarum inſtructa, quià venatio eius, & præda ſunt capræ, leones, & Pardi, ſcilicet cuiuſcunque generis peccatores, quos capit ad vitam.

CAP. X.

Piſces, feræ, & volucres laudis Coronam Beatæ Virginis abſolvunt.

1 IAm denique pelagi Piſces, aeris volatilia pennata, & telluris Feræ inter ſe dimicant, ut laudatorium Deiparæ noſtræ diadema perficiant. Merito quidèm in illius laudibus, quæ Cœli, terreqæ Domina, Angelorum, hominumque Auguſta Princeps, ſuas faciunt linguas vectigales. Quid igitur in hoc ultimo natatilium, volatilium, & progreſſivorum certamine habemus? Amicam profectò contentionem in Parthenii Nominis compoſitione, atque in eius dotibus ſignificandis. Undique præconiorum tituli, laudumque inſignia conſurgunt. Undique micant elogiorum faces, tantique Nominis faſces. Ultrà enim quàm credi poteſt, Auguſtali meieſtate refulget. Age ergò, & videamus quid de novo huius Nominis literæ pariant. Profectò de ſuis literis *Maria* producit

M uricem.
A ureum vellus.
R angiferum.
I cterum.
A nſerem.

An non cernis pulcherrimam prolem? Quæ certatim Genitricem ſuam laudare decertat? Sit igitur

§. I.

In Murice exprimi Regiam Mariæ dignitatem.

2 MIrum ſaniem piſcis pretium facere Regum indumentis. Mirum Regalem potentiam Muricis ſuperbire veneno. Hinc luxus ardor humani docuit Tyrio Murice ſericum, & lanas inficere: ut etiam in colore mentiretur, qui jam ſinceritatem adulteraſſet. Hinc Oſtrum, & Purpura, ut verè ex oſtro hominum æſtrum, & ex Purpurà humanæ naturæ arguamus ruborem. Murex ergò, ut tradit Iſidorus *lib.* 12. *Origin. c.* 6. cochlea eſt maris, dicta ab acumine, & aſperitate, quæ alio nomine conchilium nominatur, propter quod circumciſa ferro lachrymas coloris purpurei emittat, ex quibus Purpura tingitur, & indè Oſtrum appellatum, quòd hæc tinctura ex teſtæ humore elicitur.

3 Sed Plinius pleniori diſcurſu *lib.* 9. *Hiſt. naturàl. c.* 36. notitiam tradit. Conchylia enim, & Purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria penè etiam margaritis pretia fecit. Inquit ergò. Purpuræ vivunt annis plurimùm ſepetenis. Latent ſicut Murices circà canis ortum tricenis diebus. Congregantur verno tempore, mutuoque attritu lentorem cuiuſdam ceræ ſalivant. Simili modo & Murices. Sed purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus, in mediis habent faucibus. Liquoris hic minimi eſt in candida vena, undè pretioſus ille bibitur nigrantis roſæ colore ſublucens. Reliquum corpus ſterile. Vivas capere contendunt, quià cum vità ſuccum eum evomunt. Et maioribus quidèm purpuris detractà conchà auferunt: minores trapetis frangunt, ità demum rorem eius excipientes Tyrii.

4 Præcipuus hic Aſiæ, in Meninge Africæ, & Getulo litore Oceani, in Laconicà Europæ. Huic faces, ſecureſque Romanæ viam faciunt, idemque prò maieſtate pueritiæ eſt. Diſtinguit ab equite curiam, Diis advocatur placandis, omnemque veſtem illuminat, in triumphali miſcetur auro: quapropter excuſata & purpuræ ſit inſania. Sed undè conchiliis pretia, quis virus grave in fuco, color, auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari? Lingua purpuræ longitudine digitali, quà paſcitur perforando reliqua conchylia: tanta duritia aculeo eſt. Aqua dulci necantur, & ſicubi flumen immergitur: alioqui captæ, diebus quinquagenis vivunt ſaliva ſua. Conchæ omnes celerrimè creſcunt, præcipuè purpuræ: anno magnitudinem implent. Quod ſi hactenùs tranſcurrat expoſitio, fraudatam profectò ſe luxuria credat, noſque indiligentiæ damnet, &c.

5 Jam verè de Sacris hieroglyphicis purpuræ, & Muricis agamus. Berchorius lib. 9. Reduct. Moral. c. 72. per Muricem intelligit verecundiam, intelligit Chriſtum, denique & Martyres ait ſignificari. Murex, inquit, eſt quoddam genus conchyliorum, quod inciſum ferro lachrymas emittit purpureas, &c. Color muriceus, ſeu purpureus in ſola vena candida eſt in Murice, reliquum verò corporis ejus ſterile eſt. Chariſſimi vena candida ſignificat puram, mundam, & innocentem conſcientiam: color verò iſte purpureus, ſignificat verecundiam: Iſtud igitur eſt verum, quod purpureitas, & rubor verecundiæ à pura, & bona conſcientia procedit; quia præter iſtam venam ſcilicet conſcientiæ puritatem, nō eſt dare in homine verecundiæ roſeitatem. Quod benè patet, quia ex quo quis conſcientiam, & innocentiam perdit, eo ipſo verecundiam amittit. Undè animæ peccatrici dicitur *Ierem.* 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.*

6 Murex ſolummodò ſanguinem purpureum ſemel emittit, nàm in ipſa emiſſione vitã finit Sic verè Chriſtus ſemel prò peccatis noſtris mortuus eſt, & ſemel prò homine ſanguinem ſuum fudit. Quod tamen de aliis reſuſcitatis non ſic, qui bis mortui reperiuntur.

Vel iſtud etiam poteſt dici de martyribus, qui cum ſanguine vitam finierunt, & ideò ſemel pœnas ſolverunt, quia poſt mortem non ampliùs doluerunt. 2. *ad Corinth.* 11. *Semel lapidatus ſum. Apocal.* 21. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, &c.*

7 Sed Murex Beata Virgo, cujus colore purpureo Regia ejus dignitas ſignificatur. Unde *Prov.* 31. de Ipſa dicitur: *Purpura indumentum ejus*. Nam inquit Albertus Magnus lib. de Muliere forti c. 13. §. 2. De purpura autem, quòd indumentum Regale ſit, habetur *Cant.* 7. *Comæ capitis tui ſicut purpura Regis juncta canalibus*. Undè dicitur in legibus, quòd purpura veſtis tincta eſt muricis ſanguine, & eſt piſcis creſcens in quibuſdam conchis marinis, cujus uſus non conceditur niſi Principi, & cui permiſerit Princeps: undè patet, quòd Purpura regale eſt inſignium. Et hinc eſt, quòd ALapide in illud 1. *Machab.* 8. *In omnibus iſtis nemo induebatur purpura*; bene diſtinguit Purpuram in Regiam, & Conſularem, dicēs Nec induebatur purpurà, id eſt, purpureo paludamento, quaſi cæterorum Rex, vel Imperator. Nam alioqui Senatores Romani purpurea toga utebantur. Alia erat ergò Purpura Conſularis, alia Regia: immò Conſules propriè non habebant togas purpureas, ſed purpura tantùm prętextas, uti ex Livio docet Salianus.

8 Murex igitur Regius B. Virgo, ex cujus candida venà Virginitatis flos ille nobiliſſimus virginei, & purpurei ſanguinis expreſſus fuit, quo Purpura humanitatis Chriſti in Regium Incarnati Verbi indumentum eſt colorata. Ex illo igitur Regali virginei Muricis purpuraſcente colore Chriſtus in humanis Regiam habuit dignitatem: Nam, ut aiebat Ambroſius, & ſanguis Chriſti Purpura eſt, non ſolùm colore, ſed etiam poteſtate reſplendens, quià Reges facit.

§. II.

Quid Aureo vellere in Beata Virgine denotetur.

9 MUlta planè mirabilia, & naturæ prodigia habet mare, de quibus Ambroſius *lib.* 5. *Hexam. c.* 11. Sed jam, inquit, aſſurgamus ipſi de profundo maris, & aliquantulùm ſermo noſter emergat, atque ad ſuperiora ſe ſubrigat. Spectemus eà, quæ uſitata multis, & plena ſint gratiæ, quomodò aqua in Salis vertatur ſoliditatem, ut ferro ſæpè cædatur: quod de Britannicis ſalibus nihil mirum, qui in ſpeciem marmoris validi, ejuſdem metalli niveo candore reſplendent, ſalubres corporis cibo, & potui nimis grati. Quomodò etiam non indecorus lapis corallium in mari herba ſit, ſi in aerem trasferatur, in lapidis firmitatem ſolidetur. Undè etiam oſtreis pretioſiſſimam margaritam natura infixerit quomodò eam maris aqua in tàm molli carne ſolidaverit. Quę difficile apud Reges inveniuntur, eà in litoribus quaſi vilia iacent vulgo, & in ſaxis aſperis, & cautibus colliguntur.

10 Aureum etiam vellus aqua nutrit, & lanam in memorati ſpeciem metalli gignunt litora, cuius colorem nullus adhùc eorum, qui fucis diverſis obducunt vellera, imitari potuit: adeò naturæ maritimæ gratiam humana implere neſcit induſtria. Scimus quà ſolicitudine vellera ovium etiam minus pretioſa curentur: ſint licèt optima, nequaquàm tamen his fucus innaſcitur. Hinc naturalis color eſt, quem nullus adhùc fucus æquavit: hoc quoque pinnis eſt vellus. Sed & ipſi Murices, qui inſigne dant Regium, ſunt maritimi. Et quæ pratorum gratia, vel hortorum amœnitas poteſt cærulei maris ęquiparare picturam? Aurum licèt in pratis flores refulgeant, auri quoque fulgorem in mari lana reſplendet: & illi citò marceſcunt, iſta diù duratura ſervatur. Hactenùs florida, & aurea Ambroſii facundia.

11 Sed & ut Aureo velleri maior accedat auctoritas; hoc idem confirmat Albertus Magnus *lib.* 24. *de Animalib. Tract.* de Piſcibus, dicens. Aureum vellus eſt animal marinum ſicut ſpongia, & eſt de ſpongiarum genere, ſed rariùs eſt, & mollis ad modum lanæ, & lanugo eius in auri ſplendorem convertitur: & dilatatur, & prolungatur ſicut vellus: & dùm eſt in mari, movetur motu contractionis, & dilatationis, ſicut Spongia, & rarò invenitur: tamèn hoc inventum in Phrigià cauſa extitit Troiani bel-

belli inter Græcos, & Phrigios, ſicut dicit Dares Phrigius in hiſtoria Troianà.

12 Mare quidèm omnium gratiarum eſt *Maria*, in quà plurima gratiæ miraculi coruſcant. Hujus aqua maris in ſapientiæ ſalem vertitur ſolidiſſimum. Sub fluctibus maris hujus corallium cuiuſcunque virtutis molle, flexibile tanquàm herba, ſed ad Cœli faciem eductum lapideſcit: quià virtutes quæ ſub profundo humilitatis flexibiles erant, ad aerem executionis tranſlatæ per firmitatem in lapides ſolidantur. Conchula miraculoſa, ex cuius molli carne Chriſtus in pretioſiſſimam margaritam ita ſolidatus eſt, ut nunquàm ſolvatur unio Verbi ad humanam naturam: quià quod ſemel aſſumpſit, nunquàm dimiſit.

13 Sed nunquid Aureum vellus *Maria?* Quis neget in hoc mari etiam ſpongias auricomas enatare? Et quidèm Aureum vellus Beata Virgo, cuius lana auri gratiæ picturata fulgore, omnium florum Angelicorum, & humanorum gratiam ſuperat, & venuſtatem. Tota enim Divinitatis unda, tota chariſmatum plenitudo Beatæ Virgini tanquàm velleri ſe infudit. Tota igitur in auri ſplendorem converſa. Et benè dùm in huius vitæ mari erat, motu contractionis, & dilatationis movebatur: quià tunc motu contractionis mota eſt, cùm ad legationem Angelicam, quà Dei Mater annuntiabatur, per humilitatem ſe contraxit: motu verò dilatationis ſe extendit, cùm prò tanto beneficio gratias agens Deo, dilatatione charitatis, & gaudii plenitudine exultans cecinit illud dulciſſimum Euchariſticon: *Magnificat anima mea Dominum, &c.*

§. *III.*

Quà ratione aſumatur Rangifer ad Beatæ Virginis hieroglyphicum.

14 OPortet priùs rationem reddere quadrupedis hujus. Scribit Albertus Magnus *lib. 22. de Animalib. Tract. 2. de Quadrupedib. c.* 1. quod Rangifer eſt animal in Aquilonis partibus versùs polum Arcticum generatum, & etiam in partibus Novergiæ, & Sveviç, & in his quæ ſunt maioris latitudinis regionibus generatum. & dicitur *Rangifer* quaſi *ramifer*: eſt enim quaſi de figurà cervi, ſed maiùs corpore, & robore fortiſſimum, & fugà celerrimum, tres ordines cornuum gerens in capite, & in quolibet habens duo cornua, ità quod caput eius videtur virgultis circumpoſitum. Duo ex his cæteris maiora habet in loco cornuum cervi, & hæc efficiuntur in beſtià perfectç quantitatis aliquando quinque cubitorum, & ramorum vigintiquinque: duo autèm habet in medio capitis, quç ſunt lata in modum cornuum damæ. Sed ſunt circunpoſita ramis multis, & brevibus. Duo autem alia habet in fronte anteriùs verſa: ſed hæc magis oſſibus videntur eſſe ſimilia: & cum his omnibus pugnat contrà beſtias adverſantes.

15 Mira quidèm ſpecies animalis. Sed quid ad Beatam Virginem? Quid illud ramoſum cornuum nemus, quod illius ſilveſcit in capite, cum ſtellante Virginis fronte? Verùm ſi Ramiferi hieroglyphicum ſcrutemur interiùs, magna proportione congruere Virgini non eſt dubium. Mitto cervi ſpeciem, maiorem corporis magnitudinem, robuſtiſſimas vires, & fugæ celeritatem. Tantùm moror in illa implexà cornuum Silvà. Quid ergò caput in Virgine? Arbitror initia vitç eius, atque exiſtentiæ naturalis principia dici poſſe. His Draco ille magnus, Serpens antiquus, & communis hominum adverſarius inſidiabatur. Sed Virginis caput tribus cornuum ordinibus armabatur, nempè potentià Patris, Sapientià Filii, & Bonitate Spiritus Sancti, adeò quòd Draco diaboli in hæc cornua impingens (eſt enim cornu potentiæ ſymbolum) ad illud caput accedere non potuit, ſed ſe læſum, ac vulneratum à cornuum virgultis ingemuit.

§. *IV.*

Icterus Pietatis Marianæ figura.

16 HActenus piſces, & feræ. Sed iterùm Volucres poſtremo Virginem Beatiſſimam glorià, & honore glorioſo affectant ambitu coronare. Juxtà ordinem igitur elementorum in quartà Partenii Nominis literà Icterum habemus. Icterus piiſſima avis, ergà homine benè affecta, eliquat viſcera ſua in compaſſionem, & pietatis affectum, ità ut ſi quis pietatis, & compaſſionis ſimulachrum effingere vellet, depingere Icterum ſufficeret. Plinius igitur *lib. 30. hiſt. natural. c.* 11. de hac Ave inquit. Avis Icterus vocatur à colore, quæ ſi ſpectetur, ſanari id malum tradunt, & avem mori. Quid ergò Ictericia, quam ſanat, & à cuius colore appellatur Icterus? Reſpondet Berchorius *lib. 3. Reduct. Moral. c. 22.*

17 Ictericia eſt defçdatio cutis in qualitate, & fit ex cholerà ſuperabundante, & ebulliente, cum ſanguine ſe permiſcente, & ipſum inficiente, & per membra poſteà diffundente, & cutis infectionem, ſivè æruginem inducente. Sunt autèm tres ſpecies Ictericiç. Crocea ſcilicet, quæ ex infectione choleræ citrinæ. Viridis, quæ ex infectione choleræ praſſinæ, ſeù viridis. Nigra, quæ fit ex infectione nigræ, ſeù etiam innaturalis. Sanguis enim à talibus humoribus in hepate corruptus, & infectus, ad exteriores partes corporis nutriendas mittitur, & ſecundùm ſuam infectionem illas, quas tangit partes, inficere comprobatur.

18 Sic prò certo ſunt aliqui, qui exteriùs in cute converſationis multipliciter ſunt infecti. Nam aliquando ſunt crocei, ideſt, per fictam ſanctitatem aurei. Aliquandò virides, ideſt, per juveniles conditiones, & per carnalitatem humidi. Aliquandò nigri, ideſt, per totalem infamiam obſcuri, & diverſimmodè ſunt effecti. Nam quandò ſanguis, ideſt, affectio intùs in hepate, ideſt, in mente ex triplici tholerà, ideſt, triplici concupiſcentià ebulliens efficitur, tunc neceſſe eſt, quòd cutis, ad quam talis ſanguis infectus mittitur, ideſt, converſatio, quæ à tali affectione oritur, corrumpatur totaliter, & fœdetur, quià ſcilicet ex interioris infectione affectionis, procedit infectio converſationis, & locutionis. Undè Hieronymus ſuper *Ezechiel.* 3. Prò ſigno interioris hominis ſunt verba erumpentia. Minoribus enim majora monſtrantur, & mens luxurioſa cælari non valet, quin exterioribus geſtibus oſtendatur. Hæc ille.

19 Sed quomodò ſanantur, qui Ictericia ſpirituali laborant? Profectò ſicut illi qui corporali. Nam ſicut hi ſi Icterum avem intueantur, ab ægritudine liberantur, & avis moritur: ita & qui malarum affectionum ictericia ſunt infecti, ſi reſpexerint Icterum avem, hoc eſt, Beatiſſimam Virginem, tali morbo ſe exuent. Non tamen interit Virgo, nec virtus ejus, quia plena immortalitate jam dominio non ſubditur mortis, ſed vitam etiam iis tribuit, quos Ipſa oculis miſericordiæ ſuæ reſpexerit. Neque enim ecſtaſi gloriæ ità impaſſibilis, ut nequaquàm miſerorum compaſſione tangatur. O Icterus avis, ò Virgo, ſic nos reſpice, & pravas à nobis aufer concupiſcentias, ut interiùs, & exteriùs purificati, interno cordis nitore, & externa fulgeamus honeſtate converſationis.

§. *V.*

Ex quo Anſer poſſit eſſe Mariæ *Typus.*

20 SEd fortè dices. Ut quid inter hieroglyphica nobiliora alitem illaudatam, & abjectam recenſes? Sed non ità vilem, atque deſpectam putavit Ambroſius, ut ipſius præteriret mentionem: undè lib. 5. Hexam. c. 13. pulchrum ei attexit elogium, dicens. Nocturnas anſerum quis non miretur excubias, qui vigilias ſuas etiam cantus aſſiduitate teſtantur? Denique eo etiam Romana Capitolia à Gallo hoſte ſervantur. Meritò illis debes Roma quod regnas. Dii tui dormiebant, & vigilabant anſeres. Ideò illis diebus anſeri ſacrificas, non Jovi. Cedunt enim Dii veſtri anſeribus, à quibus ſe ſciunt eſſe defenſos, nè & ipſi ab hoſte caperentur. Quàm feſtivè ludit Ambroſius Gentilium Romanorum Numina irridens, ut meritò ipſis utique dormientibus vigiles anſeres anteponat.

21 Verùm & alias anſerum proprietates, & laudes non reticuit Plinius *lib. 10. hiſt. natural. cap. 22.* Inquit enim. Eſt & anſeri vigil cura Capitolio teſtata defenſo, per id tempus canum ſilentio proditis rebus. Quamobrem cibaria anſerum Cenſores in primis locant. Quin & fama amoris, Argis dilecta forma pueri nomine Oleni, & Glauces Ptolemæo Regi cithara canentis, quam eodem tempore & aries amaſſe proditur. Poteſt & ſapientiæ videri intellectus iis eſſe. Ita Comes perpetuò adhæſiſſe Lacydi Philoſopho dicitur, nuſquàm ab eo non in publico, non in balneis, non noctu, non interdiu digreſſus. Noſtri Sapientiores, qui eos iecoris bonitate novere, &c. Mirum in hac alite, à Morinis uſque Romam pedibus venire. Feſſi proferuntur ad primos, ità cæteri ſtipatione naturali propellunt eos. Candidorum alterum vectigal in pluma. Velluntur quibuſdam locis bis anno. Rursùs plumigeri veſtiuntur: molliorque quæ corpori quàm proxima, & è Germania laudatiſſima. Candidi ibi, verùm minores, ganzæ vocantur. Pretium plumç eorum, in libras denarii quini. Et indè crimina plerunque auxiliorum Præfectis, à vigili ſtatione ad hæc aucupia dimiſſis cohortibus totis. Eoque deliciæ proceſſere, ut ſinè hoc inſtrumento durare jam nè virorum quidem cervices poſſint. Aliud reperit Syriæ pars, quæ Comagene vocatur: adipem eorum in vaſe æreo cum cinnamo nive multa obrutum, ac rigore gelido maceratum, ad uſum præclari medicamenis, quod ab Gente dicitur Comagenum. Hæc Plinius.

22 Vides ergò quæ gratia, quæ vigiliæ diligentia, plumarumque ſuffragium ad delicias humanas, ſit in alite, ut non immeritò ad nobiliſſimum Deiparæ ſymbolum evehi poſſit. Quam præclarum vigilantiæ ſimulachrum Virgo Beata? Nam & dormire ipſi eſt vigilare? Nonnè hoc Ipſa fatetur *Cant.* 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat?* Vigilat profectò Dei Mater ad hominum ſalutem, & cùm ipſi per deſidiæ, & negligentiæ torporem dormiunt, illa diurnas atque nocturnas agit excubias, ut omnes adverſariis Poteſtatibus intercludat ad nocendum vias. Quid de Eccleſia foret, niſi ad illius defenſionem Ipſa vigilaret? Canes enim, qui deberent eſſe cuſtodes, & latratu hoſtes arcere, plerunque dormitant, aut tacent: at non Ipſa ſic, ſed vigili clamore omnibus intonat illud 1. *Pet.* 5. *Sobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide.*

23 Ales dilectionis, & amoris adeò tenacis, ut dilectores ſuos nunquàm deſerat, ut Ipſa fatetur *Eccli. 24. Ego diligentes me diligo.* Quin & perpetuò individua comes illis adhæret, ut etiam ſi quis ex fragilitate peccaverit, eum non dimittat, donec ipſum introducat in gratiam filii ſui. Et hoc quidem propter maximam jecoris ſui bonitatem, ſcilicet charitatis ſuavitatem, quæ jecoris typo ſignificatur: eſt enim jecur in homine id, per quod amamus, juxtà illud: *Cogit amare iecur.* Ipſa etiam nobis ad delicias ſpontaneum exhibet plumarum ſuarum vectigal, & refrigerium, cùm ſuis nos fovet virtutum exemplis, ut tanquàm in molli pluma melius anima quieſcat, & cubet, ſciatque ex his plumis bonam ſibi valetudinem provenire: nam in pennis ejus ſanitas illis quidem, qui per imitationem, & devotionem proximiùs ei adhærere nituntur.

Quid autem adeps, ex quo præclarum conficitur medicamentum, niſi viſceroſa ipſius miſericordia? Hoc adipe qui unguntur, à vitiis procul dubio ſanantur.

MYSTICÆ ANATOMIÆ SACRATISSIMI NOMINIS DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM

Scientiarum varietas Mariam exornat.

1 HActenùs rerum penè omnium Sacratiſſimum Virginis *Mariæ* Nomen vidimus eſſe compendium. Tãtum ipſi deerant ſcientiarum ornamenta, quæ minimè defuiſſe credendum eſt. Cùm enim ſcientię ſint propriè decor, & ornatus animæ rationalis, & potentiam intellectivam perficiant, has quoque *Maria* creaturarum intellectualium nobiliſſima habere debuit. Scrutabimur igitur more noſtro literas Parthenii Nominis, ſi fortè & in ipſis Scientiarum Muſæum inveniatur. Non poſſumus autem niſi juxtà ordinem elementorum illas rimari, & ideò ſecundùm ſeriem literarum in publicum ſcientiæ prodibunt. Quid igitur *Maria* in literis ſui Nominis? Planè mihi eſſe videtur

M uſica.
A ſtronomia.
R hetorica.
I draulica.
A rithmetica.

O quale Nomen, quod de ſcientiis conflatur! Harmonicum nempè Nomen. Aſtronomicum. Rhetoricum. Idraulicum. Arithmeticum. Ex quo coniicimus perfectiſſimè has omnes ſcientias calluiſſe *Mariam*.

§. I.

Beata Virgo perfectam habuit Muſicæ cognitionem.

2 CAuſinus lib. 7. de ſacra, & humana eloquentia c. 4. in Muſicæ commendationem aiebat. Magni illius Auguſtini vox eſt, Mundum Dei Canticum eſſe: & rectè quidem dixit; is enim eſt omnium muſicorum, ſinè controverſia, Princeps; cujus nutu numeroſiſſimus Univerſi concentus, perpetuas concordiæ ſervat leges. Atq; ut omnia certo quodam pondere, ac menſura condidit, ſic illa videntur ab ipſis cunabulis inſtillatam retinere numerorum ſuavitatem. Quid mirum igitur, ſi animus aurium nuncio naturalem quandam in ſe retinet omnium vocum menſuram? Homo profectò animal eſt naturà muſicum, & muſicæ vis per aurium ſenſus, quaſi per animæ veſtibula, ſi quandò potentiùs illapſa eſt, tùm delicato titillationis lenocinio mentem ſurripit, & miti quodam dominatu vendicat. Agreſtes ipſi belluarum ſenſus, hac dulcedine mulcentur: & Jovis quidem Aquila apud Pindarum, ubi Apollinis lyram audivit, prædarum, & fulminis oblita, jam conniventibus oculis mergitur in ſoporem. Tùm fulmen ipſum hac illecebra delinitum, conſidente paulatim flammarum ardore langueſcit.

3 O admirabilem Muſicę vim, atque potentiam, quam Caſſiodorus *Variar. lib. 2. epiſt.* 40. pulcherrima deſcriptione depingit! Hæc, ait, cùm de ſecreto Naturæ, tanquàm ſenſuum Regina, tropis ſuis ornata, proceſſerit, reliquæ cogitationes exiliunt: omniaque facit eiici, ut ipſam ſolummodò delectet audiri. Triſtitiam noxiam jucundat: tumidos furores attenuat: cruentam ſævitiam efficit blandam: excitat ignaviam, ſoporantemque languorem: vigilantibus reddit ſalubertimam quietem: vitiatam turpi amore, ad honeſtum ſtudium revocat caſtitatem: ſanat mentis tædium, bonis cogitationibus ſemper adverſum: pernicioſa odia convertit ad auxiliatricem gratiam; & quod beatum curationis genus eſt, per dulciſſimas voluptates expellit animi paſſiones. Incorpoream animam corporaliter mulcet, & ſole auditu, ad quod vult deducit: Quam tenere non prævalet verbo, tacitis manibus clamat, ſinè ore loquitur: & per inſenſibilium obſequium prævalet ſenſuum exercere dominatum.

4 Sed nunquid Beata Virgo muſicam ſcivit? Ità. Et eſt reſolutio Alberti Magni quæſt. 105. ſuper *Miſſus eſt*, dicentis. Poſt hæc quæritur ſpecialiter de muſica. Et videtur, quòd in Beatiſſima Virgine fuerit ejus cognitio. Nàm tàm in veteri lege, quàm in nova fuerunt cantores, & uſus cantus ad cultum Dei: cantus autem rectè ſcitur per muſicam: ergò ad cultum Dei pertinet ſcientia muſicæ: ergò fuit in Beatiſſima Virgine.

Item: Quidquid perfectiſſimo auditui fuit delectabiliùs ad audiendum, illud maximè harmonicum fuit: ſed auditus Filii Dei nobiliſſimus auditus fuit, vox Matris ſibi ad audiendum delectabiliſſima: ergò ſummè harmonica: ergò Beatiſſima Virgo effectum muſicæ habuit in ſummo.

5 Conſtat ergò per Albertum, quod Deipara calluit muſicam. Quoniam verò Muſica dulcis eſt, & ſuavis animarum, ſenſuumque Tyrannis: Et teſte Caſſiodoro ut ſupra, hoc totum inter homines quinque tonis agitur, qui ſinguli Provinciarum, ubi reperti ſunt, nominibus vocitantur. Miſeratio quippè divina localiter ſparſit gratiam, dùm omnia ſua valdè fecit eſſe laudanda. Oportet etiam muſicæ Marianæ vim, atque effectus, juxtà quinarium tonorum numerum, in hominibus conſiderare. Scit enim Ipſa tonis uti diverſis, juxtà humanarum diverſitatem affectionum, ut pravas ab animis excludat, & bonas, ac ſalutares ſua invehat arte.

6 Si quos igitur luxuriæ cœno turpiter deditos viderit, ut ipſos ad puritatem alliciat, Dorium canit. Dorius enim pudicitiæ largitor, & caſtitatis effector eſt.

Si quandò alios virtutum certamine contra vitia, animique vitiatas paſſiones, deſides, ad remiſſos inſpexerit, Phrygium canit, ut addat animos, & alacres ad pugnandum efficiat. Phrygius enim pugnas excitat, votum furoris inflammat.

Si verò nonnullos internarum perturbationum tumultu, ſævientibuſque procellis viderit agitatos: ut ad tranquillitatem animum perturbatum reducat, Aeolium canit. Aeolius enim animi tempeſtates tranquillat, ſomnumque jam placatis attribuit.

Si quos autem obſcuratum habentes intellectum viderit, & tanquàm muta animantia, nulla rerum cœleſtium tangi cupiditate, ſed tantùm in terrena propenſos, ut ipſis aciem acuat rationis, & eos ſurrigat ad æterna, Jaſtium canit. Jaſtius enim intellectum obtuſis acuit, & terreno deſiderio gravatis cœleſtium appetentiam bonorum operator indulget.

Denique ſi quos viderit anxietate, & triſtitia coarctatos, tunc Lydium canens, omnes mœſtitiæ nebulas ab ipſis removet. Lydius enim contrà nimias curas, animæque tædia repertus, remiſſione reparat, & oblectatione delectat.

7 Quid igitur nobis reſtat, niſi ut Partheniam muſicam ſequamur, & imitemur. Nam ut benè Caſſiodorus *lib. de Muſica* aiebat. Muſica enim diſciplina per omnes actus vitæ noſtræ à creatione diffunditur. Primùm ſi Creatoris mandata faciamus, & puris mentibus ſtatutis ab eo regulis ſerviamus: Quicquid enim loquimur, vel intrinſecùs venarum pulſibus commovemur, per Muſicos rhythmos harmoniæ virtutibus probatur eſſe ſociatum. Muſica quippè eſt ſcientia benè modulandi, quòd ſi nos bonà converſatione tractemus, tali diſciplinæ probamur ſemper eſſe ſociati: quandò verò iniquitates gerimus, Muſicam non habemus. Cœlum quoque, & terra, vel omnia quæ in eis diſpenſatione ſuperna peraguntur, non ſunt ſinè Muſicà diſciplinà: cum Pythagoras hunc mundum per Muſicam conditum, & gubernari poſſe, teſtatur. In ipſa quoque religione valdè permixta eſt: ut decalogi deachordus, tynnitus cytharæ, tympana, organi melodia, cymbalorum ſonus. Ipſum quoque Pſalterium ad inſtar inſtrumenti Muſici nominatum eſſe non dubium eſt: eò quòd in ipſo contineatur cœleſtium virtutum ſuaviſſima, & grata modulatio.

§. II.

Beata Virgo ſcivit Aſtronomiam.

8 LIbet autem in ipſo Paragraphi limine aliquid de hac ſcientia dicere. Et ad rem opportunus eſt Caſſiodorus in libro, quem ſcripſit. Aſtronomia ſupereſt, inquit, quam ſi caſta, ac moderata mente perquirimus, ſenſus quoque noſtros, ut veteres dicunt, magna claritate perfundit. Quale eſt enim ad Cœlos animo ſubire, totamque illam machinam ſupernam indagabili ratione diſcurrere, & inſpectiva mentis ſubtilitate, ex aliqua parte colligere, quod tantæ magnitudinis arcana velaverunt? Nam mundus ipſe, ut quidam dicunt, ſphærica fertur rotunditate collectus, ut diverſus rerum, formarumque ambitus ſui circuitione concluderetur. De quo librum Seneca conſentanea Philoſophis diſputatione formavit, cui titulus eſt, de forma mundi: quem vobis item reliquimus relegendum.

9 *Aſtronomia* itaque dicitur, vade nobis ſermo eſt, aſtrorum lex: quia neſciunt ullo modo,

quam à ſuo Creatore diſpoſita ſunt, vel conſiſtere, vel moveri: niſi fortè quandò aliquo miraculo facto, Divinitatis arbitrio commutantur, ſicut Jeſus Nave, tribus horis Soli in Gabaum ut ſtaret, legitur imperaſſe: & oſtenſam Magis Stellam, quæ mundo ſalutarem adventum Domini nunciaret: In paſſione quoque Domini Chriſti tribus horis Sol tenebroſus effectus eſt, & his ſimilia, ideò enim & miracula dicuntur, quoniam contrà rerum conſuetudines admiranda contingunt. Feruntur enim, ſicut dicunt Aſtronomi, quæ Cœlo fixa ſunt: moventur verò Planetæ, id eſt, erraticæ, quæ curſus ſuos certa tamen definitione conficiunt. Aſtronomia eſt itaque, ſicut jam dictum eſt, diſciplina, quæ curſus cœleſtium Siderum, & figuras contemplatur omnes, & habitudines ſtellarum circa ſe, & circa terram indagabili ratione percurrit.

10 Quòd autem Beata Virgo calluerit aſtronomiam probat Albertus Magnus quæſt. 106. ſuper *Miſſus eſt*, tali pacto. Poſt hæc quæritur de Aſtronomia. Cùm enim legitur *Geneſ.* 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & terram*, &c. Exponunt ibi Sancti expoſitores plures Cœlos. Item ibidem: *Fecit Deus duo luminaria magna*. Item: *ut ſint in ſigna, & tempora*. Item: *Aquæ quæ ſuper Cœlos ſunt*. Ex his omnibus patet, quòd in Sacra Scriptura agitur de Sideribus, & Stellis, de quibus ſunt ſcientiæ aſtronomiæ: ergò Aſtronomia eſt neceſſaria ad Theologiam: ergò Beatiſſima Virgo ſcivit eam.

§. III.

An Dei Mater ſciverit Rhetoricam.

11 RHetoricę, quam Periti artem benè dicendi dixere, tota vis eſt in eloquentia, qua nihil utiliùs, aut præclariùs invenitur. Nam (ut Quintilianus in dialogo de claris oratoribus inquit) Eloquentia parat ſimul, & tuetur amicitias, aſciſcit nationes, complectitur provincias; quia non aliud in civitate noſtra, ad utilitatem fructuoſius, vel ad dignitatem amplius, vel ad verbis famam pulchrius, vel ad totius imperii, atque omnium gentium notitiam illuſtriùs excogitari poteſt. Nam ſi ad utilitatem vitæ omnia conſilia, factaque noſtra dirigenda ſunt, quid erit tutiùs, quàm eam eligere artem, quà ſemper armatus, præſidium amicis, opem alienis, ſalutem periclitantibus, invidis verò, & inimicis metum, & terrorem ultrò feras, ipſe ſecurus, & velut perpetua quadam potentia, ac poteſtate munitus: cujus vis, & utilitas rebus probè fluentibus aliorum præſidio intelligitur: ſin proprium periculum increpuit, non (herculè) lorica, aut gladius in acie firmiùs munimentum, quàm reo, & periclitanti præſidium; & telum, quo propugnare pariter, & laceſſere, vel in judicio, ſivè in Senatu, ſivè apud Principem poſſis.

12 Sed quanta eloquentiæ vi polleat; artemque benè dicendi calleat Beata Virgo, neminem putò ſivè hominum, ſivè etiam Angelorum ignorare. Ea enim eſt eloquii ſui efficacia, ut ducat corda quo velit, & nihil ſit quod non efficiat, atque in varias vertatur formas. Inflammandi ſunt animi? In ignem accenditur. Pungendi? In ſtimulos acuitur. Illuſtrandi? Funditur in lucem. Conſolandi? Spargitur in Nepenthes. Compeſcendi? Frœnum eſt. Sanandi? Panacea eſt. Deliniendi? Fit Sirenula. Dici non poteſt quot ſunt pellicientis ejus Suadæ mites, atque innocentes præſtigiæ; quot & quàm admirabiles effectus.

13 Indubium ergo eſt, quòd Ipſa Rhethoricæ habuit cognitionem. Etenim ſecundùm Albertum Magnum quæſt. 100. ſuper *Miſſus eſt*, tali argumento probatur. Auguſtinus dicit de doctrina Chriſtiana, quod in Sacra Scriptura ſunt diverſi colores rhetorici: ſed Sacram Scripturam perfectè ſcivit Beata Virgo: ergò & Rhetoricam.

14 Et etiam inductione probari poteſt. Ipſa enim dulcedine ſuadelæ Verbum divinum de corde Patris ad ſuum uterum traxit. Undè Albertus Magnus *lib.* 2. *de laudib. Beatæ Mariæ cap.* 2. *n.* 10. hujus eloquentiæ ſuavitatem in lingua *Mariæ* redundantem commendans, ait. Lingua ejus Eucharis, quæ calamus erat Scribæ velociter ſcribentis, ſcilicet Spiritus Sancti, ipſo Scriba movente calamum, eructavit illud verbum bonum, mellifluum, & ſuave: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*. *Luc.* 1. In hoc autem verbo nectareo intantùm exhilaravit de ſalute noſtra ſolicitum Regem Cœli, quòd quaſi factus immemor injuriæ primorum Parentum, à ſede regali ſtatim deſcenderet, velut depoſito diademate gloriæ, & Cœlos diſrumpens, exiliret eodem momento de ſinu Paterno in uterum Virginalem, vociferans illud *Prov.* 8. *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*.

15 In iſto etiam verbo fuit nobis lingua eius, lingua curationis, lingua mitigationis, lingua miſericordiæ. *Eccli.* 36. Nàm reſpondens humiliter, & obedienter, curavit ægritudinem reſponſionis Evæ. Lingua enim Evæ diabolo ſub dubio reſpondentis, & guſtum ligni vetiti Viro ſuo ſuadentis, & peccatum ſuum ſerpenti attribuentis, totam progeniem ex ſe naſcituram lethaliter vulneravit, Paradiſi portum cunctis obſeravit, & Dei iracundiam ad vindictam provocavit. Sed lingua *Mariæ* infirma curavit, clauſa patefecit, & iram Dei delinivit.

§. IV.

Oſtenditur Beatam Virginem fuiſſe Organum Idraulicum.

16 VIvax illa Divinitatis ſcintilla, quam Deus humano impreſſit ingenio, non ſinit hominum quieſcere intellectum, quin novarum ſemper rerum inventiones moliatur. Miſſa plurima facio, quæ vel ad neceſſitatem, vel ad commodum, & utilitatem artifex hominis ingenium adinvenit. Illud unum conſidero, quod in aquarum fontibus excogitavit ad delicias, nempè Idraulicam muſicam, aqueumque Concentum. Quid ergo? Nunquid etiam potuit vitreas undas ad melodiam cogere? Admiranda ſinè dubio ingenii ſubtilitas, atque potentia.

17 Neque enim dubium eſt multos extare fontes, qui magno aquarum artificio varios edunt ſonos, canoras avium voces imitantur, diverſoſque reddunt ſuaviſſimæ numeros harmoniæ. Huiuſmodi erat Idraulicum organum Alexandriæ Ægypti eà ratione elaboratum, ut aquæ agitatione, & ſpiritus impulſione fiſtulas cogeret concentum emittere. Cuius ad inventionem Plinius *lib.* 7. *c.* 37. maximè in ſuo commendat auctore. *Laudatus*, inquit, *Cteſibius, pneumaticà ratione, & Idraulicis organis repertis*. Et Vitruvius *lib.* 10. *c.* 13. tradit modum conſtruendi machinas Idraulicas, quibus ſimilia organa perficiuntur. Sed & Plutarchus narrat Cleopatram Ægypti Reginam, regio apparatu, luxuque inſtructum habuiſſe navigium, quo cùm per fluvium Cydnum veheretur, remigeſque pulſarent ramis undas ad numerum, admirabilis modulatio, ac ſymphonia, quaſi ex Sirenarum cantu, & cytharæ, lyræque, organorumque muſicorum concentu reſultabat, &c. Apud Rhodiginum quoque *lib.* 5. *antiquar. lect. c.* 29. refert Duris Samius, in Alcibiadis navi ab exilio redeuntis Chryſogonum fuiſſe quendam modulatorem: qui tantà arte Remigum manus dirigebat, ut cùm illi remorum pulſum cum Chryſogoni cantu coniungerent, jucundam audientibus redderent harmoniam.

18 Hęc potuit humanum ingenium, cur non multò magis, & longè in infinitum Creator ingenii? Deus ſiquidem ad delicias ſuas in *Marià* omnium condidit gratiarum fontem harmonicum, & vocalem: undè Ipſa *Cant.* 4. bis fons vocatur: primò *Fons ſignatus*: ſecundò *Fons hortorum*. Fontalis autèm hæc gratiarum ſcaturigo, & harmonica conſonantia conſiſtit in perfectà quadam concordià rationis cum ſenſu animęque cum corpore, abſque ullà alteratione peccati, atque deordinatà affectus mutatione, adeò quòd nunquàm peccavit nec venialiter quidem, ex ſpeciali Dei privilegio, ſicut ad honorem ipſius Dei Matris, Concilium Tridentinum *ſeſ.* 6. *can.* 23. definivit.

19 Quid mirum ergo, quòd Ipſa vocetur *Fons ſignatus*: & *Fons hortorum*? Fons ſignatus, ac diſtinctus harmonicis muſicæ notis: Fons hortorum, ſymphoniæ plenus, ac modulationis. Quid mirùm, quod ſponſus *Cant.* 7. in laudes erumpens, dicat: *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum*? Quid cernes in Cœleſti Sponſa *Maria* niſi cantus, & ſonos, niſi choros harmoniæ cœleſtis in cogitationibus, in verbis, in operibus, in omnibus potentiis, atque in omnibus virtutibus pulchrè ordinatos? Sed propter quid Sponſa, *Choros* appellat? Fortè opinor: quià Chorus eſt ſemper in ſcœnà. Tot enim Chori divini in Beata Virgine dulciſſimam modulantur harmoniam, totque ſuaviſſimi reſonant gratiarum concentus, atque virtutum propter ipſius victorias, continuoſque triumphos è peccatis etiam venialibus revectos: ut Ipſa nulli rei ſimilior, quàm millibus feſtinis, lætiſque Choris aciei victricis, quæ laudes canit ſonoris modulationibus, atque hoſtium celebrat debellatorum triumphos. *Quid videbis in Sulamite, niſi Choros caſtrorum*.

20 In illo verſiculo *Pſal.* 86. quem Beatæ Virgini attribuit Eccleſia, ubi Latinus habet Interpres: *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te*: Hieronymus juxtà Hebræum legit: *Sicut cantores in Choris, ità omnes fontes mei in te*. Sed quid Spiritus Sanctus inferre vult, dicendo quòd in Marià omnes Dei fontes inveniantur, ſicut turma Muſicorum in Choris? Quam nàm inter ſe aquæ, & Muſici habent proportionem? Quænam eſt convenientia inter muſicos ſymphoniarum ſonos, & murmura lympharum? Denique inter Choros, & fontes? Admiranda quidèm eſt ſimilitudo, pulcherrima proportio & hieroglyphicum nobiliſſimum. Vult enim ſignificare Spiritus Sanctus, quòd quemadmodùm Rex cùm animi relaxandi gratià floribus benè conſitum, atque amœnitatibus ornatum, viridarium aliquod ingreditur, ſtatim omni ex parte intumeſcunt aquę, ebulliunt venæ, & guttato ſtillicidio aſpergunt fontes, lymphas quò magis poſſunt in aera propellentes, & maximo artificio muſicum, admirabilemque ſonum efficiunt, naturalis concentus imitatorem.

21 Et ſicut idem Rex cùm primùm comitatu regio, & pompaticà maieſtate limen percalcat Templi Regalis, certatim Muſici omnes loquacia tangunt fila chordarum, voces ſpiritu modulatas emittunt, extollunt, quas juxtà artem ſcientiæ variant, inflectunt, acuunt, diſtinguunt, concidunt, in longum ducunt, intorquent, glomerant, & copulant, plenas, graves, acutas, crebras, revocatas, extentas, tantà utique ſuavitate, ut maior Regiis auribus oblectatio evenire non poſſit. Ità quidèm Deus, Summus gloriæ Rex, cùm in ſinum *Mariæ* tanquàm in Templum ſuum Cœleſte, ſeu divinum Palatium introivit: tunc in Ipsà reſonarunt omnia arguta plectra, verboſa cythararum ſtamina, omneſque ſupernæ Ieroſolymæ modulationes, ac ſymponiæ: hoc eſt, gratię omnes, bona omnia, omnes Cœli dotes, & omnes à peccatis omnibus etiam venialibus immunitates, cum illà omni correſpondente harmonià puritatis immaculatæ, & ſanctitatis Beatorum Spirituum Paradiſi muſicorum, qui ſemper canunt, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*: tùnc denique certatim in Ipſa omnes divinarum perfectionum fontes effuſi ſunt, muſicam quidèm inauditam, & ſuavitatem quandam efficientes, quà maior excogitare non poſſet, & aquas adeò in altum proiicientes, quòd ad maiorem altitudinem perveniri non poterat: *Sicut Cantores in choris, ità omnes fontes mei in te*.

22 Denique in hoc omnium gratiarum, virtutum, ac benedictionum fonte Ipſam voluit Organum Idraulicum eſſe, ut pleniſſimo, ac ſonoro concentu ſuper omnia Sanctorum plectra reſonaret. Neque enim ſolùm mira eſt eius Organi compoſitio, totque fiſtularum minorum, ac maiorum diſpoſitio, verùm & inſolitum, atque Thaumaturgicum artificium, quo fit, ut machinis Idraulicis ventum, ac ſpiritum in fiſtulas diverſi generis impellentibus, tàm varia inde, muſicis horriſona numeris, dulcibus conſona modulationibus, uniformis, & difformis, concors, & diſcors, conſonantia producatur. Hàc ſiquidèm arte Deus, qui *Mariam* ſeù quoddam omnium perfectionum, & numerorum muſicorum con-

didit Organum, uſus eſt. Pneumate nempè ſua-
viſſimo, ſpirabilique Spiritus Sancti vento fœcun-
diſſimo fiſtulas omnes maiores, & minores, hoc
eſt, potentias omnes intellectuales, reliquoſque
omnes animæ Virginis ſenſus tanta vi, atque vir-
tute implevit, ut Spiritus Sanctus *tanquàm ſonus
advenientis ſpiritus vehementis*, perpetuam, & plùs
quàm Angelicam in Organo Mariæ ediderit muſi-
cam, & ſuaviſſimum rationis cum ſenſu, animæ
cum corpore, & gratiæ cum naturà concentum,
abſque ullà unquam diſſonantià vel minimi defe-
ctus venialis.

§. V.

Arithmeticam Beata Virgo percalluit.

23 CAſſiodorus in libro, quem de Arithme-
ticà compoſuit, eam maximè laudat ex
neceſſitate, & utilitate. Inquit enim. Scripto-
res ſecularium literarum, inter diſciplinas ma-
thematicas, primam omnium Arithmeticam eſſe
voluerunt: propterea quòd Muſica, & Geome-
tria, & Aſtronomia indigent Arithmeticà, ut
virtutes ſuas valeant explicare. Verbi gratià,
ſimplum ad duplum, quod habet Muſica, indi-
get Arithmeticà. Geometria verò, quòd habet tri-
gonum, quadriangulum, vel his ſimilia, eadem
indiget Arithmetica. Aſtronomia etiam, quod
habet in motu ſiderum numeros punctorum, indi-
get Arithmeticà. Arithmetica verò ut ſit, neque
Muſicà, neque Geometrià, neque Aſtronomià
egère cognoſcitur. Propterea his fons, & mater
Arithmetica reperitur, quam diſciplinam Pytha-
goras ſic laudaſſe monſtratur, ut omnia ſub nu-
mero, & menſurà à Deo creata fuiſſe memoret,
dicens, *alia* in motu, alia in ſtatu fuiſſe formata:
ut tamen nulla earum, præter iſta quæ dicta ſunt,
ſubſtantiam percepiſſent. Credo trahens hoc ini-
tium, ut multi Philoſophorum fecerint, ab illà
ſententià Prophetali quæ dicit: *Omnia Deum
menſurà, numero, & pondere diſpoſuiſſe.*

24 Hæc itaque conſiſtit ex quantitate diſcretà,
quæ parit genera numerorum, nullo ſibi com-
muni termino ſociata. Quinque enim ad 10.
ſex. ad 4. Septem ad 3. per nullum communem ter-
minum alterutrà ſibi ſocietate nectuntur *Arithme-
tica* verò dicitur, eò quòd *numeris præeſt*. Nume-
rus verò eſt ex monadibus multitudo compoſita;
ut 3. 4. 20. & cætera. Intentio Arithmeticæ eſt
docere nos naturam abſtracti numeri, & quæ ei
accidunt; ut verbi gratià parilitas, imparilitas,
&c. Denique in fine libri de neceſſitate, & utilita-
te Arithmeticæ concludit. Datum eſt, ait, etiam
nobis ex magnà parte ſub ipsà vivere diſciplinà,
quandò horas ſphœræ diſcimus: quandò menſium
circula ſupputamus: quandò ſpatium anni re-
deuntis agnoſcimus.

25 Per numerum ſiquidèm nè confundamur,
inſtruimur. Tolle ſeculo computum, & omnia
ignorantia cæca complectitur. Nec differre poteſt
à cæteris animalibus, qui calculi non intelligit
quantitatem, & ideò tàm glorioſa res eſt, quan-
tùm vitæ noſtræ neceſſaria comprobatur: quo-
niam per ipſam & ſubſtantia noſtra certiſſimè
diſcitur, & expenſarum modus libratà ſupputa-
tione erogatur. Numerus eſt, qui cuncta diſpo-
nit. Per ipſum dicimus quid primò, quid ſecun-
dò facere debeamus.

26 Beata Virgo igitur ſcientiam Arithmeticæ
utpotè utilem, & neceſſariam ſcire debuit. Et
probat Albertus Magnus queſt. 107. ſuper *Miſ-
ſus eſt* per talia argumenta. Poſt hæc quæritur de
Arithmeticà, quæ eſt de numeris. Numeri in
Sacrà Scripturà ſunt myſtici, & ſecundùm di-
verſitatem numerorum diverſa per eos ſignantur,
ut patet in ternario, ſenario, & denario, &
huiuſmodi, ut patet in multis Scripturis, & Gloſ-
ſis. Ergò cognitio numerorum neceſſaria eſt in
Sacrà Scripturà: ergò Arithmeticà.

Item, computationes annorum fiunt ſæpè in
Sacris Scripturis, ut de Jacob, de Iſaac, & ſic
de aliis: Ergò ſcientia algoriſmi neceſſaria eſt ad
Sacram Scripturam.

Itèm Feſta diverſa aguntur, & in Scripturà
agi deſcribuntur, ad quæ neceſſaria eſt ſcientia
computi: Ergò & illa neceſſaria eſt ad Sacram
Scripturam. Ex his igitur manifeſtum eſt, quòd
ſcientia Arithmeticæ utilis, & neceſſaria eſt Theo-
logiæ: ergò fuit in Beatà Virgine.

CAP. II.

Omnes ſcientiarum Coloniæ in Beatà Virgine ſibi domicilium poſuere.

1 VIdimus Deiparam in aliquibus emi-
nuiſſe ſcientiis: non tamèn omnes
unico capite complecti potuimus. Et ideò æquum
eſt, ut quam dicimus omnium perfectiſſimam
creaturarum à Deo poſitam in hoc mundo, nihil
Ipſi ex cæteris ſcietiis deſit. Tum quià ſi literas
Nominis eius conſideremus, novam aperiunt in-
daginem ad reliquarum colligenda ornamenta
ſcientiarum, quibus Beata Virgo non caruit.
Quid ergò Ipſa Nominis elementa parturiunt? Pla-
nè ſi ſingulæ literæ dividantur, quælibet earum
eſt diverſæ ſcientificæ notitiæ dives, ac ferax.
Secemus igitur literas Nominis, quod eſt *Maria*:
& jam *Maria* in ſuis literis erit.

M edicina.
A rs Iurium Civilium.
R ectum loquendi ſpecimen.
I dæa Speculationum.
A rx Scientiarum.

Jam ergò quid ponderis habeant ſinguli tituli, vi-
deamus. Omnigenæ literaturæ eſt *Maria*. In-
creatæ enim Sapientiæ Mater omnes debuit habe-
re ſcientias. Nàm ſicut Paulus aſſerit de Chriſto,
quòd *in ipſo ſunt omnes theſauri Sapientiæ, & ſcien-
tiæ Dei*;ità hoc idem cum proportione quadam
dicendum videtur de Genitrice ejuſdem Filii Dei.

§. I.

§. I.

Medicinæ cognitionem Beatam Virginem habuiſſe probatur.

2 INter utiliſſimas artes, inquit Caſſiodo-
rus *Variar. lib. 6. epiſt.* 19. quas ad ſuſ-
tentandam humanæ fragilitatis indigentiam, Divi-
na Conſilia tribuerunt, nulla præſtare videtur
aliquid ſimile, quam quod poteſt auxiliaris
Medicina conferre. Ipſa enim morbo periclitan-
tibus materna gratià ſemper aſſiſtit. Ipſa contrà
dolores pro noſtrà imbecillitate confligit: & ibi
nos nititur ſublevare, ubi nullæ divitiæ, nulla
poteſt dignitas ſubvenire. Cauſarum Periti palma-
res habentur, cùm magna negocia defenderint ſin-
gulorum. Sed quantò glorioſiùs eſt expellere, quod
mortem videbatur inferre? Et ſalutem periclitan-
ti reddere, de quà coactus fuerat deſperare? Ars,
quæ in homine plùs invenit, quàm in ſe ipſe co-
gnoſcit. Periclitantia confirmat, quaſſata robo-
rat, & futurorum præſcia valetudini non cedit,
cùm ſe æger præſenti debilitate turbaverit, am-
pliùs intelligens quam videtur, plùs credens le-
ctioni, quàm oculis. Ut ab ignorantibus pe-
nè præſagium putetur, quod ratione colli-
gitur.

3 Et hanc humanis ægritudinibus medendis
neceſſariiſſimam Scientiam, variis argumentis
probat Albertus Magnus *quæſt.* 103. ſuper Miſſus
eſt, habuiſſe Beatiſſimam Virginem, dicens.

Poſt hæc quęritur de Phyſica, & Medicina.
Philoſophus dicit, quòd cognitio animæ ad omnia
valet, maximè ad ſcientiam naturalem: ſed Bea-
tiſſima Virgo perfectiſſimam cognitionem animæ
habuit; perfectiſſimè enim cognovit ſe: er-
gò, &c.

Item, per diverſas proprietates lapidum, ſpe-
cierum lignorum, & animalium, & cæterorum
naturalium, diverſa figurantur myſteria in Sa-
cra Scriptura: ergò ſinè notitià rerum, non eſt
perfecta notitia Scripturarum Sacrarum: ſed Bea-
tiſſima Virgo perfectè Sacram Scripturam ſcivit:
ergò ſcivit naturas rerum.

4 Itèm. Nullus morbus eucratici adeò in-
curabilis, quin ſciret, & poſſet eum cu-
rare: Ergò habuit in ſummo Scientiam Me-
dicinę.

Itèm, Ipſa ſcivit curare ſolo verbo: Ergò ſcivit
Medicinam in ſummo.

Item, Ipſa ſcivit curare corpus, & animam:
Ergò ſcivit perfectè Medicinam.

Item, Ipſa ſcivit ſanare ad immortalita-
tem: Ergò in ſummo habuit medicinam.
Hæc ille.

5 Hinc meritò Beata Virgo in laudibus Lau-
retanis per excellentiam *Salus Infirmorum* vocatur.
Quem Titulum Placidus Nigidus *Opuſc.* 2. de
Beata Virgine ponderans, ait. Salus infirmorum,
ò Domina, quæ totum hominem, totum mun-
dum, jam indè ab initio ægrotantem, & nimis
pavidum, & deſperatum ſanaſti, & ſaluti inte-
græ reſtituiſti. Salus infirmorum, & qui ſunt,
& qui fuerunt, & qui erunt uſque in ſecu-
lum. Salus infirmorum, non ſpiritualium modò,
verum & adhùc corporalium: Quot enim corpo-
re adhùc ægrotantes à te ſalutem integram accepe-
runt?

6 Salus infirmorum, cùm in univerſum om-
nium, tum in primis carnalium hominum, &
ergà carnem affectorum. Hos ſanare, Virgo
Domina, ità tuum eſt, ut non ſit alterius; ità
enim ſanas accurrens, & affulgens pulcherrima
oculis mentis illorum, ut tanquàm tenebras di-
ſiicias omnes affectiones illas carnales. Sana me
Domina, quoniam & ego infirmus, immò &
infirmorum primus, ac Princeps ſum. Ti-
bi derelictus eſt miſer, infirmo Tu eris adiu-
trix.

§. II.

Iurium Civilium cognitionem habuit Beata Virgo.

7 ADvocationis officium quam utile ſit
publicis, privatiſque rebus, ipſo com-
probatur experimento. Quid enim forent Reſpu-
blicæ ſinè Advocatis, niſi navigia ſinè guberna-
culis, & ſinè Aurigis quadrigæ? Nulla eſſent
jura, nulla ſervaretur lex æquitatis, & fas ju-
ſtitiæ ſus, deque verteretur. Optimus quip-
pè Advocatus, iuſtus, ac fidelis legum Inter-
pres, ſua cuique jura cuſtodit, neſcius decipe-
re, promptiſſimus ſubvenire, venale nequaquàm
auro pectus, ſed vitiis vacuum, virtutibus ple-
num, ea tuetur quæ recta, quæ iuſta ſunt, quo
fit, ut innocentum cauſæ ſint ſecuræ, &
anxia improborum tantùm vota reddantur.

8 Quarè Theodoricus Rex apud Caſſiodorum
Variarum *lib.* 5. *Epiſt.* 4. ad Senatum Urbis Ro-
mæ jure merito Decoratum egregio Advocationis
officio commendat. Meminiſtis enim inquit,
Decoratum Advocationis laboribus inſudantem,
quà ſe unicuique bonorum probitate coniunxe-
rit. Cauſis veſtris fidelis Orator affuit, neceſſa-
riis rebus aſſiſtens, judicantis portavit animum ad
ſubſellia cognitorum: cui meritò frequens pal-
ma contigit, quià ſapienter alleganda tractavit.
Pudoris enim ſuſtinere iacturam neſciunt, qui
ſe priùs judice corriguntur. Inferior gradu
præſtabat Viris Conſularibus ſe Patronum, &
cùm honoribus veſtris impar haberetur, Patri-
tius ei dictus eſt in celeberrima cognitione ſu-
ſceptus. Nimis rarum eſt, Patres Conſcripti,
ſolidum loqui, & cui multa neceſſe eſt dicere,
titubantia non proferre. Hoc in Decorato cer-
tiſſimum fuit. Hoc & antè noſtra judicia vos pro-
baſtis. Quis enim tempore ſuo eum quaſi Gu-
bernatorem litium ignorare potuit, qui Cauſa-
rum ſcopulos tranſilire contendit? Legibus profe-
ctò minùs indiguit, qui eius ſolatia non quæ-
ſivit.

9 Sed profectò Deiparam, ac Dominam no-
ſtram, legum, juriumque peritia, egregiè Ad-
vocationis officium exercuiſſe, haud dubium. Nam,
ſicut inquit Albertus Magnus quæſt. 101. ſuper
Miſſus eſt, quòd jura civilia, leges, & decreta
ſci-

ſcivit in ſummo, patet hoc modo. Sapientia Advocati manifeſtatur in tribus. Unum, quòd obtineat omnia contrà Judicem juſtum, & ſapientem. Secundò, quòd contrà adverſarium aſtutum, & ſagacem. Tertiò, quòd in cauſa deſperata. Sed Beatiſſima Virgo contra Judicem ſapientiſſimum Dominum, contrà adverſarium callidiſſimum diabolum, in cauſa noſtra deſperata ſententiam optatam obtinuit: ergò ſapientiſſima Advocata fuit.

10 Item. Sapientis eſt eligere Advocatum ſapientem: ſed iſtam Advocatam Spiritus Sanctus elegit nobis, qui omnia cognovit: ergò Ipſa Sapientiſſima fuit.

Item, Aliqui Advocati poſſunt injuſtum juſtum eſſe probare ſophiſticè, & non facere: ſed Beata Virgo hoc de noſtra injuſtitia fecit: ergò improportionabiliter omnibus optimè allegare ſcivit.

Item, Ipſa Imperatrix fuit: ergò leges condere potuit: Et legis interpretatio penes ipſam fuit; & omnia jura in arca ſui cordis clauſa habuit: ergò & Beatiſſima Virgo jura omnia, & Rhetoricam in ſummo ſcivit.

§. III.

Beata Virgo perfectiſſimè Grammaticam ſcivit.

11 REctum loquendi ſpecimen, quod eſt tertiæ literæ Parthenii Nominis teſſera, Grammaticam appellamus, quæ rectè, & purgatè loqui docet. Nam, ut apud Caſſiodorum Variarum lib. 9. Athalaricus Rex epiſt. 21. ad Senatum Romanum, ut de *ſolitis* ſtipendiis liberalium artium Profeſſoribus provideret, propter hanc cauſam Grammaticam maximè commendat. Prima enim, inquit, Grammaticorum ſchola eſt fundamentum pulcherrimum literarum, mater glorioſa facundiæ: quæ cogitare novit ad laudem, loqui ſinè vitio, hoc in curſu orationis ſic errorem cognoſcit abſonum, quemadmodùm boni mores crimen deteſtantur externum. Nam ſicut Muſicus conſonantibus choris efficit dulciſſimum melos, ità diſpoſitis congruenter accentibus metrum novit decantare Grammaticus. Eſt Grammatica magiſtra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis, Antiquorum nos cognoſcitur iuvare conſiliis. Hac non utuntur barbari Reges: apud legales Dominos manere cognoſcitur ſingularis. Arma enim & reliquæ Gentes habent: Sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum Dominis obſecundat. Hinc Oratorum pugna civilis juris claſſicum canit. Hinc cunctos Proceres nobiliſsima diſertitudo commendat: &, ut reliqua taceamus, hoc quod loquimur indè eſt.

12 Et Caſſiodorus ipſe lib. Inſtitutionis de Arte Grammatica cap. 1. ſic ejus laudes profatur. Grammatica à literis nomen accepit, ſicut vocabuli ipſius derivatus ſonus oſtendit, quas primus omnium Cadmus ſexdecim tantùm legitur inveniſſe, eaſque Græcis ſtudioſiſſimis tradidiſſe: reliquas ipſi vivacitate animi ſuppleverunt: de quarum formulis, atque virtutibus Helenus; & Priſcianus ſubtiliter antiquo ſermone loquuti ſunt. Grammatica verò eſt peritia pulchra eloquendi ex Poetis illuſtribus, Oratoribuſque collecta. Officium ejus eſt ſinè vitio dictionem proſalem, metricamque componere: finis verò eliſmatæ loquutionis, vel Scripturæ: inculpabili placere peritia.

13 Sed profectò nobis fatendum eſſe videtur, Beatam Virginem ſciviſſe Grammaticam, quæ ſemper rectè, & de nullo malè loquuta eſt. In cujus eloquutione nullus error abſonus fuit. Cujus verba ità decenter ordinata, ut nullo laboraverint vitio. Cujus dictiones proſales, & metricæ ea peritia, atque perfectione compoſitæ, ut ſacros Vates antecellant, atque Prophetas. Lege Canticum *Magnificat*, & vide ad quod ejus Grammaca faſtigium aſcendat.

14 Verùm dialecticis quod aſſeritur, argumentis probetur. Præſto eſt Albertus Magnus quæſt. 99. ſuper *Miſſus eſt*. Poſt hæc, inquit, queritur de Grammatica: Verùm illam ſciverit Beata Virgo? Et videtur, quod ſic. *Luc.* 2. *Maria conſervabat omnia verba hæc*. Gloſſa: In diverſis Prophetis: Ergò ſcivit legere. Et conſtat, quòd intellexit: quia legere, & non intelligere, negligere eſt: Ergò ſcivit Grammaticam.

Item Damaſcenus dicit, quod in templo fuit enutrita, ubi Virgines inſtruebantur.

Item de Suſanna legitur *Daniel.* 13. quòd erudierunt filiam ſuam ſecundùm legem Moyſi: principium autem eruditionis eſt Grammatica: ergò Beata Virgo ſcivit Grammaticam in ſummo.

Item, Nunquàm peccavit in loquendo: Ergò Grammaticam ſcivit.

§. IV.

Vndè nam Beata Virgo dicatur Idæa Speculationum.

15 QUemadmodum Beata Virgo omnibus fuit norma virtutis; ità præ cæteris, intellectus acumine, & ſubtilitate dicitur Idæa ſpeculationum, hoc eſt, rerum cœleſtium contemplationis. Nam, ut argumentabatur Albertus Magnus, ſubtilitas Beatæ Mariæ in hoc apparuit, quòd tam ſubtiliter contemplata eſt cœleſtia, quod ductu propriæ rationis, illuminante gratia, viſa eſt Filium Dei deſiderare virginitatem, quam ideò fortè vovit, ut ejus beneplacito ſatisfaceret. Ac ſi diceret voto ſuo: *Lilia deſiderabat, lilia ei exhibeo*.

16 Aquila inter cæteras Volucres intellectuales volatu ſublimiſſima, & irreverberata pupillarum acie Solis contemplatrix æterni: in qua ſic actionis, ac contemplationis emicuère compendia, ut amicabili nexu, vinculoque admirabilis concordiæ in ſe utriuſque decora fœderaret.

17 Quapropter Albertus Magnus *lib.* 4. *de laudib. Beatæ Mariæ c.* 34. utriuſque vitæ, activæ ſcilicet, & contemplativæ excellentiam in Ipsà deſcribens inquit. Ratione actionis, & contemplationis dictum eſt ab Angelo *Mariæ*:

Ave gratia plena; gratia ſcilicet Eccleſiam donorum: quia virtute contemplandi quodammodò Patriæ donata eſt.. Undè de ea dictum eſt *Sap.* 18. *Cælos attingebat ſtans in terra*. Et Ipſa dicit cum filio: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*. *Pſal.* 15. Quantum enim diſtat inter odorem, & guſtum aromaticæ ſpeciei, tanta inter contemplationem Mariæ, & aliorum Sanctorum diſtantia eſt. Sicut enim ſingularem activam à Chriſto accepit, videlicet ejus humanam naturam portare, lactare, pannis involuere, balneare, fovere, nutrire, paſcere, potare, lenire, amplecti, & oſculari, cæteraque humilitatis obſequia exhibere: Sic, ut dicam quod miniſtrat cordis mei devotio, etiam dulcedinem ſuæ divinitatis Matri ſingulariter experiendam indulſit. Undè plenitudini gratiæ ſubjunxit Angelus: *Dominus tecum*. Ideò de Matre ſenſerunt Viri magni, & adhuc ſentiunt, quòd viatrix fruebatur; quod nec aſſerimus, nec negamus.

18 Item ratione utriuſque vitæ, activæ ſcilicet, & contemplativæ, ſignata eſt per Liam, & Rachelem, per Martham, & Mariam. Sed perfecta fuit in utraque, quod neutra ſororum iſtarum. Nam Martha quæ ergà plurima turbabatur, & circa frequens miniſterium ſolicitabatur, divinæ contemplationi non vacabat. Maria quæ ad pedes Domini ſedebat, & verba Domini audiebat, nec fatigatam Sororem juvabat, nec circa miniſterium ſatagebat, actioni non intendebat. Neutra igitur utriuſque vitæ officia adimplebat. Sed Beata Virgo, ſicut oſtenſum eſt, ſic omnia activæ opera filio exhibebat, quòd interim à divina contemplatione nullatenus recedebat. Et hæc fuit in *Maria* Angelica perfectio: nàm Angeli cùm ad nos mittuntur, ſic miniſtrant exteriùs, quòd tamen à Dei contemplatione non recedant interiùs, ſicut dicunt Beda, & beatus Gregorius.

19 Item ratione utriuſque vitæ dicitur *Maria*, *tota pulchra*, *Cant.* 4. Quia univerſæ virtutes, tàm activæ, quàm contemplativæ, in ea convenerunt, & præ cunctis admirabilem reddiderunt. Per virtutes activas habuit voluntatem mundiſſimam; per ſpeculativam, mentem purgatiſſimam. Fuit igitur tota pulchra, & in carne puritate virginitatis, & in voluntate perfectione actionis, & in mente conſummatione ſpeculationis; & nec in carne habuit maculam, contagionis, nec in mente rugam duplicitatis.

20 Item ratione ſuæ contemplationis dicit Ipſa *Cant.* 1. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*: id eſt, in cogitationem gaudiorum cœleſtium. Rex, non ſervus, ideſt, timor pœnæ, qui quandoque facit cœleſtia cogitare. Non amicus, ideſt, deſiderium præmii, ſed ipſe Rex, ideſt, amor Sponſi, qui facit me in cœleſtia meditari. Innuens igitur, quòd non timore ſupplicii ut ſerva, nec amore tantum præmii ut mercenaria, ſed ſola dilectione, & charitate Patris ut filia, in cellam vinariam eſt introducta, quæ eſt meditatio ſpiritualium, non in aquariam, quæ eſt cognitio temporalium: & ſic ei collata eſt gratia ſpiritualis. Dicit ergò: *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, ideſt, omnium bonorum ſpiritualium mihi contulit affluentiam.

Vel hæc cella vinaria, contemplationis gratia, quæ multiplicia continet pocula. Primum, puritas mentis. Secundum, requies mentis. Tertium, ſecuritas mentis. Quartum, gaudium in Spiritu Sancto. Eſt ergò ſenſus: *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, ideſt, contulit mihi gratiam contemplationis, cujus poculis me multipliciter inebriavit.

21 Item ratione contemplationis dictum eſt de Judith in figura *Mariæ*, *Judith.* 11. *Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu*, &c. ſcilicet contemplationis: quia limpidiùs cæteris omnibus Sanctis contemplabatur Deum, cœleſtia, & æterna.

Item ratione contemplationis dicit Ipſa Sponſo *Cant.* 7. *Mandragoræ dederunt odorem ſuum in portis noſtris*. Per mandragoras ſignantur ſtudia contemplationis, quæ ita faciunt dormire hominem in deliciis ſuis, ut abſciſſionem ab inimicis ſuis carnalibus nec ſentiat, nec attendat. Dicit ergò: *Mandragoræ dederunt odorem ſuum in portis noſtris*: ſcilicet in portis quinque ſenſuum, quæ tunc fiunt noſtræ, ſi odor mandragorarum ad eos perveniat, & ab eis excludat odorem mundanum: nam ſi benè dormiat interiùs anima, ſenſus ſuos claudit ad exteriora. Et verè talis erat contemplatio *Mariæ*.

§. V.

Qua ratione Beata Virgo prædicetur Arx ſcientiarum.

22 ARcem ſcientiarum appellamus *Mariam*, & jure quidem optimo. Sicut etiam virtutum omnium eſt venerabile domicilium, ità & omnium ſcientiarum collegium admirabile. De hoc autem in Scripturis figuras habemus. Primò enim dicitur *Prov.* 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem*, &c. Et infrà. *Miſit ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem*. Quæ autem eſt illa domus, quam ſibi condidit Divina Sapientia, niſi Beata Virgo, in qua Deus tanquàm in Arce omnes repoſuit ſcientias? Quæ ancillæ, niſi inſpirationes, vel Angelicæ intelligentiæ, quas mittit ad omnes in hac Arce congregandas nationes, ut audiant Matris ſuæ Sapientiam? Et in hac Arce excidit columnas ſeptem, ideſt, omnis literaturæ univerſitatem, quæ ſeptenario numero deſignatur.

23 Secunda figura habetur *Cant.* 4. ubi dicitur: *Sicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Turris David, ſcilicet Chriſti, eſt Beata Virgo, quæ eſt ædificata cum propugnaculis ſcientiarum. Et hæc eſt Philippi Abbatis *lib.* 4. *in Cant. cap.* 12. interpretatio. Ait enim: Propugnacula turri cohærentia videntur aforis prominere turrim munire fortiter, graviter hoſtibus imminere; ex quibus cunti, jacula, lapides, & hujuſmodi cætera jaciuntur, quibus defenſa turre hoſtes validè quatiuntur. Ipſa ſunt ut æſtimo præcepta, vel monita Scripturarum, Pro-

phetarum eloquia, Spiritualis ſcientia literarum, quæ ſtabili memoria conſtat forti animo Virginis inhærere, varioque provectu operum, quæque noxia longiùs prohibere. Scripturarum quippè ſubtilitas, & intelligentia ſpiritalis, tenax memoria mandatorum, manifeſta ſcientia literalis, reddunt ſui prominentia conſcientiam Virginis inconcuſſam, & inſtantiam hoſtium promptis operum jaculationibus repercuſſam, &c.

24 Ex hac igitur Arce, & Turri mille ſcientiarum clypei pendent, & omnis armatura doctrinæ, qua fortes muniuntur. Et hoc ex aliquibus Alberti Magni quæſtionibus oſtendemus. Primò *quæſt.* 102. ſuper *Miſſus eſt*. Poſt hæc, inquit, quæritur de Logica, quam quòd ſciverit, probatur hoc modo. Hęc enim perutiliſſima eſt ad ſcientiam Sacræ Scripturæ, & ad hæreſum deſtructionem, & fidei confirmationem, & rationis redditionem de ea quæ eſt in nobis fidei; ergò iſta ſcientia maximè neceſſaria eſt Sanctis: ergò & Beatiſſimæ Virgini.

Item Hieronymus dicit, quòd liber Job continet propoſitiones, aſſumptiones, concluſiones. Et idem patet de aliis libris Sacræ Scripturæ, in quibus ſunt viæ diffinitionum, diuiſionum, argumentationum: hæc igitur omnia neceſſaria ſunt ad Sacram Scripturam: ergò & Logica, in qua docentur iſta: Sed Beatiſſima Virgo perfectè ſcivit Sacram Scripturam: ergò & Logicam.

25 Item patet percurrendo Logicæ partes, quæ ſunt tentativa, ſophiſtica, demonſtrativa, dialectica. Tentativam enim in ſummo ſcivit; quia nunquàm *in* tentatione ſuccubuit. Sophiſticam in ſummo habuit: quià omnes aſtutias diaboli *cog*novit, & omnia ſophiſmata ſua patefecit. Dialecticam in ſummo habuit: quia nullius propriè ignorantiam habuit, & problemata ſolvere ſcivit. Demonſtrativam habuit in ſummo: quia nobiliſſimam propriam paſſionem de nobiliſſimo proprio ſubjecto per ſemetipſam concluſit.

Summè nobile ſubjectum eſt prima, & ſumma Bonitas: nobiliſſima propria paſſio eſt miſericordia, ſivè miſeratio: hanc igitur propriam paſſionem de hoc ſubjecto Beatiſſima Virgo concluſit, quandò per eam tanquàm per medium ſummè bonus Deus, in opere noſtræ redemptionis ſummam miſericordiam in ſe demonſtravit. Quaſi tali uteretur demonſtratione. Quicunque aufert omne malum auferibile, & confert omne bonum conferibile, ipſe eſt ſummè miſericors: Deus homo in noſtra redemptione abſtulit omne malum auferibile, & contulit omne bonum conferibile: ergò eſt ſummè miſericors Deus. Sic igitur patet, quòd Beatiſſima Virgo habuit omnes partes Logicæ in ſummo.

26 Secundò *quæſt.* 109. Poſt hæc quæritur de Metaphyſica, & primò de Theologia. Quod autem perfectè ſcivit Beata Virgo Theologiam, videtur. *Pſal.* 118. *A mandatis tuis intellexi*: ergò impletio mandati intellectum auget operanti: ſed Beatiſſima Virgo mandatum in ſummo implevit: ergo Theologiam in ſummo intellexit.

Item *Pſ.* 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*: ſed Beata Virgo ſola nunquàm pede affectus offendit: ergò lucerna verbi perfectiſſimè eam illuminavit.

Item in *Ezechiel.* 1. *Cùm elevabantur animalia de terra, elevabantur & rotæ juxtà ea*. Quæ exponens beatus Gregorius dicit, quòd cùm elevantur Doctores in vita, honoratur, & exaltatur in eis ſcientia: ſed Beatiſſima Virgo habuit elevatiſſimam vitam: ergò talem habuit ſcientiam Theologiæ.

Item Apoſtoli ſciverunt Theologiam, cùm non didiciſſent: ergò multò fortiùs Beata Virgo.

Item, Ipſa habet aureolam Prædicatorum: ergò ſcivit ſcientiam Theologiæ.

27 Item, De Cecilia legitur: *Virgo glorioſa ſemper Evangelium Chriſti in pectore portabat*: ergò multò fortiùs Beatiſſima Virgo.

Item 1. *Ioan.* 2. *Vnctio docebit vos omnia*. Gloſſa: Ad ſalutem pertinentia: ſed Beata Virgo improportionabiliter fuit uncta: ergò omnibus improportionabiliter ſcivit ad ſalutem pertinentia: hæc autem eſt Theologia: ergò ſcivit Theologiam.

Item, Deuteronomius eſt in arca: arca figurabat Beatam Virginem, Deuteronomius legem: ergò Beatiſſima Virgo ſcivit totam legem. Item *Exod.* 12. legitur: *Reſiduum igne comburetis*: ergò non omnia Scripturæ myſteria agnoſcere poſſumus. Sed ibidem: *Non remanebit ex eo quicquam uſque mane*. Gloſſa: id eſt, indiſcuſſum uſque manè reſurrectionis. Ex his duabus auctoritatibus videtur, quòd ſcivit ſuper communem ſtatum Sanctorum omnes Scripturas intelligere. Et cùm inconveniens ſit ponere, quòd aliquid à Spiritu Sancto ſit dictum, quòd à nullo ſit intellectum, juxtà illud *Eſa.* 55. *Sicut imber deſcendit de Cœlo, & inebriat terram; ità etiam verbum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum*. Ex hoc autem concluditur, quòd perfecta cognitio omnium Scripturarum ſecundùm intellectum ipſius Spiritus Sancti loquentis per Scripturas, pertinet ad ſtatum, qui eſt ſuper communem ſtatum viatoris: hic autem eſt ſtatus Beatiſſimæ Virginis: & ſic Theologiam ſcivit improportionabiliter univerſis.

28 Tertiò, *quæſt.* 110. Poſt hæc quæritur de materia libri ſententiarum. Materia enim primi libri ad duo reducitur, ad materiam de Trinitate, & ad materiam de prædeſtinatione, & potentia Dei, & voluntate: ſed de hac materia plurimum ſcivit, quæ potentiam Dei, & bonitatem in ſummo experta fuit in ſe. Secundus liber eſt de Angelis, & de operibus ſex dierum, & de ſtatu hominis: ſed hæc omnia ſcivit perfectiſſimè Beata Virgo: ergò ſecundum librum Sententiarum ſcivit in ſummo. In tertio agitur de Incarnatione Verbi, & virtutibus: ſed in ſummo illam ſcivit, quæ Incarnationem per experientiam cognovit, & virtutes in ſummo in ſe novit.

In quarto legitur de ſacramentalibus gratiis, & reſurrectione: gratias ſacramentales in ſummo habuit, ut patuit in ſuperioribus: corpus etiam habuit poſt corpus Dei ſimillimum corporibus reſurrectionis, quæ ſunt immunia à culpa, & à pœna: corpora aliorum Sanctorum in

via ſunt obnoxia culpæ, & pœnæ: & inter hæc fuit corpus Beatiſſimæ Virginis medium, exiſtens in pœna, & à culpa immune: & ita habuit corpus ſimillimum corporibus reſurrectionis; & ita maximè cognovit naturam corporum reſurrectionis. Ex his igitur patet, quòd Beatiſſima Virgo Bibliam, & Sententias in ſummo habuit.

29 Ultimò probatur, quod Beata Virgo omnium fuit Arx ſcientiarum, quia omnia ſcivit. Et hoc concludit Albertus Magnus *quæſt.* 111. dicens. Ultimò quæritur: Utrum ſciverit omnia? Et videtur, quòd ſic. *Ioan.* 16. *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem*: ergò creatam, & increatam. Sed ſi dicitur, quòd non intelligatur de omni veritate ſimpliciter, & univerſaliter, hoc non poteſt dici: quia quod Scriptura promittit, univerſaliter promittit: quarè gloſſaretur particulariter, cùm beneficia Principum ſunt largiſſimè interpretanda?

Item, intellectus eſt purè naturaliter cognoſcitivus omnium: ergò habebit propriè cognoſcibile oppoſitum: ſed conſtat, quòd non eſt reſtrictus ad cognoſcendum aliqua, ita quòd aliqua, & non alia: ergò naturaliter omnia cognoſcit: & videtur, quòd ſit Deus ejus oppoſitum: ergò anima Beatiſſimæ Virginis potuit ſcire omnia divina.

Item, Omnia laudant Deum, & ſunt homini materia laudis divinæ: ergò homo tenetur in omnibus, & de omnibus Deum laudare: ergò omnia tenetur anima cognoſcere. Item, omnia facta ſunt propter hominem: ergò homo tenetur de omnibus gratias agere: ergò omnia cognoſcit.

30 Item, Scire omnia eſt quoddam bonum. Aut igitur anima Beatiſſimæ Virginis fuit capax illius boni, aut non. Si ſic: ergò ſummè Bonus hoc ei communicavit. Si non; quæritur quod ſit id, quod Beatiſſima Virgo non potuit ſcire, & cujus non fuerit capax per modum viæ, nec erit aſſignare.

Item, Inter ſcire quædam ex parte, & ſcire omnia perfectè, eſt medium, ſcire omnia per modum viæ. Primum pertinet ad communem ſtatum in via: ſecundum pertinet ad comprehenſores in Patria: ergò medium pertinebit ad ſtatum medium: hic eſt ſtatus Beatiſſimæ Virginis: ergò Beatiſſima Virgo ſcivit omnia per modum viæ.

Item, Chriſtus ſcivit omnia per modum Patriæ, Apoſtoli per modum viæ: ergò Beatiſſima Virgo, quæ fuit media, ſcivit omnia per modum viæ.

31 Item, Sicut perſona ad perſonam, ita ſcientia ad ſcientiam, & gratia ad gratiam: ſed poſt Perſonam filii Dei non poteſt eſſe perſona dignior, & ſimilior ei, quàm Perſona Matris Dei: ergò ſicut perſona immediatè ſe habet ad perſonam, ità gratia ad gratiam, & ſcientia ad ſcientiam: ſed ad ſcire omnia per modum Patriæ immediatum eſt ſcire omnia per modum viæ: ſed Chriſtus ſcivit omnia per modum Patriæ: ergò Beatiſſima Virgo ſcivit omnia per modum viæ.

Item, Anima Chriſti ſcivit omnia quæ Deus, nec tamen æqualis eſt ei in ſcientia per modum ſciendi: ſed ſicut anima Chriſti immediatè ſe habet ad Deum, ità anima Beatiſſimę Virginis ad animam Chriſti: ergò anima Beatiſſimæ Virginis ſcivit omnia, quæ anima Chriſti, ſed imperfectiori modo.

32 Sed contrà: Sancti in Patria nihil ſciunt niſi ad beatitudinem pertinentia: ergò Sancti viæ tantùm pertinentia ad beatitudinem viæ ſciunt.

Item, Scire omnia per modum viæ aut eſſet ſcientia tantùm ſecundùm habitum, quæ non exit in actum, & ſic eſt fruſtrà: aut ſecundùm actum, & ſic eſſet ſcientia diſtractiva viatoris circà hujuſmodi particulares creaturas, & eſſet elevationis, & conjunctionis mentis cum Deo impeditiva: ergò nociva. Sed contrà illud videtur eſſe, quòd in Angelis eſt duplex ſcientia, ſcilicet veſpertina, & matutina, & una non eſt impeditiva alterius. Sed hoc non eſt ſimile ad propoſitum: quia comprehenſores vident omnia uno intuitu, ſed non viatores.

Item, In Patria evacuabitur omne impertinens ad gloriam: ergò in beatitudine viæ evacuabitur omne impertinens ad gratiam.

Item quæritur, Utrùm Beatiſſima Virgo habuit cognitionem veſpertinam, & matutinam?

33 Ad ſolutionem horum notandum eſt, quòd Beatiſſima Virgo in cognitione ſua plura habuit privilegia. Primum eſt perfecta cognitio Trinitatis Dei ſinè medio, quam habuit in via per ſpecialiſſimam gratiam.

Secundum eſt perfecta cognitio myſterii incarnationis: & hanc habuit per gratiam, & ſingularem experientiam.

Tertium eſt cognitio ſuę prędeſtinationis, quam habuit per revelationem, & cauſam

Quartum eſt animæ ſuæ, & Spirituum per proprias ſpecies cognitio, quam habuit diſpoſitivè per naturam, completivè per gratiam, & per hanc vidit Angelos, & animas, & dæmones.

Quintum eſt perfecta cognitio omnium ad ſtatum viæ pertinentium, quam habuit per gratiæ infuſionem, & inſpirationem: & hæc comprehendit perfectam cognitionem Scripturarum, operandorum, & contemplandorum.

34 Sextum eſt cognitio omnium circa ſe futurorum, quam habuit per revelationem, & in ſpeculo lectionum.

Septimum eſt omnium ad ſtatum Patriæ pertinentium cognitio, quam habuit per contemplationis revelationem.

Octavum eſt omnium creaturarum cognitio, quam habuit per naturam, & gratiam, & contemplationem.

Nonum eſt, quòd habuit veſpertinam, & matutinam cognitionem: matutinam per gratiam: veſpertinam per naturam, & per gratiam.

Decimum eſt concluſio ex prædictis omnibus, quòd nullius propriè habuit ignorantiam.

35 Undè ad objecta ſolventes dicimus, quod B. Virgo ſufficienter perfecta fuit per habitum naturæ, & gratiæ in operationes exire, & finem conſequi cujuslibet ſcientiæ: & hæc ſcientia exivit in actum, & operationem, quomodò, ubi, qualiter, & quantum ordinabatur ſibi in beatitudinem, & alii in ſalutem. Habuit etiam perfectam cognitionem omnium ad ſuam beati-

tudinem ſecundùm ſtatum viæ pertinentium, & nullorum inutilium, & ad gratiam impertinentium. Undè ipſius anima beatiſſima nulla habuit in ſe inutilia, vel impertinentia, ſed per totum gratiæ fuit plena. Undè omnia quæ fuerunt in ipſius anima, vel naturalia, vel acquiſita, ſic erant gratia informata, vel cum gratia conjuncta, ut omnia eſſent gratuita: undè omnis ſcientia ejus gratuita, omnis dilectio gratuita, omnis operatio gratuita, ut ſinè omni reſtrictione, largiſſima, & veriſſima interpretatione, eſſet omnifaria gratia plena.

CAP. III.

De Venationis Inſtrumentis, quibus Beata Virgo figuratur.

1 VEnatio non mediocrem habet laudem, quia Principum palęſtra, & rei militaris imago. Hanc gloriam multi Principes affectarunt, ut Mithridates, Adrianus, & alii: non quidem remiſſionis cauſa, ſed umbratilis pugnæ exercitatione, & agreſtium utilitate. Ita Traianum ſuum Plinius venantem deſcribit. Quòd ſi quandò cùm influentibus negotiis paria feciſti, inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris. Quæ enim remiſſio tibi, niſi luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare immenſa montium juga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre; nullius manu, nullius veſtigio adjutum: atque inter hæc pia mente adire lucos, & occurſare numinibus? Olim hæc experientia juventutis, hæc voluptas erat: his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu: nec mediocre pacis habebatur decus, ſubmota campis irruptio ferarum, & obſidione quadam liberatus agreſtium labor. Undè Claudianus ad Honorium lepidè in eo genere, ſuo luſit more:

Tu cùm per altas impiger ilices
Præda citatum Cornipedem reges,
Telis jacebunt ſpontè tuis feræ:
Gaudenſque ſacris vulneribus leo,
Admittet haſtam, morte ſuperbior.

2 Neque tantùm Principes Viri, ſed & Regales fœminæ hanc ſibi gloriam inter mulieres uſurparunt. Teſtatur enim lib. 3. Nicetas, quòd Euphroſyna, Alexii Angeli, Imperatoris Byzantini uxor, aurata chirotheca accipitrem ſuſtinuit, inter aucupes, & venatores frequens. Undè Poetæ fabulantur Dianam Præſidem venationis, de qua Ovidius lib. 3. metam. fingit, venatu feſſam, ſolitam ſe abluere fonte:

Hic Dea venatu ſilvarum feſſa ſolebat
Virgineos artus liquido perfundere rore,
Quò poſtquam ſubiit, Nympharum tradidit uni
Armigeræ jaculum pharetramque, arcuſque retentos.
Altera depoſitæ ſubjecit brachia pallæ:
Vincla duæ pedibus demunt: nam doctior illis
Iſmenis Crocale ſparſos per colla capillos
Colligit in nodum.

Et ſimili ſchemate Virgilius *Aeneid. lib.* 1. deſcribit Venerem venatricem, Matrem Æneæ:

Cui mater media ſe ſe tulit obvia ſilva,
Virginis os, habitumque gerens, & virginis arma
Spartanæ: vel qualis equos Threiſſa fatigat
Harpalice, volucremque fuga prævertitur Hebrum.
Nanque humeris de more habilem ſuſpenderat arcũ
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis:
Nuda genu, nodoque ſinus collecta fluentes.

3 Sed nunquid etiam Deipara venatrix? Et quidem Virgo Nympha venatrix, & venationis Præſes. Et quidem egregia non ferarum, ſed animarum venatrix, cui vel in literis ſui Nominis nec expreſſa deſunt. Dearum inſtrumenta venantium. Ut & etiam hic titulus laudis illam honoret, cui omnia fuerunt collata laudum inſignia. Age ergo, & ipſum Nomen organis venatoriis compoſitum exponamus. Diſpone literas, & invenies in *Maria* præcipua Venatorum arma, nempè:

M uſcipulam.
A culeum.
R ete.
I aculum.
A rcum.

Optima profectò venatio ejus: nam qui ſuis artibus capiuntur, capiuntur ad vitam, decipiuntur ad ſalutem, & ad magnas utilitates, compendiaque bonorum ſpiritualium irretiuntur.

§. I.

Per Muſcipulam benè figurari Beatam Virginem.

4 TOta res venationis aut latentibus inſidiis, aut vi agitur aperta. Inter inſidias venationis muſcipula numeratur, de qua *Sap.* 14. *Et in muſcipulam pedibus inſipientium*. Ubi Grecus ly *in muſcipulam* legit *in laqueum*. Vatablus: *Ad pedes inſipientium illaqueandos*. Syrus vertit: *Retia pedibus ſtultorum*. Alii denique legunt: *In decipulam*, vel *tendiculam*. Quæ profectò vocabula inſidias ſonare videntur. Quin & *Iob* 18. *Abſcondita eſt in terra pedica ejus, & decipula illius ſuper ſemitam*. Sunt enim inſidiæ compoſitæ, quibus utitur venatio ad decipiendas volucres, & feras.

5 Eſt igitur advertendum, quòd magnum inter *Mariam*, & diabolum eſt certamen in venatione. Uterque quippè venator, ſed diabolus ad perniciem humani generis; Beata Virgo ad ſalutem animarum venatrix. Ille inſidias tendit ad mortem, hæc ad vitam. Ille fallaciis ſeducit ad culpam, hæc allicit ſacris dolis ad gratiam. Ille ad lethalem implicat ſervitutem, hæc ad vitalem illaqueat libertatem. Ille ad interitum prædam ſuis impellit decipulis, hæc ipſam glorioſè ſervat ad gloriam.

6 Audiamus itaque primò Gregorium *lib.* 14. *Moral. c.* 7. deſcribentem aſtutias diaboli venatoris. Ibi enim exponens Jobi dictum: *Abſcondita eſt*, &c. inquit. In terra pedica abſconditur, cùm culpa ſub

ſub terrenis commodis occultatur. Inimicus quippè inſidians oſtendit humanæ menti in terreno lucro quid appetat, & occultat peccati laqueum, ut eius animam ſtringat, quatenus videat quid eſt, quod concupiſcere valeat, & tamen nequaquàm videat in quo culpæ laqueo pedem ponat, *Decipula* verò *à decipiendo* vocata eſt. Et tunc ab antiquo hoſte per ſemitam decipula ponitur, quandò in actione huius mundi, quam mens appetit, peccati laqueus paratur, quæ videlicet non facilè deciperet, ſi videri potuiſſet. Sic quippè decipula ponitur, ut dùm eſca oſtenditur, nequaquàm ipſa à tranſeunte videatur. Quaſi eſca quippè in laqueo eſt lucrum cum culpa, & huius mundi proſperitas cum iniquitate. Dùm itaque à concupiſcente lucrum appetitur, quaſi pedem mentis apprehendit decipula, quæ non videtur.

7 Sæpè ergò proponuntur animo cum culpa honores, divitiæ, ſalus, & vita temporalis, quæ mens infirma dùm quaſi eſcam videt, & decipulam non videt, per eſcam, quam videns appetit, in culpa conſtringitur, quæ non videtur. Exiſtunt enim qualitates morum, quæ certis vitiis ſunt vicinæ. Nam mores aſperi, aut crudelitati, aut ſuperbiæ ſolent eſſe coniuncti: mores autèm blandi, & quam decet paulò ampliùs lætiores, nonnunquàm luxuriæ, & diſſolutioni. Intuetur ergò inimicus geneneris humani uniuſcuiuſq; mores, cui vitio ſint propinqui, & illa opponit antè faciem, ad quæ cognoſcit faciliùs inclinari mentem: ut blandis, ac lætis moribus ſæpè luxuriam, nonnunquam vanam gloriam: aſperis verò mentibus iram, ſuperbiam, vel crudelitatem proponat. Ibi ergò decipulam ponit, ubi eſſe ſemitam mentis conſpicit: quià illic periculum deceptionis inſerit, ubi viam eſſe invenerit propinquæ cogitationis. Hæc Gregorius.

8 Sed Beata Virgo è contrà, ut à vitiis avertat, parat nobis occultas inſpirationes, & pedibus inſipientium peccatorum muſcipulam dilectionis, & miſericordiæ ſuæ, ſeu decipulam charitatis, quà pedes eorum involuti ad felicitatem illaqueantur. Nobilis animarum venatrix nectit amoris laqueos, ſtruit benevolentiæ tendiculas, in quas qui impingunt felices, quià de miſera vitiorum ſervitute, ad liberrimum educuntur famulatum virtutum. Et ipſa quidem de hac venatione gloriari videtur, dicens illud *Oſeæ* 11. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Quis non ſpontè tàm nobili venatrici ſe dedat?

§. II.

Optimè quadrat Beatæ Virgini aculei figura.

9 PEr aculeum, hamum intelligo, quo piſcatio exercetur, hamus enim eſt aduncus aculeus. Beata Virgo hamus, quo captus eſt magnus ille Cetus, qui in fluvio vitæ hujus homines ſicut piſces devorabat. Quandò enim Beata Virgo in ventre ſuæ Matris eſt concepta, eam ſibi velut eſcam exoptatam per originale peccatum deglutiendam putavit, ſed neſciens Virginis animam aculeo gratiæ armatam, cùm eſcam vorare appetit, acutiſſimo captus eſt hamo, qui & fauces eius perforavit, nè Ipſam dente peccati læderet ad mortem.

10 Vel hamus Beata Virgo, quià officina Incarnationis, quià nobis edidit Chriſtum, quo genus humanum à diaboli faucibus ereptum. Pulchrè Petrus Cardinalis Damianus *ſerm.* 3. *de Nativit. B. Virginis* in illud. *Matth.* 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti, &c.* revolvens temporariam Redemptoris genealogiam, & quærens cur terminetur in hæc verba: *Iacob autèm genuit Ioſeph Virum Mariæ, de quà natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*: inquit. Plurima quidèm dilectioni veſtræ, fratres chariſſimi, de lectione Evangelica, quæ multis myſteriorum Sacramentis eſt gravida, poſſemus exponere: ſed eam iccircò ſuccinctè tranſcurrimus; nè eà, quæ à Maioribus noſtris de eà latiùs dicta ſunt, ſuperfluò repetere videamur.

11 Illud autèm unum in eà non tàm libet exponere, quàm mirari, quià perſona Redemptoris noſtri ſic in fine huius propaginis ponitur, ac ſi hamus in extremitate lineæ ſubnectatur: ſic ordinatè additur genealogiæ, ſicut hamus productæ inſeritur lineæ. Cùm enim dicitur: *Abraham genuit Iſaac: Iſaac autèm genuit Iacob*: & cæteri Progenitores bis numerantur: quaſi litium litio inſeritur, ut una ex pluribus in longum linea producatur. Cùm verò ſubiungitur: *Iacob autem genuit Ioſeph, Virum Mariæ, de quà natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*: jam non directim, ſed quaſi ex obliquo hamus apponitur, qui antiqui illius Leviathan facibus infigatur.

12 Hinc eſt quod ad beatum Iob Dominus loquitur, dicens: *Nunquid capies Leviathan hamo? Iob.* 40. *Per Leviathan* quippè, qui *additamentum eorum* dicitur, Cetus ille devorator humani generis deſignatur, qui dùm ſe divinitatem homini addere ſpopondit, immortalitatem ſuſtulit: qui prævaricationis quoque culpam, dùm ſe ſequentibus peſſima perſuaſione multiplicat, pœnas eis ſinè ceſſatione coacervat. In hamo autèm eſca oſtenditur, aculeus occultatur. Hunc ergò Pater omnipotens hamo cepit, quià dùm ad mortem illius unigenitum Filium incarnatum miſit, in quo & caro paſſibilis videri poſſet, & divinitas impaſſibilis videri non poſſet. Cumque in eo ſerpens iſte per manus perſequentium eſcam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Priùs verò eum in miraculis Deum cognoverat, ſed de cognitione ad dubitationem cecidit, quandò hunc paſſibilem vidit.

13 Quaſi hamus ergò fauces deglutientis tenuit, dùm in illo eſca carnis apparuit, quam devorator appeteret: & divinitas paſſionis tempore latuit, quæ necaret. In hamo eius Incarnationis captus eſt, quia dùm in illo appetiit eſcam corporis, transfixus eſt aculeo divinitatis. Ibi quippè inerat humanitas, quæ ad ſe devoratorem duceret, ibì divinitas, quæ perforaret; ibi aperta infirmitas, quæ provocaret; ibi occulta virtus, quæ raptoris fauces transfigeret. In hamo igitur captus eſt, quià indè interiit, undè

dè momordit: & quos jure tenebat mortales, perdidit; quià eum, in quo jus non habuit mortis, appetere in morte præſumpſit. Hinc, fratres, hinc, rogo perpendite, quibus laudibus digna ſit Beata, & glorioſa Virgo *Maria*, quæ illum nobis de caſtiſſimis ſuis viſceribus genuit, qui nos de tàm profundo gutture avidiſſimi draconis eripuit. Hactenùs ille.

14 Et in hunc etiam planè ſenſum Pierius *lib.* 45. hieroglyphicorum, hamum interpretatur, dicens. Longè verò aliter in divinis literis hamum accipi videas, per quem Sanctiſſimum Chriſti corpus ſignificatur, dequo apud Ezechielem Theologi dictũ aiunt: *Et extraham te in hamo meo, & extendam te ſuper terram, campos implebis: & à volucribus omnibus impeteris, perindeque omnes terræ beſtias tuo paſtu ſaturabo.* Sicuti enim ſi hamum eſca coopertum piſcis rapiat, non ſolùm eſcam ab hamo non ſuſtollit, ſed ipſe de profundò eſca alii futurus educitur: ità mundi Princeps, penes quẽ erat mortis imperium, rapuit quidèm in mortem corpus Adamiaci Ieſu, cùm ſub eo hamum divinitatis incluſum minimè ſentiret, quo devorato hæſit ipſe continuo, deque profundo tractus, eductus eſt ut eſca fieret iis, quibus calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones poteſtas à Deo data fuerat. Idem apud Job 40. reperies: *Aut adduces draconem in hamo, aut capiſtrum circà nares eius appones.*

15 Verùm quia ſumus in piſcatione, & venatione, viſum eſt Alberto Magno *lib.* 12. *de laudib. B. Mariæ c.* 6. §. 20. *n.* 39. *&* 40. Beatam Virginem eſſe virgam piſcatoriam, & venatoriam, & quæ etiam agriculturæ deſerviat, ex tribus quæ ſolet virga portare, undè ex his pulcherrimum Mariæ, & Chriſti componit hieroglyphicum. Virga, inquit Albertus, tria portat, *ſcilicet* ſtimulum, hamum, & viſcum quibus tria animalia, ſcilicet bos, piſcis, & avis captivantur, quibus tribus Behemoth, ideſt, diabolus figuratur. Stimulus enim cogit bovem agriculare, ſervire. Hamus piſcem extrahit de aqua, vel de fluvio. Viſcus volucrem in aere captivat. Et his tribus figuratur Chriſtus, quem Virgo Maria portavit. De bove *Iob* 40. dicitur ipſi Job: *Behemoth, quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet.* Ibidem: *An extrahere poteris Leviathan hamo?* ſcilicet de aquis generis humani. Ibidem: *Nunquid illudes ei quaſi avi?*

16 Chriſtus ſtimulus. Undè dixit Saulo *Act.* 9. *Durum eſt tibi contrà ſtimulum calcitrare.* Servit ergò bos, ideſt, diabolus agriculturæ Dei, ideſt, fidelibus Eccleſiæ, quibus dicitur 1. *Corinth.* 3. *Dei agricultura eſtis*: dùm eos vexat tentationibus, & quaſi calcat ad probationem, non ad ſubverſionem, & ſic calcando facit ipſos quaſi terram fructiferam, & uberiorem.

17 Chriſtus hamus, de quo *Iob* 40. *In oculis ſuis quaſi hamo capiet eum.* Huius hami ferrum, virtus divinitatis; vermis fragilitas carnis; ferrum latens in verme, divinitas latens in humanitate. Hamus in mare proiectus, Chriſtus in mundum miſſus. Satanas qui in mari mundi per idololatriam dominabatur, qui ſuprà appellatus eſt Leviathan, hunc vermem morte appetiit: ſed virtus divinitatis eum aduncavit. Undè quidam:

Piſcator Pater eſt, mare mundus, Filius hamus.
Eſca caro, deitas linea, piſcis homo.

18 Chriſtus viſcus, cuius mollities humanitas viſcoſa, tenacitas deitas. Avis inſidens virgæ viſcatæ, primò premit pedibus mollem viſcum, quibus adhærentibus viſco tenaci, percutit alis viſcum, quouſque viſco adhæreant. Alæ diaboli Princeps Romani, qui ipſum diabolum in altum levabant, & per mundum coli faciebant. Pedes populi inferiores. Primò enim diabolus Chriſti humanitatem morte preſſit per populos minores, clamantes coram Pilato: *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. Luc.* 24. Sed iſtis minoribus ad prædicationem Apoſtolorum virtute divinitatis Chriſto fide adhærentibus, diabolus commovit Romanos Principes quaſi alas ſuas ad perſequendum Chriſtum in membris ſuis, donèc & ipſi Chriſto quaſi viſco fide adhæſerunt: & ſic illuſum eſt diabolo quaſi avi. Ideò dicit Dominus *Ierem.* 13. *Agglutinavi mihi domum Iſrael:* ideſt, populum credentium.

19 Sed cùm adhùc diabolus nos vexet in terrà, inquantùm ipſe eſt bos per amorem terrenorum, & in aqua inquantùm piſcis per fluxa carnalium voluptatum, & in aere inquantùm avis per elationem mentis, ſemper neceſſe eſt per orationem ad hanc virgam refugere, & ad eum quem virga portavit, quæ merito paupertatis, & humilitatis ipſum diabolum ſemper prævalet captivare.

§. III.

Iure optimo per Rete ſignificatur Maria.

20 Libet cum Plutarcho Sermonem exordiri de reti. Quærit Plutarchus in *Quæſtionib. naturalib.* Quid ità hyeme magis, quam æſtate, putredinem ſentiunt retia, quandò cæteris æſtate id potiùs accidit? Utrùm, quæ Theophraſti eſt opinio, frigori calor cedens cohibetur, & contrahitur, atque ima maris, ſicut telluris calidiora reddit? Hinc fontanæ ſunt hyeme tepidiores, lacuſque, & amnes magis reſpirant: quod vi frigoris maiore conſtringatur in alto calor. An non putreſcunt retia: ſed quando obriguerunt, & in glaciem concreverunt, exſiccata retia ab undis plùs atteruntur; quod putrefactioni, & eroſioni eſt aſſimile. Laborant enim in gelu magis, ſicut nervi, cùm valdè ſunt intenſi, rumpuntur, ſæviente ſæpè numero ob hyemem æquore. Quapropter ſtringunt ea tincturis, ſpiſſantque, quòd nè laxentur, timeant. Quandò non tincta, & illita citius piſces fallerent. Referens enim linum aeris colorem decipit piſces.

21 Sed quorsùm, dices, Plutarchi quæſtionem recitaſti? Eà ratione, reſpondeo, ut oſtenderem *Mariam* eſſe rete, quæ non hyemem pigritiæ, ſed fervoris amat æſtatem, nulliſque tingi fucis, ſed aeris colorem referre, ut ſimplicitate, non aſtu, faciliùs capiat piſces, qui

hu-

huius vitæ enavigant mare.

Vel per rete ſilentem *Mariæ* taciturnitatem arbitror interpretari. Per retia enim, inquit Pierius *lib.* 45. hieroglyphicorum, ſilentium ſignificari tradunt, eà quidem ratione, quod præcipuum eſt præceptum Piſcatoribus, ut dùm gregem circundant, ſilentio quàm maximo navigent. Piſces prætereà altiſſimo ſilentio præditos eſſe compertiſſimum eſt, pauciſſimis exceptis, ac præcipuè Cane marino: undè etiam proverbium emanarit, ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων. Sic eruditus Horatius eos mutos vocat. Sic Lucretius mutas natantes appellavit.

21 Vel etiam per piſces ſignificantur peccatores, qui utique muti ſunt, quia neſciunt ora in laudem Dei laxare, ad confeſſionem, & pœnitentiam ſunt omninò ſilentes. Sed Beata Virgo laxat retia ſua in capturam horum piſcium, ut ſic capti jam non muti ſint, ſed vocales ad culparum contritionem, & confeſſionem ad gloriam Dei undè dicitur *Pſal.* 140. *Cadent in retiaculo eius peccatores.* Quid enim de peccatoribus foret, niſi rete Mariæ ipſos ad vitam æternam concluderet? Nec mirum; quià juxtà Pierium *lib.* 45. hieroglyphicorum in Divinis Literis retia ſunt perſuaſionis hieroglyphicum, quà ſcilicet homines in veritatis cognitionem inducuntur, atque ità capi videntur. Ad hoc facere Evangelicum illud, ait Eucherius, *Mittite retia in capturam:*

§. IV.

Quàm aptè Iaculum Beata Virgo dicatur.

22 Nunc verò amoris venationem aggrediamur, quæ non feras, ſed corda venatur. In hac autem amoris venatione, oculi ſunt iacula, & ſagittę, quibus ſauciata corda capiuntur, & rapiuntur. Oculi enim radios vibrant, & quaſi ſagittas amoris eiaculantur: ut de Helenà Theocritus Ilyl. 18. ſcribebat. Et Jacobus de Vitriaco Cardinalis refert Sanctimonialem quandam pulchritudine oculorum ità cor Principis vulneraſſe, ut omni modo eam ſibi tradi vellet. Quare illam evulſos oculos ad Principem miſiſſe, ac dixiſſe: *Eccè ſagittæ, quæ cor tuum ſauciarunt.* Sunt & crines pariter acuta ſpicula, quibus præcordia transfiguntur, & feriuntur.

23 In hac igitur venatione, Deipara venatrix & ſagittaria, oculis, & crinibus prò jaculis utitur, quibus cor Dei transfigit, & ferit. Undè enim eę Sponſi voces *Cant.* 4. *Vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa: vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli:* niſi quia ſe eius amore captum, & oculo, & crine ſagittariæ Venatricis ſe vulneratum eſſe fatetur. Et quidam plures, & variæ verſiones, & lectiones hoc illis verbis *vulneraſti cor meum*, aiunt ſignificari. Undè ſeptuaginta vertunt ἐκαρδίωσας ἡμᾶς, ideſt, *excordaſti nos*: hoc eſt, ut Vatablus legit: *Abſtuliſti mihi cor.* Rabbi David vertit: *transfixiſti mihi cor.* Complutenſes legunt: *Stupefeciſti me.* Arabicus vertit: *Inflammaſti corda noſtra.* Alii legunt: *Incordiaſti me*: ideſt, in corde me ſauciaſti; Vel *incordiaſti me*, ideſt, ut ait Nyſſenus, *Cor meum mihi eripuiſti, & in corde tuo concluſiſti, & captivaſti.* Hinc & Ambroſius in *Pſal.* 118. *ſerm.* 11. vertit; *Corde nos cepiſti.* Et pariter *ſerm.* 16. *Cor meum cepiſti.*

24 Sed pulchrè Albertus Magnus *lib.* 5. *de laudib. Beatæ Mariæ c.* 2. *num.* 9. iacula oculorum, & crinium ſagittariæ Venatricis, quibus præcordia Dei uſque ad amorem ſagittavit, exponendo prædicta canticorum verba deſcribit. Ab oculis, inquit, commendat eam Sponſus *Cant.* 4. *Vulneraſti cor meum Soror mea ſponſa: vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Alia litera dicit: *Percuſſiſti nos corde:* totam videlicet Trinitatem. *Vulneraſti cor meum* vulnere charitatis, non doloris: ideſt, me ad amorem tuum delectabiliter attraxiſti, ut te profundè diligerem de corde meo. *In uno*, ideſt, in unitate *oculorum tuorum*, ſcilicet affectus, & intellectus, quæ in te ità ſunt unum, quod non aliud deſiderat affectus, niſi quod deſiderandum indicat intellectus.

25 *Vulneraſti cor meum in uno crine cervicis tuæ*, quod habet alia litera: ideſt, in unitate cogitationum tuarum, quæ ſic adhærent Chriſto capiti ſuo, quòd nihil aliud dicunt niſi illud *Pſal.* 26. *Vnam petii à Domino, &c.* Dicit ergò ſe charitate vulneratum, & corde percuſſum in uno oculorum, & in uno crine Matris ſuæ: quia de corde ipſius triumphat hæc unitas, & eius recordationem nulla delet oblivio, ſicut nequit fieri, nè vulnus cordis continuè ſentiatur.

Vel per unum crinem deſignatur eius humilitas ſingularis, & unica, & quæ ad modum crinis, gracilis erat, & tenuis, carens onere mundanorum, & craſſitudine temporalium, ut meliùs poſſet aſcendere, & intrare per foramen acus, ideſt, finem paſſionis. Erat etiam eius humilitas rotunda, ſicut crinis rotundus eſt: quià propter amorem æternitatis intantùm ſe humiliavit, non cauſà inanis gloriæ, ſicut hypocritæ, *qui nequiter ſe humiliant, & interiora*, ideſt, intentio, & affectio, *plena ſunt dolo, & ſallacia. Eccli.* 19.

26 Sequitur. *Colli tui.* In hoc notatur, quod Beata Virgo non ſolùm humilis in mente, ſed etiam in voce. Per collum, quod continet guttur, in quo formatur vox (unde de quibuſdam dicitur *Pſal.* 113. *Non clamabunt in gutture ſuo*) ſignificatur humilitas verborum eius: quia per humilitatem ſonuit verbum obedientiæ, dicens: *Eccè Ancilla Domini.* Ergo per unum crinem ſingularis humilitas mentis eius. Et quia additur *colli tui* ſingularis, & unica humilitas vocis eius. Et hac duplici humilitate tàm profundè vulneravit cor ipſius Chriſti vulnere amoris, quod facta eſt ei Soror, & Sponſa quò ad humanam naturam, quam aſſumpſit ex eà, in quà vulneratus eſt ad mortem in patibulo Crucis. Ideò dicit: *Vulneraſti cor meum Soror mea, Sponſa, &c.*

§. V.

§. V.

Tota abſolvitur Oeconomia noſtræ Venatricis in arcu.

27 ARcus, Pharetra, & ſagittæ ſunt præcipua venationis arma, & Venatricis ornatus. Neque enim de venatione poſſumus loqui, niſi etiam de Arcu, Pharetrà, & Sagittis mentio fiat. De Pharetrà enim ſpicula depromuntur, quibus ad feriendum arcus armatur. Quapropter promiſcuè de iis omnibus loquemur. Quid ergò in Beatà Virgine arcus, pharetra, & ſagittæ? Illud ingenuè dixerim, per Arcum ſignificari os, & labia Virginis: per pharetram cor ipſius intelligi: & per ſagittas, conſilia, & cogitationes. Cor enim Deiparæ repletum eſt veluti pharetra ſagittis acutis. Conſilia enim eius, & optimæ cogitationes ſunt acuminatæ ſagittæ; arcus verò, os, & labia: quo diſtento, quippè adeperto, amantiſſimi cordis ſpicula ad amoris vulnera depromuntur. Undè de Ipſa verificatur illud *Pſal.* 119. *Sagittæ potentis acutæ*. Quia verba, & *Mariæ* conſilia ſunt Sacræ ſagittæ, quibus hominum corda ſagitantur ad amorem Dei, ut fiat in eis non livoris, ſed vulnus amoris.

28 Undè & Cupidini Arcus eſt Sacer. Nam ut Pierius *lib.* 42. hieroglyphicor. Amori, inquit, arcus in primis dedicatur, propterea quod eò vulnere ſaucii ſemper eminùs feriuntur, veluti ſagitta quadam ab amatis oculis emiſſa, & in amantium oculos recepta. Sunt verò, illi, ut philoſophatur Plato, radii quidam tenuiſſimi, qui ex intimo cordis expirant, ubi vitalis ſanguis dulciſſimus, calidiſſimuſque ſedem habet: viaque ſibi, ut Muſſæus ait, per oculos patefactà, per amantis identidem oculos illapſi, ad intimum eius cor penetrant, accenſoque interim magis, ac magis ſanguine, bilis etiam inflammatur, unde ille ſequitur dolor, quem affixum eſſe cordi amantes omnes profitentur, quicumque illos eventus, aut durus, aut facilis ſequatur.

29 Planè Virgini Dei Genitrici, quæ pulchræ dilectionis eſt Mater, arcum amatorium, & venatorium ſacramus. Oculi enim ipſius arcus, & amoris ſagittæ ſunt, quæ de curvato ciliorum ſemicirculo emittuntur ad venandas, & vulnerandas ſuorum amantium animas. Quia verò in divinis literis ſagittæ ſæpiſſimè ponuntur pro cruciatibus, qui ex rerum perperàm actarum conſcientia cor ſtimulant, compungunt, exulcerantque: ideò ſagittæ Beatæ Virginis iuſtos vulnerant ad amorem, & feriunt ſalubriter peccatores, & ad pœnitentiam compungunt. Undè amans Anima ſpiculis percuſſa amatoriis aiebat: *Vulnerata charitate ego ſum*: & Vates Regius in peccatorum perſona dicebat *Pſal.* 38. *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Attigerunt me*, tranſtulit Symmachus.

30 Sed fortè in ſagittis perniciſſimam ſuppetiarum celeritatem, quas Deipara hominibus affert, ſymbolicè habemus. Et ideò cum Pierio *lib.* 42. hieroglyphicorum dicamus. Eſto igitur ſagitta velocitatis etiam hieroglyphicum, cuius ergò Virgilius juvenibus curſu pedum certaturis cùm equum primò præmium propoſuiſſet, alteri Amazoniam pharetram, plenamque ſagittis pollicetur. Et Armenii *Sagittam Tigrin* vocant, undè & velociſſimum animal Tigris, & fluvius rapidiſſimus, qui ex Armenia in Meſopotamiam labitur. Ibi enim *Sagitta Tigris* dicitur. Et *Pſal.* 7. quod minatur Propheta futurum, ut Deus gladium ſuum expediat, & arcum intendat: Interpretes per gladium acerbitatem, per arcum celeritatem mortis indicari tradunt.

31 Ab hac ſagittarum velocitate vulgus totius Italiæ hodiè cùm quid properandum eſſe innuit, vocabulum formavit *Affrezzare*, ex quo Sagittam *frezam* vocant. Sanè Abarin genere Hyperboreum apud Scythas tantæ velocitatis hominem fuiſſe tradit Nazianzenus, ut cùm ſagittam, veluti fabulantur, accepiſſet ab Apolline, emiſſam eam pari curſus pernicitate conſequeretur: quo ſigno populos circumiens reſponſa dabat indè ſibi fidem acquirens, quòd conatus ille longè ſuprà humanas vires eſſe putabatur.

32 Sed non fabuloſè apud nos dictum *Pſal.* 126. *Sicut Sagittæ in manu potentis, ità filii excuſſorum*; per quas Eucherius Apoſtolos hieroglyphicè ſignificari tradit, qui orbem terræ volatu perniciſſimo peragrantes doctrinà ſuà mortalium, qui nondùm Deum norant, corda penetrarunt. *Filii* verò *excuſſorum*, quia de priùs excuſſis telis, hoc eſt, prophetis, Apoſtoli geniti ſunt. De iis Pſalmographus ait *Pſal.* 17. *Miſit ſagittas ſuas*: & alios alio delegavit. Pleriſque enim locis ſagittæ verba divina ſunt, quæ penetrabili charitate corda noſtra configunt; Hic arcus ille erat, quem tetenderat, paratumque ad feriendum aſſervabat: quanvis hoc nonnulli ad minas referant, quod arcus inter alia ſignificata, minarum etiam ſignum ſit. Undè Horatius:

Nec ſemper feriet quodcunque minabitur arcus.

33 Sed Deus me adiuvet, quis auxilii pernicitatem, quà Deipara accurrit, æquare valet? Quę ſagitta velocior aura eius aſſequi velocitatem? Neque de hoc dubitare fas eſt, cùm devotiſſimus Anſelmus Tract. de Excellentia B Virginis *Mariæ c.* 6. fateatur homines celeriorem nonnuquàm experiri opem, implorato *Mariæ* Nomine, quàm inclamato nomine Ieſu filii ſui. Sepè quippè, inquit, vidimus, & audivimus plurimos hominum in ſuis periculis recordari horum, & omnis periculi malum illicò evaſiſſe: velociorque nunnunquam ſalus memorato Nomine eius, quàm invocato Nomine Domini Ieſu unici Filii ſui. Et id quidem non ideò fit, quod Ipſa maior, aut potentior eo ſit: nec enim ipſe magnus, & potens eſt per eam, ſed illa per ipſum.

Quare ergò propitior ſalus in recordatione eius, quàm Filii ſui ſæpè percipitur: Dicam quid ſentio. Filius eius Dominus eſt, & Judex omnium, diſcernens merita ſingulorum. Dum igitur ipſe à quovis ſuo nomine invocatus, non ſtatim exaudit, profectò id juſte facit: invocato autèm nomine Matris, & ſi merita invocantis non merentur ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur.

CAP. IV.

Geometricis, Nauticis, & Fabrilibus Inſtrumentis figuratur Beata Virgo.

1 IAm pharetratam Deiparam vidimus Venatricem, nunc poſitis arcu, atque ſagittis, aliis intendentem ſtudiis Ipſam oportet intueri. Cùm enim Ipſa plurimis modis adjuvet Mortalium genus, neceſſe eſt eam varias etiam percallere artes, quibus potentiam, & peritiam ſuam applicet in ſuccurrendo. Neque has ego admiror, cùm plurimùm ubique potentia valeat, atque virtute: illud ſtupeo, quòd hæc quoque decora, atque Inſignia ex literis Nominis ejus oriantur. Neque enim *Mariæ* Nomen inanis eſt nominis umbra, ſed res, ſed veritas, ſed magnus vigor, ac robur virtutis. Quid novi igitur Parthenii Nominis Africa parit? Sacratiſſimorum enim prodigiorum eſt officina, quemadmodùm & illa barbara mundi pars deformium mater portentorum. Sunt igitur literæ Nominis ejus vel Gratiarum monſtra, vel Scientiarum oſtenta. Sit ergò ut pulchrum, & gratioſum, ita & doctum, ac literatum Nomen. Eccè itaque quòd *Maria* reperitur eſſe,

M enſura.
A muſſis.
R atis.
I ncus.
A nchora.

Vides novam ſcaturiginem titulorum è literis ſui Nominis emanantem. Sed jam de quolibet diſſeramus.

§. I.

Quàm rectè Beata Virgo ſit Menſura.

2 DIſciplina, quæ rerum tradit menſuras, Geometria vocatur. Quam quis repererit, & undè nomen habuerit, ſcribit Iſidorus lib. 3. Origin. cap. 10. Geometria diſciplina, inquit, primùm ab Ægyptiis reperta dicitur, quia inundante Nilo, & omnibus poſſeſſionibus ejus limo obductis, initium terræ dividendæ per lineas, & menſuras nomen arti dedit. Quæ deindè longius acumine Sapientum producta, & maris, & Cœli, & aeris ſpatia metitur. Nam provocati ſtudioſi cœperunt, poſt terræ dimenſionem, & Cœli ſpatia quærere: quanto intervallo Luna à terris, à Luna Sol ipſe diſtaret, & uſque ad verticem Cœli quanta ſe menſura diſtenderet: ſicque in ervalla ipſa Cœli, orbiſque ambitum, per numerum ſtadiorum, ratione probabili diſtinxerunt. Sed quia ex terræ dimenſione hæc diſciplina cœpit, ex initio ſui & nomen ſervavit: nàm *Geometria de terra*, & *de menſura* nuncupatur. *Terra* enim Græcè γῆς vocatur, μετρον *menſura*. Hujus diſciplinæ ars continet in ſe lineamenta, intervalla, & magnitudines, & figuras, & in figuris dimenſiones, & numeros.

3 Quam artem ſic extulere Gentiles, ut ad fictitiam Jovis deitatem tranſtulerint, ut ſcitè Caſſiodorus *lib. de Geometria*. Nunc, ait, ad Geometriam veniamus, quæ eſt deſcriptio contemplativa formarum, documentum etiam viſuale Philoſophorum: quod ut præconiis celeberrimis efferrent, Jovem ſuum in operibus propriis Geometram fuiſſe teſtantur: quod neſcio utrum laudibus, an vituperationibus applicetur: quandò quod illi pingunt in pulvere coloreo, Jovem facere mentiuntur in Cœlo. Quod ſi verò Creatori, & Omnipotenti Domino ſalubriter applicetur, poteſt ex ſententia forſitan convenire veritati. Geometria etenim, ſi fas eſt dicere, Sancta Divinitas, quandò Creatoris ſui, quas hodieque facit exiſtere, diverſas ſpecies, formulaſque concedit: quandò curſus ſtellarum potentia veneranda diſtribuit, & ſtatutis lineis facit currere quæ moventur, certaque ſede quæ ſunt fixa conſtituit. Quicquid enim benè diſponitur, atque completur, poteſt diſciplinæ hujus qualitatibus applicari.

4 Sed nunquid etiam Beata Virgo Geometra? Affirmativè reſpondet Albertus Magnus *quæſt.* 108. ſuper *Miſſus eſt*. Poſt hæc, inquit, quæritur de Geometria. In Sacra Scriptura ſunt diverſæ menſuræ, & menſurationes. Menſuræ ephi, bati, cori, modii, & conſimiles menſurationes, ut patet in tabernaculo, & in templo. *Ezechiel.* 45. De hujuſmodi autem eſt ſcientia Geometriæ, & conſimiles: ergò hujuſmodi ſcientiæ neceſſarię ſunt Theologiæ: ergò ſcientia Geometriæ fuit in Beata Virgine.

5 Sed quomodò *Maria* dicitur menſura? Eſt quidem menſura, ſed immenſa, quia immenſum potuit menſurare: & eſt menſura immenſurabilis à quocunque alio præter quàm à Deo, qui ſolus ipſam potuit dimetiri. De utroque loquitur Bonaventura cap. 5. Speculi Beatæ Virginis. Conſideremus, ait, gratiæ *Mariæ* immenſitatem, propter hanc dicta eſt gratia plena. Immenſa certè fuit gratia, qua Ipſa fuit plena. Immenſum enim vas non poteſt eſſe plenum, niſi immenſum ſit iſtud, quo eſt plenum. *Maria* autem vas immenſiſſimum fuit, ex quo illum qui Cœlo major eſt, continere potuit. Quis eſt Cœlo majori? Certè ille, de quo Salomon ait 3. *Reg.* 8. *Si Cœlum, & Cœli cœlorum Te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi*. Non utique domus per Salomonem ædificata, ſed domus per illam ſignificata Deum capere potuit. Tu ergò immenſiſſima Maria capacior es Cœlo: quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. Tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo. Si ergò Maria tam capaciſſima fuit ventre, quantò magis mente? Et ſi capacitas tàm immenſa fuit gratia plena, oportuit utique, quòd gratia illa, quæ tantam impleviſſe potuit capacitatem, eſſet immenſa.

6 Quis immenſitatem *Mariæ* poteſt menſurare? Eccè quod dicitur in Eccleſiaſtico: *Altitudinem Cœli, latitudinem terræ, & profundum abyſſi, quis dimenſus eſt? Eccli.* 1. Cœlum eſt *Maria*, tum quia cœleſti puritate, cœleſti claritate, cœleſtibus aliis virtutibus abundavit: tum quia ſedes Dei altiſſima fuit, teſte Propheta, qui dicit. *Dominus in Cœlo paravit ſedem ſuam. Pſal.* 102. Terra quoque *Maria* fuit, quæ fructum illum nobis protulit, de quo idem Profeta *Pſal.66. Terra dedit fructus ſuos.* Abyſſus etiam eſt *Maria*, in bonitate, & in miſericordia profundiſſima. Unde etiam profundiſſimam miſericordiam filii ſui prò nobis interpellat, quaſi abyſſus abyſſum invocat. Cœlum ergò eſt *Maria*, terra eſt *Maria*, abyſſus eſt *Maria*. Quis hujus Cœli altitudinem, quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyſſi profunditatem, quis, inquam, *Mariæ* immenſitatem dimenſus eſt, niſi ille ſolus qui Ipſam non ſolùm in gratia, & in gloria, ſed etiam in miſericordia tam altiſſimam, tam latiſſimam, tàm profundam operatus eſt? Hactenùs Bonaventura.

7 Vel *Mariam* poſt Chriſtum poſſumus dicere omnium menſuram ad ſimilitudinem Filii ſui Jeſu, juxtà Theologorum commune proloquium: *Primum in unoquoque genere eſt menſura cæterorum.* Cujus quidem aſſerti probatio ſufficienter oſtenditur, prætermiſſis multis aliis argumentis, ex Alberti Magni expoſitione in *Luc. cap.* 10. ſuper illa verba: *Maria optimam partem elegit*; Probat enim inductione in omni virtutum, atque bonorum genere Deiparam eſſe cæterorum menſuram. Quod patet ex ſequenti ejus diſcurſu.

8 Hoc autem, inquit, ultimum verbum: *Maria optimam partem elegit*: ità convenit Beatæ Virgini, quòd nulli alii. In bono enim corporis, & in bono animæ, & in bono meriti, & in bono gloriæ ſemper elegit optimam partem. In bono enim corporis, virginitatis elegit pudorem, & habet florem honeſtatis, & cum hoc elegit Matris utilitatem: & ideò habet gaudium Matris; & ideò nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem: ſignificata *Exod.* 3. per rubum ardentem incombuſtum, qui prætendit ignem divini fructus: & viror carnis remanet imcombuſtus.

9 In bono autem animæ etiam habet ſplendorem divinæ lucis in intellectu: & non deeſt ſibi fructus virtutis in opere: ſignificata *Eſa.* 11. per virgam rectitudinis virtutis, quæ aſcendit de radice Jeſſe, hoc eſt, incendio charitatis, ſuper quam ſtat flos divinæ lucis, qui *candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Sap.* 7. Et ſuper hunc florem ſuperveniens in eam requieſcit Spiritus Sanctus. Anima ergò ejus ultrà perfecta eſt in omni bono, candens flore lucis, ardens incendio charitatis, in altum conſurgens omni rectitudine virtutis.

10 In opere autem, ſivè in bono meriti habet omnem activæ proprietatem bonam, & omnem contemplativæ puritatem: & nihil habet de defectu utriuſque. Utilis enim multis, & circà multa merendi tantam virtutem habuit, quòd privilegia ſingularia promeruit. Tàm fortis in operando, quòd invincibilem omnibus ſuperavit. Multis, & omnibus ipſam quærentibus in neceſſitatis ſubvenit articulo: & ideò per multos, quibus ſubvenit, abundat gratiarum actio Deo.

Habet cum contemplativa unum, quod omni intentione quæſivit, & invenit. Habet puritatem, quam nunquàm etiam in minimo, ſicut tota pulchra, ſordidavit. Habet æternitatem, quam conſtantia propoſiti, & vultus conſtantia, & immutabilitate prætendit. 1. *Reg.* 1. *Vultus ejus non ſunt ampliùs in diverſa mutati.* Habet veritatis firmitatem, quia ad nugas, & fallacias nunquàm ſe miſcuit. *Tob.* 3. *Nunquàm cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.* Habet cordis delectationem jucundiſſimam, quia delectabatur in Domino, & dedit ei petitionem cordis ſui.

Agens ergò eſt circa plura non turbata; circa maculata, venialibus non ſordidata; circa tranſitoria, non immutata; circà infirma, fortiſſima; circa triſtia, jucundiſſima: ſignificata *Numer.* 17. per virgam Aaron, quæ in in rebellione filiorum Iſrael viruit, fronduit, floruit, & amygdalinum fructum produxit. Viruit virtute, fronduit benedictione, floruit gravidatione cordis, quo nos concepit, & corporis, quo Filium Verbum incarnatum ſuſcepit. Fructificavit in partu ſalutis cibum, & refectionem ſalutarem.

11 In bono autem gloriæ optimam partem elegit. Pars enim bona, ſtola corporis: pars melior, ſtola animæ: pars optima, conſortium imperii, & Regis noſtri in Imperatoria majeſtate: dicente Scriptura 3. *Reg.* 2. *Quod poſitus eſt thronus Matri Regis, juxta thronum Regis, Rege dicente: Pete Mater à me: neque enim fas eſt me aliquid negare tibi.* Non enim (ſalva pace Hieronymi) ratio eſſet, quarè eſſet ibi corpus Chriſti; & non eſſet ibi id, undè ſumptum eſt corpus Chriſti: dicente Apoſtolo *Rom.* 11. *Quòd ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi rami ſancti, & radix.*

12 Hoc ſignificatum eſt 1. *Reg.* 6. ubi Arca aſcendens de terra Philiſtiim, ſtetit in agro Joſue Bethſamitis. Arca enim Virgo Mater Dei eſt: terra Philiſtiim, mundus hic eſt, in quo Arca Dei capta, & peregrinata fuit. Solutis autem mortis nexibus, quibus deprimi non potuit, libera de hoc mundo rediens: in agro, hoc eſt in beatitudinis manſione: Joſue, hoc eſt, Salvatoris: ſtetit in *Bethſames*, quæ interpretatur *domus Solis*, vel *domus illuminationis*: quia exaltata ſuper omnes choros Angelorum, ad cœleſtia regna, ad thronum, & illuminationem Filii ſui proxima aſcendit.

13 Et ideò *Cant.* 6. dicitur *Sicut Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Ut Aurora enim lucem gratiæ Soli miſcuit: quandò gratiam in gloriam commutavit, quæ eſt lux plena. Pulchra ut Luna fuit; quando æterni Solis Filii ſui lux ſe in corpore ejus collegit. *Eccli.* 50. *Sicut Luna plena in diebus ſuis lucet*: Electa autem fuit ut Sol: quandò in anima immaculata imago lucis æternæ apparuit. *Apocal.*12. *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus.* Terribilis autem fuit

ut

ut caſtrorum cœleſtium acies: quandò omnium cœleſtium agminum ſplendores expreſſit. *Apocal.* 12. *Corona duodecim ſtellarum in capite ejus.*

Hoc eſt, novem ordinum Angelorum, & trium ſtatuum Sanctorum: Coniugum, Virginum, & Viduarum: vel trium aureolas portantium: Doctorum, quæ Apoſtolos docuit: Virginum, quæ flos Virginum fuit: Martyrum; cujus animam gladius doloris Filii ſui pertranſivit.

14 Ipſa enim cuſtodiam exhibuit Angelorum: ſecreta conſilia Archangelorum: juſta decreta Principatuum: Severitates contrà malitiam exhibuit Poteſtatum, conterendo caput dęmonis: inter minabilem virtutem in miraculis oſtendit Virtutum: altitudinem non inclinabilem oſtendit Dominationum: quietem in receptione ſeſſionis divinæ præbuit Thronorum: altitudinem ſcientiæ & contemplationis Cherubin tranſcendit: & affectione charitatis incendium Seraphin ſuperavit. Doctrix autem, Virgo, & Martyr fuit. Et ideò omni luce cœleſti, quæ in duodecim Stellis figuratur, coronata decoratur.

15 Hoc etiam ſignificatur 3. *Reg.* 18. Ubi dicitur, quòd nubes parvula tanquàm veſtigium hominis elevata eſt de mari: Elia ſtatim clamante, & dicente: quia ſonus multæ pluviæ eſt. Nubes enim Solis calore attracta, terrena eſt inhabitatio corporalis Beatæ Virginis, quæ attracta ſurſum calore dilectionis Solis veri, Filii ſui: elevata autem per Aſſumptionem in Cœlum de mari amaritudinis, & inquietudinis hujus mundi ad thronum ſummæ dignitatis, & Regiæ majeſtatis. Statim autem clamat ſermo propheticus, & omnis bonorum cætus, quòd ſonus inundantis eſt multæ pluviæ: qua terreſtres compluit in gratia, & venia, cœleſtes in illuminationum gloria, & infernales in indulgentia: ut ſibi pro honore Filii ſui curvetur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et omnis lingua confiteatur, quia Ipſa eſt ut Domina majeſtatis in gloria Jeſu Chriſti filii ejus, cui cum Patre, & Spiritu Sancto eſt honor, & gloria prò honore tantæ Reginæ in ſecula ſeculorum. Amen. An non ergò Beata Virgo ſicuti primum in unoquoque genere eſt cæterorum menſura?

§. II.

Propriè etiam in Amuſſi figuratur Virgo Maria.

16 VOcabuli notitiam primùm oportet inveſtigare, quia Amuſſis varias patitur interpretationes. Erit aliquantulum ſermo prolixus, ſed ad eruditionem utilis admodùm, & neceſſarius. Frequenter enim vocabulum Amuſſis proverbialiter uſurpatur, undè Paulus Manutius tam è Græcis, quàm è Latinis diligens, ac ſtudioſus proverbiorum collector, in ſuis Adagiis multa de Amuſſi proloquitur. Et primùm quidem Adagio, quòd inſcribitur *Amuſſis alba*, ex Græco ſic fatur. Λευκῆ ϛάθμη, id eſt, *Alba amuſſi*: hoc eſt, nullo delectu, ac citra diſcrimen. Aulus Gellius in Noctibus Atticis: *Nanque illi omnes, & eorum maximè Græci, multa, & varia lectitantes, in quas res cunque inciderant, alba ut dicitur, linea ſinè curà diſcriminis, ſolam copiam ſectati converrebant.* Plutarchus in Commentario, περὶ τῆς ἀδολεχίας; Ἐςὶ μὲν οὖν ἀτεχνῶς, ἡ λευκὴ ϛάθμη πρὸς τοὺς λόγους ἀδόλεσχος. Id eſt: *Eſt igitur planè alba linea ergà ſermones garrulos, propterea quòd nullo delectu quavis de re quidvis augetur.*

17 Effertur & expreſſiùs adagium à nonnullis, Λευκῷ λίθῳ λευκὴ ϛάθμη: id eſt, *In albo lapide alba linea.* Diciturque vel in eos, qui nullo ſunt judicio, vel in ſtupidos, vel in eos, qui incertis probant, aut ſignificant incerta. Sophocles in Cidalione apud Suidam:

Τοῖς μὲν λόγοις τοῖς σοῖσιν οὐ τεκμαίρομαι,
Οὐ μᾶλλον, ἢ λευκῷ λίθῳ λευκὴ ϛάθμη. Id eſt.
Nihilo mihi plùs indicat ſermo tuus,
Quàm lapide in albo ſignat alba linea.

Citatur à Nonio Marcello Lucilius *l.* 30. ſed corruptè, ut opinamur. Quod genus ſunt pleraque illius: *Et amabat omnes.* Nam diſcrimen non facit, neque ſignificat linea alba. Uſurpatur & à Platone in dialogo, cui titulus, *Charmides*: ubi Socrates ait; *Se ergà formoſos adoleſcentes perindè eſſe, ut albam amuſſim in albo lapide*: propterea quòd neque diſcerneret ſatis inter formas, & omnes ex ęquo amaret. Solet enim *funiculus* ille minio oblini, quo diſcrimen faciat, undè & *rubricam* vocavit Perſius:

Ac ſi oculo rubricam dirigat uno.

18 Secundò inducit Adagium, *Ad Amuſſim*: & ait. Frequens eſt apud Auctores, *Ad Amuſſim, Examuſſim, Examuſſatim, Amuſſatim*, prò eo quod eſt, *exquiſita diligentia*, atque *exactiſſima cura.* Gellius lib. 1. cap. 4. *Ad hæc omnia ſcripta antiquiora tàm curiosè ſpectabat, aut virtutes penſabat, aut vitia rimabatur, ut iudicium factum eſſe Ad Amuſſim diceres.* Et Amuſſitata prò examinatis apud Nonium. Translatum à fabris lapidariis, aut lignariis, qui funiculo illo regulari, operis æqualitatem explorant.

19 Quanquàm Feſtus in dictione *Examuſſim* teſtatur, Amuſſim quibuſdam eſſe non lineam, neque regulam, ſed ferramentum quo fabri in poliendo utantur, Perſius de Poeta abſoluta carmina componente, quòd modo citavimus:

Scit tendere verſum,
Non ſecus, inquit, *ac ſi oculo rubricam dirigat uno.*

Item in Carmine de Viro bono, quod Vergilio tribuunt:

Nè quid hiet, nè quid protuberet angulus, æquis
Partibus ut coeant, nè quid deliret amuſſis.

Uſurpat idem Baſilius ad Nepotes, cùm jubet unam quanque diſciplinam ad finem felicitatis referre, perindè *quaſi lapides*, juxtà Doricum proverbium, *Ad Amuſſim dirigentes.* Natum videri poteſt apud Homerum Odiſſeæ, cùm loquitur de Uliſſe navem ſibi fabricante:

Expoliit multa arte, ſuperque induxit amuſſim.

Rursùs Iliados.

Materiam veluti navalem exæquat amuſſis
Ducta fabri docti digitis, qui calleat artem.
Quæcunque eſt, teneatque probè, monitrice Minerva.

20 Tertiò ſubjungit Adagium: *Ad Amuſſim*

ap-

applica lapidem, *non ad lapidem Amuſſim*: de quo hæc habet. Plutarchus in Commentariolo, cui titulus: *Quo pacto quis intelligere poſſit ſe profeciſſe*: throcaicum hunc proverbialem refert:

Πρός ϛάθμη πέτρον τίθεϑαι, μάτι πρὸς πέτρῳ ϛαθμην, id eſt:

Lapis amuſſi eſt applicandus, *non amuſſis ad petram;* Admonet, vitam ad leges eſſe corrigendam, non contrà leges ad mores noſtros trahendas eſſe: ut id faciamus quod honeſtum ſit: non id rectum exiſtimemus, quod facimus. Idem dixerat in ſuperioribus, Adagio *Lesbia regula*. Nàm Lesbia regula dicitur, quoties præpoſterè, non ad rationem factum, ſed ratio ad factum accommodatur. Et cùm lex moribus applicatur, non mores ad legem emendantur: aut quoties Princeps ſe populi moribus accommodat, cùm contrà conveniat plebem ad Principis arbitrium vitam inſtituere, ſi modò Princeps ipſe ad honeſti regulam, ac ſcopum reſpiciat. Hujus adagii mentionem facit Ariſtoteles quintò Moralium libro. *Siquidem infinitæ rei infinita item regula*, *quemadmodum plumbea Lesbia ædificationis regula: ad lapidis enim figuram tranſmovetur, neque manet regula.*

21 Ex his igitur inferimus Beatam Virginem, perfectiſſimam Amuſſim fuiſſe. Inquit enim Ambroſius lib. 2. de Virginibus: ſit vobis tanquàm in imagine deſcripta virginitas, vitaque Beatæ Mariæ: de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tanquàm in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt. Quam ſententiam alibi recitatam, hic repetere neceſſarium fuit, quia ad rem noſtram valdè conducit. Matrem enim ſuam in omni virtutum genere perfectam Deus nobis propoſuit imitandam, quam ſimillimam ſibi eſſe voluit in perfectione virtutum.

22 Antequam igitur ad applicationem adagii veniamus, conſideremus primò, quæ, & qualis, & quanta fuerit Beata Virgo Chriſti Mater, cujus excellentiam Thomas de Villanova conc. 3. de Nativit. Virginis ſingulari eloquentia deſcribit, dicens. Sed ad te, ò Virgo, noſtra ſe convertat oratio, cujus ſumma dignitas hęc eſt, quod de te natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus. Filii imitantur Parentes ut plurimũ, & Parentes transfundunt in filios non ſolùm proprietates, & paſſiones, & ægritudines corporales, figuram, colorem, formam, motus, habitus, ſed & paſſiones animorum, mores, ingenia, vitia, & virtutes. Nam ex iracundis Parentibus iracundos filios, ex manſuetis manſuetos, ex ingenioſis ingenioſos, ex ruſticis ruſticos, ex eloquentibus eloquentes, ex mutis mutos naſci videmus, uſque adeò ut ingenium, & virtus, & eloquentia hæreditaria quodammodò videantur.

23 Et ſi hoc in aliis, multò ampliùs in Chriſto. Nam cùm in aliis, Patris, & Matris communes ſint filii; aliquid accipiunt à Patre, & aliquid à Matre, & fit ex duobus tertia quædam in filio mixtura, & ſimilitudo. Chriſtus verò qui totus erat ex Matre, non habens Patrem in terra, totus fuit Matri ſimillimus, non ſolùm forma, & vultu. Hoc enim qui viderunt utriuſque imagines ad vivum, afferunt: nunquàm fuiſſe ſic filium Matri ſimillimum vultu, & moribus, verbis, & habitu Illa humilis, ille humilis: illa manſueta, ille manſuetus: illa benigna, ille benignus: illa pauper, ille pauperrimus: illa puriſſima, ille puriſſimus: illa prudentiſſima, ille prudentiſſimus: illa piiſſima, ille piiſſimus: illa modeſta, & ſobria, ille modeſtus, & ſobrius. Denique in omnibus Mater, nihil fuit niſi filii adumbrata imago, & filius Matris expreſſa figura.

24 Nam etſi omnes Sancti prout potuerunt, conati ſunt aſſimilari Chriſto, & eum reddere, & imitari (quia in hoc noſtra perfectio conſiſtit) nullus tamen potuit ex integro, ſed ex parte: unus in humilitate, alius in caſtitate, alius in manſuetudine: ſola Mater eum ex omni parte imitata eſt, eum reddens ſuis gratiis, & virtutibus: licèt in filio perfectiores colores eſſent propter deitatem conjunctam. Undè Hieronymus: Omnis plenitudo gratiarum, quæ fuit in Chriſto, fuit in Virgine, quanvis aliter.

25 Fuit ergò perfecta adumbratio filii, ſicut Ipſa dicit in Canticis: *Nigra ſum*, *ſed formoſa*, *ſicut tabernacula Cedar*, *ſicut pelles Salomonis*. *Cant.* 1. Quaſi dicat. Si naturalem conditionem conſideratis, nigra ſum ſicut tabernacula Cedar, puella & carne, & oſſibus, tenera filia Adæ, ſicut aliæ Virgines: ſi gratiam attenditis, formoſa ſicut pelles Salomonis, in omnibus virtutes humanas Chriſti imitata: quas vocat pelles: nam virtutes divinas ſolus habet cum Patre communes, nemo neque Angelorum eas attingit. *Nolite me conſiderare*, *quòd fuſca ſim*, *quia decoloravit me Sol*. *Cant.* 1. Soli comparata fuſca ſum, ſed omnibus Angelis, & aſtris lucidior ſum.

26 Fuit itaque Chriſtus Matri ſuæ ſimillimus ſuper omnes filios: ut ſicut in Cœlo qualis Pater, talis filius; ita in terra qualis Mater, talis filius. Cùm itaque mores, & proprietates Matris in filium transfundantur: Qualis debuit eſſe Mater illa, ex qua forma illa cœleſtis, & idea mundi, ſpeculum illud luciduſſimum, in quod omnes aſpicerent, pulchritudo illa, quam omnes imitari debent, oriri, & procedere debuit? Si Joannes Baptiſta propter ſolum teſtimonium, quod de Chriſto redditurus erat, ità perfectus fuit: Virgo Mater, quæ eum ſibi ſimilem genitura erat, & mores, & vitam ſuam in eum debebat transfundere, qualis eſſe debuit? Huc uſque Villanova.

27 His prælibatis: quid putas habuit perfectionis illa Beatiſſima Dei Mater, quæ omnium virtutum norma eſt, & amuſſis, ad quam mores debemus componere noſtros? Ipſa eſt, per cujus rectitudinem noſtræ paſſiones obliquæ ſunt corrigendæ, affectiones ad terrena curvatæ per æternorum deſideria rectificandæ. Ipſa eſt ad cujus manſuetudinem iracundia corrigenda, ad cujus puritatem concupiſcentia caſtiganda, ad cujus honeſtatem vitæ converſatio inſtituenda. Pro indè ſiquid in nobis charitati diſſonum, temperantiæ contrarium, ſobrietati repugnans, modeſtiæ abſonum, pietati adverſarium deprehendimus, ad hanc Amuſſim emendare diſcamus.

§. III.

§. *III.*

Per Ratem optimè figuratur Beata Virgo.

28 IAm ſi lubet ratem ingrediamur, & per cærula maris ſpirantibus auris gradiamur, vel impellentibus remis navigemus. Nam & Sulmonenſis *lib.* 1. de Arte amandi canebat.

Arte citæ, veloque rates, remoque reguntur.

Sed quæsò cur navis Virgo Dei Mater? Poſſumus ſanè ex Plutarcho in Antonii geſtis navim Cleopatræ repetere adeò magnificam, ut totius Aſiæ miraculum videretur. Nam Antonium aditura, inquit Plutarchus, Cydno amne ſubvehebatur lembo, cuius aurea puppis erat, velis paſſis purpureis, remis argenteis, qui ad tibiarum, fiſtularum, cithararumque ſonum concinnè agerentur: Ipſa ſub aurato recumbebat conopeo, eo modo ornata, quo Venus pingitur: & utrinque pueri Amoribus, quales pinguntur, ſimiles adſtabant, ventulum facientes: ancillæ pulchritudine præſtantes, Nereidum, & Charitum habitu, ad rudentes, ac gubenacula ſedebant: odoramenta varia miræ ſuavitatis fragrantiam ad ripam exhalabant. Hoc erat Cleopatræ navigium Aſiatico luxu, regalium copiarum apparatu, & luxurià inſtructum. Apage Cleopatricam navim. Pulcherrimum dat Mariæ Scapha ſpectaculum. In hac eſt cernere non Aſiæ opes, ſed divitias Cœli congeſtas. Nedum puppis auro illuſa, ſed & cætera aureo operta metallo, quia totam charitas deauravit Deiparam. Ipſa Venus ſacra, ſancti ſcilicet Mater amoris, Virginum choro ſtipata Nympharum, ſub aurato Triadis conopeo recumbit; utpotè à Patre dilecta, à Filio inhabitata, & à ſpiritu Sancto percupita. Neque Angelici cupidines deſunt, qui eam circumſtant, alarum flabellis aera ventilantes, non ut refrigerent, ſed ut magis in eius corde divini æſtum amoris accendant. Vela autem, nequaquam muricis ſanie, ſed oſtro purpurata virtutis, cœleſtia nempe deſideria, Auſtro divino perflante, ſuaviter navim impellunt, & impelluntur. Porrò remos argenteos, ideſt, opera argento ſeptuplum purgato puriora mireris, & admirabilem animi, corporiſque in uno concentu harmoniam. Et fragrantia odorum ſpiramenta ſunt ſuper omnia aromata.

Ratis igitur Beata Virgo, de quà *Sap.* 14. *Tranſeuntes mare*, *per Ratem liberati ſunt*. Hoc eſt, juxtà gloſſam Alberti Magni *lib.* 11. de *laudib. B. Mariæ: Tranſentes mare*, ideſt, mundum, *per ratem*, ideſt, *Mariam*, *liberati ſunt*. Ideò Dominus dixiſſe videtur huic navi illud *Eſà.* 43. *Affer filios meos de longinquo*, *& filias meas ab extremis terræ*, *& omnem qui invocat nomen meum*. Ideò quoties videmus inſurgentes ſuper nos fluctus eius maris, clamare debemus ad *Mariam*. *Eripe me*, *& libera me de aquis multis*: *& emitte ad me manum tuam de alto*. *Pſal.* ... Item illud ..... *Domina Salva nos*, *perimus*. Nam litus optatum non capit ſinè te fluctuans in hoc mari. Et dicitur *Ratis* quaſi *fortis*: quia *ratum* idem eſt quod *firmum*: ſcilicet propter conſtantiam animi nunquàm diſſoluti per proſpera, vel adverſa.

29 Pulchrè autèm Jacobus de Voragine *ſerm.* 102. de Beatà Virgine, pluribus rationibus probat Deiparam eſſe navim. Navis, inquit, dicitur *Maria* multiplici ratione. Primò, ratione cauſæ efficientis, quià Deus Trinus eam fecit. Nam Pater ibi poſuit ſuam potentiam, inquantùm potentiam divinitatis receptivam ſibi contulit. Filius ibi poſuit ſuam Sapientiam, inquantùm ſibi ſigillum integritatis integrum ſervavit. Spiritus Sanctus ibi poſuit gratiam, inquantùm plenitudinem gratiæ ſibi dedit.

30 Secundò dicitur navis ratione cauſæ materialis. De materià autèm huius navis Ipſa dicit *Eccli.* 24. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano*, *& quaſi cypreſſus in monte Sion*: *quaſi oliva ſpecioſa in campis*: *& quaſi Platanus exaltata ſum iuxtà aquas in plateis*.

Eſt ergò iſta navis facta de cedro virginitatis: quia cedrus eſt odorifera, & imputribilis, & ſignificat eius virginitatem, quæ fecit Ipſam Deo gratam eſſe, & odoriferam, & carnem eius ſervavit incorruptam.

De Cypreſſo charitatis: quia Cypreſſus eſt tantæ fortitudinis, & ſoliditatis, quod nulli oneri cedit: Sic charitas Beatæ Mariæ nulli unquam tribulationi cedere potuit. *Cant.* 8. *Fortis eſt ut mors dilectio*, *dura ſicut infernus æmulatio*: *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*.

Facta eſt etiam de oliva pietatis, quæ ſemper viret: quia nunquam eius pietas alicui deeſt, nec in vere juventutis, nec in Autumno ſenectutis, nec in Hyeme tribulationis, nec in Æſtate alicuius mali fervoris.

Facta eſt etiam de Platano humilitatis. Eſt enim Platanus arbor ampliſſima: ſic humilitas Virginem Mariam ampliſſimam fecit: quià illum in utero ſuo ſuſcepit, quem Cœli capere non poterant. Nam ſicut dicit Bernardus: *Maria* ex virginitate placuit, ſed ex humilitate concepit.

31 Tertiò dicitur navis ratione cauſæ formalis. Forma autèm navis eſt talis, quia ſuperiùs eſt aperta, inferiùs eſt clauſa, in principio ſtricta, in fine anguſta, in medio lata. Sic & Virgo *Maria* fuit ſuperiùs aperta ad amorem cœleſtium, inferiùs clauſa ad amorem terrenorum: Fuit in principio ſuæ conceptionis ſtricta, quia ſinè peccato originali concepta fuit: in fine paſſionis anguſta, quia in morte filii doloris gladio vulnèrata: fuit in medio lata, quia totius Trinitatis nobile triclinium eſt effecta.

32 Quartò dicitur navis ratione cauſæ finalis. Eſt enim facta, ut Deum de Cœlo ad terram portaret, iuxtà illud *Prov. ult.* *Facta eſt quaſi navis Inſtitoris de longè portans panem ſuum.* Iſte eſt ille panis, qui dicit *Ioan.* 6. *Ego ſum panis vivus*, *qui de Cœlo deſcendi*. Iſtum panem de longè nobis portavit. Iſtud autèm *longè* dicit diſtantiam locorum: quia de Cœlo in terram ipſum nobis portavit, ubi eſt diſtantia maxima. Vel dicit diſtantiam naturarum, quià

iſte

iſte panis conſtat ex natura divina, & humana, in quibus eſt diſtantia infinita. Vel dicit diſtantiam meritorum, quia nulla noſtra merita meruerunt, ut *Deus homo fieret*.

Vel dicit diſtantiam ſtatuum. Cùm enim ſint quatuor ſtatus hominis: unus antè peccatum ſub innocentia: ſecundus poſt peccatum ſub culpa, & pœnâ: tertius ſub gratia: quartus erit in gloria. Chriſtus accepit carnem ſuam de longè, ideſt, de primo ſtatu humanæ naturæ, quo ſcilicet fuit ſinè peccato, & ſub innocentia. Nihilominus tamen de ſingulis ſtatibus Chriſtus aliquid accepit. Nàm de primo accepit peccati immunitatem: de ſecundo pœnalitatem: de tertio gratiæ plenitudinem: de quarto glorioſam fruitionem; quia eius anima beata continuè fruebatur.

Ad ipſum panem comedendum nos invitat, dicens *Prov.* 9. *Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Idem autem vocatur hic panis, & vinum, ſcilicet Chriſtus. Nam ipſum vinum Deus Trinitas miſcuit, quandò aquam humanitatis vino divinitatis univit. Ipſa etiam Virgo miſcuit, quandò de ſuis ſanguinibus materiam miniſtravit. Panem quoque iſtum Ipſa fecit. Undè ſignificata eſt per illam mulierem, de quà dicitur *Matth.* 13. quæ tria ſata farinæ, ideſt, corpus, animam, & divinitatem ſimul coniunxit: fermentum autem in hac commixtione fuit fides Virginis Mariæ.

33 Quintò dicitur navis ratione arboris, quæ in iſta navi erecta fuit. De qua arbore dicitur *Ezechiel.* 27. *Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum.* Iſta arbor fuit Chriſtus, qui in iſta nave Virginis fuit erectus. Qui aſſimilatur cedro, non tantùm propter ſui ſublimitatem, ſed etiam propter fructus qualitatem. Poma enim cedrina in aliqua parte ſunt dulcia: in aliqua parte acerba: in aliqua inter dulce, & amarum ſunt media: per quæ ſignificantur in Chriſto tres naturæ. Nam in Chriſto fuit divinitas dulciſſima: fuit caro amaritudine plena: fuit & anima, quæ fuit dolore plena, inquantùm ſuæ naturæ relicta patiebatur; & fuit dulcedine repleta, inquantùm fruebatur.

34 Sextò dicitur navis ratione veli, quod ibi poſitum fuit. Quod autem ſignatur per arborem illius navis, ipſe etiam ſignificatur per velum, ſcilicet ipſe Chriſtus. De iſto velo dicitur *Ezechiel.* 27. *Byſſus varia de Ægypto contexta eſt tibi in velum:* Dicitur autèm iſtud velum varium fuiſſe, quia pictum fuit de colore albo, rubeo, & aureo. In Chriſto enim fuit, ut dictum eſt, anima, deitas, & caro. Ex carne igitur refulſit color albus propter ſuam puritatem: ex anima color rubeus propter ſuam charitatem: ex deitate color aureus propter ſuam pretioſitatem. *Cant.* 5. *Dilectus meus candidus* propter ſuam puritatem; *rubicundus* propter animæ charitatem; *electus ex millibus* propter divinam maieſtatem.

35 Septimò dicitur navis ratione mercium, quibus onuſta fuit. Quæ quidem fuerunt eius virtutes maximæ humilitatis, virginitatis, & fœcunditatis. Nam per mercem humilitatis fuit Deo grata: per mercem Virginitatis, Angelo: per mercem fœcunditatis, toti generi humano. *Judith* 15. *Tu gloria Ieruſalem*, ideſt, Dei, qui eſt viſio pacis noſtræ; & hoc propter ſuam humilitatem. *Tu lætitia Iſrael*, ideſt, Angelorum, qui ſemper Deum vident; & hoc propter ſuam virginitatem: *Tu honorificentia populi noſtri*; & hoc propter ſuam fœcunditatem. Hactenùs Voragines.

Quoniam verò apud Pierium *lib.* 45. hieroglyphicorum, navis in aliquot veterum monumentis felicitatis hieroglyphicum eſt, ut in Hadriani nummo, quæ remigio vecta, pulcherrimèque elaborata viſitur, cum inſcriptione: FELICITATI AUG. ſub navi verò S. C. COSS. III. P. P. In nummo etiam Auguſti cernere eſt navim longam cum remigio, cuius eadem inſcriptio: FELICITATI AUG. Quis nòn eos dixerit felices, quibus contigerit Parthenio vectari navigio, inter ſævientes huius ſeculi fluctus? Vel ipſa quidem Deipara, vera felicitatis navis, eum titulum jure meretur: FELICITATI AUGUSTÆ; quæ ſic à Deo in huius vitæ navigatione eſt proſperata, ut nullam unquam ſenſerit peccati labem, neque alicuius culpæ ſit experta naufragium.

Prodeſt & ſcire navim Athenis auſpicium fuiſſe ſalutis. Subdit enim Pierius. Quæ verò navis apud Athenienſes erat SALUTIS indicium, in Theſei memoriam coli conſueverat, ſinguliſque annis Delon mittebatur Apollini cultum allatura, ſuſcepto olim à Theſeo voto huiuſmodi, ſi Civibus ſuis una ſecum ſalvis reverſus eſſet. Eoque interim tempore, quo Sacerdos Apollinis navis eius puppim coronaverat: & Delon eà profecta eſſet, pelagoque remenſo in patriam rediiſſet, cautum erat, Athenienſium lege, nè quenquam publicè interficerent. Eaque de cauſa, ſcribit Plato in Phœdone, longum temporis intervallum interiectum eſſe inter judicium Socratis, & mortem eius: quod ſententia pridiè quàm ſpectaculi auſpicium fieret, lata erat. O Deipara, noſtræ SALUTIS navis, & auſpicium fortunatiſſimum! Non ſinè cauſa Eccleſia in tuas laudes effuſa, ore Te devoto ſalutat; *Et ſpes noſtra ſalve*. Tu enim populi Chriſtiani navis, & *Salutis* indicium: interventu enim tuo mortis ſententia in peccatores latam reſcindis, & Catholicæ Reipublicæ ſoſpitamentum, malorum vitam protrahis ad emendationem, ut ad æternæ ſalutis portum perveniant.

36 Verùm quia & per navem Thomas de Villanova *Conc.* 1. de S. Illephonſo Eccleſiam intelligit, non erit abs re etiam hanc ratem deſcribere. Quod ſi placet, inquit, huius naviculæ inſtrumenta percurramus. Huius anchora ſpes eſt, quæ in foraminibus petræ, ideſt, Chriſti vulneribus defixa, naufragantem vitiorum fluctibus cymbam immobilem retinet., nè demergat eam tempeſtas aquæ, & deſperationis abyſſus abſorbeat. Charta verò navigandi quæ dicitur, ſivè deſcriptio itineris Sacra Scriptura eſt, quæ maris huius ſyrtes, & pericula docet. Gubernatores, Doctores ſancti ſunt, quorum peritia Eccleſiæ cymba dirigitur.

Noli obſecro, tu alios perquirere directores:

hi Spiritu Dei edocti, artem, & deſcriptionem optimè norunt.

Clavus, ſinè acus, cui univerſa navigandi ars innititur, vita Chriſti eſt: hanc continuò reſpice, hanc diligenter obſerva. O Chriſticola ſi ad ſalutis portum pervenire deſideras: remi, virtutes morales ſunt, & vela charitas, quæ Spiritus Sancti vento perflata, celeri curſu navem propellunt: remo, & velo ad Chriſtum properandum: expande ſinus, onera iacta, navem alleva, ut poſſis citò pervenire, quò tendis. Sic enim onuſtas mercibus naves in tempeſtate relevare Inſtitores conſueverunt, ut animas ſalvent. Nihil ſit tibi anima tua pretioſiùs: ſi tempeſtas ingruit, dimitte omnia, ſalvetur anima.

§. IV.

Quid per Incudem in Beata Virgine figuretur.

37 ET ferream Incudem, præcipuum fabrilis artis inſtrumentum, ut ſonum emittat, percutimus malleo ſtyli noſtri. Nàm ex malleorum conſonantia ferientium ictibus alternis Incudem, aiunt ſonoros Muſicæ numeros eſſe repertos. Sed nunquid ego veluti Vulcanus alter fabrilem facere iubeor? Immò & tanquam faber ferrarius juxtà Incudem, de qua ſum locuturus, ſedere cogor, ut maximum fortitudinis opus conſiderem in ea peractum. Conſtantiam quippè in perferendis adverſis, Incus crebris ictibus tunſa ſignificat.

38 Ità Pierius *lib.* 48. hieroglyphicorum, titulo *Durandum*. Juniorum, inquit, inventum eſſe putaram olim, ut ad caſuum damna ferendo vindicanda, Incudem quis proponeret: ſed poſteaquam in Græcum diſtichon incidi, luculentum quidèm, ſed incerti auctoris, figmentum hoc antiquum quid ſapere perpexi. Eſt id huiuſmodi Latinè redditum:

Strepitus nec Incus maxima horreſcit, neque
Mens firma quaquà traxeris, violentiam.

Incus igitur hieroglyphicum fortiſſimi ponatur, ſivè pro præcepto, quo in adverſis durandum admoneamur, neque ullis procellarum ſævientium tempeſtatibus moveamur, ſed contrà Fortunæ quantumlibet iniurioſæ ictus enitamur, nè ullus labefactandi locus illi relinquatur. Neque aſpernatus eſt Cicero hieroglyphicam huiuſmodi ſimilitudinem *lib. de Orat. Secundo*, ubi dicit: *Aſſiduis uno opere eandem Incudem diem, noctemque tundentibus, de iis qui perſtante, ut Lucretius ait, labore vincunt, quod deſignarunt facere.*

39 Sed viſne videre Incudem, non quidem fortitudinis hieroglyphicum, ſed ipſam fortitudinem animatam, atque ſpirantem, reſpicè *Mariam* juxtà Crucem Filii fortiter ſtantem, atque inconcuſſa animi conſtantia nullis cedentem adverſitatum ictibus ponderoſis. Et ad quid, vel quomodò ſtabat? Stabat quidèm in illa ſcæna, atque theatro totius orbis terrarum, generoſa Mater officioſiſſimo geſtu, & ad omnem idæam optimè morato, ac decenti: & ſtabat ut conſtantiæ ſuæ argumentis creaturarum actum, & ipſam naturam emendaret. Audiamus Placidum Nigidum *Serm.* 4. de Deipara ſtante juxtà Crucem *Opuſc.* 4. de his egregiè diſſerentem.

40 Ad Calvarium, inquit, redeamus. *Et tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram. Matth.* 27. Sol ſcilicet, & Luna non dederunt lumen ſuum (proh Pietas!) morienti. Ut nihil deeſſet tormenti Viro dolorum, Domino ſuo lucem ſubtraxere, & quæ à luce ſunt, beneficia. Quod ſi ſtellæ apparuere in eclypſi illa magna, & admirabili, eę profectò nullo ſolatio fuere lucentes in die, horrori potiùs: ſic enim fit, ut ſint, cùm in die lucent, ſicut contrà cùm nocte, ideſt, tempore ſuo. Nam quid dicam, quod ut famuli tunc ſtellæ funeri faces apparere viſæ ſunt, nondùm mortui, nondùm extincti, immò videntis probè omnia, quæ fierent, & ſecum conſiderantis, ne reputantis? At Patre, dices, hæc præcipiente ſunt geſta? Sanè Patre, Domino, ac Rege. Sed prudentium erat famulorum, in filium ſæviente Patre, in Dominum non ſævire.

41 Sed inter famulorum crudelitates, & imprudentias, eccè tibi intereà Mater, quæ filium in Cruce actum, atque pendentem, & in extremis laborantem; nec quicquam gaudentem ea luce, quam communem eſſe dederat omni Creaturæ cuicunque, ſua recreat, atq; reficit luce oculorum, & faciei. Stabat itaque, & ad hoc ſtabat officioſiſſima Mater decoris juxtà crucem, ut officia creaturas doceret, & corrigeret malè actum agentes, ſtabat fixè inſpiciens in eum, quem confixerant, & verba adhùc aſpectibus, quæ augmenta allatura eſſent ſpiramentis, intermiſcebat. *Eccè tibi, ò fili, prò luce hac ingrata, & oblita Creatoris ſui, lucem hanc oculorum meorum quamcunque; opus utique manuum tuarum, & radium tui; quæ tibi in extremis non deeſt, memor quod à te, in ſupremis ut eſſet, poſita eſt. Eccè, inquam, tibi lucem hanc, victam fortaſſe hac ſolis luce aliqua ex parte, qua illa communior, & luminoſior eſt, non tamen ardore, atque officio.* O Matrem! O pietatem! O grati animi veras in tribulatione ſignificationes!

42 Itaque Creaturas emendabat. Sed & naturam adhùc. Neſcit natura in doloribus, in afflictionibus charorum: cùm extrema præſertim res agitur, & ultimi, atque poſtremi ſunt agones. Neſcit, inquam, natura fixum tenere obtutum oculorum, quæ & nec præſens tunc degere, atque aliquo modo officiis ſatisfacere experta eſt. In abditiſſima quæque, & penetralia per ea temporum ſe recipit, abiectaque ſalutis ſpe omni, omnem exuit ex animo, abiicitque conſtantiam. Illud unum tunc ſibi ſumit, atque arripit partium officii, ut omnis oblita officii, nec ſcenæ quicquam, nec tempori ſatisfaciat.

Hinc elongat in ſolitudine Agar, eo conſilio, ut dolore faciente, ſinè conſilio agat, dicatque: *Non videbo morientem puerum. Geneſ.* 21 Et cur non videas morientem, quem ex te orientem vidiſti? Iam & cui commendatum relinquis in ſolitudine puerum, in qua ferarum copia, & voracium animantum frequens multitudo? Sed & Plinii pictor ille Patri in morte filii oculos ve-

lat ſapienter; neque enim illud niſi per ſumma artificiorum factum eſt, ideſt, imitatione naturæ. Hæc naturæ officia deficientia in his, atque hoc indecorum.

43 Quid intereà Mater Dei? Stabat naturam corrigens, atque illam officia veræ pietatis docens, intenta ſcilicet oculis in morientem, & in illum defixa. *Oculi tui Columbarum*. *Cant.* 4. O pulchrè videns, in ima contuens defluentium aquarum, ideſt, tribulationum. *Ipſi me*, ait, oculi ſcilicet tui *avolare fecerunt*; ſeù *ſuperbire*, ex alia verſione. Gloriabatur in hoc uno maximè Chriſtus Dominus, & plùs, quam in cæteris ſimul omnibus gloriabatur, quod eam ſibi condidiſſet amantem, quæ rectè una amans eſſet, & in nubilis temporibus, atque turbatis amantior. Et jure ille ſuo; enim verò, cùm omnia Dei opera Deum optimum glorificant, ducantque in cognitionem ipſius, tum ea in primis, quæ in nobis ipſis creaturis, ratione utentibus, & Deo eidem facienti, atque operanti cooperantibus, fiunt: cujuſmodi virtutum opera ſunt, & fortitudinis in primis, atque conſtantiæ, quæ in tolerantia eſt, & perpeſſione malorum.

44 Oculi Virginis avolare fecerunt Dominum. Clauſi nè? An contuentes? Contuentes utique, & in cruce: enim verò in oculis contuentibus, atque firmis maximè ſignificatio fortitudinis eſt, & conſtantiæ; concidit enim vultus infirmorum; contrà fortium, & vultus, & oculi prompti, atque erecti. Teſtis Stephanus Protomartyr. Teſtis & Martinus, qui & ipſe ſi non Corona Martyr, palma tamèn, ut illi canit Eccleſia.

45 Metuo nè quod diximus de fortitudine, quæ in perpeſſione eſt, quòd nimirùm in illa Deo Optimo maxima gloriatio eſt, nondùm plenè intellectum ſit, nec benè teneatur, ut eſt. Sanè: præterquam quod pati amati cauſa longè præſtantiùs eſt, atque firmiùs amoris argumentum, quàm facere ſit; propterea quod nulla in tolerando delectatio eſt; accedit quòd virtutis Dei operantis in nobis, præſtantiſſimum eſt, ut faciat ut nos fortiter toleremus, ſiquidem in nobis id facit, quod ſingulare eſt, & eximium, ut nos non jam cum ipſo aliquid faciamus, ſed certa quadam ratione ſine ipſo; ideſt, Ipſo nos ad bonum deſerente, atque procul agente, patiamur.

46 Hæc propter mala pati Chriſtianum eſt, & mala quidem pati, ubi benè fuerimus operati: quod unum ex omnibus graviſſimum, atque moleſtiſſimum accidit: quia nimirùm Chriſtianum eſt, ut in Chriſtianis ea potiſſimùm opera Chriſti reluceant, quibus ille maximè gloriatur. In patientia verò noſtra, & conſtantia ille potiſſimum gloriatur, in quà plùs utique operis ſui, & occultæ virtutis eſt operantis omnipotentiæ. Cujus quidem conſtantiæ noſtræ cùm ſpecula in nobis oculi ſint, & argumenta; tunc certè potiſſimum ſunt, cùm defixi in amatum, & tolerantem tenentur. Quid mirùm igitur ſi in Cruce degens ea uſurpavit Dominus de oculis Virginis: Ipſi me gloriari fecerunt? Si per conſtantiam Virgo, & decore faciem, & firmiſſimè oculos in Crucifixum amatum defixerat? Itaque & naturam emendabat. Huc uſque ille.

47 An non igitur tibi videtur in Maria videre, non fortitudinis, atque conſtantiæ hieroglyphicum, ſed ipſam vivam fortitudinem, atque conſtantiam? Propterea ut etiam Incus ſit nobis ad exemplar, documentumque morale, virtutum propoſitum, animi firmitatem, atque conſtantiam noſtram, quam ſæpè, antequam adveniant, non ceſſuram adverſis imaginamur, Incudi oportet reddere, hoc eſt, ad Deiparæ fortitudinem examinare, atque corrigere. Pulchrum ſanè in Adagiis Pauli Manutii proverbium: *Incudi reddere*. Ubi inquit. Eleganter Horatius *incudi reddere* dixit, prò eo quod eſt, refingere, ac mutare, corrigereque:

Et malè tornatos incudi reddere verſus.

Conſimili formà dicunt *recoquere*. Quintilianus l. 12. *Sed præcipuè tamen Apollonio Moloni, quem Romæ quoque audierat, Rhodi rursùs reformandum*, ac *velut recoquendum dedit*. Item Horatius:

Recoctus
Scriba ex quinqueviro.

48 Vel altero Manutii adagio: *Eandem tundere Incudem*: poſſumus dicere, quòd Beata Virgo ſit in exemplum fortitudinis nobis poſita, nam perſeveranti longanimitate omnes ſuperavit adverſitates, & aſſidua laboris tolerantia, ad omnes caſus infracta, ſexum vicit, & naturam, ut tandem ſuaviſſimos virtutum fructus, quos ſufferentia parit, deguſtaret ad plenum. Undè Manutius ad noſtrum dicit intentum. Eandem Incudem aſſiduè tundere, eſt indefatigabili aſſiduitate in operis alicujus ſtudio perſeverare. Metaphora ducta à fabris, crebris ictibus Incudem ferientibus: atque ita tandem aliquandò ferri rigorem perpetuo labore vincentibus.

§. V.

Anchoram typum Mariæ præferre.

49 RUrsùs ad nauticam deflectimus, inter præcipua enim navium inſtrumenta Anchora numeratur. Plerunque enim navis ſalus ab Anchora pendet. Cùm igitur Beata Virgo fuerit Ratis, ut ſupra oſtendimus, quærimus modo de Anchora hujus navis. Et reſpondet Albertus Magnus lib. 11. de laudib. B. *Mariæ* c. 8. num. 7. Anchora timoris filialis, & caſti, qua firmiter ſtabiliebatur inter omnes procellas fluctuum navis iſta. Undè in *Pſal.* 88. Chriſto dicitur: *Poſuiſti firmamentum ejus formidinem*, id eſt, timorem. Gregorius: Anchora cordis, pondus timoris. *Eccli.* 34. *Qui timet Deum, trepidabit*.

Vel ſecundum Apoſtolum ad *Hebr.* 6. anchora ſpes eſt, ubi dicitur: *Firmiſſimum habemur ſolatium, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut Anchoram habemus animæ tutam, & firmam, incedentem uſque ad interiora velaminis*. Chorda, qua colligabatur hæc Anchora navi ſuæ, charitas ipſius Virginis, *quæ eſt vinculum perfectionis*, ad *Coloſ.* 3. Quod ſcilicet vinculum nec ſecari potuit, neque ſolvi: & ejus charitas fuit *triplex funiculus, qui difficile rumpitur*. *Eccl.* 4. Quià de corde puro ad proximum, de conſcientia bona ad ſeipſam, de fide non ficta ad Deum. Vel per chordam deſignatur longanimitas deſideriorum cœleſtium. Hæc ille.

50 Verùm reſpectu animarum noſtrarum, Anchoram in Deipara aliud dicimus habere ſignificatum, nempè in hujus vitæ fluctibus, ac tempeſtatibus, nobis eſſe datam in profugium, ac tutelam. Undè Pierius lib. 45. hieroglyphicorum Anchoram pro tutela, ac refugio aſſumi confirmat, dicens. Hominem qui rebus ſuis tutelam, præſidiumvè paraverit opportunum, per navem, & anchorã ſignificabant. Quòd ſi ſola Anchora manu prætenta figuraretur, refugium indicabat, quaſi vellet innuere pictura hæc, ſi adverſa ingruerit tempeſtas, reſque noſtræ fluctuare cęperint, paratum eſſe profugium, ut poſſimus ita ſervari. Eſtque dicterium apud Græcos in hanc ſententiam celebre, quo Demoſthenes utitur oratione pro Cteſiphonte. Et Propertius eruditionis elegiacæ columen, vel hoc innuens ait: *Anchora jacta mihi*.

CAP. V.

Bellicis munitionibus figuratur Beata Virgo.

1 PEr varias ſimilitudines hieroglyphicas ducunt nos elementa Parthenii Nominis, adeò ut illam neque ſatis autument expreſſiſſe, niſi etiam rerum bellicarum gloria Ipſam extollant. Bellicoſam Virginem oſtenderat Sponſus in Canticis: & modò laudabat Spon ſam à fortitudine armorum, dicens: *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*: modò initabat ad contuendam in Ipſa armatę aciei pulchritudinem: *Quid videbis in ſulamite, niſi choros caſtrorum*? Quid ergò & ipſæ Nominis literæ? Singulæ nimirùm in bellica munimenta vertuntur: nam ex ipſis Deiparæ Nomen formatur; quæ ſcilicet ſunt,

M unitio.
A quæductus.
R ota.
I anua.
A rx.

Optima quidem præſidia ad defenſionem nobis parata. Munimenta præclara, quæ nos ab hoſtibus tueantur.

§. I.

Per munitionem convenienter Beata deſignatur Virgo.

2 ALbertus Magnus *lib.* 11. *de laudib Beatæ Mariæ c.* 6. pulchrè per munitionem affirmat Beatam Virginem deſignari: undè ait. *Maria* munitio, ſignata 1. *Machab.* 5. per munitionem *Dathemam*, quod interpretatur *doni ſufficientiam accipiens*; & ſignificat *Mariam*, quæ quæ à divina munificentia tantam recepit ſufficientiam gratiæ, quòd ſibi, & toti huic mundo copioſiſſimè ſuffecit. Ad hanc munitionem refugiendum in omni tribulatione, ſicut Iſraelitæ ad illam munitionem refugerunt in tempore Judæ Machabæi. *Judas, confeſſio*, ſivè *laudans*. *Machabæus* interpretatur *protegens*, vel *protectio*, vel *percutiens*, aut *ingenioſus*.

3 Rectè ergò dicitur munitio Beata Virgo, vel etiam murus, ut benè probat idem Albertus Magnus immediatè ex *cap.* 7. cui titulus, *Maria murus*. Glorioſa Virgo, inquit Albertus, dicit ſeſe murum *Cant.* 8. ubi dicit: *Ego murus, & ubera mea turris*. Et notandum, quòd murus dicitur activè: quia munit, & tuetur interiora Civitatis, nè ab hoſtibus diripiantur poſſeſſiones civium: & paſſivè, quia munitur multipliciter contrà machinas hoſtium. Benè ergò *Maria* murus: quia munit civitatem Dei, id eſt, Eccleſiam Catholicam, nè bona interiora ejus, ſcilicet bona opera gratiæ, & virtutes diripiantur à dæmonibus, & vitiis: vel nè fideles Eccleſiæ ducantur à diabolo captivi in peccatum, vel in infernum, aut nè ſpolientur armis, & veſtimentis virtutum.

4 Ipſa eſt etiam murus inexpugnabilis: quia non poteſt ſuffodi, perfodi, aut tranſcendi. Non poteſt ſuffodi; quia fundatus eſt ſupra firmam petram, ideſt, Chriſtum, non ſuper arenam, non in terram ſuper amorem terrenorum. Non poteſt perfodi propter patientiæ firmitatem. Non poteſt tranſcendi propter humilitatis altitudinem Cœlos attingentem; & ideò inexpugnabilis. Et propter hoc orare debent aſſiduè fideles Eccleſiæ. *Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine*. Dicit ergò Maria: *Ego murus, & ubera turris*: Et vocat ſe turrim propter propoſiti ſervandæ virginitatis firmitatem: & ubera ſua vocat turrim propter divinæ prolis ſupereminentem fœcunditatem.

5 Hic eſt murus aqueus propter abundantiam gratiarum, de quo legitur *Exod.* 14. quòd filiis Iſrael tranſeuntibus mare rubrum aquæ erant prò muro à dextris, & à ſiniſtris. Per has aquas ſignantur gratiæ, quas habemus per *Mariam*, quæ veros Iſraelitas, ideſt, veros Chriſtianos videntes filium, & Matrem fide, & dilectione quaſi duplici oculo, muniunt contrà Ægyptios, ideſt, dæmones, & peccata, & ipſos Ægyptios interficiunt, & ſubmergunt.

6 Hic eſt denique murus igneus in circuitu Jeruſalem, ideſt, Eccleſiæ. Undè Ipſa videtur dicere cum filio illud *Zachar.* 2. *Ero murus ignis in circuitu ejus, & in gloria ero in medio ejus*. Et benè Maria dicitur ignis: quia illuminat cæcos, calefacit frigidos, decoquit carneos, purgat fœtulentos, incinerat duros, quia cinis mollis reſolvitur de materia dura, denigrat candidos, deſiccat humidos, reſtringit fluidos, diſſolvit ſolidos, paſcitur pinguedine, ideſt, devotione, conſervatur ſub cinere, ideſt, humilitate, alta facit defluere, ſolida tabeſcere.

§. II.

Per Aquæductum Beata Virgo optimè figuratur.

7 INter cætera quæ Civibus in urbium obſidione magis neceſſaria videntur, aquarum copia deſideratur ad plures, & neceſſarios uſus. Neque tantùm in obſidione, ſed etiam in pace. Undè aquarum abundantia per occultos, & ſubterraneos canales, qui aquæductus dicuntur, derivatur ad Civitatem. Nos quidem in hac mundi urbe plures patimur obſidiones tùm à viſibilibus, tùm ab inviſibilibus hoſtibus: & quia gratiarum aquæ nobis ſunt neceſſariæ, præſtò eſt *Maria*, illas invehens per aquæductum pietatis ſuæ, & miſerationis. Eſt ergò Aquæductus Beata Virgo. Et quis de hoc dubitat?

8 Planè Albertus Magnus *lib. 9. de laudib. B. Mariæ cap. 15.* expreſsè Deiparam in aquæductu figurat, & ait. *Maria* Aquæductus. Undè dicit *Eccli. 24. Quaſi aquæductus exivi à Paradiſo*. A duplici enim Paradiſo exivit hic aquæductus: à Patre ſcilicet, qui eſt Paradiſus Cœleſtis, exivit per creationem, & recreationem, à quo nobis attulit aquam vivam, id eſt, Chriſtum Deum, & hominem. A Paradiſo terreſtri, hoc eſt, ab Eccleſia militante exivit per mortem corporis, directa in Cœlum velut quidam aquæductus aquas miſeriarum, & tribulationum totius generis humani illuc ducens, filio eas exponens, & prò eis intercedens.

9 *Maria* aquæductus longiſſimus excellentia meritorum: nam vehementia deſiderii, fervore devotionis, puritate orationis, fontem attigit tàm ſublimem, cujus plenitudinem tanquàm aquæductus de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, non prò ut eſt, ſed prò ut capere poteramus. Verè longiſſimus aquarum, quæ ſuper cœlos ſunt, fontem potuit attingere, ut hauriret ſuper Angelos quam refunderet hominibus aquam vivam. Beatus Bernardus: Ideò tanto tempore defuerunt hominibus fluenta gratiarum: quia nondùm interceſſerat aquæductus. Ad hoc enim data eſt Ipſa mundo, quaſi aquæductus, ut per Ipſam à Deo ad homines dona cœleſtia jugiter deſcenderent.

10 Integerrimus per inviolatam fidem. Mundiſſimus per virginitatem, & omnimodam caſtitatem. Occultus per ſolitudinis dilectionem. Concavus per veram humilitatem. Fuſilis per pietatem. Fœcundans, id eſt, abundans aquis per gratiarum plenitudinem. Rotundus. Non plumbeus, ſed magis aureus per regiam nobilitatem, & eximiam charitatem. Per hunc aquæductum venit Chriſtus ad nos occultatus in utero Virginali, ut myſterium diabolo celaretur. Undè dicitur ei *Eſa. 45. Verè tu es Deus abſconditus*. Ad hoc enim venit, ut nos mundaret, reficeret, & potaret aqua ſapientiæ ſalutaris, ſicut per occultum aquæductum deducitur aqua ad neceſſaria Civitatis. Per hunc etiam aquæductum, qui de fonte ſupra dicto haurit, aſſiduè influit vinum compunctionis, lætitiæ, & devotionis in cellariam noſtræ mentis.

11 Et nota, quòd dicit: *Quaſi aquæductus exivi à Paradiſo*, ideſt, à Sancta Trinitate, quæ eſt locus totius voluptatis; exivi, inquam, per creationem. Undè *Eccli. 24. Ab initio, & antè ſecula creata ſum*. Exivit autem quaſi aquæductus, id eſt, per meatus ſubterraneos, per Patres ſcilicet Veteris Teſtamenti, qui dediti erant terrenis. *Eſa. 11. Egredietur virga de radice Ieſſe*. Propter hoc dicitur de ea *Cant.* .... *Sicut lilium inter ſpinas*: quia Ipſa Cœleſtis exivit de terra. Sed ad quid? Ad irrigandum hortum Domini, id eſt, Eccleſiam, & fidelem animam. Undè ſtatim ſubjungit: *Dixi, Rigabo hortum plantationum*. Non hortum olerum 3. *Reg. 21.* ſed hortum deliciarum, qui eſt Eccleſia, & ſancta anima: hortum ſcilicet concluſum cuſtodia Angelorum, qui fœcundatur, & fructificat auſtro flante.

12 Et quod Eccleſia non dicitur hortus colligendi fructus, ſed plantationum: quia in ea arbores, id eſt, animæ Sanctæ modò plantantur per laborioſa opera, ſed in morte colligentur fructus, quandò evellentur opera laborioſa. *Eccl. 3. Tempus plantandi, & tempus evellendi*. Dicitur etiã hortus plantationum pluraliter: quia ibi plantantur boni, & mali. Undè in ſagena Petri colliguntur duo genera piſcium. Sed cùm Dominus plantaverit eam hortum voluptatis, & bonum ſemen ſeminaverit in agro ſuo, undè habet zizania? Reſponſio *Matth. 13. Inimicus homo hoc fecit*. Ideò ſcinditur rete Petri.

13 Propter hoc B. Virgo rigat hunc hortum aqua triplici. Doctrinæ, ut purgetur ab erroribus. Undè dicit: *Qui bibunt me adhuc ſitient*, veritatem. Gratiæ, ut ornetur floribus, & fructibus virtutum. Undè dicit: *Tranſite ad me, & à generationibus meis implemini*. Tribulationum: ut omnis plantatio, quã non plantavit Pater, eradicetur. *Matth. 16.* ut omnis palmes fructificans purgetur, ut plùs afferat fructum. *Ioan. 13.* Rigat autem aquis tribulationum, quandò mittit diſciplinam ſicut lucem, ut vexatio ejus det intellectum. *Eſa. 28.* Cujus diſciplinæ ita eſt Ipſa exemplar. Et quia nihil valet horti irrigatio, niſi temperetur ſolis ardore, promittit, quòd ardore Solis juſtitiæ temperabit, ſubdens: *Et inebriabo partus mei fructum*.

14 Hic denique eſt Aquæductus, de quo legitur *Judith 7.* quem præcepit Holophernes incidi: quia per illum influebat fons quidam in civitatẽ Bethuliæ à parte auſtrali. *Bethulia* interpretatur *domus dolens Domino*, quod facit Eccleſia in pœnitentibus. Vel *domus parturiens Dominum*, quod facit in confitentibus. *Eſa. 16. A timore tuo, &c. Maria verò* Aquæductus, quo fluunt in Eccleſiam, & fidelem animam dona gratiarum, quem diabolus incidere conatur, cùm ejus auxilium nobis auferre nititur. Incidit autem non quò ad eam, ſed quò ad nos, quandò nos retrahit à ſervitio ejus, & ad hoc ipſe magis laborat: quia Ipſa eſt aquæductus piſcinæ ſuperioris *Eſa. 7.* per quam derivatur ad nos gratia bonorum illuminantium, quæ deſcendunt à Patre luminum. Ideò autem datus eſt nobis hic Aquæductus: quia ad omnes uſus neceſſarios deerant nobis aquæ gratiarum.

§. III.

Per Rotam Mater Dei ſignificatur.

15 BErnardinus Senenſis *ſerm. 12. de Aſſumpt. Beatæ Virg. art. 1. c. 1.* hieroglyphicum Rotæ ſic adumbrat in Dei Matre. Maria, inquit, elevata fuit per excellentiam converſationis, deſignata in elevatione rotæ, de qua *Ezechiel. 1.* ſcriptum eſt. *Apparuit rota ſuper terram juxtà animalia, habens quatuor facies: & aſpectus rotarum, & opus earum, quaſi viſio maris*. Et ſequitur. *Cùm elevarentur animalia de terra, elevabantur ſimul & rotæ*. Et additur: *Spiritus vitæ erat in rotis*. Per illa quatuor animalia myſticè doctrina Evangelica denotantur. Per rotam verò illam, quæ quatuor facies habet, Virgo Beata meritò indicatur: quæ quatuor virtutes habet, ſecundùm quas vita activa regitur, & omnimoda perfectione ad Evangelicam conformatur. Et quoniam hæ virtutes licet uniantur in gratia, diſtinguuntur tamen in operatione ſua: ideò pluraliter dicit, quòd rotæ illæ elevabantur, quia virtutes in ea fuerunt in ſummo perfectionis, tàm ad agendum, quàm ad patiendum. Et hoc in tanta incomprehenſibilitate intellectui humano, ut meritò dicatur, quòd aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris. Nam inæſtimabiliter ſuperavit omnem obedientiam, & actionem Martyrum, & Confeſſorum: Nam in omnibus fuit pondus difficultatis ad bonum, & pronitas ad ipſum malum. In Virgine Beata nullum fuit omninò retardivum. Proindè rota volubilis fuit, ſecundùm omnem Spiritus Sancti nutum. Hæc Senenſis.

16 Conſonat & Bernardinus Buſtenſis Parte 9. Marialis *ſerm. 4. Aſſimilatione 5.* eandem Ezechielis exponens rotæ viſionem. Hæc autem, ait, rota ſignificat Beatam Virginem. Ipſa enim fuit dæmonibus terribilis. Sicut enim leones terrentur quando audiunt ſtrepitum rotarum: ita ipſi dæmones fugiunt, cùm audiunt invocari, & nominari hanc rotam divinam. Undè Deo inquit Pſalmiſta: *Vox tonitrui tui in rota. Pſal. 75.* Iſta autem rota ſuper terram fuit à terrenis elevata, cogitatione, affectione, & converſatione. Item fuit juxtà quatuor animalia, quæ ſecundùm expoſitores ſignificant Evangeliſtas, juxtà quos Ipſa fuit, cum eis converſando, atque eos inſtruendo. Habet quoque quatuor facies, id eſt, quatuor virtutes Cardinales, ſcilicet Iuſtitiam, Prudentiam, Fortitudinem, & Temperantiam. Vel quatuor facies, id eſt, quatuor aſpectus: quorum unum vertit ad Deum prò nobis intercedendo. Alium ad Paradiſum, id eſt, ad Beatos, eos lætificando: lætificantur enim Sancti, qui ſunt in Cœlo, non ſolùm aſpectu Regis, ſed etiam Reginę, qua mediante ſalvati ſunt. Tertium verò vertit ad mundum, miſerendo, & protegendo. Quartum vertit ad diabolum, exterrendo, & expellendo. Undè dicitur dæmonibus eſſe *terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Cant. 6.* Hactenus ille.

17 Verùm quid eſt quod, cum dixiſſet Propheta: *Apparuit rota una*: poſteà ſubiungit: *Quaſi ſit rota in medio rotæ*? Quid eſt rota in medio rotæ? Quantum ſentio, quantum Capio: Verbum incarnatum in utero Virginis, tanquàm rota in medio rotæ. Rota ſiquidem ſignificat Verbum. Primò, ratione figuræ. Secundò, ratione motus. Nam in rota & figura, & motus eſt circularis, & reſpectu utriuſque rota quandam habet perfectionem. Figura enim circularis perfecta eſt, quia ex nulla parte poteſt ei fieri additio: & Verbum divinum eſt perfectiſſimum, quia per comprehenſionem continet omnimodam perfectionem, ut nihil ipſi deſit, aut addi poſſit. Motus autèm circularis probatur à Philoſopho inter omnes motus perfectior: quia finem principio coniungit. Sed quid eſt Dei Verbum, niſi principium rerum omnium, & finis? Undè in Apocalypſi audimus ipſam Verbi Perſonam dicentem: *Ego ſum Alpha, & Omega, principium, & finis*. Verbum igitur eſt rota, & vox Dei Patris, quæ ſonat in rota Verbi, juxtà illud: *Vox tonitrui tui in rota. Pſal. 75.* Per hanc autèm tonitrui vocem Deus ſuam magnitudinem manifeſtat in rota: undè dicitur *Iob 26. Tonitruum magnitudinis eius quis poterit intueri*? Sed ubi hæc manifeſtatio rotæ, vocis, & Verbi facta eſt? Planè in rota Beatæ Virginis: ut ſic eſſet Rota in medio rotæ; ideſt, Verbum Patris incarnatum in utero Matris.

§. I.

Quam præclarè Ianua dicatur Beata Virgo.

18 DAmus hunc paragraphum integrum devotioni, & eloquentiæ Jacobi de Voragine, qui *ſerm. 117.* de Beata Virgine, propoſitum hieroglyphicum dignè, & eruditè pertractat. Quod igitur Deipara? Reſpondet ipſe. Porta, & portenaria; Feneſtra, & feneſtraria eſt Virgo *Maria*. Antè quidèm adventum Domini non erat aliqua porta in Cœlo, per quam poſſemus intrare; nec aliqua feneſtra, per quam Deus oculo ſuæ miſericordiæ poſſet ad nos reſpicere: ideò ut dictum eſt, Virgo Maria in Cœli palatio facta eſt Porta Cœli, portenaria Dei; Feneſtra, Chriſti, & feneſtraria Paradiſi.

19 Primò quidem facta eſt Porta Cœli. Sicut enim per portam intùs inferimus, & extra efferimus: ſic & Ipſa per merita ſua nos portat ad Cœlum, & ad nos reportat gratiarum emolumenta. Vocatur autem ab Eccleſia *Porta regia, Porta lucida, felix, & beata*. Primò nanque vocatur Porta regia reſpectu Chriſti, cùm dicitur, *Tu Regis alta Ianua*. Sicut enim homo per portam intrat, & exit: ſic Chriſtus per Ipſam intravit, & exivit; & tamen ipſa porta ſemper clauſa permanſit. *Ezechiel. 44. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam* Do-

Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam.

Secundò vocatur Porta fulgida reſpectu ſui, undè dicitur: *Et porta lucis fulgida*. Deus ſemper ad oſtium cordis noſtri ſtat. *Apocal.* 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*; volens lucem ſuæ gratiæ infundere. Sed mali tenent oſtium clauſum, & nolunt recipere lumen divinum. *Iob* 24. *Ipſi fuerunt rebelles lumini*. *Maria* autem Chriſto ad oſtium pulſanti aperuit. *Cant.* 5. *Aperi mihi Soror mea*. Ipſa verò aperit, dicens ibidem: *Peſſulum oſtii mei aperui Dilecto meo*: & ideò lucem ſuam infudit, & eam totam lucidam fecit. *Apocal.* 11. *Civitas* id eſt, Virgo *Maria*, in qua fuit omnium virtutum unitas, *non indiget Sole*, id eſt, Angelica illuminatione: *neque Luna*, ideſt, inſtructione humana: ideò ſubditur: *Sed claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus eſt Agnus*.

20 Tertiò vocatur Porta felix: quia per Ipſam ad fœlicitatem æternam intramus. Undè dicitur *Geneſ.* 28. *Hæc eſt Domus Dei, & porta Cœli*.

Videns enim Jacob cœlum apertum, & ſcalam ſuper terram, cujus cacumen tangebat Cœlum, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes, & Dominum innixum ſcalæ, admirando dixit: *Hæc eſt domus Dei, & porta Cœli*. Per quæ datur intelligi, quod Ipſa eſt Porta cœleſtis: quia Ipſa nobis Cœlum aperit; quia Ipſa eſt Scala Cœleſtis, per quam Deus ad nos deſcendit: quæ licet eſſet in terra corpore, tamen cacumen mentis ejus cœlum tangebat corde, & amore: quæ Angelos prò nobis ad Deum mittit, & ad nos venire facit: cui Dominus innixus fuit, & incorporatus, quandò in ejus utero fuit incorporatus.

21 Iſtam portam cœleſtem Eva nobis clauſit, ſed *Maria* aperuit; undè cantat Eccleſia: Paradiſi porta per Evam cunctis clauſa eſt, & per *Mariam* Virginem iterum patefacta eſt. Porta enim Paradiſi terreſtris tripliciter clauſa erat, ſcilicet Angelica cuſtodia, flamma appoſita, romphæa bis acuta, ut habetur *Geneſ.* 3. Per quæ ſignificatur clauſura Paradiſi cœleſtis. Per Angelicam cuſtodiam ſignificabatur inimicitia, quæ erat inter hominem, & Angelum per peccatum. Per flammam appoſitam ſignificabatur obligatio ad pœnam æternam. Per romphæam bis acutam ſignificabatur Dei ſevera juſtitia, quæ corpus, & animam incidebat. Beata igitur *Maria* inter hominem, & Angelum pacem fecit, & ideò primam clauſuram aperuit. Undè Angeli cantaverunt: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus*, &c. *Luc.* 1. Ipſa etiam removit pœnam æternam, & adduxit Dei gratiam, & gloriam: ideò removit ſecundam clauſuram. *Prov.* 11. *Mulier gratioſa inveniet gloriam*. Ipſa etiam removit ſeveram Dei juſtitiam, & convertit ipſam in magnam clementiam, & ſic removit tertiam clauſuram. Ideò ſignificata eſt per Eſther. Cùm enim Rex Aſſuerus contrà Judæos gravem tuliſſet ſententiam: Eſther Regina ſuis præcibus impetravit, quod illam gravem ſententiam revocavit, & in clementiam commutavit.

22 Secundò eſt Portenaria Dei, quia ad Chriſtum nos introducit. Hugo de Sancto Victore. *Maria*, porta: Chriſtus oſtium Patris occultum. Per *Mariam* igitur pervenitur ad Chriſtum, per Chriſtum verò ad Deum. Iſta Portenaria nobis theſaurum Dei aperit, & nos in cœleſte palatium introducit, Aperit nobis quidem theſaurum divinæ potentiæ, ſapientiæ, & miſericerdiæ. Quidam enim peccant per infirmitatem humanam: illis aperit theſaurum divinæ potentiæ; quia dat eis virtutem, & potentiam reſiſtendi. Alii peccant per ignorantiam: illis aperit theſaurum divinæ ſapientiæ; quia dat eis ſcientiam cavendi. Alii peccant per certam malitiam: illis aperit theſaurum divinæ miſericordiæ; quia dat eis gratiam pœnitendi. Ideò dicitur *Zachar.* 11. *Aperi Libane portas tuas*. *Libanus* interpretatur *candidatio*, & ſignat *Mariam*, quæ fuit candida per munditiam. Iſta aperit portas ſuas; quia debilibus, & infirmis aperit portam divinæ potentiæ: ignorantibus, & obſcuris aperit portam divinæ ſapientiæ: malignantibus, & perverſis portam divinæ miſericordiæ.

23 Secundò iſta Portenaria in cœleſte palatium nos introducit, à quo Eva nos excluſit. Legitur 2. *Reg.* 4. quod oſtiaria purgans triticum obdormivit, & ideò Miphiboſeth interfectus fuit. Iſta Oſtiaria fuit Eva, quæ non ſolicita vigilavit, & ideò diabolus introivit, & eius ſpiritum interfecit Sed dicitur *Ioan.* 19. quod ancilla Oſtiaria Petrum in atrium Principis Sacerdotum introducit: quia Virgo *Maria*, quæ ſe nominat Ancillam, in cœleſte palatium nos introducit.

24 Tertio dicitur Feneſtra Chriſti, per quam ſimiliter Cœlum intramus: undè cantat Eccleſia:

Intrent ut aſtra flebiles
Cœli feneſtra facta es.

Per iſtam Portam, ſivè Feneſtram Deus lumen ſuæ gratiæ nobis effundit. Auguſtinus. Facta eſt *Maria* feneſtra Cœli, quia Deus per Ipſam verum lumen ſeculis effudit: facta eſt *Maria* ſcala Cœleſtis, quia Deus per ipſam deſcendit ad terram. Per iſtam igitur feneſtram Deus ad nos oculo ſuæ miſericordiæ reſpicit. *Cant.* 2. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*. Ubi notandum quod tria ſunt, quæ inducunt Chriſtum, ut nos oculo ſuæ miſericordiæ reſpiciat.

25 Primum eſt, quia ipſe habet nobiſcum conſimilem naturam, & ideò eſt propinquus noſter: hoc notatur, cùm dicitur; quod *Stat poſt parietem noſtrum*. Paries enim noſter eſt noſtra natura. Sed dicitur ſtare poſt parietem, quia licet habuerit veritatem naturæ, non tamen habuit vitia naturæ. Secundum eſt, quia habet nobiſcum eandem naturam, ideò eſt frater noſter: ideò dicitur *reſpiciens per feneſtram*, ideſt, per Virginem *Mariam*. Tertium eſt, quia ipſe prò nobis accepit vulnera ſua, ideò factus eſt Redemptor noſter: ideò dicitur *proſpiciens per cancellos*. Deus igitur ad nos miſericorditer movetur, quandò in ſeipſo videt noſtram naturam, Matrem noſtram, & vulnera ſua.

26 Quartò Ipſa eſt feneſtraria Paradiſi: ideò ſępè eſt roganda, ſibi ſæpè dicendum, *Cant.* 5. *Aperi mihi ſoror mea, columba mea, & immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei pleni ſunt guttis noctium*. Ubi

ponuntur quinquæ cauſæ, propter quas, quia Ipſa eſt feneſtraria, debet ſuis devotis feneſtram aperire. Prima eſt magna noſtra propinquitas, quia Soror noſtra eſt. Secunda eſt eius viſceroſa charitas, quia Ipſa amica noſtra eſt. Tertia eſt magna eius pietas, quia eſt ſicut Columba. Quarta eſt eius generoſitas, quia eſt immaculata. Quinta eſt magna noſtra neceſſitas, quia ſumus inter homines frigidos, qui nos tota die infrigidant malitiis ſuis. Ideò dicit: *Caput meum plenum eſt rore, &c.* Tanquam ſi diceret. Totus ſum plenus frigore, quia percatores frigidi infrigidaverunt me guttis noctium malitiæ ſuæ. Et ideò dicit: Aperi mihi, ut me calefacias igne charitatis tuæ.

§. *V.*

Bellicoſiſſimam Arcem ad defenſionem noſtram ſeſe oſtentat Virgo Beata.

27 BEllicoſus Rex David, rerum in bello benè geſtarum magnitudine inſignis, totque inclytus victoriis, partiſque trophæis, Arcem bellicam in Jeruſalem ſibi conſtruxit, in qua etiam habitavit. Arcem, ſive Turrim in eminentiſſimo loco poſitam dicimus eſſe Beatam Virginem conditam à Chriſto in fidelium præſidium, & tutamen. Et planè Albertus Magnus, cuius ingenio tribuimus paragraphi huius honorem *lib.* 11. *de laudib. B. Mariæ c.* 5. per extenſum Arcis Partheniæ, ſivè Turris proprietates omnes, & bellica ornamenta apprimè delineat: quem & audire de Arce loquentem, ſivè Marianæ Turris deſcriptionem oculis noſtris obiicientem, omnimodæ operæ pretium exiſtimamus.

28 Albertus Magnus igitur inquit. *Maria*, Turris. *Turris* ſecundùm Iſidorum dicitur quaſi teres, ideſt, *rotunda cum proceritate*: nàm quanvis quandoque quadrata ſit, procul tamèn videntibus rotunda exiſtimatur; quia uniuſcuiſque anguli ſimulachrum per longum aeris ſpatium evaneſcit, atque conſumitur, & rotundum videtur. *Cant.* 4. dicit Sponſus Eccleſiæ: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Collum Eccleſiæ Beata Virgo multis rationibus. Ubi nos habemus *collum tuum*; dicit alia litera: *Cervix tua*. Cervix enim, ideſt, eminentia ſublimitatis *Mariæ*, eſt ſicut turris David, quam ſcilicet turrim verus David, ideſt, Chriſtus in Ieruſalem, ideſt, in Eccleſia ſua ædificavit, & erexit, ut eſſet peccatoribus refugium, & tutamen.

29 *Maria*, Turris propter altiſſimum, ideſt, profundiſſimum fundamentum, quod turri neceſſarium eſt. Fundamentum huius turris, profundiſſima humilitas, quaſi de lapidibus rudibus, & impolitis: quia humilitas latet in profundo cordis, ſicut fundamentum latet in terra: nec quærit apparentiam, vel ornatum mundanum, quod ſignatur in hoc, quod lapides fundamenti nec dolati ſunt, nec politi, ſub multo cœmento, vel bitumine compacti, quo charitas Virginis figuratur. Vel fides, quæ fundamentum, & principium eſt totius ſpiritualis boni, ſicut fundamentum principium ædificii. Vel rupes nativa, & firma, Chriſtus ſcilicet, qui eſt firma petra *Matth.* 7. Vel eminentiſſimæ, & præcipuæ virtutes velut lapides pergrandes, qui idonei ſunt fundamento.

30 Propter altitudinem, & eminentiam utriuſque vitæ, ſcilicet activæ, & contemplativæ. Vel propter contemplationem cœleſtium. Vel etiam propter eminentiam ſcientiæ de æternis. Vel quia in Cœlo mente converſabatur cum Angelis, dicens cum Apoſtolo *Philip.* 3. *Mea converſatio in Cœlis eſt*. *Cœlos* enim *attingebat in terra*. *Sap.* 18. Vel turris propter excellentiam ſuæ humilitati: in his enim omnibus, & multis aliis ſupereminebat hæc turris toti caſtro Eccleſiæ.

31 Propter rectitudinem, & erectionem, ſeu directionem intentionis, juxtà illud Pſalmiſtę orantis: *Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam*. *Pſal.* 5. Item: *Dirige me Domine in veritate tua, & doce me, &c.* *Pſal.* 24. Rectus eſt enim coram Deo, cuius intentio ad Deum propter Deum dirigitur. Vel etiam propter rectitudinem iuſtitiæ: quia nunquam ad ſiniſtram per adverſa, nunquam ad dexteram declinavit per proſpera, nunquàm retrò ſe reflexit ad mundana, nunquàm antè aliquà tentationis inſtantià. Vel recta per paupertatem: quia nudus homo egreditur de utero matris ſuæ, & nudus revertitur illuc. Ergò ſi medium paupertatis ſit rectitudo; perpendiculum igitur, ad quod erigi, & dirigi debet turris, paupertas eſt.

32 Propter fortitudinem. Nam Ipſa eſt mulier fortis, cui tota innititur Eccleſia militans: cuius fortitudo maximè apparuit ſepulto Domino, quando defecit omnis Sanctus, vel titubavit in fide. Undè Chriſtus dicit Patri: *Elóngaſti à me amicum, & proximum*. *Pſal.* 67. Et tunc Ipſa per fortitudinem fidei, Spei, & charitatis totam ſuſtentavit Eccleſiam. Ipſa eſt etiam quæ ſuis orationibus dat laſſo virtutem, & his qui fortes ſunt, fortitudinem, & robur multiplicat. *Eſa.* 40. Sicut turris munit, & roborat exiſtentes in ea.

33 Propter quadraturam quatuor virtutum Cardinalium. Vel quadratura, fides integra, ſpes firma, charitas fervens, bona operatio perſeverans: & hæc latera æqualia, quia quantum credit quis, tantum ſperat: quantum ſperat, tantum diligit: tantum operatur, ſicut dicit ibi Gloſſa. Vel propter rotunditatem: quia quædam turres ſolent ædificari in quadro, quædam autem in rotundo. Per rotunditatem autem turris deſignatur æternitas, principio carens, & fine, cuius appetitus, & deſiderium per figuram rotundam figuratur, cuiuſmodi appetitum, & deſiderium habuit *Maria* præ omnibus creaturis.

34 Propter præſidium, & defenſionem habitantium in caſtro, vel in civitate Eccleſiæ, qui in cunctis neceſſitatibus, & anguſtiis ſuis neceſſe habent per orationem refugere ad hunc turim: quia turris fortiſſima Nomen eius, ſicut dicit beatus Bernardus. Dicat ergò qui à carne, mundo, diabolo qualitercunque tentatur: *Eſto mihi Domina turris fortitudinis à facie inimici.*

35 Propter Portus oſtenſionem. Dicit enim Iſidorus, quod Pharum eſt turris maxima, quam Græci, & Latini in commune ex ipſius rei uſu Pharum appellaverunt, eò quòd flamarum indicio longè videatur à navigantibus, ad prævidendos Portuum introitus, & præcavenda pericula ſcopulorum, ne decepti tenebris malè applicent. Et dicitur *Pharum à phos*, quod eſt *lux*, vel *ignis* & *oros*, quod eſt *viſio*. Talem turrim Ptolomæus juxtà Alexandriam DCCC. talentis conſtruxiſſe dicitur. Tali turre congruè ſignatur *Maria* illuminatix: quia per eam populus, qui ambulabat in tenebris per mare mundi, vidit lucem magnam, ideſt, Chriſtum. Ipſa etiam luminoſitate exemplorum ſuorum monſtrat nobis viam rectam, & Portum ſalutis æternæ. Conſervat etiam ſervos ſuos à ſcopulis peccatorum, ſi providerint Dominam in conſpectu ſuo ſemper. Undè *Eccl. 6. Qui intuetur illam, permanebit confidens*.

36 Propter Speculationem. Quia per ſpeculatores ſolent de turribus adventantium hoſtium inſidiæ prævideri, & viſis hoſtibus ſolent clamare ſpeculatores, ad arma, ad arma. *Eſa. 52. Vox ſpeculatorum tuorum*, ideſt, ſpeculatores tui vociferantes levaverunt vocem. Propter hoc dicitur *Cant. 8. Naſus tuus*, ideſt, Beata Virgo *ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. Damaſcus, ſanguinem bibens*, ſignificat diabolum, contrà cuius inſidias opponitur naſus, ideſt, diſcretio Beatæ Virginis, quæ præſentit, & quaſi odoratur malitiam diaboli, & ipſius inſidias à longè prævidet quaſi de Specula, & prò nobis miſericorditer ſe ei opponit.

Propter Cocleatam aſcenſionem. Sunt enim Cocleæ altæ, & rotundæ turrellulæ ab aliquo angulo magnæ turris, dictæ *Cocleæ* quaſi *Ciclea*, eò quod in eis tanquam per circulum orbemque conſcendatur.

27 Propter circuitionem foſſati, vacui, concavi, hiantis, Lati, profundi, petrati, vel in rupe exciſi. Circuitus defenſionem, vacuitas paupertatem, concavitas ſupernis hians deſiderii capacitatem; latitudo charitatem; profunditas ſanctam timorationem; quod petratum eſt patientiæ firmitatem, quæ non timet imitatores diaboli; exciſio in rupe, ideſt, in corde firmo, deſignat proprii ſenſus, & propriæ voluntatis depauperationem.

Propter aſſumpti propoſiti de virginitate ſervanda firmitatem nunquam vacillantem, ſicut ſirma turris vacillare non poteſt.

Propter Filii Dei, qui eſt verus David, inhabitationem. Undè *1. Reg. 5. Habitavit David in arce Sion, & vocavit eam civitatem David*, ad literam. Arces ſunt partes urbis excelſæ, atque munitæ: quæcunque enim loca urbium tutiſſima ſunt, dicuntur *Arces ab artendo*, ideſt, à repellendo hoſtes.

38 Sequitur. *Quæ ædificata eſt cum propugnaculis*: de quibus dicit ei Dominus *Eſa. 54. Ponam iaſpidem propugnacula tua*. Iaſpis fides propter virorem, vel intemerata virginitas, vel ſanctitas vitæ nunquam marceſcens. Iaſpis ſanat febrem luxuriæ, hydropiſim avaritiæ, fugat phantaſmata gloriæ mundanæ, quæ nocte videntur, ideſt, in caligine præſentis vitæ.

Aliter. *Quæ ædificata eſt cum propugnaculis*, ideſt, vallata virtibus aliis: quia virtutes ſeſe concomitantur: & ubi una, ibi omnes. Undè Auguſtinus ad Hyeronimum. Clariſſima tuà diſputatione ſatis nobis innotuit, non placuiſſe noſtris auctoribus, immò nec ipſi Veritati, ideſt, Chriſto, quod qui habet unum peccatum, habeat omnia, quanvis de virtutibus hoc ſit verum.

39 Propugnacula ſunt Kernella, per quę arcentur hoſtes à muro, & proteguntur pugnãtes de muro, & abſconduntur à iaculis hoſtium: & inter ipſa Kernella ſunt quædam interſtitia, quę pandũt viam ad hoſtes percutiendos. Propugnacula iſta ſunt virtutes, gratiæ, dignitates, & prærogativæ, intentionum puritas, & operum ſanctitas, virtus orationum, & merita operum, per quæ Beata Virgo pœnitentes protegit, maximè, ſi propugnare voluerint prò regno Cœlorum, per quæ debellat hoſtes, vel inimicos.

40 Sequitur. *Mille clypei pendent ex ea.* In millenario clypeorum, perfectio protectionis ſignatur. Pendent, inquam quaſi de èminentia vitæ eius, exemplo, auxilio, & documento: quia exempla Virginis, quæ nobis inſinuantur per Scripturam, & adiutoria, quæ ſuis exhibet veneratoribus, & ad ſe confugentibus, ſicut patet in Theophilo; & documenta verborum ipſius, nos incitant, & inſtruunt ad pugnandum.

41 *Omnis armatura fortium*. Iſtud expoſitivum eſt eius, quod dicitur, *Mille clypei*. Vel dicit: *Omnis armaturu fortium*: innuens duplicem armaturam, ſcilicet protectionis, & impugnationis. Lorica, galea, ocreæ, & clypeus ſunt armatura protectionis. Clypei ſunt virtutes, quæ repellunt jacula diaboli, ut eſt prudentia contrà inſidias diaboli, temperantia contrà ignita iacula carnalis concupiſcentiæ, & huiuſmodi. Itèm *Sermo Dei clypeus ignitus. Prov. 30.* Item fides clypeus. Undè *Epheſ. 5. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, &c.* Armatura impugnationis, lancea, gladius, iaculum, clava, & huiuſmodi, ſcilicet opera virtuoſa juſtitiæ, miſericordiæ, pietatis, orationis, quæ fortes defendunt, & diabolum confundunt. Clamandum eſt igitur jugiter ad *Mariam*: *Eſto mihi o Domina turris fortitudis.* Item. *Expugna impugnantes me. Apprehende arma, & Scutum, & exurge in adtutorium mihi.* Hactenus ille.

42 At dùm occurrit hæc de Arce Virginea ſcribere, deque inſuperabili fortitudine, quam exhibet in ſuorum tutamento fidelium, adhùc in mente reboat inſignis illa defenſio, quam anno 1683. ſub Marianę protectionis munimine Viennę in Auſtria contrà Turcarum exercitum Cæſariani duces, atque milites generoſè præſtiterunt. Circundederat hanc Auſtriæ Metropolim, nobilem Reginam occidentalis Imperii, arctiſſimo vallo, nomine Mahometis IV. Tracum Tyranni, Muſtafas Carraus, illius primus Viſirius, & Dux acierum ſupremus; & ad explendam Imperatoris ſui tyrannidem, atque ſuperbiam, ut è Viennà Chriſtiani Imperii raperet coronam, eam immenſo comparato exercitu, formidabili coronavit obſidione. Fretus humano animi tumidi inconſulto conſilio, viriumque immanitate, dixit inſipiens iſte in corde ſuo: Non eſt Deus, neque Princeps, qui Germanicam Metropolim è mea dextra eripiat: neque dubitans de ſucceſſu, quaſi jam de victoria, atque triumpho ſecurus, regale ſecum detulerat diadema, quo in Viennæ debellatæ Regia ſuum Mahometem Romani, & occidentalis Imperii Monarcham redimeret. Plùs quàm ducenta millia bellatorum conducens, ſtipatus Tracum, Scytharum, Illyricorum, Aſiaticorum, Ægyptiorum, aliarumque barbararum nationum Ottomanico ſceptro ſubiectis copiis, jam quaſi decumanus maris fluctus operuerat, & devaſtaverat feraces Auſtriæ campos, jam rurales illius Provincię populos catenatos ab ecatenatis militibus in barbaram ſervitutem redegerat; jam quaſi torrens inundans Germanici roboris oppoſitos aggeres in anguſtiis Raabi fluminis, adiutus perduellium Ungarorum nequitia, violenter irruperat; jam terra Chriſtiani ſanguinis fluvios, ei à turcicis machæris propinatos, ebiberat; cùm hic præpotens Ortodoxæ fidei hoſtis, magis triumphantis, quàm bellatoris ſpeciem præferens, invictæ Viennæ mœnia appulit obſeſſurus.

43 Undique tot caſtris Urbe circunvallatà, ut ſeſe dedant defenſores inclamat, verùm neglectis eius inſanis vocibus, cùm caneret ſurdis, fortiùs in urbis muros bellicorum tormentorum igneis linguis inclamat. Ruunt arietati parietes, ferreis tormentorum globis concuſſi, tota civitas tremit horribili cuniculorum excuſſa boatu, ſuperbæ nobiliorum ædes humiliatæ, cadunt ſacrarum turrium culmina, nec non & ipſum imperiale Palatium bellicis percuſſum fulminibus ubique vaſtas aperit miſerabiliter plagas, evomunt cava æra diu, noctuque in obſeſſæ Urbis mœnia ferratas globorum grandines, teterrimos ignes. Verùm fruſtrà furit in tanto conatu crudelitas Turcarum immanis, nam nec trepida bombarum tonitru, neque mucronum exterrefacta minis, nec deſperata propugnatorum tenui numero ſe cedit barbarico Duci ſemper inclyta Germanorum Metropolis. Undenàm tanta ad reſiſtendum innumeræ barbarorum multitudini fortitudo? Ab illa ſcilicet, quæ de ſeipſa effatur: *Ego murus, & ubera mea ſicut turris. Cant. 8.* Non aliunde quàm à Deiparæ protectione celeberrima Viennæ propugnatio proceſſit. Ebibebant tunc temporis Auſtriaci Principes è Mariæ uberibus eius devotionis lac ſaluberrimum, enixè commendabant patrocinio Mariam eorum Regiæ curam: hinc iſto circundata muro, hac præmunita fortiſſima Turri, à qua mille clypei pendent, omniſque armatura fortium, Urbs fidelis omnes oppugnatorum eluſit vires, retudit conatus.

44 Virginis profectò auſpiciis Auguſtiſſime Leopolde victoriæ titulos referebas: cùm hinc Lotaringius, Saxo, & Bavarus Duces, illinc bellicoſus, atque invictus Sarmatarum Rex Joannes, junctis copiis, atque in obſeſſores impetu facto, cruenta ſtrage, Turcarum Caſtris irruptis, diſruptis ordinibus, fugato exercitu, detractis ſpoliis, Urbem obſidione liberatã die 12. Septemb. ejuſdem anni, quæ infrà Octavam Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ fuit quinta, in libertatem vindicarunt. Expalluit, & expavit ad terribilem, ac fulgidiſſimum Marianæ Turris aſpectum Tracia Semiluna, & proprio cruore barbarico, fœda cæde eclypſata, extrema ſui orbis ad pudorem, atque ignominiam implevit. Fruſtra lunatos arcus in Deiparæ turrim barbarorum tendebat impietas: Ipſa enim potentia ſua contrivit arcus, & arma confregit. Potentiſſimum nanque Mariæ nomen adverſarias phalanges tanquam ſagitta percuſſit. Mariæ nomen tanquam fortiſſima clava multorum exercituum hydram ictu fatali detrivit. Denique Mariæ nomen plùs quàm Gedeonis gladius Mahometanorum caſtra ſubvertit. Undè jure merito totus Orbis Catholicus Mariæ Victrici epinicium canit triumphale, & ſummi Innocentia Paſtoris ritu ſolemni quotannis Mariæ nomen colendum eſſe ſancivit, ut ex lectione ſexta officii de ſanctiſſimo nomine Mariæ per hæc verba habetur. *Quod quidem Venerabile Nomen, iampridem in quibuſdam Chriſtiani Orbis partibus ſpeciali ritu cultum, Innocentius XI. Romanus Pontifex, ob inſignem victoriam ſub eiuſdem Virginis Mariæ præſidio de immaniſſimo Turcarum Tyranno cervicibus Populi Chriſtiani inſultante Viennæ in Auſtria partam, & in perenne tanti beneficii monumentum, in Eccleſia univerſali ſingulis annis Dominica infrà Octavam Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ celebrari præcepit.*

CAP. VI.

De fœmineis ornamentis, in quibus Beata Virgo figuratur, & laudatur.

1 POſtquam bellico pulvere Deiparam vidimus decoratam, decet etiam in pacis ſtudio, pulvere militari deterſo, Virginem comptam, & pulchrè ornatam intueri. Ipſa enim Eſther eſt, quæ oculis divini placuit Aſſueri, & in conſpectu illius gratiam invenit, adeò ut æternus præciperet Rex eius muliebrem mundum accelerari, ut quàm citiùs ad regale cubiculum deduci poſſet. Nolumus tamen per muliebrem mundum intelligi corporalem illum fœminarum ornatum, quæ dùm comuntur, & poliuntur, annus eſt: ſed ſacrarum myſtica, ac ſpiritalia ornamenta virtutum, quibus Beata Virgo ſeſe ſtuduit ornare, ac picturare. Verùm quia ſpiritalia niſi per rerum ſimilitudines, & hieroglyphica, quæ ſub ſenſu cadunt, poſſumus intelligere, ideò inducimus mulierum ſupellectilem ornatoriam, ut ex viſibilibus rebus ad cognitionem inviſibilium deveniamus. Et valde quidèm mirandum eſt ab ipſo Mariæ Nomine tanquam à fonte hæc emanare ornamenta, ſi enim literas ſcrutemur, ſingulę novum decus ad Virginis cultum manifeſtant. Ordinetur igitur ſeries literarum, & in Maria oſtendent

MA-

Mitram;
A cum.
R icinium.
I nſulam.
A nnulum.

Vides ornamentorum varietatem: ſed quid ſignificent ex ſuis paragraphis intelligemus.

§. I.

Quid per Mitram exprimatur in Beata Virgine.

2 INter cætera capitis ornamenta, quibus Iudith ad debellandum Holophernem armata proceſſit, ſacer textus Mitram recenſet, dicens: *Et impoſuit mitram ſuper caput ſuum. Iudit.* 10. Eſt enim mitra ornamentum fœminei capitis, inquit Hieronymus in *Eſa.c.*3. Sed quid mitra ſit, & ſignificet, pulchrè A Lapide in *Iudith c.* 10. Mitra, inquit, eſt faſcia byſſina gemmis, & bracteolis aureis, tremuliſque collucens. Alludit *mitra* ad *mithra*, quæ vox Perſicè *Solem* ſignificat: Sol enim puriſſimis, & fulgentibus radiis ſuis quaſi mirta coronatur. Virgines pariter, & caſti, ut Judith, ſunt quaſi Soles quidam mithrati, fulgoribus ſuæ caſtitatis circumcircà radiantes.

3 Pulchra quidem interpretatio mitræ prò virginitate, & caſtitate, quæ Solis ad inſtar radios fulgidiſſimos undequaque diffundit. Hæc autem mitra caſtitatis, & virginitatis ſupra Angelos, & homines in capite *Mariæ* præfulget. Quæ enim Angelica, vel humana puritas illius Virginis puritati ſe audeat comparare, quæ Chriſti corpus ſinè corporis contagione potuit generare? Angeli quidèm ſtellę, non autem Sol: ſed Beata Virgo Angelorum Sol, quæ ſuis ſpendoribus Angelicas illuminat hierarchias. Et homines juſti ſtellæ, ſed ab hoc Sole ſuam participant lucem.

4 Altius evehit interpretationem mitræ Albertus Magnus in *Baruch. c.* 5. exponens ea verba: *Et imponet mitram capiti tuo honoris æterni*. Loquitur euim de triplici aureola, quam quidem ſimul conſequuntur in Cœlo propter triplicem decorem, ſcilicet Virginitatis, Doctoratus, & Martirii, quem habuerunt in terra: Et ideò inquit Albertus. Mitra hæc aureolam ſignificat per conformitatem ad privilegia Chriſti, ad nativitatem quidem per virginitatem, ad opus quod exercuit in vita per doctrinam, & prædicationem, ad mortem per martyrium. *Eccli.* 45. *Corona aurea ſuper mitram eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus virtutis, deſiderio oculorum ornata*.

5 Et quid ad horum ſubiungam ego claritatem fulgorum? Planè quod in Beata Virgine ſublimior aureola, quæ per mitram ejus capiti impoſitam ſignificata, reſplendet. Virginum enim Primiceria, Doctorum Magiſtra, & Martyrum prædicatur Regina. Etenim ſicut ſol inter cæteros Planetas eminet claritate ſplendoris, ità & Ipſa inter reliquos Beatos emicat refulgentia lucis.

§. II.

Quid deſignet acus in ornamentis Beatæ Virginis.

6 QUoniam tota mulierum cura, atque ſtudium in ornatu capitis eſt, crininmque cultu, atque compoſitione: hinc eſt quod, ut ait Hieronimus in *Eſa. c.* 3. habent acus mulieres, quibus ornatorum crinium compago retinetur, nè laxius fluant, & in ſparſos diſſipentur capillos. Et A Lapide in *Eſa. c.* 3. Acus, ait, ſcilicet crinales aureæ, & argenteæ, quæ ad ſpeciem geſtabantur in capite, quibus capilli dividebantur, & nè rursùm diffluerent, fibulabantur. Audi Martialem:

Tenuia ne madidos violent bombycina crines;
Figat acus madidas, ſuſtineatque comas.

Acus ergò hæ non erant calamiſtra, quibus criſpabantur capilli, ſed longæ, & craſſæ erant acus, quibus crines, & caput ornabantur.

7 Quid ergò mulieres etiam acus in capite geſtant? Fortè nimirùm ut eſſe Pallades etiam in crinibus telis armatæ credantur. Cirros enim modò turritos efformant, & nè deſint iacula, addunt acus. Modò in varios nodos cincinnos innectunt, & ut appareant comæ ad Cœli ſtellati ſimilitudinem, ſtellantes acuum crinibns inſerunt aſteriſmos. Modò in calathos comas effingunt & ut Florę vernantes eſſe videantur, ipſas ſtimulis aureis, & argenteis tanquam floribus ornant. Utinam mores, & animos componere ſcirent, quæ ſe tanto ſtudio, & artificio comere laborant. Utinàm cùm acus comis infigunt, internos conſcientiæ ſentirent aculeos.

8 Verùm juxtà Hieronymi tropologiam in *Eſa. c.* 3. Filiæ ſion propter ſuperbiam ſuam perdiderunt acus, quibus omnium præceptorum regula ſtringebatur. Verùm non ſic Deipara, propter ſuam maximam humilitaten, filiarum ſupernæ Sion Regina, & Imperatrix, non amiſit, ſed invenit acus gratiæ feliciſſimas, quibus in mente ſua omnium præceptorum regula ſtringebatur. Vel ſi per capitis crines intelligimus cogitationes mentis tanquam de capite procedentes, per crinales acus poſſumus interpretari mandata Dei, nè dùm cogitata, ſed etiam executioni mandata, quibus Beata Virgo capillos cogitationum ſuarum retinuit, & innodavit, nè extra virtutis limites effunderentur.

9 Vel per acum poſſumus denotare Virginis humilitatem, quia Ipſa non ambulavit extento, & erecto collo, ut ſtultę filiæ Sion, propter quod decalcavit eas Dominus, ſed humili, & demiſſo capite, undè & ſuper Angelos, & homines exaltata: quia *Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam*, ideſt, gloriam. *Pſal.* 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Humilitas ſiquidem acui comparatur, quæ difficile invenitur. Undè in Manutii adagiis dicitur: *Vel acum inveniſſes*: ideſt, ut

ut ipſe inrerpretatur, & exponit. Apud Plautum *Menæchemis* proverbialis hyperbole, de re diligenter inveſtigata: *Acum credo inveniſses, ſi acum quæreres*. Nam acus inventu difficillima, quòd ob exiguitatem facilè fallat oculos quærentis. Quid enim magis exiguum, aut exiliùs humilitate? Et propterea plurimi illam non inveniunt, quia magni appetunt eſſe, & ſublimes. Virgo autem Beatiſſima facillimè illam invenit, quià de ſe humilia potiùs, quàm alta ſentire voluit: unde ad abjectionem viliſſimæ Ancillæ ſe deiecit, dicens; *Eccè Ancilla Domini*. O acus pulcherrimæ in comantibus Virginis crinibus, excelſiſſimi ſcilicet humilitatis actus!

10 Extat & aliud de acu in Adagiis Manutii proverbium, nempè: *Rem acu attigiſti*: Plauti dicterium in *Rudente*: prò eo quod eſt, rem ipſam divinaſti, nihil aberrans. Metaphora ſumpta videri poteſt à luſu quopiam, in quo divinator, id quod alius notaſſet, ſumma acu tangebat, aut lineam, aut calculum, aut aliud quidpiam ſimile. Igitur acu tangere, perindè eſt quaſi dicas, ipſiſſimum punctum attingere. Nàm minutiſſima puncta denotantur acu. O decentiſſimum Partheniæ prudentiæ hieroglyphicum! Verè enim Beata Virgo acu rem attigit, cum animo prudenti dictis Angeli credidit, cœleſte fieri poſſe in utero ſuo Divinitatis cum humana natura connubium, abſque ſuæ virginitatis detrimento. Undè & ex hoc Eliſabeth ipſam prædicavit beatam, dicens *Luc.*1. *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino*.

§. III.

Cuiuſnam ſignificationis typum præferat Ricinium in Beata Vrrgine.

11 ISidorus *lib.* 19. *origin. cap.* 25. loquens de Palliis fœminarum. Latinè *Ricinium* aſſerit dici, quod Græcè *Stola* vocatur. Undè inquit. Stola matronale operimentum, quod cooperto capite, & ſcapula à dextro latere in lævum humerum mittitur. *Stola* autem Græcè vocatur, quòd ſuperemittatur. Eadem & Ricinium Latino nomine appellatum, eò quòd dimidia eius pars retrò eiicitur, quod vulgò Mavortem dicunt. Vocatam autem dicunt *Mavortem*, quaſi *Martem*. Sgnum enim maritalis dignitatis, & poteſtatis in eo eſt. Caput enim mulieris vir eſt: indè & ſuper caput mulieris eſt.

12 Pierius verò *lib.* 40. *hieroglyphicorum* ſtolam ſumit prò pudoris matronalis indicio, & hac de cauſa inquit. Stolam apud veteres invenias matronalis pudicitiæ ſignum: de qua Tertullianus plura. Ovidius amoris, & impudicitiæ præcepta daturus, quò ſe tamen verecundum aſſimularet, ait:

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris,
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.

13 Benè igitur Stola, non ſolum quia matronalis eſt pudicitiæ, ſed & multò magis verecundiæ virginalis Inſigne, B. Virginis præclarum eſt ornamentum. Nam ad Angeli ſalutationem, prò pudore ſuo trepidavit, & pavit, ut dicitur *Luc.*1. *Quæ cum audiſset, turbata eſt in ſermonem ejus*. Super quæ Albertus Magnus *lib.* 4. *de laudib. B. Mariæ c.* 11. advertit, dicens: Et nota, quòd hæc turbatio non fuit iræ, vel doloris, ſed pudoris, pavoris, & admirationis. Et erat pudor duplex: quia ſola quaſi cum viro videbatur; & quia tanto præconio commendabatur. Et timor duplex, ex præſentia Angelica, quam horret fragilis natura, & ex cauſæ ignorantia. Admiratio verò erat prò magnitudine eorum, quæ ei nunciabantur. Undè Ambroſius: Ex verecundia pavet, ex prudentia novam ſalutationis formam miratur. Et ex hoc in ea hic notatur triplex virtus: verecundia virginalis in eo quòd turbatur: fortitudo mentis in hoc quòd non perturbatur quin deliberet: prudentia in ipſa deliberatione. Beatus Bernardus: Quod turbatur, verecundiæ eſt virginalis: quod non perturbatur, fortitudinis: quod cogitat, prudentiæ.

14 Et notandum, quòd verecundia propriè non eſt virtus, ſed eſt ſtatus, & perfectio virtutum, & maximè in mulieribus commendatur. Undè *Eccli.* 7. poſtquàm dixit: *Noli diſcedere à muliere ſenſata*: ſubdit quaſi exponens quid ſit mulier ſenſata: *Gratia enim verecundiæ eius*, id eſt gratioſa verecundia ejus, *ſuper aurum*, id eſt, melior omni auro. Item verecundia propriè domum gratiæ eſt. Unde *Eccli.* 31. *Antè verecundiam præibit gratia*, &c. Item *Eccli.* 26. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata*: id eſt, verecunda. Item maximum verecundiæ ſignum fuit, quòd cùm quadam die vellet loqui cum filio, domum in qua loquebatur, intrare, vel ſermonem ejus interrumpere non præſumpſit, ſed foris ſtans reverenter expectavit. *Marc.* 3. in fine.

15 Item Ambroſius ad Virgines loquens de Beata Virgine: Cum ea ſemper ſingularum virtutum Pudicitia comes irremota manſit: quia omninò pudor individuus virginitati eſſe debet, ſine quo caſtitas vera ſervari non poteſt. Idem: Pudor individuus debet eſſe virginitati, ſine quo non poteſt eſſe virginitas. Idem: Comes virginitatis, & quaſi collactanea eius eſt humilitas, cujus ſignum eſt verecundia virginalis, æqua conjunctione, & nomine verecundiæ. Virginitas enim ſæpè pudor dicitur. Idcircò enim dicitur animæ verecundiam non habenti, *Ierem.* 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere*. Difficilè enim ſervatur caſtitas, ubi verecundia non habetur. Idem: Nunquam igitur Beata *Maria* ſinè pudoris ſui cuſtode proceſſit. Propterea quæcunque virgo ſibi ab ea optat præmium, & implorat auxilium, debet imitari exemplum. Idcircò hanc imitamini moribus, ſequimini charitate, & ita ſecurè poteritis ejus auxilium implorare. Ad hoc enim Chriſtus Matrem elegit Virginem, ut Ipſa omnibus eſſet exemplum caſtitatis, quæ quaſi in ſpeculo refulget forma virtutis.

16 Quàm glorioſè Virgo Dei Mater ricinio ornata procedit! Sed & *Ricinium* vocari *Mavortem*, quaſi *Martem*, non ſinè myſterio dicimus eſſe, atque in eo ſignum elucere maritalis dignitatis, ac poteſtatis. Mulieris enim ornamentum, & caput eſt Vir. Quo quidem hiero-

roglyphico ad plenum exprimitur, B. Virginem Dei Sponſam, Altiſſimi virtute fuiſſe obumbratam, & Spiritus Sancti in illam ſupervenientis umbraculo protectam, immò & decoratam, quemadmodùm Stola matronarum caput, atque humeros protegit, & exornat. Unde Bernardus homil. 4. ſuper *Miſſus eſt* in illa Angeli verba *Luc.* 1. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi:* inquit. Superiùs dicta eſt fuiſſe gratia plena, & nunc quomodo dicitur: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi?* Nunquid potuit repleri gratia, & necdum habere Spiritum Sanctum, cùm ipſe ſit dator gratiarum? Si autem Spiritus Sanctus in ea erat, quomodo adhuc tanquam noviter ſuperventurus repromittitur?

17 An fortè ideò non dixit ſimpliciter, *veniet in te*, ſed addidit *ſuper*, quia & priùs quidem in ea fuit per multam gratiam, ſed nunc ſupervenire nunciatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effuſurus eſt ſuper illam? At verò cùm plena jam ſit, illud ampliùs quomodò capere poterit? Si autem plus aliquid capere poteſt, quomodò & antè plena fuiſſe intelligenda eſt? An prior quidem gratia ejus tantùm repleverat mentem, ſequens verò etiam ventrem perfundere debeat, quatenùs ſcilicet plenitudo divinitatis, quæ antè in illa, ſicut & in multis Sanctorum, ſpiritualiter habitabat, etiam ſicut in nullo Sanctorum corporaliter in ipſa habitare incipiat?

18 Ait itaque: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quid eſt, & *virtus Altiſſimi obumbrabit tibi?* Qui poteſt capere, capiat. Quis enim excepta fortaſſis illa, quæ hoc ſola in ſe feliciſſimè meruit experiri, intellectu capere, ratione diſcernere poſſit, qualiter ſplendor ille inacceſſibilis virgineis ſeſe viſceribus infuderit, & ut illa inacceſſibilem accedere ad ſe ferre potuiſſet, de portiuncula ejuſdem corporis, cui anima ſe contemperavit, reliquæ maſſæ umbraculum fecerit? Et fortaſsè propter hoc maximè dicam eſt: *obumbrabit tibi*: quia res nimirum in ſacramento erat; & quod ſola per ſe Trinitas, in ſola, & cum ſola Virgine voluit operari: ſoli datum eſt noſſe, ſoli datum eſt experiri.

19 Dicitur ergò: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, qui utique ſua potentia fœcundabit te. *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi:* hoc eſt, illum modum quo de Spiritu Sancto concipies, Dei virtus, & Dei ſapientia Chriſtus, ſic in ſuo ſecretiſſimo conſilio, obumbrando conteget, & occultabit, quatenùs ſibi tantùm notus habeatur, & tibi. Ac ſi Angelus reſpondeat ad Virginem: Quid à me requiris, quod in te mox experieris? Sciens ſcies, & feliciter ſcies, ſed illo doctore, quo & auctore. Ego autem miſſus ſum nunciare virginalem conceptum, non creare. Nec poteſt doceri niſi à donante: nec poteſt addiſci niſi à ſuſcipiente. Hæc Bernardus.

20 Beatæ igitur Virginis caput, atque humeri ſtola inſigniuntur, quia nimirùm tanquàm Dei Sponſa, tota Deo ſacra eſt, atque ſub ejus poteſtate. Et ſicut caput mulieris eſt vir, ita Virginis caput eſt Chriſtus, de quo dicitur: *Eccè Vir oriens nomen ejus.*

§. *IV.*

Quid ſit Infula, & quid præſignet in in Deipara.

21 De Infulis loquitur Caſſiodorus *lib.* 2. *Variar. epiſt.* 1. dicens. Nos autem qui bonis redimimur inſtitutis, quos probitas inſpecta conciliat, Curules Infulas præſtitimus Candidato: ut virtutum deſideria poſſimus provocare per munera. Eſt autem Infula, ut ex notis Variorum in hanc epiſt. habetur, faſcia in modum diadematis, à quo dependent vittæ ab utraque parte. Quidam Infulas Sacerdotum filamentum vocabant. Alii ſcribunt Infulas filamenta alba eſſe, quibus templa ornabantur, & moris fuiſſe, ut nubentes, priuſquam mariti domum ingrederentur, Infulis poſtes ornarent. Hinc factum ut ad omnem dignitatem referatur, quoniam quælibet dignitas habuit Inſignia ſua. Erat & Infula corona Imperialis *l. fin. in fine. C. de quad. præſer.* hoc eſt, diadema, quod Valerius nobilem magis quàm felicem pannum multis curis, ſolicitudinibus, miſeriiſque refertum vocat. Sunt etiam Infulæ Conſulares, & Præfecti Prætorio, ut *l.* 1. *C. de Conſul. l. fin.* §. 1. *C. de decur.* Item Infulæ Magiſtri officiorum, *l.* 2. *in fin. C. de Primicer.* Item ſunt Infulæ quædam ſigna, quibus diſtinguitur liber à ſermo, *l. iubemus. C. de Præp. Sacr. cub.* Sic honorum Infulæ in *l.* 1. *C. de temporib. appell.* Imperiales Infulæ in *l. ult. C. de quadam præſ.* Majoris admirationis Infulæ in *l.* 1. *Cod. ut omnes indices.*

22 Et fortè quæ à nobis Infula dicitur, à Pierio *lib.* 41. *hieroglyphicorum Titulus* appellatur. Erat enim, inquit ipſe, & amiculi, ſivè redimiculi ſpecies, cui nomen *Tutulo* priùs, mox *Titulo* fecerunt: ornamentum quippe capitis in ſublime ſurgens, purpurea vitta redimitum, inſtar Coni, galerivè roſarum. Eo Sacerdotium hieroglyphicè ſignificabant. Quin & uxores, & miniſtræ Flaminis, eo erant geſtamine inſignes. Petronius ait Titulum à Numa Rege factum, fuiſſeque palliolum ex lino, quo Sacerdotes in ſacris uterentur. Alii per Titulum mitras, ſivè faſcias accipiunt, quarum uſus eſſet Sacerdotibus ad ornamentum, non illæ tamen ocioſæ, nequè temerè appoſitæ, cùm ſua præſeferant ſignificata. Κίδαριν Eucherius Pileum Sacerdotalem ait ex byſſo, quem Græci, & noſtri Tiaram dicunt: quidam etiam mitram vocant: eamque incorruptam dicit Apollonius, cùm integram, & incolumem intelligit pudicitiam, propter faſcias ſcilicet, quibus id geſtaminis præligatur. Utcunque, ornamentum hoc capitis, ut Jeroſolymitanus Heſychius interpretatur, ſapientiæ ſignum eſt, propterea quòd in Capite cerebrum Sapientiæ organum.

23 Sed antiquioris illius Tituli ſpecies hodiè quoque in uſu eſt ſub regni nomine, quo quidem Pontificis Maximi caput, maximis quibuſque Sacrorum ſolemnitatibus inſignitur: & ut ſumma ejus poteſtas eo geſtamine ſignificetur, triplici faſcia, auro, gemmiſque ditiſſima, ornamentum illud redimitum conſpicitur. Sed apud Hebræos, nullum venerabiliùs geſtamen erat, quàm Petalum, aurea lamina in fronte Pontificis, quæ Dei nomen illud, quod nulla lingua mortali enunciari poteſt, quatuor Hebræis literis ſcriptum præferebat, quod *Tetragrammaton* adhùc appellant.

24 In antiquiſſimis Ægyptiorum monumentis cernere eſt mulierem quandam tribus Regiis titulis caput inſignitam. Significare aiunt id, eam Regis filiam, Regis uxorem, ac Regis Matrem fuiſſe. Ea verò Simandii clariſſimi Regis Mater fuit, de qua Scriptores rerum plurima: quorum ſi nos diligentiam ſequeremur, tale aliquid in Blancam Philippi magni Mediolanenſium Ducis filiam decerneremus, quæ Franciſco Duci nupſit, quæ Galeatium Ducem genuit: de qua cultiſſimum extat Epitaphium à doctiſſimo ejus temporis Viro Bartholomæo Lampridio Lyrici noſtri clariſſimi Patruo editum. Id eſt hujuſmodi.

Tres Italos Proceres terris ego Blanca Latinis
Regnantes vidi, Filia, Nupta, Parens.

25 Sed jam age, & tribus Regiis Titulis Infulatam Deiparam intuere. Filia quidem Regis æterni: *Omnis gloria ejus Fliæ Regis ab intùs. Pſal.* 44. Sponſa Regis regum maximi. *Oſea* 2. *Sponſabo te mihi in fide.* Mater denique Monarcharum Regis: quia Regem ſeculorum peperit immortalem. Unica igitur triplici Infularum titulo gaudet:

Vna Dei pariter Filia, Sponſa, Parens.

26 Non moror Regiorum Titulorum, atque Infularum Deiparæ teſtem, atque interpretem Divum Bonaventuram adducere, qui *cap.* 8. Specul. Beatæ Virginis, exponens ea Angeli verba, *Dominus tecum*, ità poſt alia multa fatur. Iſte ſingularis *Mariæ* Dominus, ſic ſingulariter cum *Maria* fuit, quòd etiam Ipſam tàm ſingulariter Dominam fecit, quòd nec primam ſingularem viſa eſt, nec habere ſequentem: dùm ſingulariter Domini Filia, Domini Mater, Domini Sponſa, & Domini Ancilla facta eſt. *Maria* enim Filia Domini ſingulariter: generoſa Mater Domini ſingulariter: glorioſa Sponſa Domini ſingulariter: pretioſa Ancilla Domini, ſingulariter obſequioſa fuit. Si autem illa tribus Perſonis divinis volumus appropriare, poſſumus dicere, quod Dominus iſte, qui tam ſingulariter eſt cum Maria, ipſe eſt Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ritus Sanctus, Dominus trinus, & unus. Ipſe eſt Dominus Pater, cujus *Maria* eſt Filia nobiliſſima. Ipſe eſt Dominus Filius, cujus *Maria* eſt Mater digniſſima. Ipſe eſt Dominus Spiritus Sanctus, cujus *Maria* eſt Sponſa juſtiſſima. Ipſe eſt Dominus trinus, & unus, cujus *Maria* eſt Ancilla ſubjectiſſima. *Maria* certè eſt Filia ſummæ Æternitatis, Mater ſummæ Veritatis, Sponſa ſummæ Bonitatis, Ancilla ſummæ Trinitatis.

27 Primò ergò attendite, quòd Dominus iſte, qui tàm ſingulariter eſt cum Maria, ipſe eſt Dominus, cujus Filia nobiliſſima eſt Maria. De iſto enim Domino, & de illa Filia accipi poteſt, quod Booz dixit *Ruth.* 3. *Benedicta es à Domino Filia, quia priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti.* Verè benedicta à Domino Filia eſt *Maria*, à ſummo inquam Domino, cujus Ipſa eſt Filia. O verè nobiliſſimi Regis nobiliſſima Filia, quæ tàm multiplici interiùs ornata es gloria, ut verè de ea dicere poſſit: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*, &c. *Pſal.* 44. & ideò tanquàm veriſſima Regis Filia ad Regnum copioſiſſimè eſt tracta, teſte beato Bernardo, qui ait. Tu Filia delicata, & omni gratia plena, chariſſima in deliciis tuis, tracta es ad gloriam decoris tui, & in ſignum dilectionis.

28 Iſta benedicta Filia priorem miſericordiam poſteriore ſuperavit. Magna enim ergà miſeros fuit miſericordia Mariæ, adhuc exulantis in mundo, ſed multò major ergà miſeros eſt miſericordia ejus jam regnantis in Cœlo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc oſtendit hominibus miſericordiam, quia nunc magis videt innumerabilem hominum miſeriam. Undè prò ſplendore prioris miſericordiæ fuit *Maria* pulchra ùt Luna; prò ſplendore verò poſterioris miſericordiæ, eſt electa ut Sol. Nàm quemadmodum Sol Lunam ſuperat magnitudine ſplendoris, ſic priorem Mariæ miſericordiam ſuperat magnitudo poſterioris. Quis eſt ſuper quem Sol non luceat? Quis eſt ſuper quem miſericordia *Mariæ* non reſplendeat? Audi quid de hoc beatus Bernardus ſentiat: ait enim ſic. Quemadmodùm Sol oritur ſuper bonos, & malos indifferenter, ſic *Maria* præterita non diſcutit merita, ſed omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſſitatibus ampliſſimo miſeretur affectu. Dominus ergò tecum, ò *Maria*, ſicut Pater cum Filia nobiliſſima.

29 Secundò attendite, quòd Dominus iſte, qui tàm ſingulariter eſt cum *Maria*, ipſe eſt Dominus, cujus Mater digniſſima eſt *Maria*. De iſto Domino, & de iſta Matre dixit Eliſabeth: *Vndè hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me? Luc.* 1. Mater Domini, Mater & Virgo, Mater eſt digniſſima. Ipſa eſt Mater, quæ tali filio eſt decentiſſima. Ipſa Mater eſt, cui talis filius decentiſſimus fuit. Ipſa eſt, qua majorem Deus facere non poſſet. Maiorem mundum poſſet facere Deus, majus cœlum poſſet facere Deus: majorem quàm Matrem Dei non poſſet facere Deus. Undè Bernardus ait: Nec enim decebat Deum, alia Mater quàm Virgo, nec Virginem alius filius quàm Deus: quia nec major inter Matres, nec maior inter filios naſci potuit.

30 Hæc itaque Mater eſt flos miſericordiæ, Mater Solis juſtitiæ, Mater fontis ſapientiæ, Mater Regis gloriæ. Mater inquam eſt ejus, cujus miſericordia ad dilectionem, cujus juſtitia ad timorem, cujus ſapientia ad agnitionem, cujus gloria ad ſpem nos inducit. *Maria* ergò Mater ejus, qui effectivè eſt noſtra dilectio per miſericordiam, noſter timor per juſtitiam, noſtra agnitio per Sapientiam, noſtra Spes per gloriam, ut verè Ipſa dicere poſſit illud *Eccli.* 24. *Ego Mater*

pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & Sanctæ ſpei.

31 Sed nunquid ſolius Chriſti Mater eſt Maria? Immò certè quod jucundiſſimum eſt, *Maria* non ſolùm Mater Chriſti ſingularis, ſed etiam Mater omnium fidelium univerſalis. Undè beatus Ambroſius ait: Si Chriſtus eſt credentium frater, cur non Ipſa, quæ genuit Chriſtum, credentium ſit Mater? Eia chariſſimi omnes nunc gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus. Benedictus frater, per quem *Maria* eſt noſtra Mater, & benedicta Mater, per quam Chriſtus eſt noſter frater. Hinc benè Anſelmus ait. Domina Mater, per quam talem fratrem habemus, quid gratiarum, quid laudis tibi retribuemus? Deus ergò tecum, ò *Maria*, ſicut filius cum Matre digniſſima.

32 Tertiò attendite, quòd Dominus iſte, qui tàm ſingulariter eſt cum *Maria*, ipſe eſt Dominus, cujus Sponſa venuſtiſſima eſt *Maria*. Undè tàm de iſto Domino, quàm de iſta Sponſa exponi poteſt illud *Oſeæ 2. Sponſabo te mihi in juſtitia, & judicio, & in miſericordia, & in miſerationibus; & ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus.* Eccè pulchra Sponſa, pulchra in juſtitia, & judicio, reſpectu ſui; pulchra in miſerationibus, & miſericordia, reſpectu proximi; pulchra in fide, reſpectu Dei. Pulchra utique in juſtitia vitæ, & in judicio conſcientiæ: pulchra in miſericordia in affectu, & in miſerationibus in effectu: pulchra in fide, qua credidit omnia credenda ſupra ſe, & qua credidit omnia perficienda in ſe, juxtà illud *Luc. 1. Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Sed eccè Sponſa Spiritus Sancti.

33 *Maria* ſicut formoſiſſima fuit, & eſt in converſatione, ita etiam dulciſſima eſt in allocutione, ſicut dicitur in Canticis: *Favus diſtillans labia tua, Sponſa: mel, & lac ſub lingua tua. Cant. 4.* O quam melliflua verba ſępè diſtillaverunt dulciſſima *Mariæ* labia! Quæ etiam benè lac, & mel ſub lingua habuit in duobus verbis, quæ Ipſa Gabrieli reſpondit. Nonne *Maria* lac ſub lingua habuit, quando lacteum illud continentiæ verbum reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Luc. 1.* Nonnè etiam mel ſub lingua habuit, quando mellifluum illud dulcedinis verbum reſpondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum?* De mellifluentia namque huius melliflui verbi, per totum mundum melliflui facti ſunt Cœli. Maria inſuper mel ſub lingua habuit, in mellifluis orationibus ad Deum: lac verò ſub lingua habuit, in lacteis collationibus ad proximum. Eia ergo quanti decoris, & quanti dulcoris eſt illa Sponſa ſummi Conſolatoris? Quia inquit Auguſtinus. Quæ eſt hæc Virgo tam Sancta, ut ad eam venire dignaretur Spiritus Sanctus, tàm ſpecioſa, ut eam Sponſam eligeret Deus? Dominus ergò tecum, ò *Maria*, ſicut Sponſus cum Sponſa delicatiſſima. Hactenus Bonaventura. Vides ergò tres Infulas in una Virgine collectas, quæ ſub his Titulis continentur: ſcilicet, Filia Regis, Mater Regis, & Sponſa Regis.

§. V.

Quid myſterii deſignet Annulus in quinta litera Nominis Mariæ.

34 PLinius lib. 33. hiſt. natural. c. 1. multa de annulis ſcribit, ſed cum ſuo tempore maximus annulorum luxus debaccaretur, non ſinè magna animi indignatione ſermonem exorſus dixit. *Peſſimum vitæ ſcelus fecit, qui annulum primus induit digitis.* Nec hoc quis fecerit traditur. Et proſequens de annulorum origine inquit. Nam de Prometheo omnia fabuloſa arbitror, quanquam illi quoque ferreum annulum dederit antiquitas: vinculumque id, non geſtamen intelligi voluerit. Midæ quoque annulum, quo circumacto habentem nemo cerneret, quis non etiam fabuloſiorem fatentur? Manus & prorsùs ſiniſtræ maximam auctoritatem conciliavere auro, non quidem Romanæ, quorum more ferreum id erat, & bellicæ virtutis Inſigne. De Regibus Romanis non facilè dixerim. Nullum habet Romuli in Capitolio ſtatua, nec præter Numæ, Serviique Tullii alia, an nè L. quidem Bruti. Hoc in Tarquiniis maximè miror, quorum è Græcia fuit origo, undè hic annulorum uſus venit, quanquàm etiam nunc Lacedæmone ferreo utantur. Sed à Priſco Tarquinio omnium primo filium, cùm in pretextæ annis occidiſſet hoſtem, bulla aurea donatum conſtat: undè mos bullæ duravit, ut eorum qui equo meruiſſent filii, inſigne id haberent, cæterilorum. Et ideò miror Tarquinii ejus ſtatuam ſinè annulo eſſe.

35 Quanquàm & de nomine ipſo ambigi video: Græci à digitis appellavere, apud nos Priſci angulum vocabant, poſteà & Græci, & noſtri ſymbolum. Longo certè tempore, nè Senatum quidem Romanum habuiſſe aureos manifeſtum eſt. Siquidem his tantùm qui Legati ad exteras gentes ituri eſſent, annuli publicè dabantur, credo quoniam ità exterorum honoratiſſimi intelligebantur. Neque aliis uti mos fuit, quàm qui ex ea cauſa publicè accepiſſent, vulgoque ſic triumphabant. Et cùm corona ex auro Hetruſca ſuſtineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æquè triumphantis, ac Servi fortaſsè coronam ſuſtinentis. Sic triumphavit de Jugurtha C. Marius: aureumque non antè tertium Conſulatum ſumpſiſſe traditur. Hi quoque qui ob legationem acceperant aureos, in publico tantùm utebantur eis, intrà domos verò ferreis. Quo argumento etiam nunc Sponſæ annulus ferreus mittitur, iſque ſinè gemma.

36 Et poſt multa ſubdit de annulorum luxu. Inter Cepionem quoque, inquit, & Druſum ex annulo in auctione venali, inimicitiæ cœpere, undè origo ſocialis belli, & exitia rerum. Nè tùm quidem omnes Senatores habuerunt: utpotè cùm memoria avorum multi Præfectura quoque functi, in ferreo conſenuerint: ſicut Calphurnium, & Manilium, qui Legatus C. Marii fuerit Jugurthino bello, Feneſtella tradit: & multi L. Fuſidium illum, ad quem Scaurus de vita ſua ſcripſit. In Quintiorum verò familia, aurum nè fœminas quidèm habere mos fuit: nulloſque omnino annulos maior pars gentium, hominumque, qui ſub imperio noſtro degunt, hodieque habeat.

37 Non ſignat Oriens, aut Ægyptus etiam nunc, literis contenta ſolis. Multis hoc modis, ut cætera omnia, luxuria variavit, gemmas addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque optimo digitos onerando, mox & effigies varias cælando: ut alibi ars, alibi materia eſſet in pretio. Alius deinde gemmas violare nefas putavit: ac nè quis ſignandi cauſam in annulis eſſe intelligeret, ſolidas induit. Quaſdam verò neque ab ea parte, quæ digito occultatur, auro cluſit, aurumque milibus lapillorum viliùs fecit. Contrà verò multi nullas admittunt gemmas, auroque ipſo ſignant, ut Claudii Cęſaris Principatu repertum. Nec non & ſervitia jam ferrum auro cingunt, alia per ſeſe mero auro decorant, cuius licentiæ origo nomine ipſo in Samothrace id inſtitutum declarat.

38 Singulis primò digitis geri mos fuerat, qui ſunt minimis proximi, ſic in Numæ, & Servii Tullii ſtatuis videmus. Poſteà pollici proximo induere, etiam Deorum ſimulachris: dein iuvit & minimo dare. Galliæ, Britanniæquæ in medio dicuntur uſæ. Hic nunc ſolus excipitur, cæteri omnes onerantur, atque etiam privatim articuli minoribus aliis. Sunt qui tres uni minimo congerant: alii verò & huic unum tantum, quo ſignantem ſignet. Conditus ille ut res rara, & iniuria uſus indigna, velut è ſacrario promitur. Et unum in minimo digito habuiſſe, pretioſioris in recondito ſupellectilis oſtentatio eſt. Jam alii pondera eorum oſtentant. Aliis plures quam unum geſtare labor eſt. Alii bracteas infarcire leviore materia propter caſum tutiùs gemmarum ſolicitudini putant. Alii ſub gemmis venena cludunt, ſicut Demoſtenes ſummus Oratorum Græciæ, annuloſque mortis gratia habent. Hæc Plinius.

39 Verum alio nos quidem titulo in quinta litera *Mariæ* Nominis poſuimus annulum. Scilicet ut indicemus Beatam Virginem Spiritus Sancti Sponſam eſſe, ut ſuprà dicebamus. Sicut enim annulis Sponſæ à viris ſuis ſubarrantur, ut ex tunc ſibi, & nulli alteri coniungere ſe teneantur, ſic & Beata Virgo aureo gratię annulo à Spiritu Sancto ſubarrata, totam ſe illi dicavit, ut nullum præter eum in corde ſuo admiſerit amatorem. Undè & dicere potuit: *Annulo ſuo ſubarravit me Dominus, ut nullum præter eum amatorem admittam.*

40 Indè per annulum, qui in decorem datur, fides maritalis, & dilectio ad ſponſum ſignificatur: & ideò inquit Pierius *lib.* 41 hieroglyphicorum, digito qui minimo lævę proximus eſt, annuli geſtandi munus demandatum, eaque de cauſa nomen illi inditum annulari: erat enim is cordis indicium, ideoque inſtitutum ab Ægyptiis, ut annulo tanquam corona honeſtaretur. Eundem Sacerdotes ad Deorum aras operantes confectis odoribus illinebant: idque propterea ſolitum fieri aiunt, quod diſſectionum periti nervulum quendam à corde natum per dorſum ad eum tendere, & in eo deſinere compererint.

41 Pulchrè autem de hoc aureo gratiæ annulo, quem Beatæ Virgini dedit Spiritus Sanctus, dicere poſſumus quod dicit Albertus Magnus in *Luc. c.* 15. Antiqui antè nos verſus de uſibus, & proprietatibus annuli fecerunt, qui tales ſunt.

Annule deſponſas, pretioſe, puſille, ſigillas,
Clare, teres, digitum dextrum gemmate venuſtas.

Quæ omnia applicari poſſunt Beatæ Virgini Sponſæ Spiritus Sancti: & verba ſimiliter Alberti Magni paucis mutatis. Quod enim deſponſaverit annulus gratiæ *Mariam* Deo, patet, quia datus eſt pro arrabone, & ipſam Deo coniunxit in fide. Undè Epiphanius orat. de *laudib. Virg.* inquit. Sancta enim puella Virgo Maria, eſt Sponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis planè arcanus, cui Gabriel inquit: *Ave gratia plena: Dominus tecum*, ſubiunxit Gabriel. Et Pater miſit arrabonem de Cœlo Spiritum Sanctum, præparavit Virginem unigenito Filio, Cœleſti ſponſo: quam Pater dilexit: Filius inhabitavit: Spiritus Sanctus percupivit.

42 Pretioſus autèm eſt, ſicut dicitur *Eccli.* 32. *Gemmula carbunculi in ornamento auri.* Quia Virginis fides innititur auro ſapientiæ, & carbunculo charitatis, quæ per dilectionem operatur. Puſillus autèm eſt in humilitate ſecundum nomen ſuum: quia *annulus* eſt diminutivum ab *anus*, quod eſt circulus. 1. *Pet.* 5. *Humiliamini ſub potenti manu Dei: ut vos exaltet in die viſitationis.* De ſigillatione autem habetur *Eſther* 3. Ubi literæ Regis ſigillatæ erant annulo ſuo. Et ſignificat impreſſionem imaginis ſummi Regis in corde Virginis. *Cant.* 8. *Pone me ſicut ſignaculum ſuper cor tuum.*

43 Clarus autem eſt annulus iſte in rationibus articulorum. *Sap.* 6. *Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia.* Et ut nihil aliud ſit iu corde Virginis annulatæ à Deo. *Sap.* 7. *Hæc eſt ſpecioſior Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata invenitur prior.* Teres autèm eſt, quia in ſe revertitur propter memoriam æternitatis: ut ſemper in principio amoris ſit illa feliciſſima Virgo, quæ annulata eſt. Et ideò præcipitur *Exod.* 28. ut ſemper annuli parentur in menſa, & in arca, quibus portetur. Ornat Virginis digitum dexterum ad operis diligentiam, & ornatum. *Judith* 10. *Tulit Iudith dextralia, & lilia, & inaures & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe.* Dextralia adhibens ad fortititudinem, lilia in virtutis caſtitatis candorem, & inaures ad obedientiam, annulos autem ad fidem demonſtrandam Et ſic virtutum ornamentis omnibus ſe ornavit. Gemmatus eſt autèm fulgore cœleſtis converſationis, & fulgoris. *Cant.* 5. *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.*

44 Et hæc quidem de annulo fidei, amoris, & charitatis, quo eam ſibi Spiritus Sanctus ſubarravit in Sponſam. Sed quid de annulo ſponſali quem Septimius Florens Pronubum appellat, quo Virginis Sponſæ digitum Sanctiſſimus Ioſeph, Sponſus, & Virgo, ſibi oppignoravit? O non terrenum, ſed cœleſte coniugium, in quo Virginitatis nu-

nuptiæ annulo virgineo Pronubo ſunt celebratæ! Quæ referam tua decora, Annule decore, aut virtutes, ac prodigia? Quæ potentiæ tuæ ſymbola, ac hieroglyphica? Quid tibi cum annulo Gygis Lydorum Regis? Fabuloſam, aut magicam potiùs eius annuli arbitror eſſe naturam. Fuit enim annulus is, ut memorat Rhodiginus *lib.* 3. *antiquar. lectionum*, mirandæ cuiuſdam, & inuſitatæ naturæ. Siquidèm ubi Gyges eius Palam, ſivè fundam malis fuiſſe, nam σφενδόνην hanc Græci vocant, ad palmam converteret, à nullo videbatur, ipſe autem omnia videbat. Idem rurſus videbatur, cùm invertiſſet annulum. Undè *Annulus Gygis* apud Græcos abiit in Proverbium. Hoc autèm non Gygis, ſed annulus Deiparæ Pronubus ſignificare videtur, quod qui *Mariæ* protectionem habuerit, vel eius devotionem tanquàm annulum digito inſeruerit, is profectò & inviſibilis & viſibilis eſſe poterit, hoc eſt, ab incurſu ſpiritalium hoſtium ſe defendere, & bonorum Angelorum famulatu gaudere.

45 Scribit Damis, ut refert Rhodiginus eodem libro, ſapientum Indorum Principum Iarcham, tàm ſcitè, tamque doctè annulos ſeptem compegiſſe, qui & Stellarum ſeptem nominibus eſſent præſignes, ut Apollonium Tianeum dono acceptos ſingulis diebus ſingulos, juxtà dierum nomina eos diſtinguentem geſtaſſe, proditum ſit. Amplius Iarcham id quoque Apollonio inſinuaſſe, Avum ſuum Philoſophiæ myſteriis itidem initiatum, annum centeſimum, triceſimumque vivendo attigiſſe. Id vero annulorum beneficio contigiſſe, quanvis non ſatis conſtanter, graviſſimi Auctores interpretantur. Quinimmò Apollonium ipſum eodem munere, Juventæ nitorem prætuliſſe, quanvis annum jam centeſimum exceſſiſſet. Sed ò veriùs & magis admirandam (ita me Superi adiuvent) annuli Parthenii virtutem! O annulum ſeptem ſtellarum nominibus primæ magnitudinis, hoc eſt, ſeptenis Spiritus Sancti donis inſignitum! Deipara quippe Annulus Summi Regis, quo animas prædeſtinatorum obſignat: ſic enim Ipſi placuit, qui illam ſibi ex omnibus prædeſtinatis in Matrem elegit. Et quos in Æternitate auſpicatos, & fauſtos dies habebit, ſi quis per ſingulos huius vitæ dies annulum hunc portaverit in digito, & per imitationem Mariæ virtutes fuerit æmulatus? Planè Divino hoc munere, ſcilicet Deiparæ ſuffragio, florentem Juventæ nitorem in finem uſque præferet, ideſt, perſeverantem in bonis operibus nitorem, ac floridam venuſtatem; quæ non gravabitur annis, ſed meritis abundabit.

46 Denique narrat eodem loco Rhodiginus, Eudamum quendam profeſſione Philoſophum annulos quoſdam confeciſſe, quorum vis eſſet mira adversùs dæmonia: item ſerpentium morſus, & id genus alia pleraque: inerat iis quoque contrà faſcinationem virtus præclara. Cuiuſmodi poteſtatem ab juvandi præſtantià Græci nuncupant ἀλεξιτήριον. Hoſce annulos dici Phyſicos comperiet, qui quandoque Græcorum adierit monumenta. Quod poſſis magis efficax Mariæ devotus alexiterium habere, quàm annulum eius patrocinii, quo dæmonum ferocia infrœnatur, ut merito per admirationem dicatur à *Iob c.* 40. *Nunquid pones circulum in naribus eius?* Et hoc enunciat affirmativè, prophetico lumine illuſtratus. Ipſa ſiquidem Cœli, terrarumque Regina, inferorum poteſtates ſibi ſubiecit, & pedibus ſuis Draconis caput immane contrivit, Et quid hoc factum tam præclarum? Nimirùm per Divinam potentiam, ab ipſo ſuæ Conceptionis inſtanti, gratiæ prævenientis munimine roborata, ſpiritales debellavit nequitias, & poſito in earum naribus circulo, ſui extulit inſignia triumphi, & ſigna Erebi triumphati.

47 Neque inficias ire poteris: circulus enim idem quod annulus, ſed ſine gemmà. Nam gemmà carentem annulum, ut *lib.* 3. *lection. antiquar.* Rhodiginus notavit, Græcis ἀπείρονα vocari comperies; quaſi tu dicas, *omni carentem fine*. *Apiros* autem intelligitur annulus citrà gemmam concinnatus: & ideò rectè dicitur velut infinitus, quia ſit rotunditatis abſolutæ, nec appareat, undè initia ſumat. Annulos porrò Apiros non novit modò Ariſtoteles 3. *Phyſicæ Auſcultationis*, verùm & qui intelligi deberent, expoſuit, καὶ γὰρ τοὺς δακτυλίους ἀπείρους φασὶ, τοὺς μὴ ἔχοντας σφενδόνην: ideſt: *Annulos vocant Apiros, quibus funda non eſt*. Sermo autem eà in parte contexitur Philoſopho de Infiniti ratione. Salnè ſis igitur Deipara, quæ annuli tui potentià, quam à Deo participatam habuiſti, larvales dæmonum nares illigatas perforaſti. Neque tamen Annulus tuus gemmà caret, cum ſis Orbis terrarum margarita, ſivè pretioſus carbunculus in ornamento auri, & abſolutę rotunditatis circulus ad perfectionis decorem, ut nihil tibi deſit vel ad gloriæ, vel virtutis, & poteſtatis ornamentum. O annulum! O circulum! Annulus hic erit tibi, Lector, alexipharmacum contrà peccati venenum, & tentationum morſus. Quid ſi faſcinatio nugacitatis obſcuret bona? Eccè adverſus faſcinum nugacium ſenſuum potentiſſimum amuletum.

48 Si autem quæras quanam in Urbe tam pretioſum donarium ſit repoſitum, teſtatur Urbanus Octavus in eo Epigrammate, quod inſcribitur *De Pronubo Deiparæ Virginis Annulo*, Peruſiæ religioſiſſimè aſſervari. O ter, & quater Peruſia felix, cui de Cœlo datum eſt tam pretioſum poſſidere theſaurum, tàm eximio honore gaudere, & tam forti, ac fortunato muniri præſidio. Penè dixerim cœleſti ſponſo Te Virginis annulo deſponſatam. Fruere dono, Eius pretioſitate diteſce, & quem venerabunda adoras annulum, prò Religionis teſſerà, & devotionis ſigillo, tabulis cordis inſculpe. Interim Urbani Lyra Annuli Parthenii dotes, tuæque fidei, ac pietatis monumenta canat.

Imbriferis Arcus fulgens in nubibus Orbem
Effera diluvii damna timere vetat.
Sic Deus Omnipotens voluit: decus Annule maius
Eſt tibi, quem ſupplex Vrbs Peruſina colit.
Es gemino conſtans arcu felicior index:
Nam peragit Virgo nupta ſalutis opus,
Virgineo terræ coniungens fœdere Cœlum.
Hac duce non pelagi, non Stygis unda nocet.

CA-

CAP. VII.

De nonnullis aliis mulierum ornamentis, quibus perfectiones Beatæ Virginis exprimuntur.

1 TAm varia eſt, ac pretioſa fœminarum ſupellex, ut de ipſis dic poſſit illud *Pſal.* 143. *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi*. Quemadmodum enim dicitur 1. *Machab.* 4. *Ornaverunt faciem templi coronis aureis*: ità nec ipſis ſatis eſt velis aureis caput induere, niſi etiam, ut Plinius aiebat *lib.* 33. *c.* 3. habeant fœminæ aurum in armillis, digitiſque totis, collo, auribus, ſpiris: diſcurrant catenæ circa laterà, & inſerta margaritarum pondera è collo Dominarum auro pendeant, ut in ſomno quoque Unionum conſcientia adſit. Etiamnùm pedibus induitur, atque inter ſtolam, plebemque hunc medium fœminarum equeſtrem ordinem facit.

2 Hinc monilia, gemmis, margaritiſque baccata, hinc diverſa veſtium genera pretioſi ſtaminis, auroque intexta, hinc retia aurea ad coercendos crines, hinc auratę aurium inaures, hinc & brachiorum armillæ auri fulgore nitentes. Miror tam exiguum fimi pugillum tanto excoli pretio, tantoque impendio conſtare. Sed in Beata Virgine myſtici decentiam ornatus valdè admiror, atque ſuſpicio, ut ea quæ in animo latebant ornamenta virtutum, etiam in literis ſui Nominis aperte præferret. Si enim Sacri Notaminis elementa rimeris, in *Maria* profectò diverſorum reperies ornamentorum œconomiam, quæ hoc ipſum Nomen componunt, nempè:

M onile.
A mictus.
R eticulum.
I naures.
A rmillæ.

Et ò quàm pulchra illius collum monilia exornant? Quam prætioſæ veſtes illam præcingunt? Quàm decorum reticulum eius crines aſtringit? Quam venuſtæ inaures à Virginis auribus dependent? Quàm decoræ armillæ eius brachia venuſtant?

§. I.

Quas virtutes Monile ſignificet in B. Virgine.

3 MOnile, ut à vocis etymo exordiamur, ait Iſidorus *lib.* 19. *Origin. c.* 31. ornamentum ex gemmis eſt, quod ſolet ex fœminarum pendere collo, dictum *à munere*. Hoc etiam & ſerpentum dicitur, quia conſtat ex amphorolis quibuſdam aureis, gemmiſque variis, in modum facturæ ſerpentis. Nonnulli hoc & ſegmenta, & longos habitus (alias ambitus): licet & ſegmentatas veſtes dicamus; ut ipſa: *Et ſegmentatis dormiſſet parvula cunis*. Plerunque autem & per omnia ornamenta matronarum ſignificantur, quicquid illis munere datur. Undè & & in *lib. differentiar. num.* 382. diſtinguit inter Monile, & Munile, dicens. *Monile* dicitur *harpago*, *à monendo*: eò quod moneat, mulierem eſſe ſub poteſtate viri: *Munile* verò dicitur veſtimentum; *à muniendo*.

4 Quid igitur monile deſignet virtutis in Dei Matre, poſſumus ex Sponſi verbis eruvere *Cant.* 1. dicentis ad ipſam. *Collum tuum ſicut monilia*. Ubi per monilia videtur interpretari Virginis obedientiam. Sicut enim monilia totum collum ambiunt, & complectuntur: ſic obedientia totam Deiparam, omneſque eius actiones, totamque vitam complexa eſt, ut nihil Ipſa egerit, niſi quod Deo libuit. Pulchrè Alanus apud Del Rio *ſect.* 2. *in c.* 1. *Cant.* Per collum, inquit, quod inclinare ſolemus in obedientiæ ſignum, ſignificatur obedientia, & ſubiectio, quam Chriſto exhibuit, prò eò quaſi jugum Chriſti accepit, & fidei eius obedientiam præbuit. Ornamentum ergò cervicis, quæ eſt obedientia, Chriſtus eſt. Ipſe enim prior *factus eſt obediens uſque ad mortem*. *Philip.* 2. Exornatio ergò, & monile cervicis eius, ideſt, obedientiæ Virginis, obedientia Chriſti eſt, ſed & cervix eius, ideſt, obedientia, ſimilis facta eſt obedientiæ Chriſti, quæ eſt monile Chriſti. Magna ergò in hoc laus *Mariæ*, magna eius gloria, quod imitatio eius gloriæ exæquatur obedientiæ Chriſti, quam imitatur illa: Hactenus Alanus

5 Tres verò Patres apud Theodoretum per monile intelligunt humilitatem: & quia monile multis gemmis eſt ornatum, ideò & Deiparæ humilitas per monile figurata numeroſas virtutum colonias deſignat, quæque ſingulæ virtutes in eius humilitatis inſertæ monili reſplendent, Planè eorum verba Deiparæ accommodata omnino eſſe videntur. Aiunt enim. Collum pulchrum effectum eſt ſicut monilia. Neque enim tibi ferreum eſt collum, ut propter ſuperbiam flecti nequeat, ſed propter modeſtiam facilè verti poſſit, ut monilia ex auro elaborata: cuius quidem auri probitatem, ac puritatem, humilitas tua ſimplicitate non ficta imitatur, quod ſi minimè ſimulatam humilitatem monile ſignificat, ut dictum eſt, Sponſæ Chriſti collum tanquam monilia commendatum, & virtutum indicat multitudinem, & implicitam in ſingulis virtutibus humilitatem.

6 Studeant ergò Matronæ prò libito ſuo, ut decorem ſibi concilient, torquatis collum ornare monilibus, & margaritarum corona. Sed hæc Virgo Sponſa externis hiſce ornamentis non eget, nec illa quærit, ſed gemmata virtutum monilia, in quibus radiant ſanctitatis, ac perfectionis ſplendores. Bonum monile eius patientia in adverſis, bonum monile puritas, ſivè implicitas, bonum monile abſtinentia, & temperantia, bonum planè monile veritas in moribus, & juſtitia in operibus, quibus omnibus Dei Mater ad decorem venuſtatur. Indè enim dictum eſt monile, quod vir-

virtutis admoneat. Nam primitus ob aliquod egregium facinus iuvenibus dari ſolebat ingenuis, Ovidio teſte, qui *lib.* 10. *Metamor.* dicit:

Dat digitis gemmas, Dat longa monilia collo.

7 Denique Rupertus per monilia, quibus collum Beatæ Virginis exornatur, ipſius prudens, ac cautum ſilentium intelligit, quo verba ſua moderabatur. Undè *lib.* 1. *Commentar. in Cant. c.* 1. inquit. *Collum tuum* ſic eſt *ſicut monilia*: Sic enim monilia muniunt matronarum pectora pudica, undè & dicuntur monilia, eò quòd pectus muniant, nè quis extraneus, ideſt, impudicus, manum ſuam iniiciat: ità & collum tuum munit verba tua, non ſolùm nè quid ocioſum, aut noxium, ſivè inordinatum per vocem erumpat; verùm etiam nè ipſum bonum tuum, ſecretum tuum, divinum myſterium tibi creditum, leviter viam, vel vocem inveniat, ut auris aliena, ſivè filia aliqua, quanvis videatur eſſe filia Ieruſalem, quæ fortè cuſtodire neſciret huiuſmodi margaritas, ſicut cuſtodiri oporteret propter porcos, maximeque propter Herodem, & eius complices, intelligat. Verè igitur pulcherrima mulierum, pulcherrima in genis, pulcherrima in collo, ideſt, tam oculorum, quam verborum tuorum moderamine decentiſſimo. Hæc Rupertus. Sed de monilibus aliàs plura. Couſule *Tom.* 3. de Interpretatione, verbo *Collum*.

§. II.

Per Amictum varietas virtutum Beatæ Virginis præſignatur.

8 PArcant mulieres, ſi earùm in veſtibus carpimus vanitatem. Neque enim ipſas ſolum, ſed etiam Viros hæc tangit inſania. Ut planè jam & ipſi homines veſtimentorum abuſu effœminentur. Bilem Plinius in utrumque ſexum continere non poteſt, quin dicat *lib.* 9. *c.* 35. Sed quota hæc portio eſt reputantibus purpuras, conchylia, margaritas? Parum ſcilicet fuerat in gulas condi maria, niſi manibus, auribus, capite, toto corpore, à fœminis juxtà Viriſque geſtarentur? Quid mari cum veſtibus? Quid undis, fluctibuſque cum vellere? Non rectè recipit hæc nos rerum natura niſi nudos. Eſto, ſi tanta ventri cum eo ſocietas, quid tergori? Parum ſit, niſi qui veſcimur periculis, etiam veſtiamur. Adeò per totum corpus, animà hominis quæſita maximè placent.

9 Quid dicam de veſtium æmulatione cum floribus, ut non ſatis ſit illos in odoramentis fragrantibus æmulari, niſi etiam in coloribus imitentur? Propterea idem Plinius hanc injuriam naturæ graviter ferens lib. 21. c. 8. aiebat. In quibus unguento viciſſe naturam gaudens luxuria, veſtibus quoque provocavit eos flores, qui colore commendantur. Hos animadverto tres principales. Unum in cocco, qui in roſis micat. Gratius nihil traditur aſpectu, & in purpuras Tyrias, dibaphaſque, ac Laconicas. Alium in amethiſto, qui in viola: & ipſe in purpureum, quemque janthinum appellavimus. Genera enim tractamus, in ſpecies multas ſeſe ſpargentia. Tertius eſt, qui propriè conchylii intelligitur, multis modis: Unus in heliotropio, & in aliquo ex his plerunque ſaturatior. Alius in malva, ad purpuram inclinans. Alius in viola ſerotina, conchyliorum vegetiſſima. Paria nunc componuntur, & natura, atque luxuria depugnant. Lutei video honorem antiquiſſimum in nuptialibus flammeis totum fœminis conceſſum. Et fortaſſis ideò non numerari inter principales, hoc eſt, communes maribus, ac fœminis, quoniam ſocietas principatum dedit.

10 Pudet tot veſtium ſpecies referre, ſericas, byſſinas, laneas, undulatas, papaveratas, acu pictas, auro intextas, attalicas, phrygionicas, babylonicas diverſis picturæ coloribus variatas, quas nè teramus tempus in indumentorum luxu, ſilentes præterimus. Convertimur ergò ad myſtica Deiparæ indumenta, & de unico tantùm amictu, quem ſibi, ſerviſque ſuis comparavit, brevitatis compendio loquemur. Hic autem amictus eſt illa veſtis ſtrangulata fortiſſimæ mulieris *Prov.* 31. in qua breviarium quoddam omnium reperitur virtutum.

11 De hoc ſingulari amictu agit Albertus Magnus lib. 2. de laudib. B. Mariæ c. 1. num. 15. cujus ſunt ſequentia verba. Largitur etiam quibuſdam ſpecialibus ſuis veſtem quaſi de eodem panno, quo induta eſt, de qua dicitur *Prov.* 31. *Stragulatam veſtem fecit ſibi*, &c. Et hoc procedit ex maximo affectu miſericordiæ, quod notatur per hoc, quòd hæc auctoritas continetur ſub litera *Mem*, quod interpretatur *viſcera*: quia per hoc maxima miſericordiæ viſcera nobis oſtendit.

12 *Stragula* dicitur *à ſtragos*, quod interpretatur *talus*, vel *varium*. Veſtis ergò ſtragulata eſt converſatio talaris per perſeverantiam; varia, vel polymita, ut tunica Joſeph, propter gratiarum, donorum, vel bonorum operum varietatem, ut talis anima dici poſſit circumamicta varietatibus. Vel ſtragulata, quaſi varietate picturæ, vel texturæ firmiter compoſita. Et hoc vult Gloſſa, qualis ſolet dici Broſdata. Vel texta firmiter propter charitatis, quæ nunquàm excidit, indiſſolubilitatem: quia aquæ multæ tribulationum non potuerunt extinguere charitatem. Vel ſtragulata, ideſt, varia, & diverſorum colorum, quibus ſignificatur diverſitas virtutum, ſcilicet caſtitas, humilitas, patientia, & hujuſmodi. Hæc eſt veſtis polymita Joſeph. Et dicitur *ſtragulata*, à *ſtragulo*, quod eſt pannus, qui ſuperponitur lecto, & ſedili, & dicitur tapetum in Gallico. Unde 4. *Reg.* 8. *Tulit Azael ſtragulum*, &c.

13 *Fecit ſibi*: quia à ſe debet incipere. *Byſſus, & purpura indumentum eius.* Byſſus candidam ſignificat innocentiam: purpura ſanguinei coloris, patientiam. Quandò enim exemplo Domini patitur innocenter, tunc coram Domino ornatur eius anima eleganter.

14 Vel ideò ſtragulum: quia etiam in ſtratu, & in amictu idoneum ſit, ſicut dicit Iſidorus. Vel ſtragulata veſtis, gratia religioſæ converſationis, quæ principaliter conſiſtit in tribus. In continentia membrorum, in obedientia mandatorum, & in tolerantia perſecutorum. *Stragulata* enim, ſicut quidam dicunt, vel volunt, dicitur quaſi *triangulata*. Tres anguli ſunt, animi devotio, proximi compaſſio, & carnis mortificatio. Vel tres anguli, laus Dei, utilitas ſui, exemplum proximi. Primum ad Deum, ſecundum ad proximum, tertium ad ſeipſum. Veſtitus eſt ergò veſte ſtragulata, qui tria hæc intendit in verbis, & in operibus ſuis.

15 Omnibus iſtis modis veſtem ſtragulatam fecit ſibi *Maria*. Habuit enim varietatem donorum, & gratiarum; miniſtrationum, & operanum; manifeſtationem ſpiritus; ſermones ſapientiæ, & ſcientiæ; fidem, & gratiam ſanitatum; operationes virtutum; prophetias, diſcretiones ſpirituum; genera linguarum, interpretationes ſermonum, & cætera hujuſmodi, quæ enumerantur 1. *Corint.* 12. Item habuit differentias virtutum, ſcilicet Juſtitiam, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, & cæteras univerſas, & ſingulas.

16 Item habuit differentias graduum: quia fuit Angelica cum Angelis, Propheta cum Prophetis, Apoſtola cum Apoſtolis, Martyr cum Martyribus, contemplatrix cum Confeſſoribus, Virgo cùm Virginibus: & hæc omnia ſuperexcellenter. Undè *Prov.* 31. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.*

17 Item habuit differentias ſtatuum: quia fuit Virgo, Conjugata, & Vidua mortuo Joſeph. Item habuit differentias vitarum: quia fuit activa, & contemplativa; Lia, & Rachel, Maria, & Martha. Item habuit differentias meritorum, & prçmiorum: priùs humilis Ancilla, tandè ſublimis Regina.

18 Dicitur ergò ſtragulatam veſtem fecit ſibi, ſcilicet qua ornaretur, non ad inanem gloriam, ſed ut placeret Sponſo ſuo: hypocritæ enim faciunt veſtes non ad ſe ornandum, ſed ad vendendum pretio laudis humanæ. Nota quòd aliqui libri habent: *Stragulam veſtem fecit ſibi*. Et eſt idem quod veſtis polymita, ſeù exſamica, ideſt, pluribus filis texta. De hoc legitur 4. *Reg.* 8. *Tulit Azael ſtragulum*, vel *ſtragulam, & fudit aquam*.

19 Sequitur de veſtitu *Mariæ*, & fidelis animç: *Byſſus, & purpura indumentum ejus*. Per byſſum retortam candor conſcientiæ, & innocentia vitæ. Per purpuram, patientiam intellige. Vel byſſus, caſtitas, purpura, charitas. Vel byſſus, virginitas: purpura, martyrium. Moraliter byſſus, quæ multis tunſionibus pervenit ad candorem, carnis caſtigatio. Purpura ſolis Regibus conveniens, cœleſtium contemplatio. Hactenùs Albertus Magnus.

§. III.

Quid de Reticulo ad Virginis laudes ſentiendum.

20 REticulum fœminei capitis ornamentum, ut tradit Iſidorus lib. 19. origin. c. 31. eſt quod colligit comas, dictum ab eo, quod retinet crines, nè effundantur. Eſt autem notandum, quòd *Eſa.* 3. prò Reticulo habemus *Vittas*, quas Divus Thomas in *Eſa.* interpretatur *Pepla*. Undè inquit. Ad operiendum ornamenta capitis, *Vittas*, ideſt, *Pepla*. Vel meliùs dicendum, quòd dicuntur ligamenta, quibus mulieres ligant capillos ſuos ad modum retis facta; & ſic accipitur *Exod.* 24. *Colligabiſque eam vitta hyacinthina*, ſcilicet laminam de auro puriſſimo, ubi ſcriptum erat nomen ſecundum Domini. Et Baſilius manifeſtè prò *Vittis*, & *Peplis*, ex Grçco legit *reticulum aureum*, ut patet ex ejus commentariis in *Eſa. c.* 3. Primò enim inquit: Porrò illud εμπλοκιον videtur innuere genus quoddam textile, & implexum, complicandis capillis accommodum, ut præſtantia coloris capillorum excitaret colorem. Et nemini quidem parum hçc decora videantur. Non enim non ſumus Spiritu Sancto pudiciores, ut indignum cenſeamus in Sacra Scriptura dictiones etiam ipſas multa cum ſedulitate perſcrutari. In Canticis enim Sponſæ cùm primis commendatæ didicimus ipſum etiam εμπλοκιον poſitum eſſe ad commendationem gravitatis ejus, ac pudicitiæ. Ait enim *Cant.* 7. *Caput tuum ſicut Carmelus, & diſcriminale capillorum capitis tui, ut purpura*. Et infrà exponens illud: *Et erit prò criſpanti crine calvitium*: quod ipſe legit hoc pacto: *Prò ornatu verò capitis aureo, calvitium habebis propter opera tua*: apertè declarat vittas, & Pepla eſſe quædam reticula aurea, quibus mulieres capitis ſui comas exornant. Conſimili, inquit, ratione in nativo ornatu capillorum non permanſerunt, ſed aureis quibuſdam reticulis capillos (qui mulieribus dati ſunt prò velamine) complicantes, ſeipſas ad faſtidium uſque adornabant: denique etiam nativo hoc ornatu ſpoliatæ ſunt, & factæ hominibus ipſa depulſione capillorum, ſpectaculum prçter omnem modum deforme, quòd ab ipſa natura ornatus hic crinium proprius fuerit eis, & congener. Si enim turpe mulieri eſt tonderi, & raſitari: quantò certè turpiùs eſſe recalvaſtram? Rem facit magnoperè conducibilem, inducens deformitatem eis, quæ tam malè afficiebantur naturali ſua pulchritudine. Hæc Baſilius.

21 Quid ergò? Meritò illis pœna eſt, quod voluptas fuit, & delectatio, retibus ſcilicet aureis amantium irretire corda ſtultorum. At tu prudentiſſima Virgo aliis quidem vittis, & peplis, aliis retibus aureis capillorum tuorum pulchritudinem complicaſti, quibus præcordia Dei vincires. Bonæ quidem vittæ, leges diſciplinæ optimè cuſtoditæ; aurea pepla, filialis Dei timor, reticula deaurata, dilectio charitatis, quæ eſt vinculum perfectionis. Hic capillorum tuorum cultus, hic comarum tuarum ornatus. Sed quæ comæ tuæ, qui capilli tui, niſi ſpiritales cogitationes, ſanctæque meditationes? Has comas reticulis aureis vinciebas, ut apparerent, & laterent.

22 Liceat ergò comarum tuarum venuſtatem inter aurea reticula contemplari cum Alberto Magno *lib.* 5. *de laudib. B. Mariæ c.* 2. *num.* 4. Benè autem, inquit ipſe, cogitationes Virginis comis comparabiles ſunt, & capillis, propter multas proprietates capillorum. Capilli Mariæ, id eſt, cogitationes, ſunt Graciles humilitate. Molles benignitate. Undè dicit cum filio *Ierem.* 29. *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Eſa.* 32. *Prin-*

ceps ea quæ digna ſunt Principe, cogitabit: ſcilicet quod ad honorem Dei, & utilitatem proximi. Flexibiles obedientia, & compaſſione. Exangues ſine carnali affectione. Inſenſibiles patientiæ lenitate. Subtiles ineffabili Deitatis contemplatione. *Sap. 5. Cogitatio eorum apud Altiſſimum. Sap. 6. Cogitare de illa ſenſus eſt conſummatus.* Tenues voluntaria paupertate. Macilenti & abſtinentia, & ſobrietate. Longi perſeveranti finalitate. Inſonori, non remurmurantes in tribulatione. Rotundi, æternitatis deſiderio, & amore. Jugiter creſcentes, continua melioratione.

23 Quandoque ſe erigentes, æternorum inquiſitione, cœleſtium contemplatione, intentionis rectitudine. Ideò comparantur comæ ejus elatis palmarum. Quandoque ſe demittentes, ſui ipſius diſcuſſione. Quandoque criſpantes. Quandoque quaſi ſuper humeros *defluentes*, id eſt, *deorſum fluentes* pia compaſſione. Humeri Eccleſiæ ſunt, qui piè ſupportant onera infirmitatis fraternæ; & ſuper tales quandò affliguntur, pia Virgo pia geſtat viſcera. Quandoque ſimul conſtricti ſtudio diſciplinæ. Sæpiùs abluti lachrymoſa, & devota filii, & cœleſtium recordatione. Pexi, & deſcriminati ordinatiſſima diſcretione. Undè *Luc. 1. Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Eccè diſcretio.

24 In capite, id eſt, Chriſto capite aureo, radicati fide, ſpe, & charitate. Ipſi capiti immediatè adhærentes, ſincera dilectione, quæ amantem unit amato. Ab ipſo capite inferiùs dependentes, vera humiliatione. Undè dicebat: *Fecit mihi magna qui potens eſt*. Item: *Gratia Dei ſum id quod ſum*. Ipſum caput, à quo oriuntur, ideſt. Chriſtum præcipuè adornantes glorioſa magnificatione. Undè: *Magnificat*, &c. 1. *Corinth. 9. Mulier gloria eſt Viri*. Ipſum caput, à quo oriuntur, calefacientes pia oratione: *Mariæ* enim eſt Abiſag, quæ pedes, id eſt, affectus veri David frigeſcentes calefacit ad amorem noſtrum. 3. *Reg.* 1.

25 Quandoque in tricam collecti, Trinitatis, & Unitatis fide. Quandoque mitra, vel peplo, ſeù Capitegio coerciti, ſecretorum cordis abſconſione. Fulvi, crocei, ſivè aurei per charitatem. Candidi, vel quaſi argentei per caſtitatem. Nigri, & quaſi Corvini per pœnitentiam, vel dolorem. *Cant. 5. Coma ejus nigra ſicut Corvus*. Quaſi caneſcentes per ſapientiam, maximè quandò poſt filii aſcenſionem contulit cum Apoſtolis de veritate, & tota ſerie Evangelii. Quaſi rutilantes per filii patientis amariſſimam compaſſionem, & ipſius paſſionis jugem recordationem: quaſi enim tinctæ erant cogitationes Virginis in ſemper recenti memoria Dominicæ paſſionis.

26 Hujuſmodi capillis, ideſt, meditationibus, & cogitationibus ſanctis ornabatur coram Deo mens ipſius Beatæ Virginis, & erat magna pars illius internæ pulchritudinis, quam Rex regum Chriſtus Dominus concupivit, & dilexit. Item in his capillis caput ipſius, ideſt, mens ab omni frigore infidelitatis, & ab omni æſtu cujuſlibet concupiſcentiæ protegebatur: & horum gratia ipſi Deo Trinitati, & ſanctis Angelis amabilis, & appetibilis videbatur. Undè & dicebant ei *Cant. 6. Revertere Sunamitis, ut intueamur te.*

27 Moraliter. Sanctæ cogitationes mentem, ex qua oriuntur, calefaciunt, protegunt, & exornant, ſicut dictum eſt ſupra, & maximè cùm ad mentem reducitur anguſtia Dominicæ paſſionis, quæ eſt armatura ſufficiens contrà infeſtationem omnimodæ tentationis, ſicut dicitur 1. *Pet.* 4. *Chriſto in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini*. Spirituale verò Calvitium, quod eſt carere hujuſmodi cogitationibus, & meditationibus ſanctis, caput animæ, id eſt, mentem peſſimè deturpat, & maximè dehoneſtat, & exponit illud gelicidio infidelitatis, & caumati cujuslibet tentationis: & ideò comminatur Dominus filiabus Sion, ideſt, animabus peccatricibus, & ſuperbis. *Eſa. 3. Erit prò criſpanti crine calvitium*, &c.

28 Item ratione capillorum comparatur *Maria Cant. 4. Cypri cum nardo, nardus, & crocus*, &c. Crocus enim crines habet aureos, quales ad literam Virginem credimus habuiſſe, & tales vidimus in reliquiis apud Rothomagum. Verè enim cogitationes ejus fuerunt aureæ: quia dependentes, & ortum habentes in capite aureo Deitatis, ut ſupra dictum eſt, & charitativè patientes, ſapientes, & obedientes, quæ omnia notantur in auro.

29 Item *Cant.* 4 dicitur Virgini: *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad*. Greges caprarum, ideſt, caprearum, ſunt greges omnium contemplativorum, qui acie contemplationis acutè vident ut Capreæ, & ad viſionem cœleſtium aſcendunt de illo, & per illum, qui eſt mons montium, qui eſt mons Galaad, in ſe coacervans omnia teſtimonia Scripturarum: nam *Galaad* interpretatur *acervus teſtimonii*. His autem gregibus univerſis comparantur capilli Virginis, ideſt, ſpirituales ejus cogitationes, ſubtiles, & capiti ſuo Chriſto ſuaviter adhærentes: nàm ipſa ſubtiliùs, quàm univerſi greges contemplativorum, oculo contemplationis ſummæ Divinitatis penetravit arcana. Huc uſque Albertus Magnus. Qui omnia tàm benè omnia & pepla, & reticula aurea, quibus capilli Virginis includuntur, tetigit, & explicavit, ut nihil ultrà addere opus ſit.

§. IV.

Quid ſignificent Inaures in Beatæ Virginis ornatu.

30 MAxima gloria fœminarum eſt in ornamentis ſuis, ſi ex aurium inauribus pendentes, ac ſuſpenſos uniones gerant. Quarum inſanam aviditatem, avidiſſimamque in hac parte inſaniam meritò ſuccenſet Plinius, & carpit. Nam *lib. 9. hiſt. natur. c. 35.* effuſum in unionibus mulierum luxum ità deſcribit. Proceriores Uniones, Elenchos appellant faſti-

gita longitudine, alabaſtrorum figura in pleniorem orbem deſinentes. Hos digitis ſuſpendere, & binos, ac ternos auribus, fœminarum gloria eſt. Subeunt luxuriæ ejus nomina, & tædia exquiſita perditione portatu: ſiquidem cùm id fecere, crotalia appellant, ceù ſono quoque gaudeant, & colliſu ipſo margaritarum. Affectantque jam & pauperes, lictorem fœminæ in publico unionem eſſe dictitantes. Quin & pedibus, nec crepidarum tantùm obſtragulis, ſed totis ſocculis addunt. Neque enim geſtare jam margaritas, niſi calcent, ac per uniones etiam ambulent, ſatis eſt. Et infra.

31 Lolliam Paulinam, quæ fuit Caji Principis Matrona, nè ſerio quidem, ac ſolemni ceremoniarum aliquo apparatu, ſed mediocrium etiam ſponſalium cœna, vidi ſmaragdis, margaritiſque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus, digitiſque, quæ ſumma quadringenties H-S. colligebat: ipſam confeſtim paratam nuncupationem tabulis probare. Nec dona prodigi Principis fuerant, ſed avitæ opes, Provinciarum ſcilicet ſpoliis partæ. Hic eſt rapinarum exitus: hoc fuit quarè M. Lollius infamatus Regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia à Caio Cæſare Auguſti filio, venenum biberet, ut neptis ejus CCCC. H-S. operta ſpectaretur ad lucernas. Computet nunc aliquis ex altera parte, Quantum Curius, aut Fabricius in triumphis tulerint: imaginetur illorum fercula, & ex altera parte Lolliam unam Imperii mulierculam accubantem: non illos curru detractos, quàm in hoc viciſſe malit.

32 Nec hæc ſumma luxuriæ exempla ſunt. Duo fuere maximi uniones per omne ævum, utrunque poſſedit Cleopatra, Ægypti Reginarum noviſſima, per manus Orientis Regum ſibi traditos. Hæc, cùm exquiſitis quotidiè Antonius ſaginaretur epulis, ſuperbo ſimul, ac procaci faſtu, ut Regina meretrix lautitiam ejus omnem, apparatumque obtrectans, quærente eo quid aſtrui magnificentiæ poſſit, reſpondit, una ſe cœna centies H-S. abſumpturam. Cupiebat diſcere Antonius, ſed fieri poſſe non arbitrabatur. Ergò ſponſionibus factis, poſtero die quo judicium agebatur, magnificam aliàs cœnam, nè dies periret, ſed quotidianam Antonio appoſuit, irridenti, computationemque expoſtulanti. At illa corollarium id eſſe, conſumpturamque ſe ea in cœna taxationem confirmans, ſolamque ſe centies H-S. cœnaturam, inferri menſam ſecundam juſſit. Ex præcepto miniſtri unum tantùm vas antè eam poſuere aceti, cujus aſperitas, viſque in tabem margaritas reſolvit. Gerebat auribus cùm maximè ſingulare illud, & verè unicum naturæ opus opus. Itaque expectante Antonio quidnam eſſet actura, detractum alterum merſit, ac liquefactum abſorbuit. Iniecit alteri manum L. Plancus judex ſponſionis ejus, eum quoque paranti ſimili modo abſumere, victunque Antonium pronunciavit, homine irato. Comitetur fama ejus Unionis parem, capta illa tantæ quæſtionis victrice Regina diſſectum, ut eſſet in utriſq; Veneris auribus in Pantheo dimidia eorum cœna.

33 Hæc igitur ſunt fœminei luxus trophæa. Sed quid inaures ad rem noſtram? *Inaures*, inquit Iſidorus *lib. 19. Origin. c. 31. ab aurium foraminibus* nuncupatæ, quibus pretioſa genera lapidum dependuntur. Harum uſus in Græcia: puellæ utraque aure, pueri tantùm dextra gerebant. Quid autem inaures deſignant? Gregorius reſpondet obedientiam. Unde *lib. 35. Moral. c. 9.* exponens illud *Iob 42. Et dederunt ei unuſquiſque ovem unam, & inaurem auream unam*, inquit. Quid per ovem niſi innocentia, quid per inaurem niſi obedientia deſignatur? Per ovem quippè ſimplex animus, per inaurem verò ornatus humilitatis gratia auditus exprimitur.

34 Et immediatè *c. 10.* quærens cur ovis, & inauris ſimul oblatæ fuerint ipſi Job, nec una ſinè altera, ſed utraque conjunctim, reſpondet; quòd innocentiæ ſemper comes eſt obedientia, & quòd hæc illius eſt ornamentum. Notandum verò eſt, inquit, quòd hoc loco cum inaure ovis, cum ove inauris offertur, quia nimirùm innocuis mentibus ornamentum ſemper obedientiæ jungitur: Domino atteſtante, qui ait: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Ioan.* 10. Beato igitur Job nemo inaurem ſinè ove: nemo ovem ſinè inaure obtulit: quia profectò Redemptori ſuo non obedit, qui innocens non eſt: & innocens eſſe non poteſt, qui obedire contemnit. Quia verò ipſa obedientia, non ſervili metu, ſed charitatis affectu ſervanda eſt; non terrore pœnæ, ſed amore juſtitiæ, cuncti qui ad convivium veniunt, auream inaurem obtuliſſe perhibentur: ut videlicet in ea, quæ exhibetur, obedientià charitas fulgeat, quæ virtutes omnes, quaſi auri more cætera metalla tranſcendit.

35 Hinc & apud Berchorium in Dictionario Inaures multas alias ſignificant virtutes, & præcipuè obedientiam. Nota, inquit, quòd inauris erat inſtrumentum, ſeù ornamentum, quo antiqui in ſuis auribus ornabantur. Antiqui enim in omnibus membris exterioribus conſueverant habere aliqua ornamenta, ſicut torquem in collo, inaurem in aure, & cætera ſimilia. Moraliter autem per inaures intelliguntur illæ virtutes, quibus auris, ideſt, auditus ornatur, ſicut eſt patientia, & verecundia, diligentia, & obedientia. Patientia enim, & verecundia aures inclinant, & deprimunt. Attentio verò, ſeù diligentia, & obedientia aures acuunt, & erigunt. *Prov. 25. Inauris aurea, & margarita fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem.*

36 Hæ ſunt inaures pretioſæ, quæ B. Virginem decorarunt. Hi Elenci, atque pretioſiſſimi Uniones in rotunditatem ſphæricam deſinentes ab ejus auribus dependebant. Pulchræ margaritæ, quæ Ipſius aures perforatas & exornant, & ditant. Auro quoque, de quo inaures fabricantur, ejus aures ornantur: quia præmium obedientiæ fulgor claritatis æternæ. *Prov. 25. Inauris aurea*, &c. Has inaures Rebecca geſtavit Iſaac copulata conjugio *Geneſ.* 24. ſcilicet Beata Virgo ſociata Deo fœdere ſempiterno.

37 Et rectè quidem per aureas inaures obedientia *Mariæ* ſignificatur, quia Ipſius anima ad inſtar auri, & metalli liquefacti in omnes modulos

divinæ voluntatis decurrere parata fuit. Undè & Ipſa dicit *Cant.* 5. *Anima mea liquefacta eſt*, per incendium ſcilicet charitatis. Et notat Albertus Magnus lib. 4. de laudib. B. *Mariæ* c. 28. quòd proprium eſt metalli liquefacti deſcendere. Sic fecit *Maria* obediendo, cùm poſtulata in Matrem Dei, quod fuit ei ſumma dignitas, ſe nominavit Ancillam, quod fuit ſumma humilitas. Et ideò animę ſuę attribuit liquefactionem, quæ eſt propriè metalli.

38 Vel poſſumus dicere cum eodem Alberto Magno loco citato, quòd ratione obedientiæ poteſt Ipſa dicere cum filio ſuo illud *Eſa.* 50. *Erige mane, manè erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem*, &c. Eleganter verba diſpoſuit, cùm priùs ſibi erectam aurem perhibuit, quàm apertam. Erectam habet aurem, qui non ad rumurculos ſingulares, vel ad eloquium de terra muſſitans, ſed ad ea quæ de ſursùm ſunt, paratum habet auditum, quibus bonum eſt aurem aperiri. Depreſſa eſt enim auris, quæ verbis ſecularibus diligenter attendit.

Manè dicit *Maria* erectam ei aurem, quæ ab initio ætatis ad verba cœleſtia paratum habuit auditum, & docuit nos habere. Erexerat autem, & aperuerat Dominus auditum *Mariæ*. Undè quaſi juvencula erectam aurem habens facilè, & libenter ſuſcepit verba Angelica, in quibus turbata eſt, quæ etiam nullum verbum audiſſe legitur in Evangelio antè illud. Et ab auditu ipſius initium ſumpſit reparatio noſtra, ut intraret remedium undè irrepſit morbus, & per eadem veſtigia ſequeretur vita mortem, lux tenebras, veritatis antidotum ſerpentis venenum, & vita ianuæ fieret auditus, per quem intraverat mors in mundum.

§. V.

De ſignificato Armillarum ad præconia Beatiſſimæ Virginis.

39 ARmillæ apud Iſidorum lib. 19. origin. c. 31. propriè Virorum ſunt collatæ victoriæ, causà militibus ob armorum virtutem. Undè & quondam vulgò *Viriliæ* dicebantur. Ab intellectu autem circuli armilla non diſcrepat: quia ipſa quoque hoc ubi ponitur ambigendo conſtringit, ſed quandò armilla latiùs extenditur, circulus rotundus fit. Divus Thomas in *Eſa. c.* 3. armillæ etymon aſſignat, & cui corporis parti deſerviat, dicens. Quantùm ad brachia dicit: *Armillas:* ornamenta brachiorum *ab armo* dicta. *Exod.* 32. *Viri cum mulieribus præbuerunt armillas ad faciendum opus tabernaculi teſtimonii*. Idem ſentit ALapide in *Eſa. c.* 3. Armillæ, inquit, ſunt brachialia, ſivè circuli, & catenulæ ornantes brachia: dicuntur *armillæ ab armis*; quia olim humeri cum brachiis vocabantur *armi*.

40 Quid verò ſignificent armillæ, declarat Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 10. versùs finem, ubi loquitur de Rebecca ſub Eccleſiæ typo, cui Abraham miſit *inaures aureas, & virias*, ſic ipſe legit, hoc eſt *armillas*. Undè inquit. Ideò accepit inaures aureas, & virias, quas miſit Abraham, tanquàm meritorum ſuorum præmia. Fortaſsè audientes hæc filiæ, quæ ad gratiam Domini tenditis, & vos provocamini, ut habeatis inaures, & virias, & dicatis: Quomodò prohibes nos Epiſcope, ut habeamus quod Rebecca accepit prò munere, & hortaris ut ſimiles ſimus Rebeccæ? Sed non has inaures Rebecca habebat, & virias, quæ lites in Eccleſia ſerere ſolent, quæ labuntur frequenter: alias inaures habebat, alias virias, quas utinam vos habeatis: Inaures Rebeccæ pii auditus inſignia, & viriæ Rebeccæ ornamenta factorum ſunt. Has inaures habebat, quæ non gravarent aurem, ſed demulcerent: has virias, quæ manum non materiali auro onerarent, ſed ſpiritali actu levarent. Ideò & fratri, & Parentibus in hoc placuit ornatu. Et tu ſume inaures, quas tibi Abraham reliquit: ſume quas tranſmiſit virias. Audi verba Domini Dei tui, ſicut ipſe audiebat: exequere juſſa, ſicut ipſe properavit implere.

41 Baſilius etiam Magnus in *Eſa. c.* 3. non ſinè præclaro ingenii acumine legit: *Et dextrocheria, & Pſellin*, ſed *dextrocheria* appellat χλιδῶνες: *armillas* vero ψέλλια. Et ad quid hæc? Ut priùs fœminei luxus mollitiem damnet: & poſtea myſtici ornamenti ſignificatum collaudet. Inquit ergò. Totus quidem ad numerum relatus muliebris mundus, exercitatio eſt, & accurata diligentia geniali mollitie diffluentis, hoc eſt inter delicias degentis, ſeque luxu voluptatum profuſiore diffundentis. Potiſſimùm enim χλιδῶνες, *dextrocheria*, ſivè βραχιόνια, *brachialia*, ſcilicet ornandis mulierum brachiis auro, gemmiſque confectæ, quòd ea dictio mutuetur denominationem à deliciis, nempè ἀπὸ τοῦ χλιδᾶν *deliciari*: Forſan, ceù dixi, quòd brachiis circumponantur, ψέλλια autem ſunt, quæ in manuum ſummitate, omnibus ut ſpectari queant, proponimus.

42 Eſt tamen alicubi invenire locum, quo in bonam partem accipiantur, ceù ille eſt, cùm ſanctam Rebeccam famulus ſenior domus Abrahæ *pſelliis*, hoc eſt, *armillis aureis* convenuſtavit. *Geneſ.* 24. Eam enim, quæ uſura erat familiari contubernio Patriarchæ, & cohabitatura, conveniebat erudiri priùs activam animæ functionem, ab eo qui eam expetebat Domino ſuo in uxorem. Ad hoc innuendum ψελλίοις χρυσοῖς *armillis aureis* condecorabat manus virgunculæ, hoc eſt, pretioſis, & honeſtis actionibus. Decem verò aureorum erat earum pondus, quòd decem ſummariis præceptis, legis obſervatio omnis concluditur: & inaures ſingulas drachmas appendentes pondere. Conſentaneum enim eſt rationi, ut obedientia adornetur fide, quà in unum tendimus Deum.

43 Similiter Hieronymus in *Eſa. c.* 3. per armillas, generoſas actiones, & bonas operationes intelligit: quales Rebecca accepit in ſponſalibus. Alii denique per armillas, gratiarum ornamenta, atque virtutum interpretantur. Sunt & armillæ ornamenta crurum mulierum, ſivè pedum, quæ Periſcelides vocantur, à quibus greſſus earum ornantur, juxtà Iſidorum lib. 19. Origin. c. 31. Et quia per pedes in myſtico ſenſu animæ intelliguntur affectus: hi pedes, ſivè greſſus aureis ornari debent armillis, hoc eſt, cœleſtibus deſideriis. Undè & *Cant.* 7. dicitur Sponſæ: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis*.

44 Quæ quidem omnia, ut ad ſpiritalem referuntur ornatum, per excellentiam Beatiſſimæ Virgini conveniunt. Nam ſi *Armillas* cum Iſidoro interpretamur *Virilias*, eo quod darentur bellatoribus ob virtutem armorum in victorię ſignum. Planè Beata Virgo, egregia bellatrix, ob inſignes victorias de triplici hoſte proſtrato, & propter bellicam armorum virtutem, viriliis aureis meruit decorari, hoc eſt, inſigni gratiarum cumulo, tanquam auratis, gemmatiſque armillarum circulis venuſtari. Similiter & manus ſuas bonorum operum decoravit armillis, ut nemini fas ſit dubitare.

45 Jam denique ſolùm Periſcelidas, hoc eſt, ornamenta crurum, ſive pedum, quas & Armillas Iſidorus vocavit, cogor in Beata Virgine conſiderare, & illud ad eius laudem *Cant.* 7. repetere: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis*. Quid hoc eſt? Pulchrè quidem Guilhelmus apud Del Rio in *Cant. c.* 7. *Sect.* 2. O *filia*, inquit, *Principis, quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis!* Non ſimpliciter pulchri, ſed cum admiratione, *quam pulchri*: quo excellens, & ſingularis greſſuum eius pulchritudo ſignatur. Multæ enim ſunt filiæ Principis per gratiam adoptionis, & omnes pulchrè gradiuntur, omnium ſunt pulchri greſſus in calceamentis. Verùm illa eſt excellenter *filia Principis*, quę eſt etiam Mater Principis: neque enim in tantam adoptionis gratiam creſcere potuiſſet, niſi Auctorem genuiſſet. De ſua carne dedit Principi ſubſtantiam carnis, & ab eo accepit viciſſim prærogativam gratiæ ſingularis.

46 Idcircò non dicuntur ſimpliciter *pulchri greſſus* eius, ut cæterarum filiarum Principis, ſed *quam pulchri*, hoc eſt, quam puri, & mundi affectus eius! Non enim pernicitate pedum, ſed puritate affectuum ibat de virtute in virtutem, viſum Deum Deorum in Sion. Erat autèm in eundo calciata, Sanctorum antiquorum exemplis informata. Quid enim ſunt præcedentium exempla Patrum, niſi quædam tanquam ex pellibus mortuorum animalium ſpiritualia calciamenta? Denique præclara illa filia Principis, pia veneratione ſimul & æmulatione, amplectebatur innocentiam Abel, obedientiam Abrahæ, manſuetudinem Moyſi, humilitatem David, patientiam Job, continentiam Danielis. His ergò, & huiuſmodi Patrum exemplis decentiſſimè calciata, in attritis animi greſſibus, ibat de virtute in virtutem: & in æmulando virtutes Patrum, ipſos etiam Patres, quorum ſe æmulatricem eſſe gaudebat, præcipua puritate affectuum, & prærogativa actionum tranſcendebat.

CAP. VIII.

Mixtæ ex rebus diverſis laudes, quæ Dei Matrem commendant.

1 DIverſimodam Mariani Nominis vidimus hùc uſque virtutem, literaſque eius in varias, ſed veras formas, in quas è contrà transformatus Protheus fabulosè, converſas. Maximum ſanè prodigium, quod tanti Nominis commendat Perſonam. Deipara enim quodammodò, ad ſimilitudinem Chriſti, omnia eſt, & unum eſt. Tantanè vis, ac virtus Nomini, quod tandem numero conſtat elementorum quinario? Fateamur potius mentium noſtrarum imbecillitatem, quæ capere non poſſunt quos gratiarum theſauros Deus in Matre ſua poſuerit. Sed quid demùm quinque illæ ſui Nominis literæ nobis exhibent? Quinque rerum ſpecies, ſivè divitiarum theſauros, aut plurium virtutum titulos, quibus Beata Virgo laudetur. Recita ergò mihi noviſſima hæc Titulorum decoramenta. Eccè illa ſunt in *Maria*, vel Ipſa *Maria* eſt

M urenula.

A rca.

R eclinatorium.

I unctura.

A ula.

De ſingulis igitur, quam decenter apponantur, ex ſuis paragraphis patebit.

§. I.

Quid ſignificent Murenulæ ad laudem Deiparæ primo loco poſitæ.

2 HAbemus Sponſi verba *Cant* 1. dicentis ad Sponſam: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*: quæ nos primò ad inveſtigandam vocabuli etymologiam invitant. Et de hoc pulchrè Caſſiodorus in *Cant. c.* 1. Murenulæ inquit, ornamentum ſunt colli virginalis, & puellaris: videlicet virgulæ auri perplexæ intermixtis nonnunquàm pulchrà varietate ſubtiliſſimis argenti filis. Et hoc eſt, quod dicit: *Vermiculatas argento*: hoc eſt, in modum vermium terrenorum, quos lumbricos dicunt, diſtinctas, & inter ſe coniunctas. *Murenulæ* autèm dicuntur à ſimilitudine piſcis marini, qui *murena* vocatur. Ideò autèm murenulæ argento vermiculatæ ſunt dictæ; quia ſicut murena variis notis quaſi punctis diſtinguitur, ſic & murenula vermiculatur, & diſtinguitur punctis argenti. Undè teſte Plinio *lib.* 9. *c.* 23. *In Gallia Septentrionali murenis omnibus dexterà in maxilla ſeptenæ maculæ ad formam Septentrionis aureo colore fulgent dumtaxat viventibus, pariterque cum anima exſtinguuntur*.

3 Jam verò quid ad Deiparæ laudes murenula ſigni-

ſignificet, videamus. Divus Thomas *lect.* 3. *in Cant. c.* 1. per murenulas aureas intelligit præmium eſſentiale Beatorum, & per vermiculatas argento eorundem præmium accidentale. Doceat ergò nos de ſapientiæ cathedra Præceptor Angelicus. Cum dicit: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*: oſtendit, quod ei contulit ſpem. Spes autem eſt reſpectu præmii æterni. Huiuſmodi autem præmium eſt duplex: Videlicet eſſentiale, ut gaudium de bono increato: & accidentale, videlicet de bono creato. Et utrumque tangit, dicens: *Nos faciemus tibi murenulas aureas*, *&c.* Ideſt, infundemus tibi ſpem reſpectu præmii eſſentialis.

4 Nam Præmium eſſentiale communi nomine dicitur *Aurea*, ſicut accidentale dicitur *Aureola*: hujuſmodi *Aurea*, ſivè præmium eſſentiale dicitur *Murenula*, quæ eſt catenula coniungens ornamentum colli, intùs diverſis coloribus colorata. Ergò præmium eſſentiale eſt unus Deus. Attamen ſecundùm diverſitatem meritorum, de illo uno Deo non omnes habebunt par gaudium, quod declarat Dominus *Ioan.* 13. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Huiuſmodi autèm Merenula aurea erit vermiculata argento, propter additionem prẹmii accidentalis: quia ſicut argentum deficit ab auro, ſic premium accidentale deficit à ſubſtantiali. Dicitur autèm huiuſmodi præmium accidētale vermiculatum propter diverſitatem eius: quia non idem præmium accidentale habebunt omnes. Notandum autem quod ſignanter cum loquitur de ſpe præmii, dicit: *Faciemus*: quia ſpes reſpicit futurum tempus. Hæc Divus Thomas.

5 Ex hac Præceptoris Angelici doctrina deducìmus, quam pretioſis, & excellentibus murenulis aureis, & argento vermiculatis in Cœlo Deipara fuit decorata, utroque ſcilicet præmio eſſentiali, & accidentali ſuper omnes puras creaturas inſignita. Nam ſi loquamur de præmio eſſentiali, quod correſpondet quantitati gratiæ, & meritorum, cùm nullus purus homo pervenerit, aut poſſit pervenire ad altitudinem gratiæ & cumulum meritorum B. Virginis, conſequenter murenula ipſius aurea, præmium ſcilicet eſſentiale ſuperat Aureolas omnium Beatorum. Et de hoc alibi pluries in hoc opere.

6 Sed & in præmio accidentali omnium Beatorum excedit Aureolas. Nam præter quam quod Ipſa Virginitatis, Doctoratus, & Martyrii Aureolas ſimul in ſupremo poſſidet gradu: Ad hoc probandum illa potiſſimùm & unica ratio mihi eſſe videtur, quod Ipſa fuit Dominicæ officina incarnationis, & Dei Genitrix, qui Auctor, & arbiter prædeſtinationis omnium electorum. Ipſa ergo ſi Mater Dei, & omnium etiam prædeſtinatorum: nam cum Chriſtum concepit, & peperit, caput electorum, facta eſt etiam Mater prædeſtinatorum. Undè de Ipſa dicitur *Cant.* 7. *Venter tuus ſicut acervus tritici*, *vallatus liliis*. Acervus ſiquidem tritici de terra Virginea natus eſt Chriſtus, liliis electorum ſtipatus, qui liliis benè comparantur propter vitæ decorem, & innocentiæ candorem. Cùm autem electi perveniunt ad gloriam, quis neſciat gaudia Matris accidentalia creſcere, & cumulari? *Filius enim ſapiens lætificat Patrem*; & Ipſam *Matrem filiorum lætantem*. Quia verò numerus electorum filiorum in Cœlo ſinè numerò eſt: conſequenter & Beatæ Virginis præmium accidentale penè extenditur ad immenſum.

7 Murenulas tamen aliter interpretatur Thomas de Villanova in *Cant. c.* 1. dùm non colli ornamenta, ſed aurium ornatum perhibet eſſe, quas ipſe vocat quaſdam illuſtrationes ſpiritales, quibus in hoc exilio tanquam munuſculis anima recreata Sponſi ſui, quem facie ad faciem videre deſiderat, ẹquo animo tolerat abſentiam. Neque quidem hæc interpretatio diſſonat à veritate: Nam cùm Beatiſſima Virgo poſt Filii aſcenſionem maximis charitatis inflammaretur ardoribus, & deſideriis Filium ſuum revelata facie videndi, Deus ſuaviſſimo illuſtrationum ſupernarum temperamento, tanquàm quibuſdam murenularum aurearum donis per Angelos ſuos delatis, ardentia eius ſuſpiria mitigabat, ac vota, quo uſque ad beatam Patriam transferretur.

8 Planè quæ Thomas de Villanova de anima dicit, potiori jure de Virgine dici poſſunt, eique applicari. Propter quod, inquit Villanova, Sponſi ſodales miſericordia permoti, placida eam promiſſione ſolantur: *Murenulas*, inquiunt, *faciemus tibi vermiculatus argento*; quibus ſcilicet poſſis dilecti tui abſentiam mitiùs tolerare. Quid intendis oculum? Ornato potiùs auditum. Audi nunc filia; ut poſteà videas, & dicas cum Propheta: *Sicut audivimus*, *ita & vidimus in civitate Domini virtutum*, *in civitate Dei noſtri* *Pſal.* 47. Interim ergò dùm præſentia denegatur, dùm hæc tua peregrinatio durat, more ruralium Virginum aures tuas murenulis aureis decorabimus; ſed quoniam auri fulgorem, refulgentiamque nimiam portare non valebis, argento eas vermiculabimus, temperabimuſque, ut commodiùs de more tuæ plebis ruſticæ poſſis ornari.

9 Ita eſt, fratres, noſtis quam inſtanter anima Sponſi ſui faciem deſiderat, quẹ die, ac nocte ſitit ad fontem vivum, clamat indeſinenter: *Quando veniam*, *& apparebo ante faciem Dei?* *Pſal.* 41. Hanc Angeli nimis diligunt, frequenter viſitant, & ſpiritualibus munuſculis lẹtificant & conſolantur. Hi velut docti Aurifices, murenulas quaſdam aureas, ideſt, ſpirituales illuſtrationes, inſpirationeſque ſuaviſſimas, & dulciſſimas auditui noſtro interiori, inviſibiliter fabricant, radium divinæ lucis nobis in ſua puritate incomprehenſibilem, qui per aurum deſignatur, argento ſimilitudinum corporearum, miro artificio inveſtientes, & immiſcentes, ut comprehendi poſſit à nobis: quoniam juxtà ſententiam Dionyſii, impoſſibile eſt nobis aliter lucere divinum radium, niſi ſacrorum velaminum tegmine circunvelatum. His ſuaviſſimis inſpirationibus, anima perfecta in hoc exilio ſuſtinetur; his munuſculis recreatur, donec ſciſſo mortalis corpuſculi velo, Sol in ſua virtute refulgeat, & radius divinæ lucis ſinè temperamento aliquo, revelata facie videatur. Quæ, & quales ſint iſtæ murenulæ; quà ſuavitate, quo gaudio peregrinam animam afficiant, experientia, non Scriptura noſcen-

dum eſt. Hactenùs Villanova.

10 Præter hæc, mirificum in murenulis habemus virtutum Deiparæ hieroglyphicum, & luculentam Philippi Abbatis de murenulis expoſitionem *lib.* 2. *in Cantica Canticor. c.* 8. Qui quidèm incipit à litera, & ad ſenſum ſpiritalem deſcendit, dicens: *Murenulas aureas*, *&c.* Murenula piſcis eſt, qui nutritus in aquis, undoſo earum diluvio tundi ſe multoties ſuſtinet, & propelli, gaudet tamèn ad mortem impulſu aquatico non compelli: tempeſtate concuſſus abſorberi non timet in profundum; caudam, ut dicitur, ponens in ore ſeſe complicat in rotundum: captus arte piſcatoria epulantium menſas ditat, & ad ſui appetitum ſapore gratifico nos invitat.

11 Cuiuſmodi piſcem forte Sponſus promittere Virgini videtur, ſi non in promittendo manifeſtiùs monſtraretur, quòd intellectum ad literam nobis penitus interdicit, cum eundem piſcem aureum, vel argenteum eſſe dicit. Denique non ait: *dabimus tibi*: quod intelligi poterat ad edendum; ſed *Faciemus tibi*: quod intelligitur ad habendum; quia & Piſcator dat quidem murenulas, ſed non facit: Sponſus verò ſua non ſolùm dat munera, ſed & facit. Eius quippè ſunt munera, auctor quæ pretioſa facit.

12 In huius itaque vitæ ſtatu non ſtabili, ſed undoſo, in hoc mari nimis horribili, fide perdita naufragoſo, multis Virgo ſentit moleſtiis, & perturbationibus ſe pulſari, ſed uſque ad defectum, & impatientiam non gravari. Sponſus enim in eà quandam velut piſcium fortitudinem operatur, qua in medio ſtans aquarum, illuvione multifaria non laxatur; & invocato eo cuius amore æſtuat, cuius æſtu inextinguibili detinetur, diluvium non formidat, non aquis profundioribus abſorbetur. *Salvum me fac Deus*, ait, *quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam*. *Pſal.* 68. Et dignè conſequenter: *Non abſorbeat me profundum*.

13 Inquieta undarum profunditas, fluxa tribulationum multiplicitas non ſufficiunt admirari, quod feſtinant adversùs Virginem facto velut agmine congregari: & tamèn nullo aſſultu, nullo impetu frangere prẹvalent reſiſtentē, illæſam inter undas inſtar piſcium perſiſtentem. Impellunt, non expellunt: convellunt, non evellunt: concutiunt, non excutiunt à ſtatu ſolidæ firmitatis: obſtupeſcunt attendentes tantæ Virginem gravitatis; quam ſicut nova gratia, incomparabilis ſpecies, inaudita proſperitas non extollit, ſic dura tribulatio, perſecutio malignorum, aquarum fluxa congeries non emollit. Manens enim in carne, erat ſpiritu non carnalis, ſed aurea, ideſt, dives auro, & theſauro ſapientiæ ſpiritalis; non molle quid, non fluidum, nihil in ſe retinens hebetudinis imperitæ, ſed ſolida, & lucida, ſenſu gravi, theſauro fortitudinis exquiſitæ.

14 In camino quippè tribulationum ad odorem ignis inſtar paleæ non præventa, non fœno, non ſtipulæ, ſed auro primo ſimilis eſt inventa; & quam prudentem maris in profundum aquarum illuvio non demerſit, non turpavit caminus ignis fuligine, ſed exterſit. Nullum quippe ſcrupulum, nullum offendiculum, in ea tribulationum invenit magnitudo, cui poſſet adhærere quævis noxia, ſivè dedecens turpitudo: ſed per eam, vel ſuper eam cùm fluctus, & ignes certatim tranſierunt, eam nimirùm & fluctus murenulam, & ignis auream invenerunt.

15 Quòd autèm ſe facturum Sponſus non murenulam, ſed murenulas affirmavit, non unam, ut æſtimo, virtutem, ſed plurimas deſignavit: quas potentiæ ſuæ docta manu bonus Artifex fabricavit, & opere compactas mirifico, ad ornatum, & munimen Virginis præparavit.

16 Porrò murenula caudam ad os referens, ex ſeipſa circulum, ſive annulum facere tunc videtur, cùm virtutis bono intuitu inchoatæ, finis ad initium retorquetur; cùm patientia Virginis, eius causà quem diligit, eligit quævis gravia ſuſtinere, & nulla adverſitas à propoſito eam prævalet removere. Altera verò murenula eius obedientia dici poteſt, quà ex quo eſt ab Angelo ſalutata, invenitur mandatis cœleſtibus ſic addici; ut juxtà Gabrielis verbum operante Spiritu juncta fideliter uni Sponſo, omnem alterum reſpuens, placere intendebat ei ſoli, qui videt in abſconſo.

17 Et quis de illa murenula loqui valeat, vel ſentire, quod vobis videatur ejuſdem ſatis laudibus convenire: cùm ſcilicet nullo mediante hominum ſermo Angeli fit ad illam; ille benedictam in mulieribus, illa perhibet ſe Ancillam: ille Viro incognitam jam præſentis Matrem Domini fore ſpondet; illa fidem adhibens, tamen humilem ſe reſpondet; novum hominem pariens, qui apud Deum in principio erat Deus, nihil altum, nihil tumidum referens, abjecta, & humilis perſeverat?

18 Eſt etiam major, & excellentior: illa murenula quæ dilectio, ſive charitas nominatur, quæ in throno reſidens, ſceptro quodam regio cæteris principatur; quæ Fidei, & Spei dignitate præeminens, potentatu nobili ſuperducta, procedit efficaciùs, gaudet ſecuriùs in ipſum Sponſi cubiculum introducta.

19 Ex huiuſmodi murenulis velut quibuſdam maculis reſtis contexitur, vel catena, auro quidem ſolidior, & à ſorde pulveris aliena, in camino tribulationis docta manu Aurificis fabrefacta, aquis in mollitiem, in favillam igne fumido non redacta. Nunquid vobis non videtur diverſas Paulus compegiſſe murenulas, & compactas in unam reſtem, vel catenulam texuiſſe; cui preſſura tribulationis fornax extit, & incudo, ex qua miro proceſſit opere murenarum aurea gratitudo? *Scientes*, ait *Rom.* 5. *quoniam tribulatio patientiam operatur*, *patientia probationem*, *probatio ſpem*, *ſpes autem non confundit*, *quia Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*. Videtis ergò, quia de camino, & incude tribulationis patientiæ producitur æramentum quod reſtis, vel catenæ radix conſtituit & immobile fundamentum; cui ſuperinnititur virtutum ſequentium Celſitudo, quam conſummat charitatis auro præeminens pulchritudo.

20 Hæc eſt autèm non ficta Charitas, & dignè commendabilis virtutum connexio, quam vermiculat, & diſtinguit argenti grata commixtio; cùm ſic murenularum reſtis operoſior eſt conſerta, ut inveniatur ei argenti vermiculatio intertexta. Vermilio qui rubeus color eſt,

ſeu vermiculus, qui vermilioni concolor eſt, Chriſti ſignificat paſſionem, cuius in cunctis quæ agimus, neceſſe eſt fieri mentionem; ut cùm ei ſervire, obedire, eum diligere nos putamus, ea diligenter quæ prò nobis indignè pertulit, recolamus. Ipſius quidem prò nobis Eſaia perhibente rubuit indumentum, & velut calcantium in torculari ſorduit veſtimentum; in cuius typo noſtis mandatum antiquitùs promulgari, ut prò peccatis vitula rufa debeat immolari. *Numer.* 19. Vitula rufa, ille eſt, qui dicit in *Pſal.* 21. *Ego autèm ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis*. Huius vermis, & abiecti, huius opprobrii debet diligentiùs reminiſci, qui promiſſas Virgini murenulas optat perfectiùs adipiſci: quia non aurea virtutum connexio dat ſufficiens fundamentum, ſi non interſeritur vermiculus rubeus, & argentum.

21 Denique vermiculus in orbem, & circulum multiplicem retorquetur, ut in eo prędictæ memoriæ digna perfectio figuretur; & abſciſſus, & in duo diſtantia diviſus adhùc vivit, eum ſignans qui percuſſus ligno Crucis paululùm obdormivit, ſed ſtatim evigilans *iam non moritur*, *mors illi ultrà non dominabitur*. *Rom.* 6. In cuius fide, & amore, & amanda rectè memoria Virgo vixit, cùm in eius non tàm corpus, quàm animam perſecutor durè gladium fixit; & cùm uſque ad cor Matris tenerum, Filii mors devenit: mortem tamèn fides Matris, & dilectio non invenit.

22 An non ille mortuus eſt, qui mortem negatione timida ſubterfugit; & ille qui timore concuſſus relicta ſyndone nudus fugit; & illi qui relicto eo omnes fugam feſtinantiùs inierunt, & nec vermiculi, nec argenti ſignificantiam tenuerunt. Argentum quippè lucidum, & ſonorum, eloquii formam tenere perhibetur, cuius caſtitas in fornace, in igne examinatio vocem reddere non veretur; quod nihil plumbeum, nihil habens ſtanneum, non incendio tenebreſcit, ſed illæſum tranſiens, lucidiùs, & ſonoriùs hilareſcit. Habetis quia *eloquium Domini*, *eloquium caſtum*, *argentum igne examinatum*, *probatum terræ*, *purgatum ſeptuplum*. *Pſal.* 11. Et per *Eſaiam* 43. *Si tranſieris*, ait, *per ignem, non combureris: & flamma non nocebit in te*.

23 Petri eloquium non ſonorum, ſed inſtar plumbi ſordidum comperitur: Ioannis verò eloquium non ſatis lucidum invenitur: Cùm ille exprobantibus ſibi verbum bonum, verbum veridicum non reſpondit: Iſte fuga inita ſub ſilentio ſe abſcondit; lecto, ſed neglecto quod ſcriptum eſt *Pſal.* 118. *Nè auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque*. Et iterùm: *Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum*. Virgo autèm paſſionem Chriſti amplectens ulnis fidei diligenter, dilectionem eius non premit ſilentio negligenter: ſed quod credens diligit, cùm tempus exigit, prædicat evidenter, ſicut verè diligens ſic verbum fidei proferens confidenter.

24 Dignè igitur murenularum ſpeciali donatur ornamento, quæ vermiculatæ, & diſtinctæ probabili ſunt argento, cùm perfectis eius virtutibus paſſionis ſuæ Sponſus diligenter memoriam interponit; quam Virgo & perferre in moribus, & proferre in ſermonibus non poſtponit. Cuiuſmodi ornatum Sponſus non ſe feciſſe Virgini aſſerit, ſed facturum, oſtendens in hac vita non illi eſſe præſens id muneris, ſed futurum: quia dùm laborat, & deſudat, & contendit Virgo fortiter in agone, non viandi completio, non gaudium ei acceptio, ſed promiſſio dat coronæ. Hic enim tanquàm in incude macula tunditur, producitur perfectio promiſſiva, & gratia proſperante recurvatur, ut fiat complectiva: ut cauda capiti cohæreat, finis initio conformetur, & conformatio perfectiva clavo ſtabili confirmetur. Hæc Philippus de murenulis Beatæ Virginis.

§. *II.*

Per Arcam Dei, quam fecit Moyſes, figuratur Beata Virgo.

25 IAcobus de Voragine *ſerm.* 11. de Beata Virgine hanc ſibi gloriam expoſtulat deſcribendi Deiferam arcam ſcilicet *Mariam*. Arca Dei, igitur inquit, quam fecit Moyſes, fuit Virgo Maria, quæ commendabilis eſt, ex cauſa efficienti, materiali, & finali. Cauſa autem efficiens eſt ipſe Deus, qui ipſam fecit, & habitavit. *Pſal.* 83. *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus*. Deus in Beata Virgine fuit altus, quandò eam, in gratiæ benedictionibus præventam, in utero ſanctificavit. Fuit altior, quandò de eà, integra virginitate, naſci voluit. Fuit altiſſimus, quandò Ipſam ſuper omnes Angelos exaltavit.

Materia autèm huius Arcæ fuit de lignis Sethim, quæ ligna ſecundùm Hieronymum habent levitatem, pulchritudinem, fortitudinem, & imputribilitatem, per quæ intelliguntur quatuor dotes corporis eius. Corpus enim modo eſt leve per ſubtilitatem, pulchrum per claritatem, forte per agilitatem, & imputribile per immortalitatem.

26 Forma autem huius Arcæ fuit, quia habuit in longitudine duos cubitos, & ſemiſſem, ideſt, quinque palmos. Ioſephus vocat hic cubitum duos palmos. Fuit ergò Arca iſta ſpiritualis quinque palmorum in longitudine, quia Beata Virgo quinque ſenſus ſuos uſque in finem puros ſervavit. Fuit etiam Arca trium palmorum in altitudine, quia reſtaurationem Angelorum, ſalvationem hominum, & renovationem omnium creaturarum procuravit. Habuit autèm Arca cubitum, & ſemiſſem in altitudine, quia eius celſitudo Angelicam, & humanam naturam excellebat, ſed uſque ad Filii excellentiam non attingebat.

27 Finis autèm huius Arcæ fuit, ut contineret virgam Aaron, tabulas Teſtamenti, & Urnam auream, in qua erat manna. Iſta autèm Arca ſpiritualis Virgo Beata intrà ſe continuit Chriſtum, in quo fuerunt tres ſubſtantiæ, ſcilicet Deitas dulciſſima, quæ ſignatur per tabulas, in quibus ſcripta erat ſapientia Dei: caro mundiſſima, quæ reſurrexit, quæ ſignatur per virgam Aaron, quæ fronduerat: & Anima puriſſima, quæ ſignatur per manna.

Vel poteſt dici, quòd in hac Arca fuit manna dulcis contemplationis; & virga, ideſt, rectitudo perfectæ operationis. Virga enim fronduit, & fructum produxit quia vita activa eſt magis fructuoſa, quam contemplativa. Fuerunt etiam tabulæ ſapientiæ, & diſcretionis. Quælibet enim vita, tam activa, quam contemplativa, indiget diſcretione matura.

28 Ab iſta Arca habemus multa beneficia. Primò in periculis magnum auxilium, quod figuratum eſt *Num.* 10. ubi dicebat Moyſes in elevatione Arcæ. *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui*.

Secundò, in dubiis magnum conſilium, quod ſignatum eſt 1. *Reg.* 14. ubi cùm vellet Saul conſulere Dominum, dixit: *Applica arcam Domini*.

Tertiò, in adverſitatibus magnum ſolatium, quod ſignatur 3. *Reg.* 2. ubi dixit Salomon Abiathar Sacerdoti. *Vir quidem mortis es: ſed hodiè nolo te interfici, quia portaſti Arcam Domini*.

Quartò, inter amorem Dei, & mundi facit diviſionem. Hoc ſignificatum eſt *Ioſue* 3. Ubi dicitur, quòd cùm Sacerdotes, qui portabant Arcam, fuiſſent in flumine, aquæ protinùs ſunt diviſæ, ità quòd ſuperiores intumuerunt ad modum fontis, inferiores autem deſcenderunt uſque in mare mortuum. Aqua ſuperior eſt amor Dei, qui elevat uſque ad Cœlum. Aqua inferior eſt amor mundi, qui facit effluere uſque in infernum.

29 Quintò, dat gratiæ ſanctificationem. *Pſal.* 131. *Surge Domine in requiem tuam, Tu, & Arca ſanctificationis tuæ*.

Sextò, dat gloriæ benedictionem, quod ſignificatum eſt 2. *Reg.* 6. Ubi dicitur, quòd ad introitum Arcæ Domini in domum Obededon, Dominus benedixit ei.

De iſta Arca ſic dicit Ambroſius. Arca intrinſecus portabat Teſtamenti tabulas. *Maria* autem Teſtamenti portabat hæredem. Illa intra ſe legem: hæc Evangelium retinebat. Illa vocem habebat: hæc Verbum verum. Illa intùs, foriſque auri nitore radiabat: ſed Beata Virgo intùs, foriſque virginitatis ſplendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro: iſta cœleſti.

§. *III.*

Beata Virgo fuit Reclinatorium æterni, & pacifici Salomonis.

30 SUperiùs *Mariam* vidimus Arcam Deiferam, nunc ſub alio titulo aurei ſcilicet Divinæ Majeſtatis Reclinatorii illam decet intueri. Divinus quippè Rex Salomon *ferculum fecit ſibi de lignis Libani*, *columnas ejus fecit argenteas*, *reclinatorium aureum*, &c. *Cant.* 3. Ubi Guilhelmus textum hunc de glorioſa Virgine, & pia Matre interpretatur, dicens. Ferculum fecit ſibi Rex Salomon, quo ſpiritualiter ipſe ferretur: creavit ſibi verus Pacificus Matrem, cujus virgineo utero portaretur. O beatum ventrem, qui Dominum portavit! Ferculum fecit de lignis Libani. Ligna hæc, nempè cedri, imputribilia, & procera valde, Sanctos Patriarchas deſignant, vita ſublimes, fama imputribiles. Nam etſi corpora eorum in pace ſepulta ſunt, nomina tamen eorum vivent in ſecula. Corpora, non nomina, ſepulta ſunt. Putruerunt prò conditione legis humanæ corpora, ſed non nomina. Nam juxtà ſententiam Sapientis: *Memoria juſti cum laudibus; & nomen impiorum putreſcet. Prov.* 10. De præclaro igitur hoc Patriarcharum ſanguine Virginem, de qua naſceretur, creans, de lignis Libani hoc ferculum ſibi fabricavit. *Columnas ejus fecit argenteas*. Columnæ hæ ſeptem ſunt, quas enumerans Eſaias: *Spiritus*, inquit, *intellectus, & ſapientiæ, ſpiritus conſilii, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & ſpiritus timoris Domini. Eſa.* 11. Quia his ſeptem columnis gratiæ Spiritus Sancti, proceriſſimis, & robuſtiſſimis, ſublevabatur à terra, ut ſaperet quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram, & fulciebatur, nè ſublevata rueret ad terram. Eædem argenteæ fuerunt. Argentum candore ſuo nitorem virginitatis ſignificat: Et quid in Virgine Matre non virgineum, in qua & ipſa fœcunditas, quod dictu mirum, virginea, & virginitas fœcunda fuit?

31 *Reclinatorium* verò *aureum*, illud reclinatorium, in quo inclinatus uſque ad terram Deus, novem menſibus reclinare dignatus eſt. Humanæ carnis ſuſceptio, majeſtatis uſque ad terram inclinatio eſt. Inclinavit ſe Altiſſimus per Incarnationis myſterium, ut reclinaretur in utero Virginis, ſuo tempore, quaſi Sponſus de thalamo proceſſurus ad opus redemptionis humanæ. Aureum eſt eo ipſo, quo majeſtatis Pacifici Regis reclinatorium eſt. Facit aureum eo ipſo, quo fecit ſuum. Caput ejus aurum obrizum, culcitram ſuam inauravit. Matrum cæterarum uteri, comparatione Virginalis uteri, reclinatoria plumbea, vel lutea ſunt: quia in eis reclinant caput non filii Dei, ſed filii iræ, & ob hoc etiam filii gehennæ. Solus *Mariæ* virginalis uterus, reclinatorium aureum eſt, quia reclinatorium Divinæ Majeſtatis. Hactenùs ille.

32 Præclarum ſanè Reclinatorium, imputribili virtutum auro compactum, & Regis regum deliciis deſtinatum, Virgo eſt Beatiſſima: In qua, juxtà expoſitionem Philippi Abbatis *lib.* 4. *in Cantica Canticor. c.* 5. etiam reclinatorium aureum dicitur inveniri, quia nuſquàm noſter Salomon gratiorem ſibi requiem viſus eſt experiri; ubi caput ſuum velit, aut valeat reclinare, ad adſumendam carnem Deitatis excellentiam inclinare. Quod & ſatis congruè, non plumbeum, ſed magis aureum perhibetur, quia in omnibus metallis auro meliùs nil habetur, quod & pretio cariùs, & pondere graviùs, & ſub malleo fortiùs conſtat eſſe, ut ex eo reclinatorium dicatur meritò factum eſſe.

33 Auro dilectionem Virginis æſtimo figurari, quam certum eſt cæteris ejuſdem virtutibus principari: quia etſi fides, & ſpes, & aliæ quamplures dignæ ſunt commendari, earum tamen nulla dilectioni poteſt meritò comparari. Quæ & ſuo librata pondere ſic gravatur, ut non flexa mobilitate à dextro, vel ſiniſtro latere dilabatur, non diſcurrat, non fluctuet, ad amandum quemlibet alium non prorumpat,

ſolùm Sponſum amplectatur, amplexuſque amborum tertius non abrumpat. Denique Sponſo adhærere tam forti deſiderio, tam ſolida fortitudine concupiſcit, quòd adverſis non frangitur, tribulationis malleo non fatiſcit: & cùm Petrus crepuit, Joannes reſiliit, fugerunt omnes non ferentes malleum ſævientem; ſola virgo perſtitit, nec amare deſtitit Sponſum Sponſæ intuitu morientem. Tale ergo Reclinatorium in Virgine ſibi Salomon fabricavit, quod gravis, & ſolida, & comparanda nulli dilectio commendavit: in quo ipſe Fabricator caput ſuum à conturbatione hominum reclinavit. Et hæc pauca ſatis de Reclinatorio.

§. IV.

Quà ratione Beata Virgo dici poſſit Junctura.

34 SIcut myſteriis *Mariæ* Nomen eſt plenum, ita & Ipſa Sacratiſſimis arcanis fœcunda. Quærimus ergo myſterium, aut quid dicendum de Juncturà. Nam Sponſus *Cant.* 7. ſic eam alloquitur: *Juncturæ feminum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.* Quid ergo eſt hæc feminum junctura? Reſpondet Albertus Magnus *lib.* 5. *de laudibus Beatæ Mariæ cap.* 2. *num.* 70. per juncturam feminum in Virgine, excellentiſſimæ privilegium caſtitatis intelligi. Et benè. Nam inquit. Dicitur ei *Cant.* 7. *Juncturæ feminum tuorum*, &c. Femora in Viris, femina in mulieribus: & ſunt hæc femina decora ſicut monilia: ideſt, connectuntur invicem per caſtitatem, ſicut monilia duas partes tunicæ connectunt. Nota, quod junctura feminum Virginis non tantùm dicitur caſta, vel pudica, ſed etiam caſtitatis monitoria. Propter quod monilibus comparatur. Et dicuntur *monilia*, quaſi *caſtitatem monentia*: nam ad continentiæ munditiam ipſius per exemplum nos commonet, & invitat. Hæc autem monilia fabricata dicuntur manu artificis. Nam Artifex Spiritus Sanctus in feminibus eius hanc juncturam, hanc caſtitatis prærogativam fabricavit, qui totum carnalis concupiſcentiæ fomitem per ſupervenientem rorem cœleſtis gratiæ extinxit in ea.

35 Undè Alanus ad ſenſum Alberti Magni pulcherrimè addit, dicens. Femora ſolent eſſe generationis ſigna. Junctura autem femorum nihil aliud intelligitur, quàm concordia duarum fœcunditatum, quæ fuerunt in Virgine: una mentis: altera ventris. Et hæc junctura fuit ſicut monile: ideſt, habuit ſecum duplicem comitem, virginitatem carnis, & integritatem mentis. Per monile ſolet notari caſtitas. Monile enim ſolet apponi pectori ad ornandum, & in caſtitatis ſignum: undè dicitur monile, ideſt, monens caſtitatem. Eſt ergò ſenſus: *Juncturæ femorum tuorum ſicut monilia*: id eſt, ſicut tu prædita es duplici fœcunditate, ità duplici virginitate.

36 Denique & Rupertus ad conſonantiam prędictorum inquit. Juncturæ feminum tuorum ſicut monilia, ideſt, virginitatis tuæ integritas, perpeſque pudicitiæ cuſtodia, cœleſtibus præſidiis eſt communita. Cujus eſt hoc opus? Cujus virtus? Nimirum Dei altiſſimi. Et hoc ipſum, ait quidam Sapiens: *Sapientia eſt ſcire, quòd continentia Donum Dei ſit. Sap.* 8. Dico igitur non qualiacunque monilia, ſed monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis, ideſt, quæ ſolus Deus facere, & dare poteſt, vel potuit.

§. V.

Deipara Summi Imperatoris Palatium, & Aula.

37 MAriam æterni Regis aulam eſſe probat Albertus Magnus *lib.* 10. *de laudib. B. Mariæ c.* 27. dicens. *Maria* Palatium ſummi Imperatoris, & Aula. Eſt autem Aula ſecundùm Iſidorum domus regia, ſivè ſpatioſum habitaculum porticibus quatuor clauſum. *Palatium* verò dicitur *à Palante* Principe Arcadiæ, in cujus honore Arcades Regiam Aulam ipſius nomine conditam Palatium vocaverunt.

38 *Maria* verò Aula, vel Palatium eſt ſummi Regis. Undè in vigilia Aſſumptionis ejus dicitur in Collecta: *Deus qui virginalem Aulam Beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es, &c.* Et Ambroſius in hymno: *Procedens de thalamo ſuo, pudoris aula regia*, &c. De hac Aula, ſivè Palatio videtur ſenſiſſe Poeta, ubi dixit:

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis
Clara micante auro, &c.

Chriſtus Sol juſtitiæ. *Malach.*4. Cujus Regia uterus Virginalis. Columnæ hujus Regiæ, virtutes *Mariæ*, quæ benè dicuntur ſublimes, quia Angelorum, & hominum univerſas tranſcendunt gratias, & virtutes. Fuit etiam clara; quia luce vera, quæ Chriſtus eſt, interiùs illuſtrata. Fuit deaurata auro fulvo nimis inſtar Arcæ, Throni, & Solii. Et hoc eſt, quod dicitur: *Clara micante auro.*

39 Et verè clara auro, quia, ut in Laudibus Lauretanis ei canit Eccleſia, *Domus Aurea* interpellatur. *Domus*, inquam, *aurea*, in ejus præconiis Placidus Nigidus exponit, tota aurum, novo pretio, & dignitate. Domus aurea, tota charitas, & amor Dei, quod aurum eſt. Domus aurea, in qua aurum illud poſitum, pretium noſtræ ſalutis, quod inappretiabile pretio precum emere ſuademur, & abſque pretio. Domus aurea, Templum Dei, tota auro contecta, ut nihil præter aurum in te unquam viſum ſit; nimirum nihil niſi devotio, charitas, & dignitas actionum. Domus aurea, illa Apocalypſis civitas tota ex auro puriſſimo; locus ſcilicet beatitudinis; in Te enim primus homo, primùm vidit Deum, Deus ſcilicet homo factus. Domus aurea, tantò cæteris dignior, quantò præclarior dignitate Maternitatis Dei. Dita nos, Virgo, tuo iſto auro inæſtimabili, & fac locupletes. Amen.

CAP.

CAP. IX.

Ab Vrbibus Beata Virgo laudatur.

1 TUrritum urbibus caput Cybelem Deorum Matrem habuiſſe delirantes Poetæ finxère. Sed quæ apud illos fabula, penes nos veritas eſt. Turritam namque urbibus frontem Deiparæ noſtræ prædicamus. Ad quid enim Ipſam in Cãticis Sponſus invitaret ad ſuſcipiendam de manibus ſuis montium coronam, dicens: *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amano, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum? Cant.* 4. Niſi etiam urbium diadema capiti eius imponeret? Cùm plerumque emineant Civitates in ſummitatibus montium ſitæ, juxtà teſtimonium paginæ Evangelicæ dicentis: *Non poteſt Civitas abſcondi ſuprà montem poſita.* Stat igitur Virginem veri Dei Matrem non ſolùm de montibus, ſed etiam urbibus coronari.

2 Et profectò juſtè de nobis urbes conqueri potuiſſent, ſi eas à Virginis laudibus, & corona removere voluiſſemus. Hoc tamen fieri non potuiſſet: quia ſicut *Mariæ* Nomen in ſuis literis quarumcunque ſpecies creaturarum vidimus continere, ita nec urbes excludere erat neceſſe. Comprehendit ergò altiſſimum illud Nomen in ſuis elementis etiam Civitatum præconia, quæ in diadema præclaro coronandi genere complicantur, ut Civicà urbium Coronà Virginis frontem honorent. In hoc ergo Capite, & ſequenti, quod hujus operis erit clauſula extrema, inter ſe Civitates decertant, qualiter unaquæque circulo ſpecioſiore redimat Virginis caput. Vel dicere non moramur ſingulas Parthenii Nominis literas, ſingulas eſſe urbes, quæ in *Maria* repertæ, & Nomen, & ipſam Virginem decorare contendunt, ſcilicet:

Mareſa.
Alexandria.
Roma.
Iericho.
Antiochia.

§. I.

Non ſine myſterio Mariæ Nomen in prima litera incipit ab urbe Mareſà.

3 NOminum interpretatio ſingularum urbium, quæ *Mariæ* Capiti in Coronam plectuntur, myſteria propalabit. Et hæc eadem eſt fundamentum, & ratio, cur à Civitate Mareſà Parthenium Nomen incipiat. *Mareſa* enim Samaritidis regionis eſt Civitas, myſterio, quàm fama nobilior. Nam interpretatur *à capite*, vel *à principio*, & etiam *hæreditas*. Quæ nobis quidem interpretationes excellentiſſimam Deiparæ dignitatem inſinuare volunt. Sicut enim in capite omnes eminent ſenſus, ita & in Maria omnes emicant prærogativæ. Vel *à capite* dicere poſſumus: quia caput totius hominis dignitas eſt, ac præſtantia, pulcherrimumque humanæ naturæ theatrum, in quo ratio, & ratiocinatio regiam ſibi ſedem fixere. Et Beata Virgo juſtiſſimà ratione Civitas dicitur à capite, ut in oris illius majeſtate nobiliſſimum cujuſdam eminentiæ ſupra Angelicas, & humanas creaturas privilegium contemplemur.

4 Vel Civitas à capite: quia Angelorum, & hominum peperit caput, quod eſt Chriſtus. Quantum autem Ipſa ab hoc capite honoris, dignitatis, ac poteſtatis acceperit, optimè conjicitur ex iis, quæ Albertus Magnus *lib.* 4. *de laudibus Beatæ Mariæ c.* 4. *num.* 15. per modum quæſtionis proponit, dicens. Si verò quæratur: undè ei tanta excellentia? Poteſt reſponderi utique ex hoc, quòd Dominus fecit ei magna, qui potens eſt: magna in terris, exaltans eam ſuper omnes homines: magna in cœlis, exaltans eam ſuper omnes Angelos: magna in infernis, ſubjiciens ei univerſas tenebrarum poteſtates. Ideò de Ipsà poteſt dici, ſicut de filio, illud *Eſaiæ* 48. *Faciet voluntatem ſuam in Babylonem*, hoc eſt, in infernum: *& brachium ſuum in Chaldæis*, id eſt, in domibus. *Chaldæi* enim inteepretantur *fortes*, vel *quaſi mamilla.*

5 Item ex eo quòd copioſa eſt ſpiritualibus divitiis, conſpicua bonitate, diſerta ſapientià, tremenda cunctis virtutibus poteſtate; genere illuſtris, formà deſiderabilis, immenſitate incomprehenſibilis, æternitate indeficiens, cujus Imperium attingit à mari uſque ad mare: Quæ etiam ex dono Filii ſui attingit à fine uſque ad finem fortiter, & cum eo diſponit omnia ſuaviter. *Sap.*7. Attingit etiam ubique propter ſuam munditiam. *Sap.* 7.

6 Item ex eo quòd Virgo exiſtens, in Matrem Domini electa eſt: ut immaculatus de mundà naſceretur: ut ſicut in Cœlo Patrem habebat immortalem æternus, ſic in Cœlo Matrem haberet Virginem incorruptus. Et quia in Cœlo qualis Pater, talis Filius; ideò de terra qualis Mater, talis Filius. In Cœlo cum Patre æternus, & immenſus: in terra cum Matre immaculatus, & manſuetus. In Cœlo cum Patre incorruptus, & ſublimis: in terra cum Matre Virgo, & humilis. In Cœlo imago Patris; in terra imitator Matris. Et ideò Mariæ excellentia ex eo, quòd Filius Dei ſecundùm humanitatem dignatus eſt ei fieri conſimilis. Ideò etiam talem fecit Matrem ſuam ſecundùm quod Deus, qualis fieri voluit ex Matre ſecundùm quod homo. Propter hoc de Matre, & Filio dicitur *Oſeæ* 10. *Vitis frondoſa Iſrael*, id eſt, *Maria*: *fructus*, id eſt, Chriſtus, *adæquatus eſt ei.* Hactenus Albertus Magnus.

7 Si autem interpretemur illud *à principio*: & ex hoc principaliter Deiparæ augentur honores: cùm illud *à principio* ordinem æternæ prædeſtinationis in mente divina reſpiciat, quà Deus Virginem Beatam ad dignitatem Matris Filii ſui prædeſtinavit. Si enim de Chriſto Jeſu, & ejus prædeſtinatione ſcribit Apoſtolus *Rom.* 1. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, &c.* Et iterum 1.*Corinth.*2. de incarnata Sapientia: *Quam*, inquit, *prædeſtinavit Deus ante ſecula* (incarnandam

Cc 2 ſci-

ſcilicet in plenitudine temporis) *in gloriam noſtram*. Utique Deus & ipſam Virginem antè ſecula ad maternitatem Chriſti filii ſui prædeſtinavit in gloriam quidem ipſius Virginis, utpotè quę à Deo præelecta, ut Dominicæ Incarnationis eſſet officina, & etiam in gloriam totius humanæ naturæ.

8 Conſequenter benè ſequitur, quòd *Mareſa* interpretetur *hæreditas*: ex eo enim quòd Maria Dei Mater eſt, ipſi debetur hæreditas regni Cœlorum. Unde Ipſa dicit *Eccli.* 24. *Hæreditas mea ſuper mel, & favum*. Quod à Beato Alberto Magno lib. 4. de laudib. B. Mariæ c. 26. ſic exponitur. Hæreditas, id eſt, charitas in æternum duratura, qua diligor, & diligo. Unde *hæreditas mea*, id eſt, dulcedo mea hæreditaria, & indeficiens, *ſuper mel, & favum*: id eſt, tranſcendit omnem dulcedinem manifeſtam, & abſconſam. In melle enim dulcedo patet, in favo latet.

9 Vel aliter: *Et hæreditas mea*, id eſt, regnum Cœlorum, quod cedit mihi in hæreditatem ratione Filii mei. Quandiu enim Mater habet filium, cui debetur regnum, & filius non recedit ab obedientia Matris, ipſa eſt Domina. Beata autem Virgo habet filium, cui tanquàm hæredi debetur regnum cœlorum, & nullo modo recedit ab obedientia ſua: ergò Ipſa eſt Domina.

Dicit ergò hæc Domina: *Hæreditas mea*, hoc eſt, regnum cœlorum, *ſuper mel, & favum*. Nota, quòd quidquid dulce eſt, aut naturaliter dulce eſt, ſicut mel extractum de cera; aut artificialiter, ſicut favus. Eſt ergò dicere: *Hæreditas mea ſuper mel, & favum*, id eſt, ſuper omnem dulcedinem naturalem, & artificialem. Et hæc Albertus Magnus.

10 Jure merito igitur Mareſa civitas *Mariam* coronat, ob tot præclaros titulos, dignitatum culmina, & honoris inſignia. Sed quid aliæ urbes? Et ipſæ eò quod nomine famoſiores certatim Deiparam redimire contendunt. Pergat ergò ſtylus urbica diademata capiti imponere Mariano.

§. II.

Plurimùm in Alexandria ex munitione virtutum Beata Virgo commendatur.

11 PRiùs eſt aliquid dicendum de nominis etymo. ALapide in *Ierem. c.* 46. expendens illa ejuſdem Prophetæ verba. *Eccè ego viſitabo ſuper tumultum Alexandriæ*: vocis originem interpretatur, & undè Alexandria ſit dicta, & aliis nominibus appellata. Inquit igitur. *Eccè ego viſitabo ſuper tumultum*: Ideſt, populum tumultuoſum, vel multitudinem magnam, in qua ſolet eſſe murmur, & tumultus. Hæc enim hebraicè vocatur אמון *Amon*, vel המון *Hamon*: nam literæ א & ה ſæpè commutantur. Erat enim Alexandria potentia, opibus, & numero civium non minor, quàm Ninive, ut patet *Nahum* 3. *v.* 8. Alii accipiunt *Amon* ut nomen proprium, putantque ita vocari Alexandriam à Jovis Ammonii templo, quod Liber Pater ſub Joſue, ut docet Euſebius in Chronico, ædificavit in arena deſerti, quę ab Ægyptiis vocatur Ammos, & regio Ammonia. Ita Theodoretus. Verùm prò *Alexandria* hebraicè eſt נוא *No*: ſic enim ipſa à *Nahum c.* 3. *v.* 8. & *Ezechiele c.* 30. *v.* 15. vocatur נוא *No*: ſic enim vocabatur tempore Jeremiæ, quæ poſteà *ab Alexandro* dicta eſt *Alexandria*. Hebræum verò *Amon*, quod præponitur *No*, ideſt, *Alexandriæ*, Noſter hic, & alibi, æquè, ac alii, vertit *multitudinem*, vel *tumultum*. Ubi enim eſt turba, ibi eſt & ſtrepitus, ac tumultus.

12 *Amon No* ergò idem eſt, quod *turba Alexandriæ*; ſivè, ut ait Nahum, *Alexandria populorum*. Sic *Amona* vocatur civitas *in valle multitudinis Gog*, in qua ſcilicet ſepelientur innumeri milites Antichriſti. *Ezechiel.* 39. *v.* 16. Sicut ergò *Auguſta* vocatur civitas à magnificentia, ità *Amon*, ideſt, *multa*, vocatur ab incolarum copia. Rursùm ſicut *Auguſta* pluribus commune eſt nomen, quod proindè determinamus, & contrahimus, dicendo Auguſta Germaniæ, Auguſta Hiſpaniæ, Auguſta Galliæ, &c. ità *Amon* commune eſt nomen populoſarum urbium, quod proindè determinat Propheta, dicendo *Amon No*, quaſi dicat: *Multitudo Alexandriæ*. Ità ferè Sanchez, &c.

13 Habita vocis etymologia, Alexandriæ magnificentia, ſitus fortiſſimus, divitiarum copia, populus ſinè numero deſcribitur à Propheta *Nahum c.* 3. ubi ait. *Nunquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? Aquæ in circuitu ejus: cujus divitiæ mare: aquæ muri ejus*. Et comparabat Vates Niniven civitatem magnam Alexandriæ populoſæ, ut ex contextu patet.

14 Beata Virgo igitur eſt Alexandria. Urbs inclyta ædificiorum magnificentia, ideſt, ſpectabilium exemplorum conſpicuitate. Fortiſſima ratione ſitus, quia in gratiarum locata fluminibus. Divitiarum undique confluentium feraciſſima, id eſt, omnis generis virtutum, atque bonorum operum. Multitudo autem coloniarum ejus, donorum ſcilicet, prærogativarum, ac privilegiorum quaſi ſinè numero. Nonnè ergò evidenter conſpicimus Alexandriam jure primatum habere in *Mariæ* diademate?

15 Planè Albertus Magnus lib. 11. de laudib. B. *Mariæ* c. 1. num 25. hunc illi defert honorem. Hæc civitas, inquit, id eſt, *Maria* habuit murum divinæ protectionis: nàm ſi Dominus in circuitu populi ſui, multò potiùs in circuitu Matris ſuæ. Unde *Eſa.* 26. *Salvator ponetur in ea murus, & antemurale*. Angelicæ cuſtoditionis. Undè dicit ei *Pſal.* 90. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te*, &c. Omnimodæ virtutis. Virtutes enim muri ſunt: quia animam muniunt. Undè *Prov.* 25. *Sicut urbs patens, & abſque murorum ambitu*: murorum, ideſt, virtutum. Igneæ charitatis. Nam Chriſtus ignis eſt, *Deuter.* 4. qui ipſam ignivit. Undè dicit *Zachar.* 2. *Ero murus ignis in circuitu ejus*.

Aquarum, ideſt, gratiarum multitudinis: Ipſa eſt enim Alexandria habitans in fluminibus gratiarum, de qua *Nahum ult.* dicit: *Aquæ in circuitu ejus, aquæ muri ejus*. *Alexandria* interpretatur *allevians tenebras*, vel *auferens anguſtias tenebrarum*: quod optimè competit Beatæ *Mariæ*. Poteſt autem dici, quòd virtus humilitatis, benignitatis, manſuetudinis, & hujuſmodi, quaſi aquæ fluviales: patientia verò, martyrium cordis, & hujuſmodi, quaſi aquæ marinæ muniebant *Mariam*.

§. III.

Romæ hieroglyphica coronaria capiti Virginis complicantur in ſertum.

15 ROma ades corona mundi, Europæ ornamentum, Civitas Regum, & Civitatum Regina. Ades magnificentiæ Theatrum, oculorum Magnes, Gemma Annuli Orbis, Pulchritudo Univerſi, Italiæ ſplendor, populorum Amor, & gloriæ Apogæum. Ades Jeroſolyma nova, Paradiſi æmula, Empyrei fulcimentum, terreſtre Cœlum, Reipublicæ Chriſtianæ Iubar, & Fidelium centrum. Ades fidei Nutrix, Evangelii Magiſtra, Gratiarum Theſarus, Numinum honor, Infernique terror. Ades ſolſtitium Religionis, Reliquiarium Sanctorum, Hæreticorum naufragium, Peregrinantium Portus, & dux errantium. Ades denique Mundi Dominatrix, Nationum Domitrix barbararum, Hæreſum Profligatrix, Juſtorum ſanctificatrix, Chriſti Regia, & Capitolium Petri.

17 Et ad quid ego Romam compello? Satis latè patent Urbis Romanæ præconia, quæ leviter percurrere, non exiguæ paginæ finibus comprehendere, animus eſt. Sanè Proſper Carmine de Ingratis, ſeu contrà Pelagianos *cap.* 2. canit.

Sedes Roma Petri: quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

Indè Leo Papa ſerm. 1. in Natali Apoſtolor. Petri, & Pauli Romam alloquitur, & ad quantam gloriam per eos ſit evecta, ſibi congratulatur, dicens. Iſti enim ſunt Viri, per quos tibi Evangelium Chriſti Roma reſplenduit; & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt Patres tui, verique Paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendam multò meliùs, multoque feliciùs condiderunt, quàm illi, quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt: ex quibus, is qui tibi nomen dedit, fraterna te cœde fœdavit. Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut Gens Sancta, Populus electus, Civitas Sacerdotalis, & regia, per ſacram beati Petri ſedem caput orbis effecta, latiùs præſideres religione divina, quàm dominatione terrena. Quanvis enim multis acuta victoriis, jus imperii tui terra, marique protuleris; minùs tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubjecit.

18 Hinc Chryſoſtomus ſerm. 32. in epiſt. ad Romanos beatiſſimam prædicat Romam, ex eo quod corporum Petri, & Pauli ſit Mauſolæum. Ego, inquit, & Romam propterea diligo, tametſi aliundè illam laudare queam, nempè à magnitudine, ab antiquitate, & à pulchritudine, à multitudine, ab imperio, à divitiis, & à rebus in bello fortiter geſtis. Sed his omnibus omiſſis, ob id illam beatam prædico, quòd ergà illos Paulus, dùm viveret, adeò fuit benevolus, adeò illos amavit, & coram diſſeruit, & poſtremò vitam apud eos finivit. Cujus ſanctum corpus ipſi poſſident: & propterea Civitas illa hinc facta eſt inſignis magis quam ab aliis rebus omnibus: & tanquàm corpus magnum, ac validum duos habet oculos fulgentes, Sanctorum videlicet horum corpora. Non ita Cœlum ſplendeſcit, quandò radios Sol dimittit, quemadmodùm Romanorum Urbs duos iſtos fulgores ubique terrarum emittens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Conſiderate, & horrete, quale ſpectaculum viſura ſit Roma: Paulum videlicet repentè ex theca illa cum Petro reſurgentem in occurſum Domini ſurſum ferri. Qualem roſam Chriſto mittet Roma? Qualibus coronis duabus ornatur Urbs iſta? Qualibus catenis aureis cincta eſt? Quales habet fontes? Propterea admiror hanc Urbem, non propter columnas, neque propter aliam quamcunque rerum ſpeciem, ſed propter columnas illas Eccleſiæ.

19 Verùm inclyta, magnifica ſunt, & præclara, quæ olim Erinna Lesbia Ode in laudem Romæ decantavit. Audite.

Martis ò proles mihi Roma ſalve,
Auream bellis decorans coronam,
Quæ vel in terris ſtabiles Olympi
Incolis arces.

Hoc dedit ſoli tibi Parca munus,
Sceptra quòd geſtas labefacta nunquàm,
Imperatricis tua quæ poteſtas
Cuncta gubernet.

Ipſa quæ gaudet dare cuncta peſſum,
Reſque transformans hominum vetuſtas,
Implet æternum tua ſola ventis
Regna ſecundis.

20 Sed neque defuit ſacra, & Chriſtiana Poetria, quæ miris laudibus Romam efferret ad aſtra, neque fabuloſi Martis prolem aſſereret, ſed Apoſtolorum Petri, & Pauli filiam in Chriſto genitam prædicaret, quorum etiam triumphali laureata cruore perenniter vernaret ad gratiam. Ipſa Poetria fuit Elpis Boetii uxor, quæ ut notavit Genebrardus in hymnis Eccleſiaſticis, hymnum Apoſtolorum Petri, & Pauli Eccleſiæ Principum compoſuit, qui in eorum Veſperis recitatur, videlicet.

Aurea luce, & decore roſeo
Lux lucis omne perfudiſti ſeculum:
Decorans Cœlos inclyto martyrio
Hac ſacra die, quæ dat reis veniam.
Ianitor Cœli, Doctor orbis pariter:
Iudices ſecli, vera mundi lumina;
Per crucem alter; alter enſe triumphans,
Vitæ Senatum laureati poſſident.
O felix Roma, quæ tantorum Principum
Es purpurata pretioſo ſanguine,
Non laude tua, ſed ipſorum meritis
Excellis omnem mundi pulchritudinem.

21 Verùm quid Roma ex proprio nomine? Roma apud Veteres vocabatur Παμβασίλεια, virtutum domicilium, mundi caput, urbium Regina, Mater, & nutrix heroum, Patria legum, terra-

rarum Dea, Gentiumque communis noſtra Patria, Patria omnium, quæ ut Æneid. 6. Virgilius canit

Imperium terris, animos æquavit Olympo.
Tu regere imperio populos Romane memento.

Undè & appoſitè *Roma* Græcè ρωμη *robur*; Hebraicè verò *ſublimitatem*, & *celſitudinem* à radice רום *rum*, ideſt, *altus*, *excelſus* fuit ſignificat, ut notavit Hieronymus lib. 2. contrà Jovinianum, ubi in fine ſic Romam alloquitur. Ad te loquar, quæ ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione deleſti, Urbs potens, Urbs orbis Domina, Apoſtoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. *Roma* aut *fortitudinis* nomen eſt apud Græcos, aut *ſublimitatis* juxtà Hebræos.

22 Habet & alias etymologias è Græcorum fonte petitas, quas recitat ALapide In *Apocal. c.* 17. contrà Hæreticos, qui Chriſti gregem tanquam Lupi lacerare non deſinunt. Quid ergò? Hæreticis, inquit, quà curioſis, Roma eſt rima, & rumor; quà vinolentis, eſt rumen; quà ægris, rheuma, & ruina; quà effœminatis, ruma, & rumora ſalutis. At fidelibus qua credentibus, *Roma* eſt ῥῆμα, & ῥύμα, ideſt, oraculum, & propugnaculum fidei: quà pœnitentibus, eſt ῥύμα, ideſt, purgamentum, & luſtramentum: quà Sanctis, eſt רמה *rama*, ideſt, ſublimitas, & celſitudo virtutis: quà piis, & ſolitariis, eſt ρυμη, ideſt, vicus, eremus, & ſolitudo cleri, & Religioſorum: qua ſanis, & robuſtis, eſt ῥῶμη, ideſt, robur, & fortitudo mentis, & corporis, ut ait S. Hieronymus. Quin & nonnulli Viri docti cenſent hoc proprium eſſe Romæ etymon, utpotè quam priſci apud Solinum Polyſt. c. 2. Feſtum, & Dionyſium Halicar. lib. 1. Antiq. Roman. *Valentiam* priùs fuiſſe dictam Latinis tradunt. Denique Roma eſt ρυμὸς, ideſt, *temo* aurigantibus, & *remus* navigantibus in Cœlum. Per anaſtrophem *Roma* eſt *Amor*, Dei, & Cœli:

Roma tibi ſubitò motibus ibit Amor.

Et ò quam pulchrè ROMA dicitur AMOR. Et utinam mordaces linguæ diſpereant, quæ in Amoris contumeliam armantur. Sat erit Urbani Octavi Epigrammata duo, inter eius Poemata, attexere multo ſale, & ſpiculo aculeato conflata, quorum primum eſt in Maledicum, qui in Urbis Romæ Nomen impiè luſit, videlicet.

Cùm Romam nequeas (quod aves) evertere, nomen
Invertis, mores carpis, & obloqueris?
Te Germana tamen pubes, te Græcus, & Anglus
Arguit, exceptos quos pia ROMA fovet.
Hoſtibus hæc etiam parcens imitatur IESVM.
Invertis nomen: quid tibi dicis? AMOR.

Jam verò & de eodem Nomine eſt Epigramma ſecundum florido ſtylo, tanquàm mellificium Apis Urbanæ inter ſacros flores aſſuetæ verſari, digeſtum. Et verè mel propinat, & favum, dicens.

ROMA, ſibi quondam quæ robore ſubdidit Orbem,
Argivo robur nomine ſignificat.
Obtſia tunc tenebris taurino polluit aras
Sanguine, cùm faceret ſacra nefanda Iovi.
Vertit ab his mentem cultus exoſa Deorum,
Et veri floret relligione Dei.
Si nomen vertas, AMOR eſt: ut congruit! Illi
Nam pius in populos cuncta ſubegit AMOR.

23 Vel *Roma* duplici, & puro anagrammate eſt *Amor*, & *Mora*. Undè nec mirum ſepteno collium numero tanquam Urbium Imperatricem coronari: ut Virgilius 2. Georgic. canit in fine:

Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septem quæ una ſibi muro circundedit arces.

Et Horatius in carmine ſeculari:

Dii quibus ſeptem placuere colles.

Et Ovidius lib. 1. de Triſtibus:

Sed quæ de ſeptem totum circunſpicit Orbem
Montibus, imperii Roma, Deùmque locus.

Et Claudianus in Panegyri:

Quæ ſeptem ſcopulis Zonas imitatur Olympi,
Armorum, legumque potens, quæ fundit in omnes
Imperium.

24 Porrò hi ſeptem Romæ colles ſunt. Primus, Capitolinus, ſivè Tarpeius. Secundus, Palatinus, in quo extant ruinæ palatii magni Neroniani. Tertius, Cœlius, in quo ſita eſt Baſilica Lateranenſis; quæ fuit, & eſt prima totius orbis, undè in frontiſpicio hoc carmen inſcriptum literis uncialibus legimus:

Munere Papali ſimul, & datur Imperiali,
Quòd ſim cunctarum Mater caput Eccleſiarum.

Hic enim eſt priſca ſedes Papæ. qui in hac Eccleſia accepit poſſeſſionem Epiſcopatus Romani, & conſequenter annexi ei Pontificatus totius Orbis. Quartus, Eſquilinus, in quo eminet templum Beatæ Virginis Majoris, cujus dedicatio celebratur 5. Auguſti, ſub nomine Beatæ Virginis ad Nives, ob miraculum nivis, quæ locum templo deſignavit ſub Liberio Papa. Quintus, Viminalis, in quo extat locus martyrii S. Laurentii, in eius Eccleſià, quæ Paniſperna cognominatur. Sextus, Quirinalis, qui hodiè à duabus ingentibus ſtatuis marmoreis Alexandri domantis Bucephalum, quarum unam ſculpſit Phidias, alteram Praxiteles, vocatur *Monte Cavallo*. Septimus, Aventinus, in quo ſunt templa S. Sabinæ, S. Alexii, S. Sabæ, &c. Ità ALapide loco ut ſuprà.

25 At Roma tandèm, nè diſtrahamur in multa, Mariæ hieroglyphicum eſt. Et quid Beata Virgo niſi quædam Roma cœleſtis? Ipſa enim altera Jeroſolyma, Cœlum novum, Paradiſus amœniſſima, Empyrei fulchrum, Gemma annuli Dei, præclarum quadrifidi Orbis ornamentum, Gratiarum Theſauraria, & Theſaurus, Divini Numinis ſacrarium, Dei honor, dæmonumque terror. Ipſa animorum Magnes, fidelium centrum, Chriſtiadum Sol, hæreſum naufragium, Catholicorum Portus, recta, & tuta errantium via, Domina Mundi, Regina Cœli, Capitolium fidei, Chriſtique Summi Pontificis Sedes, & Regia.

26 Cyrillus enim Alexandrinus homil. contra Neſtorium, ſic eam alloquitur. Sit tibi Sancta Dei Mater laus. Tu enim es pretioſa Margarita Orbis terrarum: Tu lampas inextinguibilis, Corona virginitatis, Sceptrum orthodoxæ fidei, Templum indiſſolubile, continens eum, qui nuſquam contineri poteſt: Mater, & Virgo; per quam benedictus qui venit in nomine Domini, in ſanctis Evangeliis nominatur. Per Te Trinitas ſanctificatur, per Te Crux pretioſa celebratur, & adoratur in toto Orbe terrarum. Per Te exultat Cœlum,

lum, lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur dæmones, & homo ipſe ad Cœlum revocatur. Per Te omnis creatura idolorum errore detenta, converſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad Sanctum baptiſma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum conſtructæ ſunt Eccleſiæ. Te adiutrice Gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per Te unigenitus Dei filius, vera illa lux effulſit ſedentibus in tenebris, & umbra mortis. Per Te Prophetæ prænunciarunt, per Te Apoſtoli ſalutem Gentibus prædicarunt. Quiſnam poterit tuarum laudum præconia explicare, Maria, Mater, & Virgo? Hæc Cyrillus.

27 An non ergò Beatiſſima Virgo altera Roma, Collegium Sanctitatis, & domicilium virtutum? Ipſa nè dùm terrarum, ſed quædam etiam Cœlorum quaſi Dea, Numenque deificatum, quia Dei Mater, & Parens, Chriſtique Sanctiſſimus locus, immò & totius Trinitatis. Undè Albertus Magnus *lib.* 10. *de laudib. Beatæ Mariæ c.* 21. exponens illud *Pſal.* 75. *Factus eſt in pace locus eius*, ad laudem Virginis inquit. *In pace*, ideſt, in *Maria* pacifica, quæ quià pacis amica, ſignatur per olivam, & columbam: *factus eſt locus eius*, ideſt, Chriſti, vel totius Trinitatis, cuius Ipſa eſt nobile triclinium. Et de hoc loco dicunt omnes realiter, qui honorificant *Mariam*: *Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes eius*, ideſt, Chriſti. *Pſal.* 131.

28 Adhuc Ipſa noſtræ ſanctificationis eſt locus, ut idem Albertus Magnus exponens illud *Ierem.* 7. *Locus ſanctificationis noſtræ expectatio Iſrael*, probat dicens. Ipſa enim eſt locus ſanctificationis noſtræ: quia Ipſa eſt templum Dei, in quo divina myſteria celebrantur, per quæ ſanctificantur qui de peccatoribus fiunt iuſti: & in Ipſa celebratum fuit illud Sacramentum, ex quo noſtra ſanctificatio proceſſit. De quo Sacramento 1. *Timoth.* 3. *Manifeſtè magnum eſt pietatis Sacramentum*. Et appellatur hic Sacramentum pietatis incarnatio Salvatoris, quod ſcilicet Sacramētum pietatis celebratum eſt in templo uteri Virginalis. Ideò rectè uterus Mariæ locus dicitur ſanctificationis totius generis humani: & Ipſa eſt *expectatio Iſrael*, ideſt, gloria Beatorum.

29 Quis mihi negaverit Romam Mariæ hieroglyphicum eſſe, aut hieroglyphica Romæ quaſi in uno conſerta diademate Deiparam coronare? Roma quidem Petri Capitolium, & ſedes eſt, ſed Deipara ſedes, & ſeſſio Chriſti Pontificis æterni. Non recedo ab interpretatione Alberti Magni *lib.* 10. *de laudib. B. Mariæ c.* 7. in illud *Apocal.* 4. *Eccè ſedes poſita erat in Cœlo, & ſuprà ſedem ſedens*. Siquidem ait. *Et eccè ſedes*, allegoricè Angeli, & Prælati, in quibus ſedet, & regnat principaliter Dominus, & alios regit, & iudicat, *poſita erat in Cœlo*, hoc eſt, in Eccleſia Dei prouidentia ordinati. Undè *Ioan.* 13. dicit eis Dominus: *Poſui vos, ut eatis, &c.* Vel *Maria*, in qua reſedit maieſtas Deitatis, poſita erat in Cœlo in aſſumptione, miniſterio Angelorum, in corpore, & anima, ut piè creditur. Sedes ergò *Maria*. Sedens Filius Dei ex eà carnem aſſumens: eius enim ſeſſio eſt Incarnatio, undè & dicit Patri *Pſal.* 138. *Tu cognoviſti*, ideſt, approbaſti, *ſeſſionem meam*, ideſt, Incarnationem meam in Virgine.

30 Ubi autèm eſſet hæc ſedes poſita, dicitur *Ezechiel.* 1. *Vidi, & eccè ſuper firmamentum, quod erat imminens capiti animalium, quaſi ſimilitudo throni*, ideſt, Beata Virgo, quæ eſt thronus, ideſt, Sedes regia. Sequitur: *Et ſuprà ſedem ſedens*, Chriſtus ſcilicet ſua virtute eam continens, & maieſtate præcellens, quod notatur per hoc, quod dicitur *ſuprà*. Chriſtus enim omnes Sanctos excedit dignitate, & gratià; & dicitur ſedere ſuper eos, quià præſidet eis ſecundùm divinitatem auctoritate, ſecundùm humanitatem dignitate: nàm *qui de Cœlo venit, ſuper omnes eſt. Ioan.* 3. Hactenùs Albertus Magnus.

31 Si autèm Roma nomen eſt fortitudinis, aut ſublimitatis: quid poſt Deum fortiùs, aut ſublimiùs *Maria*? Si Roma communis Patria; & Deipara omnium Patria: undè de eà dicitur *Pſal.* 86. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te*. Denique quæcunque epitheta, & nomina Romæ attribuuntur, eadem omninò potiori ratione Deiparæ conveniunt. Beata enim Virgo fidelibus & credentibus oraculum eſt, & fidei propugnaculum: pœnitentibus luſtramentum: perfectis ſublimitas, & celſitudo virtutis: piis, & ſolitariis eremus, & ſolitudo devota: fortibus, & robuſtis, animi vigor, & corporis robur: clavus regentibus: navigantibus in Cœlum remus, & cymba. Adde demùm, quod Roma dicitur Dei, Cœlique Amor: & Virgo Beata, Sponſa Dei eſt, quæ vox amorem ſonat, & dilectionem Dei in ipſam: in quam etiam Angeli propter multitudinem gratiarum, & charitum divinarum conſpicere deſiderant, & concupiſcunt. Ultimò tandèm conclude, quod Roma ſeptem collibus coronatur: & Deipara ſeptem donis Spiritus Sancti, vel ſeptem gloriæ dotibus, tribus animæ, & quatuor corporis, redimitur.

§. IV.

Vrbis Iericho Beata Virgo poſſidet Coronamenta.

32 CIvitas Iericho, Roſarum gloria, famaque celebris (quemadmodum & Suſan famoſitatem à liliorum fragrantià, & multitudine habuit) roſeam Virgineæ fronti Coronam innectit. Et quidem eam Virginem, quæ tanquam flos roſarum inter omnes flores in diebus vernis micat, ac fulgurat, non niſi roſarum Jerichuntinarum diadema decebat. Undè & Divinus Spiritus Ipſam roſæ Ierichuntis aſſimilat; *Quaſi plantatio roſæ in Iericho. Eccli.* 24. Agè ergò, & videamus Urbem Iericho converſam in roſam, vel roſam in Urbem Iericho transformatam, ut ad Virginem coronandam fieret roſarum corolla. Quæ autem in hoc genere ſunt dicenda, à Commentariis ALapide in *Eccli.* 24. omninò petenda.

33 Quid ergò, *Quaſi plantatio roſæ in Iericho*? Significat Ierichuntis roſas fuiſſe excellentiores cæteris ſivè ſpecie, & rubore, ſivè odore, (*Iericho*

cho enim Hebraicè *odorem*, vel potiùs *expirationem odoris* notat; undè ab eà dicta videtur Urbs Iericho) ſivè magnitudine, ſivè altitudine; nimirùm roſeta ibidem excreviſſe in arbores, vel certè in arbuſta. Roſam enim hic collocat Siracides inter cedrum, cypreſſum, palmam, & oleam, quæ omnes ſunt arbores. Fortè etiam roſæ Ierichuntis alterius ab aliis fuere ſpeciei, & generis. Certè Saligniacus, *tom.* 3. *c.* 6. ſcribit propè fontem Iericho, quem ex ſalſo dulcem reddidit Eliſæus 4. *Reg.* 2. in ſpinoſis arboribus pulcherrimos naſci flores, quas roſas Ierichuntinas vocant, illaſque id habere gratiæ, ut nocte Natalis Domini ſe ſe aperiant, poſteà ſe concludant, licet ſiccæ ſint, & aridæ, in teſtimonium Virginei partus, ut credere licet, ait Adrichomius in deſcriptione Terræ Sanctæ, in Fonte Eliſæi.

34 Sic roſa Chinenſis arbor, vel potiùs arbuſtum eſt, foliis ſimilis ficui, carens ſpinis, quæ roſam profert ſimilem noſtræ colore; ſed ità ut primum albeſcat, deindè ſenſim tota in rubrum ſeſe convertat. Vidimus eam è China Romã tranſlatam, ibidem hoc anno Jubilæi 1625. in Decembri ſub Natalem Domini cum ſtupore intuentium florentem, roſaſque proferentem primò candidas, mox rubeas, & purpureas. Mirùm eſt quod de eà hoc anno in lucem edidit P. Joannes Baptiſta Ferrarius Senenſis, Hebraicæ linguæ in Collegio Romano Profeſſor, qui primus ſemen eius è Chinà acceptum, Romæ ſevit, educavit, arboreſcens, florenſque hoc anno effecit, uti oculatus ſum teſtis.

35 Sic ergò ipſe, in *orat.* 25. cuius titulus, *Aetas florea*, roſam Chinenſem pingit. Videas frondibus, magnitudine, ac formà pampinos imitantibus conveſtitam, è ſmaragdino dehiſcentis calicis conclavi, multiplici foliorum ſyrmate regaliter explicato, in publicam lucem prodire, lucis ipſius formoſa diſcrimina quotidiè ſic æmulantem, ut initio quidem candidam, deindè ex candidà rubentem, poſtremò ſaturo colore purpuream, hoc eſt, ſimul aliam, ſimul eandem admireris, & quotidiani miraculi novitate fateri cogaris ad florum Reginam, quæ tanquàm Sol alter, variæ fuco lucis diem coloret, colorum principes viciſſim accedere tributarios.

36 Porrò errant qui roſam Iericho cenſent eſſe amomi ſpeciem, quos recenſet, & confutat Matthiolus in Dioſcoridem *lib.* 1. *c.* 14. Omninò, inquit, explodendi ſunt, qui prò certo aſſerere non verentur, eam ſtirpem eſſe amomum, quam Ierichuntam à Iericho Paleſtinæ oppido, appellant. Plantam hanc plerunque ad nos è Iericho deferunt ii, qui ad Redemptoris noſtri ſepulchrum peregrè proficiſcuntur. Ea enim eſt, quam noſtrates mulieres *roſam divæ Mariæ* vocant. Conſtat hanc amomum non eſſe, quòd folia albæ vitis non proferat, nec ullo ſpiret odore: Legitimum enim valdè odoratum eſt, adeò ut nares feriat primo ſtatim occurſu, organumque recipiat. Cordus, libello de conficiendis pharmacis, ſatis inconſtanter de amomo diſſeruit: quippè in compoſitione aureæ Alexandrinæ prò certo aſſerit, amomum verum eſſe roſam Ierichuntis: in compoſitione verò theriacæ, ſui ipſius oblitus, habere nos amomum negat. Utuntur Ierichunta noſtrates mulieres tempore partus, ad inveſtigandam pariendi horam; quandoquidèm, ut ipſæ fatentur, in aquam demiſſa, non priùs fatiſcit, quàm fœtus naſci incipiat: tanta inter Chriſticolas irrepſit ſuperſtitio.

37 Prò, *plantatio roſæ*, Syrus vertit *Arbatuardo*, quam vocem ſi dividas, idem eſt, quod *planta*, vel *plantatio roſæ*; uti habet noſter, & Græcus: ſin autem coniunctim legas, & quaſi unam dictionem accipias, ſignificat *Buphthalmum*: itaque Syri legunt, undè vertunt: *Et ſicut Buphthalmus in Iericho*: adduntque: Buphthalmus eſt plãta quædam, quæ germinat ſecùs decurſus aquarum, & habet flores ſicut roſa, (idem apparet in Icone Buphthalmi, quam exhibet Cluſius *lib.* 3. *hiſt. plant.* *c.* 30.) & appellatur vulgariter apud Arabes, *Arbor Mariæ*. Dicitur *Buphthalmus* per craſin quaſi Βοὸς ὀφθαλμός, ideſt, *bovis oculus*, quòd illi ſit ſimilis; ſicut *bugloſſa* dicitur quaſi Βοὸς γλῶσσα, ideſt, *bovis lingua*, quòd illi herba hæc aſſimiletur. Undè Plinius *lib.* 25. *c.* 8. *Eſt & Buphthalmos*, inquit, *ſimilis boum oculis, folio fœniculi, circà oppida naſcens, fruticoſa caulibus, qui & mandentur decocti. Quidam cachiam vocant. Hæc cum ceraſchiromata diſſentit.* Hæc A Lapide quò ad literam.

38 Myſticè verò Roſa in Iericho, & Iericho, in Roſà, hoc eſt, transformatio Roſæ in Urbem Jerichuntinam, & Urbis Iericho in Roſam, deſignat Beatæ Virginis coronam, quæ de roſarum flore, & roſea Urbe plectitur, ad exprimendam Deiparæ regiam dignitatem, quemadmodùm & Roſa eſt Regina florum. Roſa ergò regalis, ſpecioſiſſima, *Maria*, & Roſa Ierichuntina inter cæteras roſas pulcherrima, hoc eſt, ſine ſpina peccati; unde Sedulius eleganter *lib.* 2. *Carm.* alludens ad Roſam, quam Baſilius, & Ambroſius in Hexamer. cenſent initio mundi creatam ſine ſpinis, poſt peccatum verò ſpinas induiſſe, ita canit:

Et velut in ſpinis mollis Roſa ſurgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremque obſcurat honore:
Sic Evæ de ſtirpe, Sacrà veniente Marià,
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piavit:
Sicut ſpina Roſam, genuit Judæa Mariam.

39 Hinc Beatus Hermannus Joſeph, (ait ALapide loco ſupra cit.) mirè Beatæ Virginis devotus, & familiaris, eam nuncupare ſolebat *Roſam ſuam*, nec ſine cauſa. Nam quadam vice ab illa viſitatus, & cœleſti conſolatione perfuſus, vidit ab ea per cubiculum ſuum ſpargi perplures fragrantiſſimi odoris roſas, quas ipſe reverenter colligens pretioſo in calice collocavit. Unde Ipſa crebrò eum viſitans, conſolans, & familiariter colloquens, ipſum ſuum fidelem amicum, ſacellanum, quin & Sponſum appellare ſolebat. Quadam enim nocte apparens eidem ſpecie pulcherrima, comitata Angelis: Angelorum unus dexteram Hermanni apprehendens, & manui Beatæ Virginis copulans, his verbis eam illi deſpondit: *Hanc ego Virginem tibi trado Sponſam, ſicut fuit olim deſponſata Ioſeph, ut nomen Sponſi pariter cum Sponſa accipias, & de cætero Ioſeph vociteris.* Hoc, & plura extant in vita ejus apud Surium die 7. Aprilis, quam ejus familiaris amicus, Vir gravis conſcripſit.

40 Roſa igitur Beatæ Virginis venuſtatem, dignitatis item, & gratiæ ſuadeolentiam, cum puritate vitæ, charitatis ardore, morumque ſuavitate conjunctam, nobis exhibet Unde Damaſcenus Orat. 1. de Nativit. O Roſa, inquit, quæ ex ſpinis, id eſt, ex Judæis orta es, ac divina fragrantia omnia perfudiſti. Atque hac de cauſa Beatam Virginem quaſi Roſam Cœleſtem, fideles Roſario (cujus auctor, & propagator fuit Sanctus Dominicus) ſivè corona, centies, & quinquagies iterando ſalutationem Angelicam, honorant.

41 Denique Albertus Magnus lib. 11. de laudib. Beatæ *Mariæ* c. 1. num. 31. per Urbem Jericho Deiparam intelligit, & concludit, dicens. Ipſa civitas *Iericho*, quod interpretatur *Luna*, vel *odor ejus*: nam Ipſa eſt pulchra ut Luna, & tota odorifera ſingularum aromatibus virtutum: de qua ſcilicet Jericho dixerunt, & jugiter dicunt, agendo gratias Eliſæo, ideſt, Chriſto, Viri Civitatis illius, familiares ſcilicet Beatæ *Mariæ* 4. *Reg.* 2. *Eccè habitatio Civitatis hujus optima eſt, ſicut tu ipſe Domine perſpicis*, &c. Et benè optima: vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona: ſed maximè ea quæ fecit in Virgine, erant optima valdè.

§. *V.*

Alio coronæ genere Beata Virgo à civitate Antiochia Coronatur.

42 ET tu quidem Antiochia, Syriæ Metropolis, ex interpretatione tui nominis, alterius generis capiti Virginis præparas corollas. Nectis enim non florum caduca ſerta, ſed virtutum diademata æterna. Et undè hæc tua coronamenta? A paupertate, & ſilentio Sic enim *Antiochia* interpretaris: videlicet *paupertas ſilens*: vel *ſilentium paupertatis*: ut habetur de Interpretatione Nominum Hebraicorum. His floribus Paradiſi, qui nunquàm marceſcunt, tu Deiparam Coronas.

43 Ipſa igitur Virgo Urbs Antiochia, & etiam Syriæ Metropolis. Nam *Syria* interpretatur *ara*, vel *humecta*: aut *ſublimis*, vel *ſublimitas*. Et Deipara perfectionum metropolis, & ara, ſivè altare Dei fuit, ſublimis autem, privilegiorum eminentia, & gratiarum aquis humecta. Urbs verò Antiochia, ratione paupertatis ſpiritus. Nam, ut Albertus Magnus *lib.* 4. *de laudib. B. Mariæ c.* 20. *num.* 3. & 4. benè notat, conſtat quòd pauper fuit ſpiritu, ideſt, voluntate, non neceſſitate, cùm filius ejus cujus eſt terra, & plenitudo ejus, nihil poſſet, aut vellet ei negare, ſicut apparuit, quandò ad nutum ejus aquam convertit in vinum. *Ioan.* 2. Meritò autem paupertatis lucrata eſt regnum cœlorum: quia ſicut dicitur *Luc.* 6. *Beati pauperes: quia veſtrum eſt regnum Dei.*

Et nota, quòd unum martyrii genus eſt voluntaria paupertas. Unde dicit Bernardus *ſerm.* 1. in feſto omnium Sanctor. in fine. Mirabile martyrii genus eſt voluntaria paupertas. Quid enim mirabiliùs, aut quod martyrium graviùs eſt, quàm inter epulas eſurire, inter pocula ſitire, inter veſtes algère, paupertate premi inter divitias, quas oſtendit mundus, offert malignus, deſiderat noſter appetitus. Mirabile eſt ignem tangere, & non uri; ſpinas colligere, & non pungi; lapides tranſire, & non lædi. Sunt enim divitiæ, ignis, ſpinæ, & lapides.

44 Item quia fuit amatrix paupertatis, & in lege ubi temporalia promittebantur, dicitur de eà *Apocal.* 12. quòd habebat Lunam ſub pedibus ejus: ideſt, omnem mundi gloriam, & omnia mutabilia ſub affectibus. Ideò dicitur *Mater pulchræ dilectionis. Eccli.* 24. Quia in nulla parte fuit in ea amor terrenitatis, quæ ſordidat animam, & obſcurat, ſed Deum amavit antè omnia, & nihil cum ipſo: Et hæc eſt pulchra dilectio, quam Ipſa emiſit in lucem, ſicut mater filium, quem geſtabat in utero, emittit in lucem in partu: & ideò dicitur *Mater pulchræ dilectionis.* Ideò dictum eſt de ea *Eſa.* 16. *Egredietur virga de radice Ieſſe.* Jeſſe, quia Pater David, & ideò caput regni, poteſt ſignificare populum Judæorum. Radix illius populi erant temporalia: quia prò terrenis ſerviebant, & in eis radicati erant, & fundati. *Eſa.* 1. *Si volueritis*, &c. Ab hac radice egreſſa eſt Beata Virgo per contemptum temporalium, &c.

45 Denique Beata Virgo eſt Antiochia ratione ſilentii prudentiſſimi, quod indicabat ſecunda interpretatio. O quàm laudabile ſilentii exemplum dediſti Beatiſſima, & omnibus imitandum! Præconium hoc Albertus Magnus lib. 4. de laudib. Beatæ *Mariæ* c. 31. concludit, dicens. De taciturnitate, quæ ſignum eſt ſapientiæ, commendat Filius Matrem *Cant.* 4. *Quàm pulchra es amica mea*, &c. *Oculi tui Columbarum extrà taciturnitatem tuam*: ideſt, *præter*. Ita dicit alia translatio, quam ponit Ambroſius. Tota enim ſpiritualis, & ſimplex ut columba, in cujus ſpecie Spiritus Sanctus viſus eſt deſcendere ſuper Chriſtum *Luc.* 3. & *Ioan.* 1. Non eſt enim mediocris virtus tacere, ſicut dicit Ambroſius: & ideò de taciturnitate commendatur *Maria*, quæ omnia verba conferens in corde ſuo, tacitè conſervabat.

46 Notorium enim eſt, & vulgatum, muliebrem ſexum de multiloquio, & minori circunſpectione redargui: nec mirum, cùm ad primas ſuggeſtiones noxias loquela penitus ſit adempta ſerpenti, & aliquatenus inhibita mulieri. Hìc poteris aſſignare de propera reſponſione Evæ, ſinè diſcuſſione verborum ſerpentis, undè ortum eſt omne malum: & cogitatione Mariæ qualis eſſet Angelica ſalutatio, undè ortum eſt omne bonum. Beatus quoque Bernardus: Poſt majorum chariſmata gratiarum in omnium maxima mulierum Dei Genitrice *Maria* gravitatem ſilentii dignis laudibus prædicabat.

47 Ipſa etiam dicit de taciturnitate ſua, quaſi ſeipſam commendans, *Eccli.* 8. *Ego os Regis obſeruo*: id eſt, os meum quod eſt regium; ut ſcilicet nihil aliud loquatur, quàm quod Regem deceat, & Reginam, ſcilicet verba lenitatis, & clementiæ; verba pietatis, & juſtitiæ. Ipſa etenim mulier ſenſata, & tacita, *Eccli.* 26. quæ ſedebat ſolitaria, & tacebat, & levabat ſe ſuper ſe per contemplationem Dei. *Thren.* 3. Siquidem quia fuit ſenſata, ideſt,

plena ſenſu, & tacita, non ſeminiflua, ſed loquens in tempore congruo.

48 Fuit *tempus tacendi, & tempus loquendi*, ſicut dicit *Eccl.* 3. Tempus tacendi ei fuit antè mortem Chriſti, loquendi poſt. Debuit tacere in præſentia Verbi, nec radiare debuit Luna præſente Sole, ſicut nec Luna radiat in præſentia Solis. Sed Verbo obmuteſcente per mortem, debuit revelare myſteria, quæ conſervabat in corde ſuo contra ſcandalum crucis: quia ſuper omnes novit. Undè poterat dicere illud *Eſa.* 24. *Secretum meum mihi*, quantùm ad ſtatum concipientis, portantis, & parientis. *Secretum meum mihi*, quantùm ad cognitionem ipſius, quem concepit: quia ſuper omnes habuit notitiam divinitatis. Luna etiam non debuit radiare præſente Sole, ſed Sole tendente per mortem ad occaſum, contrà tenebras noctis debuit emittere radios lucis, & doctrinæ. Undè & dicitur *Pulchra ut Luna. Cant.* 6.

49 Turbata etiam fuit in ſalutatione Angelica: quia ſilentium ſuum, quod valdè amabat, reſpondendo infringere cogebatur. Cogitabat etiam, qualis eſſet iſta ſalutatio. Et utinam Moniales, & recluſæ, & Religioſæ noſtræ tacendo cogitarent, quomodò in judicio reſponderent, ubi de omni verbo otioſo reddituri ſunt homines rationem. Senſata etiam fuit, & tacita in interioribus verbis, quæ ſunt cogitationes, & affectiones, ſeu deſideria cordis, quæ loquuntur Deo. Undè & de ea dicitur *Eſa.* 32. *Princeps*, ideſt, *Maria* deſignata per *Saram*, quæ interpretatur *Princeps*, *ea quæ digna ſunt Principe, cogitabit*, cogitationes ſcilicet pacis, & non afflictionis. Hactenùs Albertus Magnus, ex cujus dictis optimè colligitur, quòd Beata Virgo rectè dicitur Antiochia, ſcilicet paupertas ſilens, vel ſilentium paupertatis.

CAP. X.

Vrbium denique alter Quinarius Deiparæ Coronam perficit, atque hoc Volumen abſolvit.

1 AD calcem operis tandem pervenimus. Sed nunquid Deiparæ laudibus finem præſcribimus? Minimè. Nam ille, qui triſulcum fulmen verè geſtat in manu, atque tonat in Cœlis, æterno, immobilique decreto ſtatuit, ac voluit, nullis includi terminis præconia Matris ſuæ: undè & ait:

His ego nec metas laudum, nec tempora pono.

Finis ergò potiùs imbecillitati ingenioli noſtri ponitur. Debiles enim humeri immenſum pondus ferre non valent. Sed bono noſtro fatiſcimus, & cedimus oneri, magnitudine victi, ſcientes quòd vinci, ac ſuperari nobis utile, honeſtum, ac delectabile eſt. Fatemur igitur ingenuè à nulla lingua Angelica, vel humana dignè poſſe Deiparam laudari. Ipſa ſibi digna quidem laus eſt. Ejus Nomen Ipſi ſibi abſoluta Panegyris. Cùm *Mariam* dicimus, laudum ejus compendium prædicamus. Cùm Dei Matrem Ipſam vocamus, nullum majus iſto præconium eſt. Dùm igitur ejus Nomen huc uſque laudum ſuarum materiam præbuit, circulum perfectum faciens, finem etiam initio conjungit, ut ex ejus quinque elementis quinos alios Urbium titulos ad ipſius laudem videamus enaſci. Hoc illi Nomen æternum, hæc immortalis fama, ut de Urbibus coronetur: vel Ipſa Urbibus Nomen imponat: aut Ipſius Nomen Urbes ipſæ componant, videlicet:

M agdalum.
A thenæ.
R hodus.
I eruſalem.
A pollonia.

§. I.

Quid per Magdalum in Beata Virgine figuretur.

2 ET quid Magdalum? Quid forte, & magnificum ſonat, quid excelſum, & altum. *Magdalum* enim, ut habetur de Interpretatione Nominum Hebraicorum, interpretatur *magnitudo*, vel *turris*: ſeu *defendens eos*, aut *præmunitio eorum*. Jam fulgent in Magdalo Mariæ bellatricis inſignia. Jam bellica in ipſo Virgineæ fortitudinis trophæa micant Jam Partheniis triumphorum clareſcit inſignibus Jam denique Magdalum *Mariæ* typo grandeſcit.

3 Quid autem tam magnificum, & excelſum quàm *Maria*, cui Deus celſitudinem, & magnitudinem contulit, ut ita dicam, immenſam? Et propter hoc Ipſa à quolibet fideli magnificanda. Nam, ut inquit Albertus Magnus *lib. 2. de laudib. Beatæ Mariæ cap. 5. num.* 9. Debemus Beatæ Virgini magnificationem. Quod fit, quandò corde, ore, opere prò poſſe noſtro Ipſam extollimus, & ad ejus ſervitia, laudes, & dilectionem quoſcunque poſſumus invitamus. Quaſi dicat eis verbo, & exemplo amator *Mariæ*: *Magnificate Dominam mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum*: ideſt, concorditer. Auguſtinus *ſerm. de Aſſumpt. Virginis.* Quaſi diceret: Magnitudinem Mariæ mecum prædicate, & nominis ejus præconia magna voce attollite.

4 Ad hoc enim ſuo exemplo invitat nos beata Eliſabeth *Luc.* 1. quæ ſalutata à Beata Maria, exclamavit voce magna: *Benedicta tu inter mulieres*, &c. Voce magna, non tàm clamoſa, quàm devota, ſicut dicit Beda. Item exemplo illius ſanctæ mulieris, quæ extollens, ideſt, ex corde tollens vocem de turba *Luc.* 11. dixit Jeſu: *Beatus venter qui te portavit*, &c. Vocem enim noſtram extollere, eſt magna devotione, magno deſiderio, & magno anniſu *Mariam* magnificare. Sicut enim à Filio ſuo, cujus omnis actio noſtra lectio eſt, magnificata eſt vehementer: Sic ab omni Chriſtiano magnificanda eſt vehementer. Et ſicut de Filio dicimus: *Magnificabo eum in laude*: Sic & dicamus de Matre.

5 Eckebertus Abbas ad *Mariam*. Magnificet te omnis anima, ò Mater dulcedinis, & beatitudinem cordis tui, undè ſalus noſtra profluxit, collaudet omnis lingua piorum in ſecula ſeculorum. Idcircò autem à nobis magnificanda eſt Beata Virgo, quia per eam de tenebris ad lucem,

de invio ad viam, de morte ad vitam, de corruptione ad integritatem, de luctu ad riſum, de mœrore ad gaudium, de terra ad Cœlum, de carcere ad regnum, de ſervitute ad libertatem, de pœna ad gloriam, de ore ſæviſſimi draconis ad ſinum reducimur piiſſimi Patris. Huc uſque Albertus Magnus.

6 Sed turris Magdalum, & *Maria* arx Turrita. Et propterea in laudibus Lauretanis ab Eccleſia, *Turris Davidica* nuncupatur. Quis arma, ſpolia, & trophæa referat ad decorem ſuſpenſa? Quis dicendo aſſequi valent ejus robur, ac decus? Pulchra ad intuendum, fortis ad defendendum. Artificio venuſta, munitionibus robuſtiſſima. Ea ſolùm recitabo, quæ de hac Turri habet Placidus Nigidus in ſua expoſitione. Turris Davidica, inquit, à Deo belligero, Domino exercituum ædificata in tutelam, & ſecuritatem Eccleſiæ, ad terrorem, & fugam invadentium hoſtium infernalium. Et tu quidem pulcherrima ad aſpectum, Virgo, amicis, Angelis, fidelibus hominibus; cæterum, & terribilis eadem hoſtibus humani generis, id eſt tui. Quis dicat artificia, quibus utrunque ſummus Artifex in te mira concordia complexus eſt, & robur, & pulchritudinem? Quis tua enumeret propugnacula, virtutes nimirum tuas, & efficacitates ad protegendum?

7 Mille clypei pendent ex te, arma ſcilicet defenſioni apta, quæ tolerandi, & fortiter ferendi adverſa mille rationes ſunt, & argumenta, in te, & propter te: nam quia tu Virgo puriſſima, tot adverſa tam fortiter paſſa es; quis non patiatur ad tui exemplum? Jam verò & quia Tu ſuades tolerantiam; & quia prædicas filiis tuis illam; & quia oſtendis flagellatum Filium tuum; & quia leves facis ipſas perpeſſiones miris artibus, obvians ſicut Mater honorificata tuis, & vinum in aquam permutans; quis adhuc non fortiter, & libentiſſimè patiatur? Hi mille clypei ſunt, quæ eſt omnis armatura fortium, in tolerando enim ſic, fortitudo maxima demonſtratur. Eſto & nobis, Domina, Turris fortitudinis à facie inimici. Hæc illo. Jam ergò Magdalum tuam perfecit coronam.

§. II.

Athenarum prærogativæ in Deipara demonſtrantur.

8 ISidorus *lib.* 15. *Origin. cap.* 1. Urbem Athenarum laudat ab origine, antiquitate, & nobilitate, omnique bonarum artium ſtudio, & quòd à Minervæ Numine licet fabuloſo nomen habuerit. Athenas, inquit, in Hollade Cecrops condidit, & ex ſuo nomine Cecropiam nominavit. Hanc Amphion, qui in Græcia tertius poſt Cecropem regnavit, Minervæ ſacravit, & nomen Civitati *Athenas* dedit. Nam *Minerva* Græcè Αθήνη dicitur. Undè & Minervam Græci inventricem multarum artium aſſerunt: quia & literæ, & artes diverſorium ſtudiorum, & ipſa Philoſophia, veluti templum Athenas habuerunt. Caſſiodorus verò *l.* 12. *Variar. epiſt.* 15. à Cœli puritate, amœnitate, atque præſtantia commendat Athenas, undè & propter Cœli temperiem comparat ipſam Scillacio primæ Urbium Brutiorum, quam deſcribit, & laudat, & ſimul etiam Athenas, dicens.

9 Scillacium civitas ſuprà ſinum Adriaticum conſtituta, in modum botrionis pendet in collibus: non quòd difficili aſcenſione turgeſcat, ſed ut voluptuosè campos virentes, & cærula maris terga reſpiciat. Hæc naſcentem Solem ab ipſis cunabulis intuetur, ubi ventura dies non præmittit Auroram, ſed mox ut oriri cœperit, lampadem ſuam vibrans fulgor oſtendit. Gaudentem reſpicit Phœbum: propria illic nominis claritate reſplendet, ut ipſa magis Solis putetur eſſe patria, Rhodi opinione ſuperata. Fruitur luce perſpicua, aeris quoque temperatione dotata, apricas hyemes, refrigeratas ſentit æſtates: & ſinè aliquo mœrore tranſigitur, ubi infeſta tempora non timentur. Hinc & homo ſenſu liberior eſt, quia temperies cuncta moderatur. Patria ſiquidem fervens leves efficit, & acutos, frigida tardos, & ſubdolos. Sola temperata eſt, quæ mores hominum ſua qualitate componit. Hinc eſt, quod Antiqui Athenas ſedem Sapientium eſſe dixerunt, quæ aeris puritate peruncta, lucidiſſimos ſenſus ad contemplativam partem felici largitate præparavit.

10 Euripides quoque apud Plutarchum in Comment. de exilio patriam ſuam Athenas, ex Cœlo mitiori, & rerum copia collaudat. Etenim canit:

Eſt temperatum noſtris Cœlum finibus,
Vbi nec gelu nimium, nec ardor cruciat.
Iam quicquid edit Græcia, quicquid Aſia,
Illis fruentes læti vitam ducimus.

Quin & ipſe Plutarchus integrum opuſculum de gloria Athenienſium ſcripſit: Utrùm ſcilicet bello, an Sapientia clariores fuerint Athenienſes, pro utraque parte diſſerens, tandem concludit. *Hæc Civitatem ad gloriam, hæc ad magnum nomen evexere. Horum gratia columen Græciæ appellavit Pindarus Athenas.* In principio autem ferè opuſculi ab artium peritia laudat Athenas. *Ac multarum*, inquit, *hæc Civitas benigna genitrix, & nutrix aliarum artium extitit: quas partim princeps invenit, & edidit, partim confirmavit, ornavit, & amplificavit.*

11 Habemus igitur in Deipara doctas Athenas, ut ex hoc capite exordiamur, ſcientiarum magiſterium, ac ſapientiæ domicilium. Atheneum dixerim literarum, quia Sacra Pallas, aut Minerva omnium artium fuit Athenæ, & inventrix. Quàm pulchrè Albertus Magnus *lib. 4. de laudib. Beatæ Mariæ cap. 30. num. 5. 6. & 7.* in *Maria*, tanquàm Athenis, ſapientiæ templum aſſerit eſſe locatum! Ratione Sapientiæ, inquit, deſignata eſt *Maria* per illam mulierem ſapientem, quæ civitatem Abelam liberaverat ſapientia ſua. Deſignatur etiam per Abigail 1. *Reg.* 25. quæ erat mulier prudentiſſima, & ſpecioſa, cujus ſapientia, & ſubtilitate verborum, Nabal ſtultus ad tempus à morte liberatus eſt. Et *Mariæ* ſapientia, & ſubtilitate orationum, mundus fatuatus liberatus eſt. Item *Eccli.* 29. *Collaudabunt multi ſapientiam ejus, & uſque in ſeculum non delebitur.*

tur. Ibidem: *Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem eius nunciabit Eccleſia*. Et notandum, quòd non ſolum ſapiens eſt, immò etiam Sapientiæ Dei Magiſtra, quam docet verbis, orationibus, & exemplis. Undè de ea dicitur *Sap*. 8. *Doctrix eſt diſciplinæ Dei*, &c. Ideò dicit Ipſa *Eccli*. 24. *Adhuc doctrinam quaſi prophetiam effundam*, &c.

12 Item de ea ſpecialiter dicitur *Prov*. in fine: *Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus*. Os ſuum aperuit, os ſcilicet intellectus ſapientiæ hauriendæ per ſtudium. Undè: *Aperi os tuum, & implebo illud*. Vel os affectus ſapientiæ attrahendæ per deſiderium. Undè *Pſal*. 118. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum*: ideſt, ſpiritualem intelligentiam. Vel os corporis ſapientiæ, qua cognoſcuntur divina, declarandæ. Undè de ea poteſt intellige illud *Eccli*. 10. *In medio Eccleſiæ* primitivæ, *aperuit os ejus*, quæ ſcilicet facta eſt Apoſtolorum Magiſtra. *Sapientiæ*, inquam, docendæ, non ſtultitiæ, vel vanitati, aut ſcurrilitati. Vel etiam Sapientiæ, quæ eſt Filius Dei, attrahendæ, quandò virginitatem vovit, & ſe tantum humiliavit: quia duæ iſtæ virtutes in ea principaliter placuerunt Altiſſimo. Eva enim aperuit os ſuum inſipientiæ, cùm dubitando reſpondit ſerpenti: *Ne fortè moriamur*. *Geneſ*. 3. *Maria* ſapientiæ, cùm credendo dixit *Luc*. 1. *Fiat mihi*, &c. Et lex clementiæ, id eſt, Evangelii, quæ docet clementiam, ubi Chriſtus dicit *Matth*. 9. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores*. Lex enim antiqua ſeveritatis erat, quæ docebat reddi oculum prò oculo, dentem prò dente. Sed lex Evangelii, clementiæ eſt: quia peccata remittit: quia reos abſolvit; ut adulteram *Ioan*. 8. quia damnatos in Paradiſum reducit. In lingua ejus: quia hæc omnia nobis procurat orando.

13 Item ratione ſapientiæ dicitur in fine 24. *Eccli*. de illo Rege nato de David: *Qui adimplet quaſi Phiſon ſapientiam*. Qui, ſcilicet Rex adimplet ſapientiam, ideſt, Beatam Virginem, quæ Sapientia dicitur emphaticè: quià Sapiens ſuper omnes: vel quia Mater Sapientiæ, ideſt, Chriſti: & univoca debet eſſe generatio. Et paulò poſt: *Qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum eius*. Implevit enim eam quantum ad cognitionē Scripturarum. Qui enim aperuit Apoſtolis ſenſum, ut intelligerent Scripturas, *Luc. ult*. multò fortiùs Matrem implevit Spiritu Sapientiæ, & intellectus, ſuperveniente in eam Spiritu Sancto *Luc*. 1. immò deſcendente in eam Sapientià, ideſt, Filio Dei, qui ſcientiarum Dominus eſt: & qui priuſquam aliis Civitatibus, novem menſibus evangelizavit cordi eius, & incerta, & occulta Sapientiæ ſuæ manifeſtavit ei. Nec ſolùm novem menſibus, immò & toto tempore quo *iuvenis habitavit cum Virgine*, *Eſa*. 2. ideſt, Filius cum Matre. Beatus Anſelmus: Quid de Deo non ſapiebat, in quà Sapientia Dei latebat, & de cuius utero corpus ſibi aptabat? Implevit ergò Rex ille ſenſum Virginis, quaſi Euphrates, ideſt, abundanter, ſicut magna ſit abundantia, ubi abundat Euphrates. Hæc ille.

14 Literatas ergò in Deiparà ſuſpicimus, & habemus Athenas, omnium ſcholas diſciplinarum, & magiſteria ſcientiarum. Propterea in Litaniis ab Eccleſia vocatur *Sedes Sapientiæ*: quemadmodùm enim Athenis omnes ſcientiæ domicilia ſua, ſedeſque fixere, ità & in Ipſa Deus ſedem poſuit Sapientiæ ſuæ. Undè Placidus Nigidus in expoſitione ſua, ſic eam alloquitur. Sedes Sapientiæ, Virgò, nimirùm filii Dei, ad quam è ſinu Patris, ut ſe lucem æternam oſtenderet, & mundam ditaret, avidiſſimè convolavit, in eaque ſe fixit, maximè complacens ſibi. Sedes Sapientiæ, in quà opera Sapientiæ, & judicia omnia tunc perfecta ſunt, cùm Verbum caro factum eſt. Sedes Sapientiæ, in qua quievit Sapientiſſimus Deus ab omni opere quod in ſapientià patrarat: non quicquam deinceps ſapientiùs operaturus. Sedes Sapientiæ, in qua fuerunt omnes theſauri Sapientiæ, & ſcientiæ Dei; fuit enim is novem menſes corporaliter, qui Patris eſt Sapientia.

15 Sedes Sapientiæ, Sapientiſſima Virgo, quæ æternum Verbum mundo paritura, non ſolùm virginitatem Patris, verùm & Sapientiam adhùc, quantum creatura potuit, & decuit, induiſti. Sedes Sapientiæ, humanæ, divinæ, altiſſimas Cauſas altiſſimè intelligens, ac perquirens. Duo in Te nobiliſſimè ditavit, & fœcundavit Dominus, qui habitare voluit tecum, & tu advocans, & alliciens, accepiſti, ventrem, mentem: priùs autem mentem, quàm ventrem quià priùs tu eum concepiſti mente, quam ventre. Et mentem quidem Sapientià; ventrem lumine eo, undè mulier amicta Sole, & omnis pulchritudo tua ab intùs; ſic veſtigia relinquens ſui, ut adoraremus in loco, ubi ſteterunt pedes eius. Jam verò utrunque, & mentem, & ventrem lumine: lumen enim eſt ineſtinguibile Sapientia. Uſque adeò Sapientia repleta es, ut Te; ut lignum ignitum, ignem dicimus; Eccleſia dixerit Sapientiam, tibique ea omnia, accommodationis ſenſu quodam tribuerit, quæ ſunt, æterne Sapientiæ, ideſt, Filii tui: in te enim ſe ille transfudit, accipienſque de tuo carnem, Sapientiam compenſavit prò eà. Hactenùs Nigidus.

16 Jam verò amœna Cœli temperie Athenas frui, illud nobis ſignificare videtur, quòd in Parthenia Athenarum Urbe nullum regnat peccati nubilum, ſed aeris ſerenitas, gratiarum ſcilicet, perpetua triumphat. Vel temperata Cœli plaga, eius benignitas, ſuavitas, & clementia, qua omnes recreat, & fovet. Omnis etiam copia victus ſpiritualis abundat in ea, quo devoti incolæ ſui reficiuntur. Undè & Ipſa *Cant*. 1. dicit: *Introduxit me Rex in cellaria ſua*. Scilicet juxtà Alberti Magni interpretationem *lib. & c. ſuprà citat*. *Introduxit me Rex*, ideſt, Chriſtus, *in Cellaria ſua*, ideſt, manifeſtavit mihi ſecreta Scripturarum Sanctarum, quæ dicuntur cellaria, quia ibi eſt panis fortium, lac puerorum, vinum devotorum, & omnia neceſſaria animæ, ſicut in Cellario neceſſaria corporis. Benè autèm dicit, quod *introduxit* eam Rex, ideſt, *intùs duxit*, ſcilicet uſque ad medullam ſenſus ſpiritualis. Jam ergò & Athenæ Virgini ſuam impoſuere Coronam.

§. III.

§. III.

Præclariſſimam Rhodus Deiparæ fronti Corollam intexit.

17 QUid verò Rhodus? Num ab Athenis ea Urbs ſuperari ſe patietur, cuius famoſa celebrantur toto Orbe portenta? Minimè quidem. Nàm clara prodigiis, de ſignis maximis diadema compactum, Deiparæ ſtudet offerre. Et quid illud? Quo nihil profectò illuſtriùs in omni Univerſo reperiri poteſt, ænea nempè Solis ſtatua, quæ inter ſepiem orbis miracula numeratur. De quibus Caſſiodorus *lib*. 7. *Variar*. *epiſt*. 15. Ferunt, inquit, priſci ſeculi narratores, fabricarum ſeptem tantùm terris attributa miracula. Epheſi Dianæ templum. Regis Mauſoli pulcherrimum monumentum, à quo & Mauſolæa dicta ſunt. Rhodi Solis æneum ſignum, quod Coloſſus vocatur. Jovis Olympici ſimulachrum, quod Phidias primus artificum ſumma elegantia, ebore, auroque formavit. Cyri Medorum Regis domus, quam Memnon arte prodiga, illigatis auro lapidibus frabricavit. Babyloniæ muri, quos Semiramis Regina, latere cocto, ſulphure, ferroque conſtruxit. Pyramides in Ægypto, quarum in ſuo ſtatu ſe umbra conſumens, ultrà conſtructionis ſpatia nulla parte reſpicitur.

18 Quàm prodigioſus autèm, & quantæ, ac miræ magnitudinis fuerit ille coloſſus, teſtatur Plinius lib. 34. c. 7. dicens. Antè omnes autèm in admiratione fuit Solis Coloſſus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lyſippi diſcipulus. Septuaginta Cubitorum altitudinis fuit. Hoc Simulacrum poſt quinquageſimum ſextum annum terræmotu proſtratum, ſed iacens quoque miraculo eſt. Pauci pollicem eius amplectuntur. Maiores ſunt digiti, quàm pleræque ſtatuæ. Vaſti ſpecus hiant de fractis membris. Spectantur intus magnæ molis ſaxa, quorum pondere ſtabiliverat conſtituens. Duodecim annis tradunt effectum ccc. talentis, quæ contulerant ex apparatu Regis Demetrii, relicto moræ tædio. Sunt alii minores hoc in eadem Urbe Coloſſi centum numero, ſed ubicunque ſinguli fuiſſent nobilitaturi locum.

19 Quid ergò Rhodi Coloſſus, niſi celſitudinem divinæ maternitatis in Virgine deſignat? Quale autèm, & quantum ſit eius faſtigium, pluries in hoc opere habes expoſitum. Sed & ipſa Virgo Solis quidem Coloſſus, ſcilicet juſtitiæ Solis imago, quia *Apocal*. 12. *Signum magnum apparuit in Cœlo*: *Mulier amicta Sole*: immò & Mater Solis juſtitiæ, quem de intemerato ſinu ſuo produxit. Neque hoc tantùm, ſed & Solis Coloſſus inter omnes Sanctos gratiarum altitudine excellentior, atque ſublimior. Quod præclarè Raulinus Cluniacenſis ſerm. 7. de Annuntiatione ex Angeli verbis *Luc*. 1. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, probat, dicens: *Spiritus Sanctus, ſuperveniet in te*: ideſt, ſuper omnes Sanctos, qui antè te fuerunt, & poſteà erunt, impleberis: ut ſis eius tabernaculum, templum, & Sacrarium; ità ut ſuper omne, quod alii habent, in te veniet, ut non ſolùm dicaris tabernaoulum, aut templum Domini, ſicut & cæteri, ſed etiam Sacrarium, quod eſt locus, in quo Chriſti corpus, & ſacræ reliquiæ reponuntur. Sic in *Maria* Chriſti corpus, & reliquiæ Paradiſi repoſitæ ſunt. Sacrarium eſt, in quo induitur Pontifex noſter Ieſus tunica humanitatis ad ſacrificandum hoſtiam in arà Crucis. Similiter omnes alii gratiam particularem, & creatam acceperunt; hæc ſuper omnes univerſalem creatam, & increatam.

20 Hinc etiam meritorum ſublimitate inter cęteros Sanctorum Coloſſos eminet in Cœlis: & hoc quidem Divus Thomas ſerm. de Aſſumpt. Beatæ Virginis inductione probat, atque ratione, dùm exponens illud *Eccli*. 24. *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano, &c.* inquit. Per ſex arbores, quibus comparatur exaltatio Beatæ Virginis in iſta epiſtola, intelligi poſſunt ſex ordines Beatorum. Cedrus ſignificat Angelos propter naturæ ſublimitatem. *Exechiel*. 30. *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo* Dei: ideſt, Angeli non fuerunt ſublimioris naturæ lucifero. Cypreſſus ſignificat Patriarchas, & Prophetas propter odoris ſuavitatem: undè de uno dictum eſt *Geneſ*. 27. *Eccè odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Palma ſignificat Apoſtolos propter glorioſum de univerſo mundo triumphum. Palma etiam ſignificat victoriam. *Apocal* 6. *Et palmæ in manibus eorum*. Roſa ſignificat Martyres per effuſionem ſanguinis, qui habet colorem rubeum. *Eccli*. 39. *Et quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificate*. Oliva ſignificat Confeſſores propter oleum. *Pſal*. 51. *Ego autem ſicut oliva fructifera*. Platanus ſignificat Virgines, propter frigiditatem libidinis incendium extinguentem; creſcit enim juxtà aquas. In aqua frigiditas notatur. *Sicut cinamomum, & balſamum aromatizans, odorem dedi ſuavitatis*. *Eccli*. 24 Quantò ſubtiliùs, tantò melius eſt, & magis odoriferum: & per hæc intelligitur humilitas. Balſamum autem quantò graviùs, & ponderoſiùs, tantò meliùs, undè probatur in aqua: & ſi citò deſcendat ad fundum, habetur probatum. Per hanc proprietatem poteſt intelligi gravitas morum. Hæc autem duo dant odorem ſuavitatis.

21 Eſt ergò ſenſus, quod Virgo eſt exaltata ſicut Angeli, Patriarchæ, & Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & Virgines: & eſt Lipotote, quæ pauca dicit, ſignificatque magna. Fuit enim exaltata ſuper choros Angelorum, & ſuper omnes Sanctos. Nec mirum ſi eſt exaltata, ſicut Angeli, Patriarchæ, &c. Habuit enim meritum Angelorum, Angelicè vivendo. Hieronymus: In carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, Sed cœleſtis. Idem: Virginitas ſoror eſt Angelorum. Habuit enim meritum Prophetæ, prophetando. *Luc*. 1. *Beatam me dicent omnes generationes*. Vidit enim Spiritu prophetico, & prophetavit, quòd debebat beatificari ab omnibus Gentibus, & quod omnes Gentes debebant recipere filium Dei, & ſuum. Habuit meritum Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, docendo. Multa enim ſcripta ſunt, & prædicata, quæ non potuerunt Sancti niſi per revelationem eius ſcire, ſicut de ingreſſu Angeli in conceptio

ne,

ne, & aliis pluribus. Habuit meritum Martyris, mortem Crucis cum filio patiendo. *Luc.* 2. *Et tuã ipſius animam pertranſibit gladius*. Habuit meritum Confeſſorum, devotè Domino confitendo. *Luc.* 1. *Magnificat animæ mea Dominum*. Habuit meritum Virginum, inchoando virginitatem, & conſervando. *Luc.* 1. *Ingreſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam Virginem*. Et ſicut habuit meritum omnium, & ampliùs, ità congruum fuit, ut ſuper omnes ponatur hic ſermo, *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens*, *&c.* ordines Cœleſtium. Hactenùs Præceptor Angelicus.

22 Verùm ſi de ipsà Rhodo juxtà nominis etymon volumus philoſophari, florens alia de vernantibus roſis Corona ad ornamentum Virgineæ frontis implexa conſurgit. Nam Rhodus, ut tradit Iſidorus *lib.* 14. *Origin.* *c.* 6. Cycladum prima ab Oriente, in quà roſę Capitolium dicitur eſſe inventum, dùm ibi Civitas conderetur: ex quo & Urbs, & Inſula Rhodos eſt appellata. Ambroſius quoque Calepinus etymologiam vocis, Inſulę, Urbiſque Rhodi pręſtantiam, ac nobilitatem deſcribens, ait. Rhodos Inſula eſt nobiliſſima in mari Carpatio, Carię adiacens, ambitu cxxxM. paſſuum, Urbem habens ejuſdem nominis, quę toti Inſulę nomen fecit: cùm anteà Ophiuſa, Aſteria, Æthręa, aliiſque plurimis nominibus fuerit appellata. Urbem autem ipſam Rhodum dictam volunt, ſivè à Rhodia puella, ab Apolline adamata, ut fabulatur Diodorus lib. 6. ſivè ab eo, quod capulo Roſæ illic invento ſit ędificata. Ea portubus olim, & viis, & mœnibus, & reliquis ornamentis tantoperè cęteras ſuperavit, ut nulla putaretur ęqualis. Legum pręſtantia, & navalis rei peritia adeò valuit, ut annis multis maris imperio potiretur, & piratarum latrocinia ſuſtulerit Hæc inſula inter Aſiaticas inſulas tertia numeratur. Nàm Lesbus, & Cyprus maiores habentur. Ab Horatio *Clara Rhodos* vocatur. Nam, ut Solinus autor eſt, nunquàm dies ita nubilus eſt, ut Sol in hac Inſula non conſpiciatur. Aurum Rhodi pluiſſe, ob felicitatem Inſulæ cecinit Pindarus.

23 Atqui ego ad ultimam clauſulam hanc ſubſiſto, & miror Rhodum de Cœlis auro compluttam. Neque enim in ullis unquàm autoribus reperi, qui narrent aurum aliquando in pluviam cecidiſſe de Cœlo. Plinius quidèm lib. 2 c. 56. memorat de prodigioſis pluviis, lacte, ſanguine, carne, ferro, lana, lateribus coctis. Præter hæc, inquit, inferiore Cœlo relatum in monumenta eſt, lacte, & ſanguine pluiſſe M. Acilio, C. Portio Coſſ. Et ſæpè aliàs carne, ſicut Lucio Volumnio, Servio Sulpicio Coſſ. exque eà non perputruiſſe, quod non diripuiſſent aves. Item ferro in Lucanis, anno antequam M. Craſſus à Parthis interemptus eſt, omneſque cum eo Lucani milites, quorum magnus numerus in exercitu erat. Effigies, quæ pluverat, Spongiarum fere ſimilis fuit; Aruſpices cavenda præmonuerunt ſuperna vulnera. L. autèm Paulo, C. Marcello Coſſ. lana pluvit circà Caſtellum Cariſſanum, juxtà quod poſt annum T. Annius Milo occiſus eſt. Eodem cauſam dicente, lateribus coctis pluviſſe, in eius anni acta relatum eſt. Ità Plinius. Quid ergò? Aut fabula eſt auri pluvia, quam Pindarus ad commendandam Rhodum excogitavit: aut certè in fabuloſo commento veritas elucet, nempè Deiparam, tanquam myſticam Rhodum, veri Dei Numine in pluviam auream converſo irroratam.

24 Redeo ad vocabuli etymon. Rhodum igitur conſtat dictam à roſa. Nam & Rodinum oleum, Græcè Ρόδινον ἔλλαιον, è roſis, quod roſaceum noſtri nuncupaverunt. Eſt enim ῥόδινος adiectivum à ῥόδος, quod Latinè *roſam* ſignificat. Unde & Rhoditem gemmam Plinius aſſerit lib. ult. c. 11. à roſæ rubore nomen ſortitam. Quin etiam Rhodiæ, Nymphæ marinæ nomen Oceani, & Tethyos filiæ: à roſeo genarum colore impoſitum, ut Heſiodus in Theo. affirmat. Ιππω τε, κλυμένη τε, Ροδία τε, Καλλιρον τε. Denique ALapide in *Acta Apoſtol.* *c.* 12. agens de liberatione Petri è carcere Herodis per Angelum facta, & exponens illa verba: *Pulſante autem eo oſtium ianuæ, proceſſit puella ad audiendum, nomine Rhode:* probat Rhoden, & Rhodum eandem ſignificationem habere. Inquit ergò. *Rhode* hebraicè idem eſt, quod *viſio fortitudinis*, ait Gloſſa. Veriùs eſt *Rhode* eſſe nomen Græcum, & *Roſam* ſignificare. Sic enim *Rhodus* inſula, ità dicta eſt *à Roſa*, vel quod roſæ ſpeciem referat, vel quod amæna roſis abundet, &c. Licet Pagninus ex Nica, *Rhodum* dictam putet à ῥόος, ideſt, *fluxu* vertentis pelagi; quod antequàm Inſula appareret, multus ibi pelagi fluxus volveretur. Hæc ille.

25 Quid ergò ex his deducimus? Equidem inferimus per Rhodum, ſivè per Roſam ſignificari Virginitatem virtutum odoramentis afflatam, deque hiſce Roſis *Mariæ* componi Coronam. Talis Roſa fuit Beata Roſa Limenſis, quæ Cœleſtis Gratiæ rore præventa, Virginitatis, & patientiæ decore inclyta, primus Americæ Meridionalis flos Sanctitatis, ab ipſiſmet incunabulis claruit futuræ Sanctimoniæ indiciis: Nam vultus infantis mirabiliter in roſæ effigiem transfiguratus huic Nomini occaſionem dedit, cui poſteà Virgo Deipara cognomen adiecit, iubens vocari deinceps *Roſam à Sancta Maria*, ut habetur ex officii ſui lectionibus ſecundi Nocturni.

26 Roſa ſiquidem, ut ait A Lapide loco ſuprà citato, eſt flos florum, quia purpurà punicat, candore nitet, & flammeo colore rutilat. Quare ſi quis omnibus laudibus ſit cumulatus, Roſa nuncupatur. Unde S. Hieronymus *lib.* 2. *Epiſt.* 15. de puella laudatiſſima: Univerſa, inquit, propinquitas Roſam ex ſe natam gaudeat. Talis fuit hæc Rhode, de quà ſic ſcribit Helecas Epiſcopus Cæſarauguſtanus in Additionibus ad Chronicon Lucii Dextri, & M. Maximi, quod nuper inventum, & editum eſt: *Rhode, quæ Roſulia dicta eſt, in perſecutione Traiani (ut idem refert Maximus ſuper Acta) paſſa eſt pro fide, cum aliis Martyribus in Sardinia.* Similis ei & nomine, & martyrio fuit Sancta Roſula, quæ cum S. Cipriano Epiſcopo Carthaginenſi ſub Valeriano Imperatore glorioſum obiit martyrium die 14. Septembris, ut habet Romanum Martyrologium. Et S. Roſa Virgo Franciſcana, quæ velut Roſa inter Spinas reſplenduit virginitate, virtutibus, & miraculis, migravitque

que ad Dominum anno Chriſti 1254. Viterbii propè Romam, ubi etiamnùm eius Virgineum corpus non tantùm integrum, ſed & flexibile (quod proindè veſtiri ſe ſinit) oſtenditur, quæ proindè in Martyrologio Romano Sanctis aſcripta legitur die 4. Septembris.

27 Roſa enim ſuo odore, & colore roſeo typus eſt Virginis, & virginitatis. Hæc quippe inter cæteros hominum ſtatus eſt, quod Roſa inter flores, nimirùm *florum pyropus*, *hortorum purpura*, *odorum ſaphirus*, *Aprilis oculus*, *Veris Phœnix*, *naturæ pompa*, ut ait Orator. Et Sympoſius Poeta hoc dat ænigma Roſæ:

Purpura ſum terræ pulchro perfuſa rubore,
Septaque nè violer, telis defendor acutis.
O felix, longo ſi poſſim vivere fato!
Eſt ergò Roſa Virgo, nimirum
Virgineus roſeo cernitur ore pudor.

Sappho apud Achillem Tacitum *lib.* 2. de Leucippe, *Roſam* indigitat, *florum Reginam*, *terræ ornamentum*, *plantarum decus*, *oculum florum*, *prati ruborem*, *pulchritudinem coruſcantem*, *terræ riſum*.

28 Quocircà S. Dorothea Virgo, martyrium obiens in hyemis rigore, putà ſextà Februarii, miſit ad Theophilum roſas, quibus quaſi rhododaphne, ideſt, roſario, ſivè roſacea Coronà coronanda erat eius virginitas à Sponſo Chriſto in Paradiſo, uti habet eius vita. Et S. Ludovicus primogenitus Caroli II. Sicilię Regis, ideoque nepos S. Ludovici Regis Franciæ, ſpreto Regno Ordinem Sancti Franciſci amplexus, indeque à Bonifacio VIII. creatus Epiſcopus Tholoſanus, moriens viſus eſt Roſam ex ore emittere ob meritum virginitatis, quę tanta in eo fuit, ut nec Matrem oſculari, nec fœminam in vultu aſpicere unquam voluerit, ut habet eius vita 19. Auguſti apud Ribadeneiram. Et Sanctus Ioſcio vel Josbertus, Monachus S. Bertini, moriens anno Domini 1161. quinque roſas è vultu emiſit, unam ex ore, cui inſcriptum erat nomen Beatæ Virginis *Mariæ*, eò quod vivens quotidiè Roſarium quinque Pſalmorum inchoantium à literis Nominis *Maria*, in honorem ejuſdem recitaret, uti habent Annales eius Monaſterii, quos ibidem vidi, & ex iis aſſerunt S. Antoninus, Thomas Cantipatrenſis, & Joannes Molanus in Sanctis Belgii die 30. Novembris. Ipſa enim eſt *Roſa Myſtica*, ut canit Eccleſia in Litaniis, & ut ait S. Bernardus in deprecatione ad Beatam Virginem *pag.* 64 Et ipſa eſt Viola humilitatis, lilium caſtitatis, roſa charitatis. Ergò.

Necte roſas generoſa,
Plecte flores, Virgo Roſa,
Roſarum pulcherrima.

29 Eccè quò nos duxit A Lapide. Ad Deiparam ſcilicet myſticam Rhodon roſis venuſtiſſimis coronatam. Ergò Virginum Roſarum Regina Virgo Roſa allice nos roſea tuę Virginitatis fragrantia, ut poſt te curramus in odorem ungentorum tuorum. Eſto nobis Urbs Rhodos, & Inſula, tota florida, & amœna, in quà ſemper Sol miſericordię refulget. Urbs eſto nobis ad defenſionem, Inſula ad refugium. Dignare paupertatem noſtram auro gratiarum tuarum locupletare, ut de theſauris tuis ad felicitatem diteſcamus ęternam. Eſt ergò tibi Rhodos roſarum Corona, & tu aliquando prò tua pietate nobis à Filio tuo glorię Coronam impetrabis.

§. IV.

Ab Vrbe Ieruſalem Beata Virgo commendatur.

30 AD Ieruſalem tandem devenimus, Judæę totius Metropolim, Civitatem pulcherrimam, & totius Orientis Urbium longè clariſſimam, quam Ieremias *Thren.* 2. Urbem vocat *perfecti decoris*, ſivè templi magnificentiam, aut domus regię maieſtatem, ſivè Civium nobilitatem, atque frequentiam, ſivè demum ornatum eius ſpectes, ac munitiones. Cuius quidem tanta fuit pulchritudo, atque robur, ut ipſam Deus olim præ cunctis Univerſi Civitatibus maximè adamaverit, illique Matrem ſuam aſſimilaverit, dicens *Cant.* 6. *Pulchra es amica mea, ſuavis, & decora ſicut Ieruſalem; terribilis ut Caſtrorum acies ordinata.* Sed hic age, & quęramus dictorum rationem, factique aſſertionem, cur ſcilicet Chriſtus ſub Ieruſalem ſimilitudine Deiparam Virginem Matrem ſuam collaudet, & alloquatur.

31 Plures Interpretes apud Del Rio in *Cant.* *c.* 6. *ſect.* 2. §. 4. exponunt laudatorium Sponſi Carmen ad dilectæ Matris commendationem. Et primò breviter in ſigillo Honorius introducit ipſam Deiparam, dicentem: Sic blandè locutus eſt ad me. *Pulchra es* in caſtimonia, & ideò *amica mea*: *ſuavis* per pia exempla, & ideò *decora* in Cœleſti gloria, *ſicut Ieruſalem*, ideſt, ſicut cœleſtes Angeli, qui vident faciem Patris, & fruuntur pace Domini: *terribilis* contrà vitia, *ut caſtrorum acies* adversùs dæmones, & hæreticos *ordinata*.

32 Secundò, nec fuſior multò Hailgrinus: O amica mea, *pulchra* es intentione mentis, *ſuavis* in eloquio, *decora* in operibus, tu mihi es *ſicut Ieruſalem*, ideſt, *pacis viſio*, pacem faciens inter Deum, & hominem. Tu es malignis Spiritibus *terribilis*, tanquam turris ædificata cum propugnaculis, & quia tu es *ſicut Caſtrorum acies ordinata*, quam ſicut Reginam ſequuntur omnes Sanctorum acies ordinatæ ſecundùm ſtatus ſuos, & proprias dignitates, & merita, ut ſub ipſa, & cum ipſa prò nobis contrà hoſtem militent.

33 Tertiò, Alanus autèm ſic. *Pulchra es* fide, *Suavis* ſpe, *decora* charitate. *Ieruſalem* interpretatur *pacis viſio*. Quid igitur veriùs *Ieruſalem*, quam glorioſa Virgo, in qua pax pectoris, & pax æternitatis? Hæc eſt Arca Noe, in qua diſpoſitæ ſunt beſtiæ, quià in eà non fuerunt cogitationes inordinatæ. Terribilis ut caſtrorum acies ordinata: quia in vita multis freta virtutibus, & in morte Angelorum vallata agminibus. Virtutibus, hæreticorum interimens errores, dæmonum ſuggeſtiones repellens, etiam in aſſumptione, eorundem Angelorum fulta eſt præſidiis, & Sanctorum coronata choris.

34 Quartò. Sed longè uberiore menſura laudes

des *Mariæ* devotiſſimus eius Guilhelmus nobis hoc loco admetitur. Vox Dilecti (ſcribit) eſt alloquentis Dilectam. Vox inquam pii Ieſu blandè alloquentis, leniterque mulcentis piam Matrem ſuam. Quippè nec aſſumptus in Cœlum, ſedenſque ad dexteram Patris, dulciſſimus eam filius deſerebat, ſed ei iugiter à dextris, & à ſiniſtris aſſiſtens, divino quodam, ſecretoque ſuſurro intùs cum materna conſcientia diſſerebat. Et quidem Ipſa circà novam eius plebem pia ſolicitudine ſatagens, nunc cum ſodalibus eius, ideſt, Sanctis Apoſtolis, nunc verò cum filiabus Ieruſalem, ideſt, cum noviciis fidei, ſacra, & ędificatoria foris miſcebat colloquia: intereà illi intùs à filio dicebatur verbum abſconditum, & quaſi furtivè ſuſcipiebat aure interiori venas ſuſurrii eius, & gaudebat propter vocem Sponſi dicentis: *Pulchra es amica mea, ſuavis, & decora ſicut Ieruſalem, &c.*

35 Amicam appellat more ſolito familiariter blandiens, atque eximiam dilectionem, qua in eum illa flagrat, pręclare commendans. Pulchram dicit, & ſuavem, & decoram, & terribilem: quatuor ſanè Cardinalibus virtutibus, quibus benè vivitur, illam excellenter pollere inſinuans. Pulchram dicit, propter juſtitiam: ſuavem, propter prudentiam: decoram, propter temperantiam: terribilem, propter fortitu-dinem.

Pulchra, inquam, dicitur propter virtutem iuſtitiæ, quæ nimirùm animi pulchritudo eſt; eà namque pulcher, & gratus eſt animus oculis maieſtatis: ſicut propter iniuſtitiam deformis, & fœdus.

Suavis dicitur, propter virtutem prudentiæ, quæ nimirùm non tantùm ſapienter, ſed & ſuaviter, & tantò ſuaviùs, quantò & ſapientiùs, operatur. Undè Sapientiæ ſpecialis, & præcipua laus eſt, quod diſponat omnia ſuaviter:

Decora dicitur, propter virtutem temperantiæ quæ caſtigat animæ ſimul & carnis motus indecoros: quantùm per illam anima eſt decora, hoc eſt, immunis à dedecore carnalium voluptatum, tantùm ſinè illa eſt indecora, & plena dedecore, & turpiter diffluens.

Terribilis dicitur, propter virtutem fortitudinis, quæ dùm hoſtiles impetus conſtanter tolerat, hoſtilem audaciam potenter frœnat, juxtà illud Apoſtoli Jacobi: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Iac.* 4.

36 Dicitur, non ſimpliciter, ſed *ſicut Ieruſalem, pulchra, ſuavis, & decora*, & nihilominùs *terribilis ſicut caſtrorum acies ordinata*, ad illarum diſtinctionem animarum, quæ pulchræ, ſuaves, & decoræ ſunt, ſicut Babylon, quæ dicitur quoque ut Jeruſalem, pulchra, ſuavis, & decora. Nam ſicut iſta Civivitas Dei, ſic & illa Civitas ſeculi habet prudentiam ſuam, fortitudinem ſuam, temperantiam, & juſtititiam ſuam: & à civibus Babylonis naturalis plerunque æquitas cuſtoditur, & ab ipſa naturali æquitate ductis legibus vivitur; ſivè metu ipſarum legum pœnam tranſgreſſoribus intentantium, ſivè appetitu gloriæ popularis, ſive reſpectu cujuſdam non ad ſuum finem, ideſt, Chriſtum, relatæ & ob hoc falſæ honeſtatis.

37 Sed quia tam naturalis, quàm datæ legis finis ad juſtitiam Chriſtus eſt, conſtat quòd hæc Babylonica juſtitia, vera juſtitia dici non debeat. Plerunque etiam juxtà ſententiam Veritatis *Luc.* 16. *Filii hujus ſeculi prudentiores inveniuntur filiis lucis in generatione ſua*: id eſt, filii Babylonis filiis Jeruſalem. Habent & illi quandam prudentiam ſuam: habent etiam quandam temperantiam ſuam: nam & hujuſmodi plerunque inveniuntur temperanter viventes, & quodammodò Crucifigentes carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis, ſive ob popularem favorem, ſivè etiam contemplatione cujuſdam falſæ, & ut ita dicam inhoneſtæ honeſtatis. Eccè hujuſmodi animæ, pulchræ, ſuaves, & decoræ ſunt, ſed ſicut Babylon, & ob hoc veraciter tales non ſunt Quia illæ ipſæ virtutes Babylonicæ eo ipſo virtutes veræ non ſunt, id eſt, non ad ſuum finem relatæ. Nam virtutes Babylonis, & virtutes Jeruſalem, non officiis, ſed finibus diſtinguuntur. Utriſque eadem fiunr, ſed propter aliud, & aliud fiunt.

38 Ut ergo Dilectus demonſtraret piam Matrem, non babylonicè, ſed verè juſtam, prudentem, & temperantem eſſe, dixit eam eſſe pulchram, ſuavem, & decoram ſicut Jeruſalem: & ut oſtenderet eam eſſe veraciter fortem, dixit eſſe terribilem ut caſtrorum aciem ordinatam. Qui fortiter agit non propter Deum, is tali fortitudine non fit hoſti terribilis, ſed potiùs amabilis, cui concordat peregrino fine actionis, quamvis ipſa actione ei reſiſtere videatur: ſicque reſiſtendo, non victum, territumque compellit in fugam, ſed potiùs ita ſe illi turpiter ſubiicit. Veram enim fortitudinem, quæ fugat hoſtem, animamque illi facit terribilem, comparat aciei caſtrorum ordinatæ, qua in rebus humanis nihil eſt terrribliùs, talem Propheta in ſua oratione inſinuans: *Fortitudinem*, inquit, *meam ad te cuſtodiam*. *Pſal.* 58. Quaſi dicat: Tu dator es fortitudinis, & idcircò ad te, tanquàm ad debitum finem, fortitudinem meam alligabo; propter te ſcilicet, & non propter aliud fortiter agens, atque ita reſiſtens diabolo, ut victus à me refugiat.

39 Ampliùs. Pulchra es, per converſationis munditiam: ſuavis, per animi clementiam: decora, per caſtitatis ſingulare decus: ſicut Jeruſalem illa cœleſtis, quæ eſt in Angelis. Quippè inter homines vivis Angelicè; & in carne adhuc moribunda, cœleſti præluces caſtitate. Porrò cùm Mater mea ſis, cùm genueris terribilem, & eum, qui aufert ſpiritum Principum, Ipſa quoque terribilis es Principibus tenebrarum, ut caſtrorum acies ordinata.

40 Sanè Angeli, quoniam intùs faciem hominis contemplantur, per *Ieruſalem*, quæ *viſio pacis* interpretatur, aptè ſignantur: quoniam verò foras mittuntur propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, per caſtrorum aciem ordinatam figurantur: ſibi ſunt Jeruſalem, nobis autem caſtrorum acies ordinata. Undè Jacob, ſicut ſcriptum eſt *Geneſ.* 32. obviam habens Angelos, qui in ejus adjutorium mittebantur: *caſtra*, inquit, *Dei ſunt hæc*.

Nobis Sancti Angeli ſunt caſtrorum acies ordinata: ideſt, ad ſpirituale prælium contrà aereas poteſtates, prò defenſione hominum præparata.

Nam, ut ait Apoſtolus: *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem, & ſanguinem, ſed adversùs Principes, & Poteſtates, adversùs Principes tenebrarum, contrà ſpiritualia nequitiæ. Epheſ.* 6. Quomodo autem nos caro, & ſanguis poſſemus contrà illos, niſi infirmitatem noſtram caſtra Dei circundarent? Undè Eliſæus ad conſpectum hoſtium trepidanti puero: *Noli*, ait, *timere; plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* 4. *Reg.* 6 Cumque orante Eliſæo aperuiſſet Dominus oculos pueri, vidit montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi. Nimirùm hæc erant caſtra Dei, Angelicus ille exercitus ordinatus, contrariis poteſtatibus prò defenſione hominum ſemper oppoſitus. Tam terribilia ſunt hæc caſtra Dei caſtris adverſariorum, ut nulla ex parte irrumpere audeant, niſi quantum occultæ rationis diſpenſatione ſinuntur.

41 Dilectus igitur ut piam Matrem demonſtret cunctis malignis ſpiritibus vehementer terribilem, dixit eam terribilem, ut caſtrorum aciem ordinatam. Quaſi diceret. Quia te ſciunt aereæ poteſtates eſſe Matrem meam, Matrem triumphatoris, & ſpoliatoris ſui, cujus eſt ſignum in frontibus piorum depictum, verentur te Matrem *terribilis, & ejus qui aufert ſpiritum Principum*, *Pſal.* 75. id eſt, deſtruit ſuperbiam malignorum ſpirituum: Tu quoque terribilis illis facta es, & non mediocriter, ſed ſicut eſt illis terribilis Angelicus exercitus, ad coercendos eos, nè ſupra modum homines infeſtent, divinitùs ordinatus. Hactenùs ille.

42 Verùm nè quis poſſit deſiderare interpretationem, ſivè ſimilitudinem Deiparæ cum Jeruſalem ut ita dicam ad literam, exhibet illam Albertus Magnus *lib.* 11. *de laudib. B. Mariæ c.* 1. *num.* 28. duplici titulo. Et primò quidem quò ad dignitatem nominis Jeruſalem. Secundo autem quò ad conditionem Civitatis.

De primo igitur inquit. *Maria* dicitur Civitas Jeruſalem: nam *Ieruſalem* interpretatur *pacifica: viſio pacis: timor perfectus*; vel *timebit perfectè*: & hoc totum convenit *Mariæ*. Fuit enim pacifica: quia genuit pacem noſtram, quæ Chriſtus eſt: Ipſa enim fecit utraque unum. *Epheſ.* 2. quia Deum univit homini, & hominem Deo in unitate perſonæ, uniens Cœlum terræ, ima ſummis, contrà triplicem guerram, quam fecerat Eva.

43 Item etiam eſt pacifica noſtra, filio reconcilians pecccatores, deſignata per Columbam Noe, quæ attulit ei olivæ ramum in ore, dùm eſſet in Arca, Deum humano generi reconciliatum demonſtrans. Et benè in ore: quia hoc facit orationum ſuarum virtute. Unde ſic oramus eam: *Recordare Virgo Mater in conſpectu Dei, ut loquaris prò nobis bonum.* Item viſio pacis: quia pacem illam vidit in humana carne, de qua Simeon *Luc.* 2. *Viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Et per Ipſam venitur ad viſionem pacis æternæ: nam ſinè ea nec vidit homo, nec viſurus eſt pacem illam. Item timor perfectus, vel timens perfectè: quia timore reverentiæ, qui ſanctus eſt, & permanet in ſeculum ſeculi, ſemper timuit Deum. Undè & landatur in utraque Eccleſia: quia *mulier timens Deum ipſa laudabitur. Prov.* 31.

44 Sic ergò Beata Virgo deſignatur per Jeruſalem ratione nominis: Et nihilominùs per eam ſignatur à conditione civitatis (ex ſecundo titulo). Quia ſicut Jeruſalem Metropolis erat, & adhuc fortè eſt aliarum Civitatum Judeæ: ſic & Ipſa Domina eſt omnium fidelium animarum, immò cœleſtium, terreſtrium, & infernorum quæ ſunt tres Civitates. Undè Ipſa dicit *Eccli.* 24. *In omni terra ſteti*: quia ubique terrarum habet Eccleſias: *& in omni populo primatum habui*. Eccè, quòd Metropolis eſt deſignata per Abelam matrem Civitatum in Iſrael. 2. *Reg.* 20. Et interpretatur *Abela, miſerabilis ei*; vel *dimittens ei*: quia *Maria* miſeretur peccatoribus, & impetrat eis à filio dimiſſionem debitorum, id eſt, remiſſionem peccatorum ſuorum. Habet autem primatum in omni gente ſecundùm tres ſtatus.

45 Item ſicut Ieruſalem erat ſolium regni, ad quod unctus eſt David: ſic & Ipſa ſolium Chriſti. Propter hoc dicitur 2. *Reg.* 5. *Habitavit David in arce Ieruſalem, & vocavit eam Civitatem David.* Per arcem Ieruſalem intellige *Mariæ* humilitatem, in qua præcipuè Deus Trinitas requievit, dicens: *In omnibus requiem quæſivi, & in hæreditate Domini morabor. Eccli* 24. Item quia ſicut Ieruſalem ſita eſt in medio mundi. Unde appellatur *umbilicus terræ. Ezechiel.* 38. Item *Ezechiel.* 5. *Hæc eſt Ieruſalem, in medio Gentium poſui eam, & in circuitu ejus terras.* Item in *Pſal.* 73. dicitur de Chriſto: *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Et ſic *Maria*, vel uterus ejus appellatur medium terræ. Et nota, ſicut quidam dicunt, Ieruſalem non eſſe in medio, vel in centro totius terræ, ſed in medio, & quaſi in centro noſtræ habitabilis. Iſidorus dicit, quòd in medio Iudęæ conſtituta eſt Ieroſolyma, quaſi umbilicus totius. regionis. Item quia ſicut *Ieruſalem* antonomaſticè dicitur *Civitas Sancta*, ſicut legitur 2. *Machab.* 3. Sic & *Maria*. Item quia ſicut Dominus promiſit Jeruſalem *Eſa.* 62. quòd poneret eam laudem in terra: ſic & reddidit Mariæ, quam jugiter in terra viventium collaudant Angeli, & animæ juſtæ, immo & ipſe Deus: & in terra morientium, juſti, & peccatores. Hactenus Albertus Magnus: & nos cum ipſo Deiparæ Ieruſalem noſtræ coronam laudis imponimus.

§. V.

Laudum concluſio, & myſticæ Anatomiæ Nominis Mariæ, in Vrbe Apollonia.

46 STyli noſtri rudem, atque hebetem aciem Sacratiſſimum *Mariæ* Nomen huc uſque ſuſtinuit, dignum certè politiori mucrone, qui literas ejus elegantiori ſecaret anatomia. Verùm imperito venia detur, ſi adoream meruiſſe non videatur. Quòd enim tàm præclarum opus aggredi fuerim auſus, eo me traxit devotionis impulſus, & debiti vectigal obſequii, quod Dei Matri tenebar perſolvere. Et licet rude, & impolitum quod offero, dignaturam ſpero, æquiſque oculis ejus clementiam non diffido inſpecturam: quemadmodum & Cœlitibus votivæ tabellæ rudioribus pennicillis expreſsæ, gratiq; ani-

mi argumento eorum aris appenſæ, ſunt gratæ.

47 Sed quid conamur Deiparæ laudibus finem imponere? Quis oceani amplitudinem in exiguo vaſis ſinu includere poteſt? Quis immenſum præconiorum Mariæ pelagum brevi valet orationis confinio complecti? His enim Deus ipſe nec metas rerum, nec tempora ponit. Meta laudum Deiparæ Deus eſt, qui finem non habet. Propterea Methodius in orat. de hypapante Domini, Virginem ſic alloquitur. Benedicta tu celeberrima, & deſideratiſſima: tuum Dei Genitrix Nomen divinis benedictionibus, & gratiis omni eſt ex parte refertum. Tu fidelium fax. Tu incircunſcripti (ſi ità quidem loqui fas eſt) circunſcriptio. Tu ſpecioſiſſimi floris radix. Tu Creatoris Mater. Tu nutrix omnia nutrientis. Tu cuncta continentis, & comprehendentis comprehenſio. Tu illius geſtatrix, qui verbo ſuo portat univerſa. Tu Porta, per quam in carnem ingreſſus eſt Deus. Tu purificantis carbonis forceps. Tu præanguſtus illius ſinus, qui ſinu ſuo omnia complectitur. Tu incomprehenſibilis illius roris Vellus. Tu Bethleemitica illa ciſterna, quam velut vitæ refocillatricem David deſideravit, & ex qua immortalitatis poculum immortalibus emanavit. Tu Propitiatorium, per quod Deus humanam naturam indutus, mortalibus innotuit.

48 Tu impollutum illius indumentum, qui luce uti veſtimento circunfunditur. Tu Deo, nullius alioquin rei indigo, carnem quam non habebat, mutuata es, quo nimirum hac ratione Omnipotens, id quod eſſe dignatus eſt, homo videlicet, verè appareret. Quid hoc illuſtriùs? Quidvè ſublimiùs? Qui Cœlum, & terram implet, cujus prætereà ſunt omnia quæcunque moventur, atque ſubſiſtunt, is tui factus eſt indigus. Tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquandò non habuit, Deo mutuò dediſti. Tu Potentem illum corpore, tanquàm decenti quadam panoplia induiſti, per quam quidem ipſe facilè à me caperetur, & cerneretur; ego verò tutum, & commodum ad illum acceſſum haberem, per quam etiam ignita omnia maligni tela extinguuntur.

49 Euge, euge, Mater Dei, & Ancilla: Euge, euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo nanque univerſi debemus: tibi verò etiam ille debet. Proindè qui dixit *Exod. 20. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*: ut is decretum à ſe promulgatum obſervaret, atque adeò in hac parte alios excelleret, omnem Matri & gratiam, & honorem impendit, quæ certam ſecundæ nativitatis miniſtram illi ſe præbuit, quamque ipſe Patrem (hominem) neſciens, ſecundùm hanc ipſam nativitatem in Matrem viri expertem ultrò ſibi cooptavit. Hæc Methodius.

50 Quod ſi ita eſt, fruſtrà aliquid addere laudibus ejus adnitor, aut certis illas finibus comprehendere. Sit ergò non præconiis ejus, ſed mihi dicendi finis: & in Urbe Apollonia Parthenio nomini laudum imponatur coronamentum. Quid igitur honorificum, & magnificum ex Civitate Apollonia habemus, quod deceat Dei Matrem? Ex litera nihil elucet. Eſt enim Apollonia, ut tradunt Scriptores, in ea parte Macedoniæ, quæ Adriatico mari adiacet, olim Corinthiorum Colonia, optimiſque inſtituta legibus. De qua Strabo: Condidere Apolloniam Corinthii, Corcyrȩique ab Acante fluvio ſtadiis decem, à mari ſexaginta. Sunt & aliæ Urbes eodem nominȩ vocitatæ. Nam eſt Apollonia inter inſulas Thraciæ, cis Iſtrum amnem locata. Eſt & alia in Creta: altera denique in Syria: de quibus apud Stephanum. Si verò vocabuli interpretationem ſpectemus, multa quidem, & magna unicà emicant voce. Nàm *Apollonia*, juxtà Hieronymum de Nominibus Hebraicis, interpretatur *Diſciplina*.

51 Eſt nè ergò Deipara, Urbs *Apollonia*, ideſt, *diſciplina*? Planè nihil aptiùs in fine operis dici poterat de *Maria*, quàm quòd ſit diſciplina. Quid eſt autem diſciplina? Baſilius in originali ſuper principiũ Proverbiorum definit ipſam, dicens: Quod *diſciplina eſt eruditio per difficilia*. Catholicon in Summa dicit, quòd diſciplina quidem eſt in diſcipulo, ſed eadẽ eſt in Magiſtro doctrina. Et ò quã bellè à Deipara omnium virtutum Magiſtra ſanam habemus doctrinam, & eruditionem per difficilia! Teſtis Ambroſius, qui *lib. 2. de Virginibus* ità inquit. Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium ſit diſciplina. Si igitur auctor non diſplicet, opus probemus: ut quæcumque ſibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in una Virgine ſpecies virtutum emicant! Secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obſequium: Virgo intrà domum, comes ad miniſterium, Mater ad templum. O quantis illa virginibus occurret! Quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: Hæc thorum Filii mei, hæc thalamos nuptiales immaculato ſervavit pudore.

52 Quid ego exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiam: alterum ultrà naturam ſuperfuiſſe, alterum penè ipſi naturæ defuiſſe? Illic nulla intermiſſa tempora, hic congeminatos jejunio dies. Et ſi quandò reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerunque obvius qui mortem arceret, non delicias miniſtraret. Dormire non priùs cupiditas, quàm neceſſitas fuit: & tamen cùm quieſceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in ſomnis aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænunciat. Prodire domo neſcia, niſi cùm ad Eccleſiam conveniret, & hoc ipſum cum Parentibus, aut propinquis. Domeſtico operoſa ſecreto, forenſi ſtipata comitatu, nullo meliore tamen ſui cuſtode, quàm ſeipſa; quæ inceſſu, affatuque venerabilis, non tam veſtigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret. Ut tamen alios habeat Virgo membrorum cuſtodes ſuorum, morum autem ſuorum ſe habeat ipſa cuſtodem. Plures erunt de quibus diſcat, ſi ipſa ſe doceat, quæ virtutes magiſtras habet: quia quidquid egerit, diſciplina eſt. Sic *Maria* intendebat omnibus, quaſi à pluribus moneretur: ſic implebat omnia virtutis officia, ut non tàm diſceret, quàm doceret. Hæc ille.

53 Doctrix ergò diſciplinæ *Maria*, quin & perfectiſſima ſapientiæ Magiſtra, undè Ipſa dicit *Prov. 8. Nunc ergò filii audite me: Beati qui cuſtodiunt vias meas. Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite obiicere eam.* Et quid potiſſimùm doceat ſapientiæ Mater, ac Magiſtra, inſinuat Placidus Nigidus *Opuſc. 4. ſerm. 2. de Virginis Concept.* dicens. Tranſeamus nunc

nunc ad Sapientiam. Nunc ergo filii, ait, audite me: Timorem Domini docebo vos. Eccè perfectam Matrem, quæ doceat ipſa, non edocendos aliis filios tradat: ſui ſcilicet ſemper ſimilis; ſic enim eadem lactavit ipſa ſibi filium, non dedit lactandum. Eccè, inquam, perfectam. Docebo, ait, vos. Signum ſcientis hoc eſt, & plenè ſcientis, poſſe docere. Et quid docebit nos ad doctrinam invitans? Timorem Domini, ait. Supernaturalis igitur Mater hæc, & ad divina deſtinata, quæ ad doctrinam deſtinata timoris Domini? Ità ſanè: meritò propter hoc Sapientia dicta, & ſapientiæ plena dicta ejus ab initio dicuntur. Ab initio quidem, & exindè cùm corpus ejus animæ in utero matris coniunctum eſt, hæc eſt Virgo ſapientiſſima: nec mirere; ſimillima Filio ſuo eſſe debuit, vel in hac re, ad omnem amoris perfectionem.

54 Quarè ſicut Filius ejus natus eſt in utero filius, & Pater ſimul omnium; ità & Ipſa eadem ratione nata eſt filia, & Mater. Annæ quidem filia, omnium Mater. Quid? quòd & Annæ ipſiuſmet Mater, quam redundans gratiis in utero, largè, fusèque replevit; præſertim ſapientia, qua meritò futura æternæ Sapientiæ Mater, præ cæteris donis, ac gratiis copioſiùs abundavit. Simillimam ſui ſapientiſſimus Pater dedit eſſe, rerum omnium cognitione, & ſuimet, genituram idem Verbum ſuum ſimilitudine ſui, deditque ſplendoribus ſanctitatum omnibus effulgere. Nec expectavit partus tempus perfectiſſimus Benefactor, ſed genituram corpore prævenit, gignentem ex tunc mente comitatus eſt donis ſuis, & exornavit. Tunc dixit Dominus Dominæ meæ: ſede à dextris meis: tunc enim adſtitit Regina à dextris in veſtitu aureo ſapientiæ, &c.

P E R O R A T I O
Ad Beatiſſimam Virginem Dei Matrem.

1 ET ego jam tandem, Auguſtiſſima Cœlorum Regina, Euchariſticon tibi reddo, quæ me ad finem operis tuis auſpiciis perduxiſti. Concede, ut ego quoque, qui huc uſque tui Nominis arcana ad ſimilitudinem anatomicæ Artis, rudi licet ſtylo, ſum rimatus, jam diſcipulus ſapientiæ tuæ Gymnaſium ingrediar, ubi diſciplinam, & ſcientiam divino me doceas magiſterio. Da, ut miſer Te beatam prædicem, inops Te divitem implorem, indigus auxilii Te Patronam compellem, & cum exaſtico Gregorii Nazianzeni in Tragœdia Chriſti patientis, Te ore quidem cernuo, ſed fidenti ſalutem.

Ave Parens, Virgoque plena gratiæ,
Tu Virginum longè omnium Pulcherrima,
Exercituque Cœlitum potentior,
Domina, omnium Regina, Mundi gaudium,
Noſtrum Genus benigna ſemper aſpicis;
Mihique opem Tu fers ubique maximam.

2 Quid de Te dicam pauper ingenio? Liceat mihi uſurpare verba, quȩ Ephrem Syros ſerm. de tuis Laudibus ſcripſit, & dicere. Reple deinceps os meum gratia dulcedinis tuæ, ò Domina: & illumina mihi mentem, ò gratia plena: move linguam meam, & labia ad laudes tibi alacriter lætoque animo decantandas, & prȩſertim dulce illud melos Angelicum longè celebratiſſimum, quod Angelus Gabriel in Nazareth, ſervili habitu ad Te Virginem, Matremque Dei, clamans cecinit: ſalutationẽ, inquã, maximè congruentem, atque decentem, & digniſſimam mundi ſalutem, cunctarumque animarum medelam, atque tutelam. Dignare me ſervum tuum humilẽ laudare Te, Virgo ſacrata, ac ſuaviter dicere.

3 *Ave præclarum, & electum vas Dei.*
Ave Domina Maria, *gratia plena.*
Ave inter mulieres, Virgo beatiſſima.
Ave ſtella fulgidiſſima, ex quà Chriſtus proceſſit.
Ave lux ſplendidiſſima, Mater, & Virgo.
Ave, quæ admirabiliter Regem omnium peperiſti.
Ave, per quam clariſſimus Sol iuſtitiæ nobis illuxit.
4 *Ave Regina, ac Domina cunctis ſublimior.*
Ave Canticum Cherubim, ac Seraphim, & hymnodia Angelorum.
Ave pax, gaudium, conſolatio, & ſalus mundi.
Ave humani Generis lætitia.
Ave Patrum præconium, & decus Prophetarum.
Ave pulchritudo Martyrum, & Sanctorum Corona.
Ave piorum gloria, & laus in ſolitudine degentium.
5 *Ave præclariſſimum Cæleſtis hierarchiæ ornamentum.*
Ave pulchra hymnigraphorum omnium oratio.

Ave præſtantiſſimum univerſi Orbis terræ miraculum.
Ave terrigenarum omnium oblectamentum.
Ave Paradiſe deliciarum, totiuſque amœnitatis, & immortalitatis.
Ave lignum vitæ, gaudium, & voluptas.
Ave lilium Convallium, & vallum fidelium, mundique ſalus.
6 *Ave portus tranquilliſſime, & à fluctibus, procelliſque agitatorum liberatrix deſideratiſſima.*
Ave periclitantium opitulatrix.
Ave Progenitoris illius Adam reſurrectio.
Ave iucunda libertas.
Ave omnium Parens.
Ave fons gratiæ, & totius conſolationis.
Ave peccatorum refugium, atque diverſorium.
7 *Ave laborantium Propitiatorium.*
Ave profugium in Ieroſolymis.
Ave Throne Creatoris noſtri glorioſiſſime.
Ave ævi ſplendor illuſtriſſime, ac fulgentiſſime.
Ave ſpes omnium proborum, rebus adverſis afflictorum.
Ave dulce converſorum Solamen, atque præſidium.
Ave Virorum pariter, atque mulierum Regina, & Patrona.
8 *Ave Dei, & hominum Mediatrix optima.*
Ave totius terrarum Orbis Conciliatrix efficaciſſima.
Ave Domina noſtra, fœdus, pacemque fidelibus tuis impetrans, & Sceptrum cunctis imperans.
Ave gloria, & lætitia omnium Sacerdotum.
Ave Virgo, Solitariorum ſolatium.
Ave Regina ſupernorum Civium, & Domina Angelorum.
Ave Porta Cœlorum, & Scala, aſcenſuſque omnium.
9 *Ave portarum Cœleſtis Paradiſi reſeramentum.*
Ave noſtra Conſolatrix: quæ mœrores ſedaſti, & oppreſſorum moleſtias leniiſti, cunctaſque oppreſſiones ſuſtuliſti.
Ave Clavis Regni Cœleſtis.
Ave Portus tutiſſime, in hac vita navigantium.
Ave animæ noſtræ ſpes fida, & optima.
Ave firma ſalus univerſorum Chriſtianorũ, ad Te ſincerè, ac verè recurrentium.
Ave Lumen lucidiſſimum, quo mundus illuſtratur.
10 *Ave orphanorum ſuſceptio.*
Ave Captivorum redemptio, atque liberatio.
Ave ægrotantium exultatio, mæſtorumque Conſolatio.
Ave Mater Alma Chriſti Filii Dei vivi.
Ave noſtra omnium protectio inſignis, & gloria.
Ave quæ nullo ſpatio comprehenſum, tuo ſinu, ac ulnis comprehendiſti.
Ave, quæ Chriſtum vitæ datorem educaſti.

11 Ec-

11 Eccè Te laudavi, ſed non ſatis. Celebravi, at non ut tuum exigit meritum. Multos expoſui Titulos, ſed innumeros præterivi. Varia aggeſſi præconia, ſed non omnia collegi. Tu enim (loquor cum Andreà Cretenſi Orat. de Deiparę migratione) occulti à ſeculo myſterii theſaurus. Tu vivens liber velociter ſcribentis in Te paterni Verbi veloci Spiritus calamo. Tu ſola ſine mendacio Novæ Legis pars à Deo conſcripta: quam priùs Deus ad homines diſpoſuit, ac ordinavit. Tu armatus Dei currus innumerabiles ei ſubditos ducens. Tu mons Sion, mons pinguis, mons coagulatus: in quo beneplacitum eſt Deo habitare. Ex quo in carnem concretus, ſecundum carnem noſtram Deus eſt altiſſimus coagulatus. O templum divinum: & hominem terrenum! O collem umbroſum; non Judæorum ingratum populum, ſed electam Dei plebem Gentem ſanctam tuis maternis ulnis inumbrans! O auro puriorem: O terram Virgineam, ex qua ſecundus, & antiquior Adamus exiit!

12 Quid addam ultrà? Præſtat mihi ſanè verbis Joannis Damaſceni Orat. 1. de B. Virginis Nativitate in fine, Te alloqui. Saluto Te, *Maria*, dulciſſimum Annæ pignus. Nam me rurſum ad Te amor pertrahit. Quonam modo graviſſimum tuum inceſſum exprimam? Quonam modo amictum? Quonam modo oris tui venuſtatem, ſenilem in iuvenili corpore prudentiam? Honeſtus veſtitus, mollitiē omnem, ac luxum fugiens. Greſſus gravis, ac ſedatus, atque ab omni mollitie remotus. Mores ſeveri, atque hilaritate temperati. Ità comparata eras, ut ad te nullus Viris acceſſus pateret. Teſtis eſt metus ille, in quem ex inuſitato Angeli alloquio incidiſti. Parentibus morigera, & dicto ſtudiens. Animus humilis in ſublimiſſimis contemplationibus. Sermo iucundus, ex leni anima progrediens. Denique quid aliud quam Dei domicilium?

13 Meritò Te beatam prædicant omnes generationes, ut eximium humanì Generis decus. Tu Sacerdotum gloria, Chriſtianorum Spes, virginitatis feraciſſima Planta. Per te enim virginitatis pulchritudo latiſſimè ſeſe diffudit. Benedicta Tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Qui Dei Genitricem Te confitentur, benedicti ſunt: & qui inficiantur, maledicti. O ſacrum par Joachim, & Anna, natalitiam hanc Orationem à me accipe. O Joachim, & Annæ Filia, ac Domina, peccatoris Orationem accipe, ardenter tamen amantis, ac colentis, Teque ſolam gaudii ſpem habentis, vitæ Antiſtitem, in gratiam cum Filio me reducentem, firmamque Salutis arram. Peccatorum ſarcinam diſcute, idque quod menti meæ tenebras offundit, ac terrenam craſſitiem diſſipa. Tentationes comprime, pieque, ac ſanctè vitam meam guberna, atque ad cœleſtem beatitudinem fac Te duce perveniam. Pacem mundo, atque omnibus huiuſcè Urbis (& totius Orbis) incolis rectè de Religione ſentientibus abſolutam numeris omnibus lætitiam, ac ſempiternam ſalutem, per tuorum Parentum, ac totius Eccleſiæ complementi preces, concilia. Fiat, fiat. Ave Gratia plena, Dominus Tecum: Benedicta Tu inter mulieres, & Benedictus fructus ventris tui Ieſus Chriſtus, Dei Filius.

14 Nulla ſit ergò laudum meta tuarum, cùm mihi videre videar Deum audire loquentem:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.

Nihil enim poſt ipſum Deum ſivè in Cœlis, ſivè in terris Te maius. Sic Deo placuit, ſic divinum voluit Numen, ut ſi quid fidei, ſi quid ſpei, & dilectionis, ſi quid virtutis, & gratiæ habemus, à Te tanquam à flumine ſuperpleno noſceremus effluere. Tu ſiquidem (aiunt Jacobus, & Marcus in Liturgia) Domina noſtra ſola, quæ ſola nobis ex Deo ſolatium, ſola æſtus in nobis exiſtentis divinus ros, cordis noſtri exardeſcentis guttæ divinitùs fluentes, tenebricoſæ noſtræ animæ ſplendidiſſima lampas, dubitationis noſtræ directio, debilitatis noſtræ potentia, nuditatis noſtræ veſtimentum, noſtræ mendicitatis divitiæ, inſanabilium vulnerum noſtrorum medicina, lachrymarum noſtrarum ablatio, gemituum noſtrorum ceſſatio, calamitatum noſtrarum reſtauratio, dolorum noſtrorum relevatio, vinculorum noſtrorum ſolutio, ſpes denique noſtræ ſalutis. Propterea tuas laudes ſine metà cum devoto, ac Chriſtiano Poetà canendo concludimus.

Vivat honos igitur MARIÆ: MARIAM arduus æther
Ingeminet: MARIAM tellus, pelagique profunda.
Dempto fine ſonent: MARIAM, Matremque ſalutis,
Patronamque Cliens, animi nunc æquior, Orbis
Antiquâ virtute colat, ſolennibus Aris
Imponens meritas gratanti pectore laudes.

FINIS

Myſticæ Anatomiæ Sacratiſſimi Nominis
Deiparæ Virginis MARIÆ.
Omnia correctioni, & emendationi
Sanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ ſubjiciuntur.

TEX-

TEXTVS SACRÆ SCRIPTVRÆ

Ex Veteri Teſtamento, qui in Opere Myſticæ Anatomiæ paſſim, & ut plurimùm ad laudem, & honorem Virginis Deiparæ explicantur, & interpretantur.

Prior autem numerus pagellam, ſecundus numerum columnalem ſignat.

Ex Libro Geneſis.

CAp. 1. *In principio creavit Deus Cælum, & terram.* 77. 3. & 82. 4.
Terra autem erat inanis, & vacua. 236. 8.
Fiat lux, & facta eſt lux. 257. 22.
Appellavit Deus lucem diem. 258. 25.
Vidit Deus lucem quod eſſet bona. 226. 25. & 227. 28.
Fiat Firmamentum in medio aquarum. 88. 10.
Vocavit Deus firmamentum Cælum. 77. 3. & 82. 4.
Et vocavit Deus aridam, Terram. 236. 8.
Congregationes aquarum appellavit Maria. 64. 14.
Germinet terra herbam virentem. 77. 4. & 186. 25.
Fiant luminaria, &c. & ſint in ſigna, &c. 254. 6.
Cap. 2. *Fons aſcendebat de terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ.* 78. 10. & 236. 10.
Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio. 78. 9. & 307. 23.
Produxit Dominus Deus omne lignum pulchrum viſu, &c. 307. 23.
Fluvius egrediebatur. 76. 2.
Aurum terræ illius optimum eſt. ibidem.
Quacunque hora comederetis ex eo, morte moriemini. 88. 9.
Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. 143. 8.
Hæc vocabitur Virago. 76. 2.
Cap. 3. *Aperti ſunt oculi amborum.* 52. 10.
Cùm deambularet Dominus in Paradiſo ad auram poſt meridiem, vocavit Dominus Deus Adam, & dixit: Vbi es? 261. 40.
Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. 149. 39.
Ipſa conteret Caput tuum. 72. 13. 134. 9. & 167. 9. & 320. 10.
Cap. 4. *Fuit Abel Paſtor ovium.* 141. 44.
Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. 141. 45.
Cap. 5. *Vixit quoque Cainan ſeptuaginta annis, & genuit Malaleel.* 133. 2.
Cap. 6. *Feneſtram in arcà facies.* 78. 9.
Fac tibi Arcam de lignis levigatis. ibidem.
Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis. 81. 15.
Cap. 8. *Emiſit Columbam de Arcà.* 77. 7.
Cap. 9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram.* 250. 39. & 251. 45.
Cap. 11. *Phaleg genuit Rehu, & Rehu genuit Sarug.* 137. 25.
Cap. 12. *Egredere de domo tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi.* 43. 19. & 145. 17.
Cap. 15. *Suſpice Cælum, & numera ſtellas.* 77. 3.
Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. 89. 12.
Apparuit Clibanus fumans. 78. 9.
Cap. 17. *Ego ſum, & pactum meum tecum, eriſque Pater multarum Gentium. Nec ultrà vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham.* 43. 20.
Cap. 18. *Num celare potero Abraham.* 116. 8.
Cap. 21. *Riſum fecit mihi Deus.* 148. 34.
Surrexit Abraham mane, & tollens puerum, & utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ eius, & dimiſit eam: & cætera uſque ad illud: *factuſque eſt juvenis ſagittarius* 170. 8.
Non videbo morientem puerum. 319. 42.
Plantavit autem Abraham nemus in Berſabee. 77 6.
Cap. 24. *Erat Abraham ſenex, dierumque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat ei.* 209. 4.
Puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita Viro, deſcenderat ad fontem, & impleverat hydriam aquà, & revertebatur. 179. 12.
Cuius es filia, &c. 179. 15.
Ingredere benedicte Domini. ibidem.
Tollens citò pallium operuit ſe. 60. 2.
Cap. 27. *In me ſit iſta maledictio, fili mi.* 179. 16.
Eccè odor, ſicut odor agri pleni. 78. 9. & 81. 15.
In rore Cæli deſuper erit benedictio tua. 82. 4. & 231. 52. & 246. 20. & 302. 34.
Cap. 28. *Vidit Iacob ſcalam.* 78. 9.
Hæc eſt domus Dei, & Porta Cæli. 79. 4.
Cap. 30. *Hoc pro beatitudine mea. Ex hoc enim beatam me dicent omnes mulieres.* 209. 23.
Cap. 31. *Iacob extenderat in monte tabernaculum.* 78. 9.
Cap. 32. *Dimitte me, quia Aurora eſt. Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* 231. 52. & 232. 61.
Cur quæris nomen meum? 28. 1.
Vocavit locum illum Phanuel, dicens: Caſtra Dei ſunt hæc: & vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. 209. 23.
Cap. 35. *Surge, & aſcende Bethel, & habita ibi.* 131. 3.

Con-

Conſumptuſque eſt ætate bonà, & appoſitus eſt populo ſuo ſenex, et plenus dierum 209. 24.
Cap. 37. *Vidi quaſi Solem, et Lunam, et Stellas undecim adorare me.* 262. 46.
Cap. 41. *Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* 236. 8. et 314. 8.
Cap. 49. *Ruben effuſus es ſicut aqua, non creſcas.* 160. 43.
Pulchriores ſunt oculi eius vino, et dentes eius lacte candidiores. 12. 2.
Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus. 165. 62.

Ex Libro Exodi.

CAp. 2. *Et videns eum elegantem, abſcondit tribus menſibus.* 152. 3.
Cap. 3. *Videbat, quod rubus arderet.* 77. 6.
Vadam, et videbo viſionem hanc magnam, quarè non comburatur rubus. 295. 26.
Cap. 9. *Eleva virgam, & extende manum tuam ſuper mare, & divide illud, ut gradiantur filii Iſrael in medio maris per ſiccum.* 19. 16.
Cap. 10. *Sanctum Domini.* 189. 38.
Cap. 12. *Habebitis diem hanc in monimentum, & celebrabitis eam ſolemnem in cunctis generationibus veſtris cultu ſempiterno.* 32. 3.
Reſiduum igne comburetis. Non remanebit ex eo quicquam uſque mane. 346. 27.
Cap. 13. *Per noctem in columna ignis.* 77. 4. & 78. 9.
Cap. 15. *Sumpſit Maria Prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua:* & cætera uſque ad illa verba: *aſcenſorem eius deiecit in mare.* 168. 2. & 209. 22.
Cap. 16. *Ros iacuit per circuitum caſtrorum.* 246. 21.
Quæ coquenda ſunt, coquite. 243. 7.
Sume vas unum, & mitte ibi Man. 245. 13.
Cap. 20. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.* 120. 32. & 402. 49.
Cap. 25. *Arcam de lignis Sethim.* 77. 6.
Facies Propitiatorium de auro. 78. 8.
Fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. 78. 9.
Cap. 26. *Facies velum de hyacintho.* 78. 8.
Cap. 33. *Non videbit me homo, & vivet.* 244. 11.
Cap. 35. *Viri cum mulieribus præbuerunt armillas.* 380. 39.
Cap. 37. *Fecit Beſeleel arcam.* 78. 8.
Cap. 38. *Fecit altare holocauſti.* 78. 8.

Ex Libro Levitici.

CAp. 6. *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubiiciens ligna per ſingulos dies.* 4. 6.
Omne ſacrificium Sacerdotum conſummetur in igne. 239. 28.
Cap. 12. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus iuxtà dies ſeparationis menſtruæ, & die octavo circuncidetur infantulus: ipſa verò triginta diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.* 17. 7.
Cùm expleti fuerint dies purgationis eius prò filio, vel prò filia, deferet agnum anniculum in holocauſtum. Quod ſi non invenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbæ. 176. 40.
Cap. 15. *Sabbatum erit terræ veſtræ.* 236. 8.
Cap. 24. *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* 114. 41.
Cap. 25. *Clanges buccinà menſe ſeptimo, decima die menſis, propitiationis tempore, in univerſa terrà veſtrà. Sanctificabiſque annum quinquageſimum,* & cætera uſque ad illud: *quia Iubilæus eſt, & quinquageſimus annus.* 258. 28.

Ex Libro Numerorum.

CAp. 10. *Arca fœderis Domini præcedebat eos* 174. 29.
Cùm elevaretur Arca, dicebat Moyſes: ſurge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tuà. 19. 16. & 385. 28.
Cap. 11. *Cùm deſcenderet ros ſuper caſtra, deſcendebat pariter & manna.* 242. 2. & 244. 9.
Cap. 16. *Cùm Aaron concurriſſet ad mediam multitudinem, quam jam vaſtabat incendium, obtulit thymiama, & ſtans inter mortuos, & viventes, prò populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit.* 156. 19.
Cap. 17. *Sequenti die regreſſus invenit germinaſſe virgam Aaron, in domo Levi; & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* 155. 15.
Cap. 24. *Orietur Stella ex Iacob, & confringet omnes alienigenas.* 53. 3. & 77. 3. & 143. 9.
Orietur Stella ex Iacob, & exurget homo de Iſrael 148. 36.

Ex Libro Deuteromii.

CAp. 4. *Deus noſter ignis conſumens eſt.* 296 22.
Cap. 32. *Fluat ut ros eloquium meum, & ſicut Stillæ ſuper gramina.* 247 23.
Date magnificentiam Deo noſtro. Dei perfecta ſunt opera. 261. 41.
Ego occidam, & percutiam: Et ego vivere faciam, & ſanabo: Et non eſt qui de manu mea poſſit eruere. 116. 9.
Cap. 33 *De pomis fructuum Solis, ac Lunæ.* 227. 31.
Benedictus in filiis Aſer. Sit placens in fratribus ſuis. 209. 23.
Cæli caligabunt rore. 158. 31.
Cap. 35. *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.* 32. 4.

Ex Libro Ioſue.

CAp. 2. *Innoxii erimus à iuramento, ſi ſignum non fuerit funiculus iſte coccineus.* 172. 22.
Cap. 8. *Dixit Dominus ad Ioſue: Leva clypeum, qui in manu tuà eſt, contra Hai.* 173. 24
Cap. 10. *Sol ſtetit in medio Cæli.* 82. 4.
Cap. 15. *Terram aridam dediſti mihi, iunge &*

ir-

irriguam. 235. 7.
Cap. 24. Deus enim Sanctus, & fortis æmulator eſt. 66. 7.

Ex Libro Iudicum.

CAp. 4. Erat Debora Prophetis uxor Lapidot, quæ indicabat populum in illo tempore. 209. 22.
In manu fœminæ tradetur Syſara. 321. 12.
Cap. 5. Benedicta inter mulieres Iahel. 180. 28.
In Phiala Principum butyrum. 157. 29.
Aquam petenti lac dedit, &c. 181. 22.
Cap. 9. Dixerunt omnia ligna ad Rhamnum: Veni, & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis: ſi verè me Regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite. 310. 17.
Cap. 14. De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. 192. 53.

Ex Libro Ruth.

CAp. 1. Ne vocetis me Noemi, ſed vocate me Mara, quia valdè amaritudine replevit me Omnipotens. 67. 9.
Cap. 2. Dixit Ruth: Vadam in agrum, & colligam ſpicas, quæ fugerint manus metentium. 197. 21.
Vnde hoc mihi, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, & noſſe me dignareris peregrinam mulierem. 197. 23.
Cap. 3. Ego ſum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es. 197. 22.
Benedicta filia tu à Domino, et priorem gratiam poſteriori ſuperaſti. 209. 20. & 371. 27.

Ex Libro I. Regum.

CAp. 1. Vultuſque eius non ſunt ampliùs in diverſa mutati. 195. 9. & 354. 10.
Cap. 2. Non eſt Sanctus ut eſt Deus noſter. 114. 40.
Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes.
Cap. 14. Applica arcam Domini. 385. 28.
Cap. 15. Siccinè ſeparat amara mors? 62. 3.
Cap. 25. Cecidit ad pedes David, & dixit: In me Domine miſit hæc iniquitas. 178. 5.
Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me, ne ulciſcerer me manu mea. Eccè audivi vocem tuam, et honoravi faciem tuam. 97. 26. et 178. 8.

Ex Libro II. Regum.

CAp. 1. Sicut Mater unicum amat filium ſuum, ita ego te diligebam. 118. 18.
Cap. 3. Quomodo iuravit Dominus David, ſic faciam cum eo, ut elevetur Thronus eius ſuper Iudam, et Ieruſalem, à Dan uſque Berſabee. 19. 15.
Cap. 6. David, et omnis Iſrael deducebant arcam Teſtamenti Domini cum iubilo, et clangore buccinæ: et ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, et citharis, et lyris. 138. 29.
David, et omnis Iſrael deducebant arcam Domini cum gaudio, et erant cum David ſeptem chori. 138. 22.
Cap. 12. Habebat oviculam. 77. 7.
Cap. 14. Omnes morimur, et quaſi aquæ dilabimur, quæ non revertuntur. 97. 25.
Sicut Angelus Dei, ſic eſt Dominus meus Rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur. ibidem.
Cap. 18. Quis mihi det, ut ego moriar prò te, fili mi. 68. 5. et 160. 42.
Cap. 20. Exclamavit mulier ſapiens de civitate, etc. Ingreſſa eſt ergo, etc. 321. 12.
Cap. 21. Tollens autem Reſpha filia Ania cilicium ſubſtravit ſibi ſuprà petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de Cælo: et non dimiſit aves lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem. 212. 35.
Cap. 22. Dominus ſcutum meum, et cornu ſalutis meæ 32. 4.
Cap. 23. Sicut lux Auroræ oriente Sole rutilat, et ſicut herba germinat de terra. 222. 6.
Lux Auroræ oriente Sole manè abſque nubibus rutilat. 231. 58.
Cuncta ſalus mea, et omnis voluntas: nec eſt quicquam ex eo quod non germinet. 261. 42. et 262. 44.

Ex Libro III. Regum.

CAp. 1. Quæramus Domino noſtro Regi adoleſcentulam, etc. 181. 24.
Cap. 2. Petitionem unam peto à te, nè confundas faciem meam. 101. 40.
Pete Mater mea, neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam. 86. 4. et 120. 32. et 354. 11.
Vir quidem mortis es, ſed hodiè nolo te interſicere, quia portaſti arcam Domini. 385. 28.
Cap. 8. Dominus dixit, ut habitaret in nebula. 77. 4.
Si Cœlum, et Cæli Cælorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi. 219. 66. et 351. 5.
Cap. 9. Sanctificavi domum iſtam, quam ædificavi, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum. 219. 66
Cap. 10. Et ingreſſa Ieruſalem multo cum commitatu et divitiis, et Camelis, etc. 134. 11.
Fecit Rex Salomon Thronum. 78. 9.
Non eſt factum tale opus in univerſis regnis. 202. 44.

Ex Libro IV. Regum.

CAp. 2. Currus Iſrael, et auriga eius. 109. 15.
Eccè habitatio Civitatis optima eſt ſicut tu Domine perſpicis. 393. 41.
Afferte mihi vas novum, et mittite in illud ſal 64. 2.
Miſit Eliſæus Sal. 78. 9.
Cap. 4. Tulit. Azael ſtragulum, etc. 376. 12.
Cap 10. Servi tui ſumus, quæque iuſſeris faciemus. 74.
Cap. 12. Dicite Regi Iuda, qui miſit vos: Colligeris ad Sepulchrum tuum in pace. 209. 22.

Ex libro I. Paralipomenon.

CAp. 4. Invenerunt terram latiſſimam, quietam, et fertilem. 236. 8.
Cap. 16. Tranſierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum. 323. 3.
Cap. 21. Vndique me anguſtiæ premunt. 108. 6.

Aedificavit altare Domino, et obtulit holocauſta, et pacifica, et invocavit Deum, et exaudivit eum in igne de Cælo ſuper altare holocauſti. 239. 28.
Cap. 29. Non præparatur homini habitatio, ſed Deo. 215. 47.

Ex Libro II. Paralipomenon.

CAp. 20. Vocaverunt locum illum, Vallis benedictionis. 183. 10.
Cap. 23. Lætatus eſt populus terræ, et quievit. 236. 8.

Ex Libro Tobiæ.

CAp. 2. Anna verò uxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, et de labore manuum ſuarum victum, quem conſequi poterat, deferebat. 174. 32.
Cap. 3. Nunquam cum ludentibus me miſcui, nec cum his qui in levitate ambulant, participem me feci. 210. 25. et 354. 10.
Virum in timore tuo, et non in libidine mea conſenſi ſuſcipere. ibidem.
Cap. 4. Pauperem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum. 296. 21.
Cap. 5. Cœpit flere, et dicere: Baculum ſenectutis noſtræ tuliſti, et tranſmiſiſti à nobis. Nunquam fuiſſet ipſa pecunia, prò quà miſiſti eum. Sufficiebat enim nobis paupertas noſtra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium noſtrum. 176. 38.
Cap. 12. Bona eſt oratio cum jejunio, et eleemoſina. 210. 28.

Ex Libro Iudith.

CAp. 8. Stabitis vos ad portam nocte iſta, et ego exeam cum Abrà mea. 201. 42.
Cap. 9. Contemnam illum, et virtutem eius. 224. 13.
Percutiens eum labiis charitatis meæ. 263. 48. et 321. 11.
Erit enim memoriale nominis tui, cum manus fœminæ deiecerit eum. 321. 11.
Cap. 10. Tulit Iudith dextralia, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe. 373. 43.
Et impoſuit mitram ſuper caput ſuum. 368. 2.
Impoſuit itaque Abræ ſuæ aſcoperam vini 202. 42.
Cap. 11. Dixerunt ſervi Holophernis alter ad alterum: Non eſt talis mulier ſuper terram. 199. 30. & 345. 21.
Magna eris, & nomen tuum nominabitur in univerſa terra. ibidem.
Cap. 12. Orabat Dominum Deum Iſrael, ut dirigeret viam eius ad liberationem populi ſui. 199. 30.
Cap. 13. Subvenit ruinæ antè conſpectum Domini. 126. 8.
Porrò Ozias Princeps populi Iſrael dixit ad eam: Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram. 201. 38.
Cap. 14. Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor. 26. 6. & 200. 34. & 321 12.
Cap. 15. Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri. 200. 34.
Cap. 16. Dies autem victoriæ huius feſtivitatis ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore uſque in præſentem diem. 201. 39.

Ex Libro Eſther.

CAp. 2. Adamavit eã Rex plus quàm omnes mulieres, et poſuit diadema regni in capite ejus. 198. 27
Cap. 5. Etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, dabo tibi. 102.
Quæ eſt petitio tua Eſther? Prò qua re poſtulas, etc. 120. 32.
Cap. 8. Iudæis nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honór, et tripudium. 227. 31.
Cap. 10. Fons parvus, qui crevit in fluvium, et in lucem, ſolemque converſus eſt, et in aquas plurimas redundavit. 14. 12.
Cap. 14. Tu ſcis Domine, quod abhominer ſignum ſuperbiæ, et gloriæ meæ, et nunquam lætata ſum Ancilla tua niſi in te Domine Deus. 36. 11. et 167. 9.
Cap. 15. Super unam famulam ſuam innitebatur: altera autem famula ſequebatur Dominam, defluentia in humum veſtimenta ſuſtentans. 71. 5.
Facies tua plena gratiarum. 190. 44.

Ex Libro Iob.

CAp. 3. Antequàm comedam ſuſpiro, & tanquàm inundantes aquæ rugitus meus. 185. 20.
Cap. 4. Et in Angelis ſuis Deus reperit pravitatem. 326. 4.
Cap. 5. In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptimà non tanget te malum. 261. 41.
Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo. 209. 20.
Cap. 7. Suſpendium elegit anima mea. 327. 6.
Cap. 9. Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem me oſtendero, pravum me comprobabit: etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. 90. 19.
Cap. 10. Tædet animam mea vitæ meæ. 159. 39.
Pelle, & carnibus veſtiſti me. 99. 36.
Cap. 12. Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur: & ſi emiſerit eas, ſubvertent terram. 241. 37.
Revelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis. 226. 25.
Cap. 17. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. 25. 3.
Cap. 18. Neſcit homo pretium eius. 298. 5.
Abſcondita eſt in terra pedica ejus, & decipula illius ſuper ſemitam. 348. 4.
Cap. 19. Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meũ, & derelicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos. 152. 13.
Cap. 30. Gaudium hypocritæ adinſtar puncti 311. 21.
Cap. 22. Circa cardines Cæli perambulat. 77. 3.
Dabit pro terrà ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos. 227. 31.
Cap. 24. Perfodiunt in tenebris domos, ſicut in die condixerant ſibi, & ignoraverunt lucem. 233. 64.
Ipſi fuerunt rebelles lumini. 52. 9.
Si ſubitò apparuerit Aurora, arbitrantur umbram mortis. 14. 11. & 57. 5. & 231. 51.
Cap. 25. Super quem non ſurget lumen illius. 14. 11. & 223. 8.
Luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus. 229. 39.
Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus. 90. 20.
Cap. 26. Prudentia ejus percuſſit ſuperbum. 180. 21.

Tonitruum magnitudinis ejus quis poterit intueri. 363. 17.
Cap. 28. *Habet argentum venarum ſuarum principium.* 274. 25.
Ferrum de terra tollitur. 287. 6.
Cap. 29. *Oculus fui cæco, & pes claudo.* 14. 11.
In nidulo meo moriar. 327. 7.
Ros morabitur in meſsione mea. 247. 24.
Cap. 31. *Ab infantia crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum.* 116. 7.
Quis mihi tribuat auditorem, & librum ſcribat ipſe qui judicat. 186. 36.
Cap. 37. *Cœli ſolidiſſimi quaſi ære ſunt fuſi.* 92. 6.
Subitò aer cogetur in nubes. 238. 18.
Cap. 38. *Nunquid ingreſſus es theſauros nivis.* 77. 4.
Per quam viam ſpargitur lux, & dividitur æſtus ſuper terram. 52. 9.
Quis eſt pluviæ pater, vel quis genuit ſtillas roris. 249. 31.
Nunquid elevabis in nebula vocem tuam, &c. 19. 16.
Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam. 281. 15.
Cap. 39 *Contemnit multitudinem Civitatis.* 234. 3.
Circunſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit. ibidem.
Nunquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? 18. 14.
Cap. 40. *Ecce Beemoth, quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet.* 350. 15.
An extrahere poteris Leviathan hamo? ibidem.
Nunquid illudes ei quaſi avi? ibidem.
Ligabis eum ancillis tuis. 321. 12.
Cap. 41. *Cor ejus indurabitur quaſi lapis, & conſtringetur, &c.* 322. 17.
Cap. 42. *Et dederunt ei unuſquiſque ovem unam, & inaurem auream unam.* 329. 33.
Primogenitam vocavit diem. 77. 3.
In præruptis ſilicibus commoratur, in rupibus inaceſſis. 171. 14.

Ex Libro Pſalmorum.

PSal. 2. *Ego hodie genui te.* 231. 48.
Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. 210. 28.
Pſal. 4. *Sacrificate ſacrificiam juſtitiæ.* 211. 33.
Pſal. 7. *Qui ſalvos facit rectos corde.* 89. 15.
Concepit dolorem, et peperit iniquitatem. 171. 17.
Pſal. 8. *Elevata eſt magnificentia tua ſuper Cœlos.* 19. 13.
Omnia ſubjeciſti ſub pedibus eius. 136. 17.
Pſal. 10. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* 215. 48.
Pſal. 11. *Propter miſeriam inopum, et gemitum pauperum.* 247. 22.
Pſal. 13. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt.* 247. 22.
Pſal. 15. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* 118. 5 et 155. 18. et 162. 50. et 345. 17.
Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. 244. 8. et 272. 16.
Pſal. 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* 189. 41. et 194. 7.
Pſal. 17. *Inclinavit Cœlos, et deſcendit.* 59. 7. et 89. 17.
Caligo ſub pedibus ejus. 262. 47.
Aſcendit ſuper Cherubin, et volavit, volavit ſuper pennas ventorum. 240. col. 1.
Miſit ſagittas ſuas. 352. 32.
Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, etc. 51. 4.
Pſal. 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* 77. 3. et 136. 20.
Tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo. 78. 9. et 148. 35.
Pſal. 21. *Ego ſum opprobrium hominum, et abjectio plebis.* 243. 4.
Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens. 250. 37. tt 281. 11.
Aruit tanquam teſta virtus mea. 243. 7. et 244. 10.
Vivent corda eorum in ſeculum ſeculi. 184. 15.
Pſal. 23. *Domini eſt terra, et plenitudo ejus, etc.* 167. 11
Innocens manibus, et mundo corde. 90. 20.
Dominus fortis, et potens. 66. 7.
Pſal. 24. *Dulcis, et rectus Dominus.* 66. 2.
Pſal. 26. *Vnam petii a Domino.* 13. 6. et 27. 4. et 351. 25.
Pater meus, et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſsumpſit me. 197. 21.
Pſal. 28. *Adorate Dominum in atrio ſancto eius.* 78. 8.
Et dilectus quemadmodum filius unicornium. 328. 13
Pſal. 30. *Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſalvaſti de neceſitatibus animam meam.* 5. 4.
Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, etc. 244. 11. et 323. 5.
Pſal. 33. *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* 62. 2.
Pſal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* 136. 20.
Pſal. 37. *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.* 352. 29.
Putruerunt, et corruptæ ſunt cicatrices meæ. 298. 7.
Cor meum conturbatum eſt in me, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipſum non eſt mecum. 6. 2.
Pſal. 38. *Concaluit cor meum intrà me, et in meditatione mea exardeſcet ignis.* 159. 39.
Pſal. 40. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, et pauperem.* 166. 5.
Pſal. 41. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* 118. 21. et 161. 46.
Quando veniam, et apparebo antè faciem Dei. 242. col. 1.
Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte. 160. col. 1.
In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam, et nocte Canticum eius. 210. 28.
Pſal. 44. *Eructavit cor meum verbum bonum.* 3. 2 et 188. 36.
Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. 188. 37. et 312. 27.
Speciosſus forma præ filiis hominum. 67. 7. et 188. 37
Sagittæ potentis acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis. 171. 13.
Myrrha, et gutta, et Caſia à veſtimentis tuis. 166. 3. et 262. 44.

Aſti-

Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato. 60. 8. & 76. 2.
Circundata varietate. 108. 6.
Audi filia, & vide. 76. 2. & 145. 18. & 147. 27. & 316. 20.
Obliviſcere populum tuum, & domum Patris, & concupiſcet Rex decorem tuum. 160. 4.
Et filiæ Tyri in muneribus. 766. 3.
Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. 219. col. 1.
Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. 139. 34. & 371. 25.
Circumamicta varietatibus. 236. 10.
Adducentur Regi Virgines poſt eam. 299. 10.
Pſal. 45. *Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei.* 240. 32.
Dominus virtutum nobiſcum. 191. 49.
Pſal. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Civitate Dei noſtri.* 145. 16.
Deus in domibus ejus cognoſcetur. 233. 64.
Sicut audivimus, ſic vidimus in Civitate Dei noſtri, &c. 59. 6.
Pſal. 48. *Simul in unum dives, & pauper.* 191. 48.
Pſal. 49. *Peccatori autem dixit Deus: Quarè tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* 208. 18.
Pſal. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea.* 242. col. 1.
Iuſtificeris Domine in ſermonibus tuis. 210. 28.
Libera me de ſanguinibus. 24. 5.
Benignè fac Domine in bonà voluntate tuà Sion. 126. 21.
Pſal. 54. *Veſpere, & mane, & meridie narrabo, &c.* 210. 28.
Pſal. 55. *Conculcaverunt me inimici mei totà die.* 236. 9.
Pſal. 57 *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ Rhamnum, etc.* 310. 16.
Pſal. 58. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam.* 400. 38.
Pſal. 62. *In terrà deſertà, et invià, et inaquosa, ſic in Sancto apparui tibi.* 184. 14.
Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima. 186. 25. et 198. 26.
Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adjutor meus. 210. 28.
Pſal. 64. *Replebimur in bonis domus tuæ.* 202. 47.
Sanctum eſt templum tuum. 77. 8.
Viſitaſti terram, et inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam. 290. 20.
Flumen Dei repletum eſt aquis. 241. 36.
Benedices Coronæ Anni benignitatis tuæ. 256. 17. et 293. 8.
Pſal. 65. *Tranſivimus per ignem, et aquam, et eduxiſti nos in refrigerium.* 243. 4.
Pſal. 67. *Mons in quo beneplacitum eſt Deo.* 77. 5.
Vt intingatur pes tuus in ſanguine. 111. 28.
Qui dat virtutem, et fortitudinem plebi ſuæ. 86. 8.
Pſal. 68. *Suſtinui, qui ſimul conſtriſtaretur, et non fuit.* 69. 10.
Pſal. 71. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus.* 77. 7. et 188 38. et 238. 19.
Orietur in diebus ejus juſtitia, et abundantià pacis, donec auferatur Luna. 51. 6. et 262. 47.
Et dominabitur à mari uſque ad mare. 64. 13.
Liberabit pauperem à potente. 24. 4.
Pſal. 72. *Quam bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde.* 89. 14.
In civitate tuà imaginem ipſorum ad nihilum rediges. 91. 21.
Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. 55. 5. & 114. 42.
Pſal. 73. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* 87. 2
Tuus eſt dies, & tua eſt nox: Tu fabricatus es Auroram, & Solem. 232. 62.
Pſal. 75. *Factus eſt in pace locus eius.* 135. 15. & 391. 27.
Vovete, & reddite. 180. 20.
Pſal. 76. *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum.* 159. 40. & 163. 54.
Vox tonitrui tui in rota. 363. 17.
Pſal. 77 *Deduxit eos in nube diei.* 51. 5.
Pluit illis manna ad manducandum, & panem Cœli dedit eis. 244. 8.
Panem Angelorum manducavit homo. 243. 6. & 244. 8.
Pſal. 79. *Plantaſti radices, & implevit terram.* 18416.
Pſal. 80. *Buccinate in Neomenia tubà, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ: quia præceptum in Iſrael eſt.* 255. 13. & 256. 14.
Beati qui habitant in domo tua Domine. 210. 28.
Pſal. 83. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* 89. 15.
Ibunt de virtute in virtutem. 323. 3.
Videbitur Deus Deorum in Sion. 78. 9.
Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia. 57. 8. & 210. 28.
Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum 210. 28.
Pſal 84. *Benedixiſti Domine terram tuam.* 224. 13.
Iuſtitia, & Pax oſculatæ ſunt. 135. 15.
Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. 235. 6.
Terra noſtra dedit fructum ſuum. 219. 27.
Pſal. 85. *Tu Domine ſuavis, & mitis, & multa miſericordiæ omnibus invocantibus te.* 115. col. 1.
Pſal. 86. *Fundamenta eius in montibus Sanctis.* 218. 60.
Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei. 90. 21.
Homo natus eſt in eà, etc. 183. 8.
Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te. 234. 3. et 391. 31.
Pſal. 87. *Elongaſti à me amicum, et proximum, et notos meos à miſerià.* 69. 10.
Pſal. 88 *Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum.*
Poſuiſti firmamentum eius formidinem. 360. 49.
Orbem terræ, et plenitudinem eius tu fundaſti. 235. 4.
Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo. 228. 32.
Sicut Luna perfecta in æternum, et teſtis in Cælo fidelis. 256. 14.
Pſal. 89. *Domine refugium factus es nobis* 21. 4.
Pſal. 90. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te, etc.* 388. 15.
Pſal. 92. *Firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* 236. col. 1.
Parata ſedes tua ex tunc. 222. 3.
Domum tuam Domine decet ſanctitudo. 183. 8.
Pſal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt*

 ani-

animam meam. 109. col. 1. & 171. 12.
Pſal. 94. *In manu eius omnes fines terræ.* 11. 8.
Pſal. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus ſuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.* 209. 20.
Dominus in Cœlo paravit ſedem tuam. 219. 67. & 222. 3. & 354. 6.
Pſal. 103. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi.* 235. 7.
Montes excelſi Cervis. 234. 2.
Fecit Lunam in tempora. 286. 15.
Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox. 88. 5.
Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. 57. 5. & 88. 5.
Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus. 53. 5. & 331. 8.
Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. 202. 46.
Pſal. 104. *Eloquium Domini inflammavit eum.* 178. 6. & 314. 9.
Expandit nubem in protectionem eorum per diem, & ignem, ut luceret eis per noctem. 239. 26.
Pſal. 106. *Deduxit eos in portum.* 38. 9.
Pſal. 108. *Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum.* 210. 29.
Pſal. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* 71. 9.
In ſplendoribus Sanctorum genui te. 231. 49. & 245. 16.
Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. 142. 3.
Pſal. 110. *Sanctum, et terribile nomen eius.* 26. 10.
Initium Sapientiæ timor Domini. 56. 3.
Pſal. 111 *Iucundus homo qui miſeretur, et commodat.* 54. 4.
Pſal. 113. *Terram autem dedit filiis hominum.* 231. 4.
Pſal. 116. *Vſque ad cornu altaris.* 36. 12.
Pſal. 117. *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eâ.* 261. 40.
Pſal. 118. *In toto corde meo exquiſivi te.* 160. 43.
Increpaſti ſuperbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis. 183. 10.
Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. 210. 28.
Defecit in ſalutare tuum anima mea. 158. 33. & 163. 55.
Ordinatione tuà perſeverat Dies. 229. 41.
Omnis conſummationis vidi finem. 92. col. 1.
Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo. 192. 53. & 209. 22.
Iniquos odio habui, &c. 323. 4.
A mandatis tuis intellexi. 346. 26.
Lucerna pedibus meis verbum tuum. 346. 26.
Tempus faciendi Domine: diſſipaverunt legem tuam. 227. 28.
Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. 237. 16. & 334. 26.
Ignitum eloquium tuum vehementer. 159. 39.
Fiat manus tua, ut ſalvet me. 10. 5.
Pſal. 119. *Sagittæ potentis acutæ.* 352. 27.
Pſal. 120. *Per diem Sol non uret te.* 67. 1. & 243. 7. & 262. 47.
Pſal. 126. *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filii excuſſorum.* 352. 32.
Cum dederit dilectis ſuis ſomnum; eccè hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris. 91. col. 1. & 300. 20.
Pſal. 130. *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam: ſicut ablactatus ſuper matre ſua, ita retributio in animâ meâ.* 133. 4.
Pſal. 131. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* 131. 5.
Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam iu campis ſilvæ, &c. 332. 16.
Surge Domine in requiem tuam tu, & arca Sanctificationis tuæ. 138. col. 1.
Pſal. 137. *Humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.* 5. 3. et 91. 24.
Pſal. 138. *Tu cognoviſti ſeſſionem meam, et reſurrectionem meam.* 170. 11.
Tu cognoviſti omnia noviſſima, & antiqua. 224. 12.
Et anima mea cognoſcit nimis. ibidem.
Quoniam illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. 10. 5.
Pſal. 140. *Dirigatur oratio mea ſicut Incenſum in conſpectu tuo.* 301. 27.
Cadent in retiaculo ejus peccatores. 351. 21.
Pſal. 143. *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi.* 375. 1.
Pſal. 144. *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* 10. 5.
Propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum. 58. 2.
Pſal. 145. *Lauda anima mea Dominum: laudabo Dominum in vitâ meâ, etc.* 325. 17.
Pſal. 146. *Magnus Dominus, et magna virtus eius.* 198. 25.
Qui dat jumentis eſcam ipſorum, et pullis corvorum invocantibus eum. 247. 24.
Pſal. 147. *Poſuit fines tuos pacem.* 183. 7.

Ex Libro Proverbiorum.

CAp. 3. *Honora Dominum de tuà ſubſtantia.* 165. 5.
Longitudo dierum in dexterâ ejus, et in ſiniſtra illius divitiæ, et gloria. 230. 46.
Cap. 4. *Ne dimittas eam, et cuſtodiet te: dilige eam, et ſervabit te.* 300. 20.
Arripe illam, et exaltabit te: glorificaberis ab eà, cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, etc. 329. 35.
Ducam te per ſemitas æquitatis. 11. 6.
Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, et creſcit uſque ad perfectam diem. 227. 30.
Non dormiunt, niſi malè fecerint, & non rapitur ſomnus ab eis, niſi ſupplantaverint. 293. 5.
Cap. 5. *Favus diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus: noviſſima autem illius amara quaſi abſinthium.* 88. 7.
Cerva chariſſima. 77. 7.
Cap. 7. *Aſperſi cubile meum myrrhâ, & aloe.* 298. 9.
Cap. 8. *Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, &c.* 110. 16.
Ab æterno ordinata ſum, & antequam terra fieret. 222. 3.
Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. 299. 16.
Cap. 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* 148. 35. & 345. 22.
Comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. 358. 32.
Cap. 10. *Memoria juſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet.* 306. 17. & 385. 30.
Vena vitæ os juſti. 289 19.
Cap. 11. *Mulier gratioſa inveniet gloriam.* 197. 23. & 198. col. 1. & 209. 19.
Cap. 12. *Qui bonus eſt, hauriet ſalutem à Domino, &c.* 190. 47.
Mulier diligens corona eſt viro ſuo. 102. 48.
Mæror in corde viri humiliabit eum, &c. 14. 9.
Cap. 13. *Spes quæ differtur, affligit animam.* 146. col. 1.
Cap. 14. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam: inſipiens extructam quoque manibus deſtruet.* 110. col. 1. & 321. 12.
Riſus dolore miſcebitur, et extrema gaudii luctus occupat. 298. 6.
Errant omnes, qui operantur malum. 90. 18.
Cap. 15. *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* 4. 8.
Lux oculorum lætificat animam. 227. 31.
Cap. 16. *Contritionem præcedit ſuperbia, et antè ruinam exaltatur ſpiritus.* Alia lectio. *Antè ruinam exaltatur ſpiritus, et antè gloriam humiliabitur.* 306. 18.
Cap. 18. *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum confugiet iuſtus, et ſalvabitur.* 21. 4.
Iuſtus in principio accuſator eſt ſui. 122. 43.
Cap. 19. *Sicut ros ſuper herbam, ſic hilaritas Regis.* 247. 24.
Cap. 20. *Rex qui ſedet in ſolio.* 14. 10.
Cap. 25. *Cælum ſurſum, et terra deorſum.* 235. 6.
Inauris aurea, et margarita fulgens, qui arguit ſapientem, et aurem obedientem. 379. 35.
Mel inveniſti, comede. 173. 27.
Perſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria. 241. 39.
Sicut Vrbs patens, et abſque murorum ambitu. 388. 15.
Cap. 26. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis.* 118. 21.
Cap. 29. *Qui ſperat in Domino, ſublevabitur.* 35. 9.
Cap. 30. *Sermo Dei clypeus ignitus eſt.* 32. 6.
Ignis nunquam dicit: ſufficit. 118. 21.
Tria ſunt mihi difficilia, et quartum penitus ignoro. 128. 19.
Cap. 31. *Mulierem fortem quis inveniet, etc.* 3. 4. et 224. 12.
Pretium de ultimis finibus. 126. 9.
Quæſivit lanam, et linum, et operata eſt conſilio manuum ſuarum. 156. 22. et 175. 36.
Facta eſt quaſi navis Inſtitoris. 78. 9. et 357. 32.
Dedit prædam domeſticis ſuis. 103. 4.
Dedit cibaria Ancillis ſuis. 235. 6.
Accinxit fortitudine lumbos ſuos, et roboravit brachium ſuum. 321. 11.
Manum ſuam miſit ad fortia. 98. 29. et 321. 11.
Digiti eius apprehenderunt fuſum. 174. 32. et 176. 39.
Manum ſuam extendit ad pauperes. 103. 4.
Stragulatam veſtem fecit ſibi, etc. 376. 12.
Byſſus, et Purpura indumentum eius, 101. 41. et 250. 39. et 335. 7. et 376. 13.
Panem otioſa non comedit. 4. 6.

Surrexerunt filii eius, et beatiſſimam prædicaverunt: Vir eius et laudavit eam. 71. 4.
Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. 166. 2.
Fallax gratia, et vana eſt pulchritudo. 98. 29.

Ex Libro Eccleſiaſtæ.

CAp. 1. *Generatio præterit, generatio advenit, terra autem in æternum ſtat.* 235. 6. et 237. 12. et 289. 21.
Oritur Sol, & occidit. 230. col. 1.
Cap. 2. *Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam.* 122. 45.
Peccatori dedit Deus afflictionem, et curam ſuperfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei, qui placuit Deo. ibidem.
Cap. 5. *Deus in Cælo eſt.* 82. 4.
Cap. 6. *Non vidit Solem, nec cognovit diſtantiam boni, et mali.* 228. 36.
Cap. 7. *Melius eſt nomen bonum, quam unguenta pretioſa.* 306. 17.
Cap. 8. *Ego os regis obſeruo.* 393. 47.
Cap. 12. *Florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, et diſſipabitur Capparis.* 294. 12.

Ex Canticis Canticorum.

CAp. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* 119. 23.
Meliora ſunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis. 157. 28.
Oleum effuſum nomen tuum. 116. 8. et 295. 15.
In odorem unguentorum tuorum curremus. 81. 15. et 272. 14. et 316. 23.
Exultabimus, et lætabimur in te. 281. 12.
Recti diligunt te.
Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. 158. 36. et 235. 4. 289. 22. et 326. 4.
Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decoloravit me Sol. 301. 30. et 326. 4.
Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie. 111. 26.
Paſce hædos tuos iuxta tabernacula Paſtorum, 141. 44.
Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te. 135. 15. et 26. 6.
Collum tuum ſicut monilia. 375. 4.
Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. 381. 2.
Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. 4. 1. et 77. 6.
Ecce tu pulchra es amica mea, eccè tu pulchra es, etc. 13. 3.
Oculi tui Columbarum. 12. 2.
Botrus Cypri dilectus meus mihi. 129. 23.
Lectulus noſter floridus. 78. 9.
Cap. 2. *Ego flos campi, & lilium convallium.* 262. 43.
Sicut lilium inter ſpinas. 77. 6. & 148. 37.
Sicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios. 319. 3.
Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. 305. 10. & 321. 16.

In-

Introduxit me in Cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. 320. 8. & 345. 20.
Eccè iſte venit ſaliens in montibus. 191 49.
Reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. 226. 26. & 364. 23.
Vox turturis audita eſt. 77. 7.
Vox tua dulcis. 81. 14. & 230. 27. & 316. 23.
Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. 54. 6.
Dilectus meus mihi, & ego illi. 145. 16. & 147. 32. & 316. 20.
Cap. 3. Surgam, et circuibo civitatem. 288. 11.
Adiuro vos filiæ Ieruſalem, etc. 166. 3.
Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et univerſi pulveris pigmentarii. 180. 18. et 301. 28.
Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt. 78. 9.
Ferculum ſibi fecit Rex Salomon. ibidem.
Reclinatorium aureum. 385. 30.
Cap. 4. Oculi tui Columbarum. 12. 2.
Abſque eo quod intrinſecus latet. 137. 24.
Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ. 316. 20. et 319. 5.
Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. 32. 5. & 137. 24. & 345. 23. & 365. 28.
Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli gemelli Capreæ. 157. 29. & 195. 12.
Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. 28. 8. & 153. 7. & 228. 36.
Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, & de montibus Pardorum. 73. 17. & 387. 1.
Vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. 161. 48. & 194. 5. & 328. 15. & 351. 23.
Favus diſtillans labia tua Sponſa. 191. 51. & 372. 33.
Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata. 293. 4. & 316. 20. & 320. 8.
Hortus concluſus, fons ſignatus. 93. 3.
Emiſſiones tuæ Paradiſus. 192. 54. & 223. 7.
Cypri cum nardo, nardus, & crocus. 80. 12.
Fons hortorum, Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. 18. 14. & 184. & 14. 240. 31.
Veni Auſter, & perfla hortum meum, et fluent aromata illius. 245. 15.
Cap. 5. Meſſui myrrham meam. 299. 9.
Comedi favum cum melle meo. 192. 53.
Ego dormio, et cor meum vigilat 293. 6. et 337. 22.
Surrexi, ut aperirem dilecto meo. 316. 24.
Digiti mei pleni ſunt myrrha probatiſſima. 299. 10.
Anima mea liquefacta eſt, ut locutus eſt. 159. 39. et 119. 23. et 380. 37.
Pulcherrima mulierum. 153. 7.
Nunciate dilecto meo, quia amore langueo. 89. 11. et 109. 11.
Electus ex millibus. 57. 8. et 358. 34.
Oculi eius ſicut columbæ ſuper rivos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, etc. 13. 7.
Genæ illius ſicut areolæ aromatum. 320. 8.
Manus eius tornatiles aureæ. 10. 6. et 373. 43.
Cap. 6 Pulchra es amica mea, ſuavis, et decora ſicut Ieruſalem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata. 399. 30.
Averte oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt. 328. 15.
Vna eſt perfecta mea. 76. 2.
Vna eſt Genitricis ſuæ. ibidem.
Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata. 19. col. 1. et 138. 30. et 222. 5. et 231. 51. 232. 59.
Deſcendi in hortum, ut colligam poma convallium. 77. 5.
Anima mea turbata eſt quadrigas Aminadab. 131. 3.
Revertere, revertere Sunamitis, revertere, ut intueamur te. 30. 9. et 192. 55. et 316. 23.
Cap. 7. Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, etc. 326. 5. et 381. 44.
Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum. 137. 24. et 138. 31. et 341. 19.
Iuncturæ feminum tuorum ſicut monilia, etc. 386. 34.
Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis 263. 51. et 293. 8.
Duo ubera tua ſicut duo gemelli Capreæ hinnuli. 157. 29. et 195. 12.
Collum tuum ſicut turris eburnea. 77. 7.
Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contrà Damaſcum. 366. 36.
Oculi tui ſicut piſcinæ in Eſebon. 12. 2.
Comæ capitis tui ſicut purpura Regis iuncta Canalibus. 335. 7.
Statura tua aſſimilata eſt palmæ. 157. 28. et 237. 12.
Guttur tuum ſicut vinum optimum. 320. 8.
Dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque, et dentibus illius ad ruminandum. 152. 53.
Mandragoræ dederunt odorem ſuum in portis noſtris. 293. 6. et 345. 21.
Cap. 8. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, etc. 266. 3.
Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum. 202. 45. et 267. 20.
Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum. 373. 43.
Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. 118. 19. et 357. 29.
Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. 235. 5. et 263. 48. et 269. 29.
Soror noſtra parva. 76. 2.
Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. 163. 53.
Ego murus, et ubera mea ſicut turris. 78. 9.
Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te. 304. 7.

Ex Libro Sapientiæ.

CAp. 1. In malevolam animam non introibit Sapientia. 189. 41.

Deus mortem non fecit, ſed impii manibus, et verbis accerſierunt illam. 208. 18.
Cap. 2. Hæc cogitaverunt, et erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum. 90. 18.
Cap. 4. O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, et apud homines. 250. 39. et. 276. 8.
Cap. 5. Erravimus è viâ veritatis, et Sol juſtitiæ non illuxit nobis. 53. col. 1.
Iuſtitiæ lumen non luxit nobis, et Sol juſtitiæ non eſt ortus nobis. 228. 36.
Cap. 6. Melior eſt Sapientia quam vires: et vir prudens, quam fortis. 32. col. 1.
Clara eſt, et quæ nunquam marceſcit ſapientia. 373. 43.
Præoccupat qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. 21. 7. et 126. 9.
Cuſtoditio legum, conſummatio eſt incorruptionis, etc. 56. col. 1.
Incorruptio facit proximum Deo. 126. 9. et 144. col. 1.
Cap. 7. In ventre matris meæ figuratus ſum, etc. 92. 3. et 281 15.
Communem aerem accepi. 77 4.
Nec comparavi illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, et tanquam lutum æſtimabitur argentum. 29. col. 1.
Propoſui prò luce habere illam. 226. 24.
Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honeſtas per manus illius. 126. 9. et 184. 14. et 241. 40 et 300. 17.
Cognovi quoniam omnium bonorum mater eſt. 271. 14.
Sinè invidia communico. 239. 17.
Infinitus theſaurus eſt hominibus. 67. col. 1. et 136. 18.
Omnibus mobilibus mobilior eſt Sapientia. 11. 7.
Vapor eſt virtutis Dei, et emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera. 128. col. 1.
Nihil inquinatum incurrit in illam. 226. 25.
Candor eſt lucis æternæ, et ſpeculum ſine maculà Dei maieſtatis, et imago bonitatis illius. 90. 20. et 227. 30. et 262. 48.
Per nationes ſpiritus ſapientiæ in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei, & Prophetas conſtituit. 209. 21.
Eſt enim ſpecioſior Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, &c. 29. col. 1. & 58. 11. 167. 9. & 226. 25.
Luci comparata invenitur prior. 29. col. 1.
Cap. 8. Scit præterita, & de futuris æſtimat. 285. 14.
Cap. 9. Scit omnia, & intelligit. 58. 2.
Cap. 10 Eos qui ſe amant, à doloribus conſervabit. 300. 20.
Cap. 11. Tanquam momentum ſtateræ eſt ante te orbis terrarum, etc. 221. 2.
Cap. 14. Et in muſcipulam pedibus inſipientium. 348. 4.
Tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt. 357. 28.
Tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram. 249. 31.
Cap. 16. In aqua ignis plus valebat. 118. 20.
Paratum panem de Cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentum, & omnis ſaporis ſuavitem. 242. 3.
Omnium nutrici gratiæ tuæ deſerviebant. 249. 31.
Quod ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exiguo Solis radio calefactum tabeſcebat. 243. 7.
Oportet prevenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare. 228 35.
Cap. 17. Vna catena tenebrarum omnes erant colligati. 249. 31.
Cap. 18. Sanctis tuis maxima erit lux. 209. 24.
Dum medium ſilentium tenerent omnia, &c. 249. 32.
Cœlos attingebant ſtans in terra. 345. 17.
Cùm enim cecidiſſent ſuper alterutrum mortui, interſtitit, & amputavit impetum, & diviſit illam, quæ ad vivos ducebat viam. In veſte enim Poderis, quam habebat, totus erat Orbis terrarum, & Parentum magnalia. 156. 19.

Ex Libro Eccleſiaſtici.

CAp. 1. Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt antè ævum. 186. 23.
Arenam maris, & guttæ pluvias quis dinumerat. 64. 12.
Altitudinem Cœli quis dimenſus eſt. 84. 4. 219. 67. & 354. 6.
Ipſe creavit illam in Spiritu, & dinumeravit, & menſus eſt. 17. col. 1.
Effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem. 226 25.
In theſauris ſapientiæ intellectus, & ſcientia. 136. 18.
Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudinem dierum. Timenti Dominum benè erit in extremis. 62. 2.
Cap. 3. Quanto magnus es humilia te in omnibus. 180. 20.
Cap. 6. Inveſtiga illam, et manifeſtabitur tibi. 59. 3.
Cap. 7. Noli diſcedere à muliere ſenſata. Gratia enim verecundiæ eius ſuper aurum. 369. 14.
Cap. 10. Avaro nihil eſt ſceleſtius. 180. 2.
Cap. 11. Brevis eſt in volatilibus Apis, et initium dulcoris habet fructus illius. 288. 13.
Erexit eum ab humilitate ſua. 36. 12.
Cap. 13. Omne animal diligit ſibi ſimile, ſic omnis homo proximum ſuum. 66. 6.
Cap. 15. Qui timet Deum faciet bona. 228. 35.
Cap. 16. Melior eſt unus timens Deum, quam mille filii impii. 20. 19.
Cap. 18. Cùm conſumaverit homo, tunc incipiet. 209. 24.
Quaſi guttæ aquæ maris deputati ſunt, et ſicut calculus arenæ. 229. 38.
Nonnè ardorem refrigerabit ros? 246. 21. et 247. 24.
Cap 22. Muſica in luctu importuna narratio. 138. 31.
Cap. 24. Ego ex ore Altiſſimi prodivi. 52. 10.
Sicut nebula texi omnem terram. 116. 9.
Ego feci in Cœlis ut oriretur lumen indeficiens. 4. 6. et 52. col. 2.

Ego in altiſſimis habito. 222. 4. et 225. 19. et 297 25.
Thronus meus in columna nubis. 77. 4.
Gyrum Cœli circuivi ſola. 189. 42. et 225. 20. et 234. 2.
Profundum abyſſi penetravi, et in fluctibus maris ambulavi, et in omni terrà ſteti, etc. 27. col. 1.
Qui creavit eam, requievit in tabernaculo eius. 235. 4.
Ab initio, & antè ſecula creata ſum. 222. 3. & 299. 15.
Vſque ad futurum ſeculum non deſinam. 60. 4. & 235. 6.
In habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi. 103. 2.
Quaſi Cedrus exaltata ſum. 77. 6.
Quaſi Cypreſſus in monte Sion. ibidem.
Quaſi Palma. ibidem.
Quaſi plantatio Roſæ in Iericho. 108. 7. & 315. 17.
Quaſi oliva ſpecioſa. 177. 6.
Quaſi Platanus. ibidem.
Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans dedi ſuavitatem odoris. 28. 1. & 263. 40.
Quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris. 297. 2.
Quaſi balſamum non mixtum odor meus. 272. 16. & 320. 8.
Ego quaſi Terebinthus. 77. 6.
Ego quaſi Vitis fructificavi ſuavitatem odoris. 77. 6. & 262. 48.
Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. 3. 4. & 4. 8. & 19. 15. & 31. 5. & 117. 12. et 241. 34. et 294. 10.
In me omnis gratia vitæ, et veritatis, in me omnis ſpes vitæ, et virtutis. 223. 7. et 241. 35. et 276. 8.
Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me. 62. 2. et 123. 5. et 126. 9. et 235. 4.
Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, et favum. 192. 53. et 283. 2.
Hæreditas mea ſuper mel, et favum. 388. 8.
Qui edunt me, adhuc eſurient. 161. 47.
Qui bibunt me, adhuc ſitient. 64. 2. et 241. 39.
Ego Sapientia effudi flumina. 267 13.
Sicut aquæductus exivi de Paradiſo. 57. 9. et 78. 9. et 330. 27.
Rigabo hortum plantationum mearum. 184. 13.
Penetrabo inferiores partes terræ, et inſpiciam omnes dormientes, illuminabo omnes ſperantes in Domino. 52. 7. et 227. 31. et 255. 12.
Cap. 25. Omnis plaga triſtitia cordis. 234. 3.
Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum, et oſſa illius impinguabit. 198. 26.
Cap. 26. Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, et pudorata. 189. 41. et 369. 14.
Sicut Sol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ. 74. col. 1. et 223. 6. et 228. 32.
Lucerna ſplendens ſuper candelabrum. 78. col. 1.
Cap. 27. Stultus ut Luna mutatur. 262. 46.
Cap. 31. Antè verecundiam præibit gratia, etc. 369. 14.
Cap. 32. Gemmula carbunculi in ornamento auri. 373. 42.
Cap 33. Quarè dies diem ſuperat, et iterùm lux lucem, et annus annum à Sole. 257. 20.
Cap. 35. Specioſa miſericordia Dei in tempore tribulationis, ſicut nubes pluviæ, etc. 116. 7.
Cap. 36. Da mercedem ſuſtinentibus te: ut Prophetæ tui fideles inveniantur. 210. 28.
Vbi non eſt mulier, ingemiſcit æger. 264. 53.
Cap. 38. Altiſſimus de terra creavit medicinam. 86. 6. et 237. 14. et 277. 11.
Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ. 202. 44.
Cap. 39. Obaudite me divini fructus. 11. 7.
Cap. 40. Gratia ſicut Paradiſus in benedictionibus 197. 24.
Gratiam, & ſpeciem deſiderabit oculus, & ſuper hæc omnia virides ſationes. 250. 37. & 277. 13.
Cap. 41. O mors quam amara eſt memoria tua. 67. 3.
Cap. 42. Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus ejus. 52 6.
Revelans veſtigia occultorum. 226. 26.
Cap. 43. Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus, ſpecies Cœli in viſione gloriæ. 222. 5.
In meridiano ſol exurit terram. 108. 9.
Tripliciter ſol exurens montes. 233. col. 1.
Et Luna in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporis, & ſignum ævi.
A Luna ſignum diei feſti, luminare quod minuitur in conſummatione.
Menſis ſecundum nomen ejus eſt, creſcens mirabiliter in conſummatione. 253. 3.
A Luna ſignum diei feſti. 223. 6.
Creſcens mirabiliter in conſummatione. 86. 8.
Vas admirabile, opus excelſi. 28. 1.
Species Cœli gloria ſtellarum. 82. 4. & 229. 41.
Vide arcum, & benedic, &c. 77. 4. & 249. 33. & 250. 38.
Medicina omnium in feſtinatione nebulæ. 238. 18.
Ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum. 77. 4. et 231. 52. et 246. 21. et 247. 24.
Cap. 45 Corona aurea ſuper mitram ejus, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, etc. 368. 4.
Cap. 49. Quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificate. 317. 25.
Cap. 50. Quaſi ſtella matutina. 77. 3.
Sicut Luna perfecta in diebus ſuis lucet. 286. 16. et 354. 13.
Quaſi vas auri ſolidum. 78. 9. et 189. 41.
Cap. 51 Liberaſti me ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis tui, etc. 171. 16.
Reſpiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat. 24. 5.

Ex Prophetia Eſaiæ.

CAp. 1. Cognovit Bos poſſeſſorem ſuum, et Aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognovit, etc. 176. 42.
Vinum tuum mixtum eſt aqua. 111. 26.
Principes tui infideles, ſocii furum. 302 1.
Cap. 2. Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur ſuper colles. 19. 15. & 234 2.
Cap. 3. Non ſum Medicus, nec eſt panis in domo mea, neque veſtimentum. 36. 12.
Cap. 4. Invocetur nomen tuum ſuper nos: aufer opprobrium noſtrum. 302. 35.
Cap. 5. Vinea facta eſt dilecto. 184. 16.
Cap. 6. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum, & plena erat omnis terra majeſtate ejus. 19. 15.
Cap. 7. Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Eccè Virgo concipiet, & pariet filium, &c. 113. 34. & 143. 9. & 235. 5.
Butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, et eligere bonum. 158. 31. & 173. 27.
Cap. 9. Et vocabitur nomen ejus Admirabilis. 28. 1.
Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. 307. 24.
Cap. 10. Ardebit quaſi ignis combuſtio, & erit lumen Iſrael in igne. 239. 26.
Cap. 11. Egredietur virga de radice Ieſſe. 71. 9. & 148. 36. & 393. 44.
Flos de radice ejus aſcendet. 91. col. 1. & 148. 36. & 294. 8.
Spiritus intellectus, & ſapientiæ, ſpiritus conſilii, fortitudinis, &c. 385. 30.
Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium. 248. 30.
Erit ſepulchrum ejus glorioſum. 110. 17.
Cap 14. In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Deì exaltabo ſolium meum, etc. 333. 22.
Cap. 16. Emitte Agnum de petra deſerti. 77. 5.
Præparabitur in miſericordia ſolium ejus, & ſedebit ſuper illud in veritate. 111. 3.
Cap. 18. Sicut lux meridiana clara eſt. 223. 10.
Cap. 19. Ecce aſcendet Dominus ſuper nubem levem, et ingredietur Aegyptum. 181. 22. et 238. 19.
Cap. 21. Super ſpeculam Domini ego ſum vigilans jugiter, et ſtans per diem; et ſuper cuſtodiam Domini ego ſum ſtans totis noctibus.
Cap. 24. Secretum meum mihi. 174. 30. et 394. 48.
Cap. 26 Salvator ponetur in eà murus, et antemurale. 388. 15.
Semita juſti recta eſt, et rectus callis ad ambulandum. 89. 14.
Iuſtitiam non fecimus in terrà, ideò non ceciderunt habitatores ejus. 122. 43.
Ros lucis, ros tuus. 158. 31. et 246. 20. et 248. 30. et 249. 31.
Cap 30. Hæc eſt via, ambulate in eà, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. 90. 18.
Eccè nomen Domini de longinquo ardens furor ejus, etc. 21. 4.
Cap. 32. Princeps ea quæ ſunt digna Principe cogitabit. 99. 36. et 394. 49.
Opus juſtitiæ pax, etc. 122. 43.
Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. 110. 9.
Cap. 33. Luxit, et elanguit terra. 235. 4.
Verba legis ponderans. 300. 17.
Cap. 35. Exultabit ſolitudo. 27. 5.
Confortate manus diſſolutas, et genua debilia roborate. 308. 8.
Cap. 40. Rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. 90. 17.
Quis tribus digitis appendit molem terræ? 72. 12.
Eccè omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram te. 221. 2.
Cap. 43. Si tranſieris per ignem, non combureris, et flamma non nocebit in te. 384. 22.
Affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ, et omnem, etc. 357. 28.
Reduc me in memoriam, et judicemur ſimul: et narra ſi quid habes, ut juſtificeris 278. 3.
Cap. 45. Rorate Cæli deſuper, et nubes pluant juſtum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem. 246. 23. et 276. 6.
Verè tu es Deus abſconditus. 244. 11. et 315. 19.
Faciet voluntatem ſuam in Babylone, et brachium ſuum in Chaldæis. 377. 4.
Cap. 48. Non eſt pax impiis, dicit Dominus. 209. 22.
Cap. 49. Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. 4. 7. et 227. 28.
In tempore placito exaudivi te. 256. 14. et 261. 40
Omnibus his velut ornamento veſtieris. 98. 31.
Cap. 50. Erige mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum, etc. 380. 38.
Ambulate in lumine ignis veſtri. 239. 26.
Cap. 57. Poſuiſti profundum maris viam, ut tranſirent. 164. 58.
Cap. 52. Mundamini qui fertis vaſa Domini. 144. col. 1.
Inglorius inter viros erit aſpectus ejus. 238. 19.
Vox ſpeculatorum tuorum. 366. 36.
Cap. 53. Aſcendet ſicut radix de terrà ſitienti. 237. col. 1.
Vidimus eum, et non erat aſpectus, etc. 238. 19. et 315. 19.
Verè dolores noſtros ipſe tulit, & languores noſtros ipſe portavit. 109. 11.
Attritus eſt propter ſcelera noſtra. 242. 3.
Sicut ovis ad occiſionem ductus eſt, et non aperuit os ſuum. 156. 22.
Generationem ejus quis enarrabit? 67. col. 1. 234. 2. et 248. 29.
Cap. 54. Lætare ſterilis, quæ non paris, quia multi filii deſertæ. 324 9.
In modico dereliqui te, et in magnis miſerationibus congregabo te: Abſcondi faciem meam pauliſper, et in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. 59. 5.
Ponam Iaſpidem propugnacula tua. 366. 38.
Ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus ſuum. 239. 26.
Cap. 55. Quomodò deſcendit imber de Cælo, et illuc non revertitur, ſed inebriat terram, etc. 248. 30. et 261. 42. et 346. 27.
Prò ſaliuncà aſcendet abies, et prò urticà creſcet myrtus. 77. 6. et 272. 17. et 314 8.
Cap. 58. Hortus irriguus, et fons aquarum, cujus non deficiunt aquæ. 18. 14.
Cap. 60. Eccè tenebræ operient terram. 235. 4.
Tunc videbis, et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum. 59. 6.
Non occidet ultrà ſol tuus. 230. col. 1.
Cap. 61. Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me, evangelizare pauperibus miſit me, etc. prædicare annum Domini acceptum, et in diem retributionis. 256. 18.

Cap. 2. Donec egrediatur ut ſplendor, juſtus ejus. 227. 27.
Cap. 63. Miſerationum Domini recordabor: laudabo Dominum ſuper omnibus, in quibus reddidit nobis Dominus. 115. col. 1.
Cap. 64. Non eſt qui conſurgat, & teneat me. 116. 9.
Cap. 65. Antequam clament, ego exaudiam: & adhuc illis loquentibus ego audiam. 11. 7.
Cap. 66. Cœlum ſedes mea eſt. 82. 4.
Terra eſt ſcabellum pedum meorum. 236. 9.
Ad quem reſpiciam niſi ad humilem, & quietum, & trementem ſermones meos. 5. 2. & 237. 26. & 110. 22.
Antequam parturiret, peperit, &c. Quis audivit unquam tale? 108. 8.
Eccè ego declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam Gentium. 158. 32.
Ad ubera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. ibidem.
Erit menſis ex menſe, & Sabbatum ex Sabbato. 256 16.

Ex Prophetia Ieremiæ.

CAp. 1. Vt evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & adifices, & plantes. 143. 5.
Virgam vigilantem ego video. 60 5.
Cap. 2. Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto. 263. 48.
Quomodò converſa es mihi in pravum? 298. 8.
Cap. 3. Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. 335. 5 & 369. 15.
Dux virginitatis meæ es tu. 210. 25.
Cap. 4. Aſpexi terram, & eccè vacua erat. 236. 8.
Cap. 6. Væ vobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ ſunt umbræ veſperi. 261. 40.
Defecit ſufflatorium in igne. 8. 6.
Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum. 68. 4.
Cap. 8. Turtur, hirundo, & Ciconia cognoverunt tempus adventus ſui. 329. 26.
Cap. 9. Sagitta vulnerans lingua eorum. 234. 3.
Cap. 14. Tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos. 174 30.
Cap. 15. Occidit Sol, cum adhuc eſſet dies 261. 40.
Cap. 17. Maledictus homo, qui confidit in homine. 35. 8.
Erit folium ejus viride. 297. 27.
Locus sãctificationis noſtræ expectatio Iſrael. 391. 18
Sana me Domine, & ſanabor 90. 18.
Cap. 23. Eccè dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit. 261. 42.
A vicino ego ſum. 58. 2.
Cœlum, & terram ego impleo. 82. 4. et 251. 41.
Cap. 26. Sion quaſi ager arabitur. 239. 9.
Cap. 30. Obducam cicatricem tibi, et à vulneribus tuis ſanabo te. 323. 3.
Cap. 31. In charitate perpetua dilexi te. 118. 18. et 160. 42.
Erit anima eorũ quaſi hortus irriguus, etc. 185. 20.
Creavit Dominus novum ſuper terram. Fœmina circundabit virum. 59. 7. et 93. 3. et 198. 26.
Cap. 44. Sacrificavimus Reginæ Cœli, & cætera uſque, et gladio, et fame conſumpti ſumus. 98. 32.
Cap. 46. Polite lanceas, induite vos loricis. 233. 69.
Aſcende in Galaad, et tolle reſinam Virgo filia Aegypti; fruſtra multiplicas medicamina, ſanitas non erit tibi. 301. 25.
Eccè ego viſitabo ſuper tumultũ Alexandriæ. 488. 11
Cap. 48. Date florem Moab. 196. 19.
Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter. 180. 18.
Requievit in fœcibus ſuis. 240. 33.
Cap. 51. Tollite reſinam ad dolorom ejus, ſi fortè ſanetur. 301. 24.

Ex Threnis Ieremiæ Prophetæ.

CAp. 1. Et ipſa oppreſſa amaritudine 66. 5.
O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, et videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. 66. 4. et 108. 6
De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, et erudivit me 4. 6. et 160. col. 1.
Subverſum eſt cor meum in memetipsà, quoniam amaritudine plena ſum. 67. 2. et 66. 5.
Cap. 2. Magna velut mare contritio tua. 70. col. 1.
Cap. 4. Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus. 238 8.

Ex Prophetia Baruch.

CAp. 3. Stellæ vocatæ ſunt, et dixerunt: Adſumus. 225. 18.
Poſt hæc in terris viſus eſt, et cum hominibus converſatus eſt. 238. 18. et 331. 9.
Cap. 4. Animæquiores eſtote filii, et clamate ad Deum. 57. 5.
Sicut enim fuit ſenſus veſter, ut erraretis à Deo: decies tantùm iterum convertentes requiretis eum. 210. 26.
Legit Albertus Magnus. Quantum averſi fuerunt ſenſus, undè ut prevocaretis Deum: decies tantum convertentes requiretis eum.

Ex Prophetia Ezechielis.

CAp. 1. Pedes eorum, pedes recti. 90. 17.
Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur, etc. 210. 29. et 240. 32.
Et aſpectus rotarum, et opus earum, quaſi viſio maris. 18. 14.
Cum elevarentur animalia de terrà, elevabantur ſimul et rotæ. 18. 14 et 346. 26.
Spiritus vitæ erat in rotis. 218. 14. et 363. 15.
Vidi, et eccè ſuper firmamentum, quod erant imminens capiti animaliũ, quaſi ſimilitudo throni. 391. 30.
Cap. 10. Ingredere in medio rotarum, et imple manum tuam prunis, et effunde ſuper Civitatem. 240. 30.
Cap. 16. Sumpſiſti veſtimenta tua multicoloria. 251. 41. et 330. 27.
Cap. 22. Quæſivi virum, qui interponeret ſepem, et ſtaret oppoſitus contrà me prò terrà, nè diſſiparem eam, et non inveni 116. 9.
Cap. 27. Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum. 258. 33.
Byſſus varia de Aegypto contexta eſt tibi in velum. 358. 34.
Cap. 29. Fuiſti baculus arundineus filiis Irſael, quem cum apprehendiſſent manu, confractus es 311. 23
Cap. 32. Qui pulchrior es, deſcende. 236. 11.
Cap. 34. In paſcuis uberrimis paſcam oves meas, etc. 186. 25.

Cap. 44. Porta hæc clauſa erit, &c. 53. 5. & 78. 9. & 233. 9. 237. 5. & 363. 29.

Ex Prophetia Danielis.

CAp. 3. Fornax ſuccenſa erat ſeptuplum. 78.
Angelus Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, &c. 249. 31.
Cap. 7. Millia millium miniſtrabant ei, &c. 125. 24.
Poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur. 19. 15.
Cap. 9. Avertatur, obſecro, ira, & furor tuus à Civitate Ieruſalem. 210. 28.
Ego veni, ut indicarem tibi, quia Vir deſideriorum es. 97. 26.
Cap. 10. Panem deſiderabilem non comedi; & caro, & vinum non introierunt in os meum. 123. col. 1.
Cap. 12. Qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. 225. 16.
Cap. 13. Anguſtiæ mihi ſunt undique. 108. 6.

Ex Prophetia Oſeæ.

CAp. 2. Sepiam vias tuas ſpinis. 296. 20.
Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. 111. 25.
Sponſabo te mihi in juſtitia, & judicio, & in miſericordia, & ſponſabo te mihi in fide: & ſcies, quia ego Dominus. 115. 3. & 371. 25.
Cap. 5. Et ego quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domui Iuda. 244. 8.
Ego quaſi Leæna, & quaſi catulus Leonis: & ego vadam, & capiam. 178. 6.
Cap. 6. Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius. 222. 6.
Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, et quaſi ros matutinus. 249. 32.
Cap. 10. Vitis frondoſa Iſrael fructus adæquatus eſt ei. 387. 6.
Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt. 160. 43.
Cap. 11. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. 162. 51.
Cap. 13. Occurram eis quaſi Vrſa raptis catulis, et dirumpam interiora iecoris eorum. 178. 6.
Ero mors tua, ò mors. 35. 8.
Adducet Dominus ventum urentem. 240. 30.
Cap. 14. Ero quaſi ros: Iſrael germinabit ſicut lilium. 99. 36. et 246. 21. et 247. 23. et 262. 44.

Ex Prophetia Ioelis.

CAp. 1. Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo. 186. 25.
Cap. 2. Stellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. 60. 6.
Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, etc. 210. 28.
Parce Domine, parce populo tuo. 250. 59.
Cap. 3. Et erit Ieruſalem Sancta, et alieni non tranſibunt per eam. 114. 40.

Ex Prophetia Amos.

CAp. 3. Si non facit Deus grande, vel parvum, quod non revelet ſervis ſuis Prophetis. 116. 8.
Cap. 6. Optimo unguento delibuti, nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph. 161. 45.
Cap. 9. Faſciculum ſuper terram fundavit. 298. 5.
Qui vocat aquas maris, et effundit eas ſuper faciem terræ. 229. 38.

Ex Prophetia Michææ.

CAp. 5. Egreſſus ejus à diebus æternitatis: 181. 27.

Ex Prophetia Nahum.

CAp. 3. Nunquid melior es Alexandria populorum, quæ habitas in fluminibus? Aquæ in circuitu ejus: cujus divitiæ mare: aquæ muri ejus. 388. 13.
Aquæ in circuitu ejus, muri ejus. 241. 37.

Ex Prophetia Abacuc.

CAp. 2. Eccè qui incredulus eſt, non erit recta anima ejus. 89. 14.
Cap. 3. Deus ab auſtro veniet, et Sanctus de monte Pharan. 245. 15.
In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. 312. 28.

Ex Prophetia Sophoniæ.

CAp. 1. In igne zeli mei devorabitur omnis terra. 240. 30.
Cap. 3. Expecta me in die reſurrectionis meæ. 328. 19.

Ex Prophetia Zachariæ.

CAp. 1. Vidi per noctem. Et eccè Vir aſcendens ſuper equum rufum, et ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo. Et poſt eum equi rufi, varii, et albi, etc. 309. 10.
Cap. 2. Ego ero eis murus ignis in circuitu. 239. 27. et 361. 4. et 388. 15.
Cap. 6. Eccè Vir, oriens nomen ejus. 50. 5.
Cap. 8. Cœli dabunt rorem ſuum. 247 25.
Cap. 11. Aperi Libane Portas tuas. 364. 2.

Ex Prophetia Malachiæ.

CAp. 4. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ. 66. 10.
Et ſanitas in pennis ejus. 261. 42.

Ex Libro I. Machabæorum.

CAp. 4. Secundum tempus, et ſecundùm diem, in quà contaminaverunt Gentes Templum, in ipsà renovatum eſt. 261. 40.
Ornaverunt faciem Templi coronis aureis. 375. 1.
Cap. 6. Refulſit Sol in clypeos aureos, et montes reſplenduerunt ab eis. 271. 9.
Cap. 8. In omnibus iſtis nemo induebatur purpurà. 335. 7.

Ex Libro II. Machabæorum.

CAp. 1. *Tempus affuit, quo Sol refulſit, qui prius erat in nubilo.* 261. 42.
Cap. 7. *Suprà modum autem Mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna.* 204. 3.
Miſerere mei Fili, quem in utero novem menſibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, & in iſtam ætatem perduxi. 93. col. 1.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Evangelio Matthæi.

CAp. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti.* 188. 34.
Abraham genuit Iſaac: Iſaac genuit Iacob. 191. 49.
Virum Mariæ. ibidem.
De qua natus eſt Ieſus. 117 col. 1. & 191. 49.
Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. 189. 38.
Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. 6. 6. & 167. 9.
Hoc totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam: Eccè Virgo in utero habebit. 113. 37.
Cap. 2. *Vidimus ſtellam eius in Oriente, et venimus adorare eum.* 53. 3.
Vidimus ſtellam ejus in Oriente. 59. 4.
Et eccè ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſuprà, ubi erat puer. 59. 5.
Videntes ſtellam, gaviſi ſunt gaudio magno valdè. 59. 6.
Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera. 176. 40.
Qui conſurgens, accepit puerum, & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Aegyptum: & erat ibi uſque ad obitum Herodis. 56. 11.
Rachel plorans filios ſuos, noluit conſolari. 68. 4.
Cap. 3. *Decet nos implere omnem juſtitiam.* 237. 15.
Cap. 5. *Beati pauperes ſpiritu.* 7. 4. & 8. 8. & 314. 8.
Beati mites. 6. 6.
Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & ſuper malos. 229. 37.
Cap 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.* 129. 25.
Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. 186. 26.
Cap. 8. *Motus magnus factus eſt in mari, ità ut navicula operiretur fluctibus.* 331. 10.
Domine ſalva nos perimus. ibidem.
Quis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei? 332. col. 1.
Cap. 10 *Pax huic domui* 110 18.
Eſtote ergò prudentes ſicut ſerpentes, & ſimpliplices ſicut Columbæ. 186. 26. et 265 5.
Nolite timere eos, qui occidunt corpus, etc. 153. 5.
Non veni pacem mittere, ſed gladium. 4. 7.
Cap. 11. *Sed quid exiſtis videre? Arundinem vento agitatam?* 311. 20.
Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati eſtis, et ego reficiam vos. 307. 25.
Diſcite à me, quia mitis ſum, et humilis corde. 6. 5. et 156. 22.
Cap. 12. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, mater mea, et frater meus eſt.* 117. 12.
Cap. 13. *Commiſcuit tria ſata, donec fermentaretur totum.* 8. 7.
Inventâ unâ pretioſâ margaritâ, abiit, et vendidit omnia, quæ habuit, et emit eam. 276. 6.
Cap. 17. *Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Faciamus hic tria tabernacula.* 244. 12.
Eccè nubes lucida obumbravit eos. 230. 44.
Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. 202. 45.
Hoc genus non eiicitur niſi per orationem, et jejunium. 211. 31.
Cap 18. *Quicunque ſe humiliaverit ſicut parvulus iſte, hic eſt maior in regno cœlorum.* 229. 40.
Angeli ſemper vident faciem Patris. 125. 6.
Cap. 19. Si *vis perfectus eſſe, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et veni, et ſequere me.* 8. 6.
Sedebitis *et vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* 210. 36.
Cap. 20. *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* 143. 6.
Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic: ſed qui major eſt veſtrum, etc. 143. 5.
Cap. 23. *Væ vobis Legiſperitis, qui relinquitis graviora legis, miſericordiam, et judicium.* 92. 8.
Væ vobis ſcribæ, et Phariſæi hypocritæ, etc. Vos quidem à foris apparetis hominibus juſti. 311. 21.
Cap. 24. *Refrigeſcet charitas multorum.* 159. 37.
Cap. 25. *Quinque autem ex eis erant fatuæ.* 5. 3.
Amen dico vobis: neſcio vos. 88. col. 1.
Nè forte non ſufficiat nobis, & vobis, &c. 190. 46.
Ite maledicti in ignem æternum. 171. 13.
Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare. 282. 10.
Cap. 26. *Hoc eſt Corpus meum.* 244. 9.
Non mea voluntas, ſed tua fiat. 156. 22.
Oravit tertio eundem ſermonem. 276. 8.
Cap. 27. *Et tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram.* 359. 40.
Verè filius Dei erat iſte. 152. col. 1.

Ex Evangelio Marci.

CAp. 6. *Nonnè hic eſt fabri filius, & Mariæ?* 204. 6.
Et ſcandalizabantur in ea ibidem.
Cap. 9. *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* 229. 40.
Cap. 16. *Sermonem confirmante ſequentibus ſignis.* 143. 5.

Ex Evangelio Lucæ.

CAp. 1. *Erant iuſti ambo pariter ante Deum.* 60. 2.
In menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam, &c. 261. 39.
Et nomen Virginis, Maria. 2. 2. & 45. 3. & 315. 17.
Ave gratia plena: Dominus tecum. 189. 40.
Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius. 369. 13.
Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. 123. 47.
Inveniſti gratiam apud Deum. 191. 48.
Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? 187. 27. & 372. 33.
Spiritus Sanctus ſuperveniet in te. 126. 8. & 188. 37. & 370. 18.
Obumbrabit tibi. 290. 44. & 117. 15.
Eccè Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. 182. 27. & 312. 30.
Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me? 371. 29.
Benedicta tu inter mulieres. 302. 34.
Eccè ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. 140. 37.
Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino. 115. 3. & 167. 9. & 209. 23. & 372. 34.
Magnificat anima mea Dominum. 133. 4. & 141. 43.
Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ. 5. 3. & 141. 45. & 226. 21. & 251. 40.
Eccè enim ex hoc beatam me dicent. 147. 32.
Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. 180. 20.
Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes ibidem.
Cap. 2. *Impleti ſunt dies, ut pareret, & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involuit, etc.* 56. 11. et 156. 22.
Maria conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. 7. 9. et 344. 14.
Gloria in excelſis Deo, et in terrà pax hominibus. 331. 10.
Vocatum eſt nomen eius Ieſus, etc. 2. 2. et 3. col. 1.
Omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur. 114. 41.
Eccè poſitus eſt hic in ruinam, et in reſurrectionem multorum, et in ſignum, cui contradicetur. 204. 6. et 244. 8.
Et tuam ipſius animam gladius pertranſibit. 66. 3. 108. 4. et 226. 23. et 267. 17.
Et erat Anna Prophetiſſa, filia Phanuel, & cetera uſque ad illa *verba: qui expectabant redemptionem Iſrael.* 208. 17.
Puer autem creſcebat plenus ſapientia. 133. 4.
Fili quid feciſti nobis ſic? 119. 25.
Eccè Pater tuus, et ego dolentes quærebamus te. 119. 26. et 228. 33.
Deſcendit cum illis Nazareth. 298. 5.
Erat ſubditus illis. 9. 9. et 187. 28.
Cap. 7. *Eccè mulier, quæ erat in Civitate peccatrix.* 40. col. 1. et 42. 16.
Cap. 8. *Ioanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis.* 189. 39.
Cap. 10. *Intravit in quoddam Caſtellum.* 125. 4.
Mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam. 182. 2.
Sedens ſecùs pedes Domini audiebat verbum illius. 111. 28.
Porrò unum eſt neceſſarium. 164. 3. & 123. 47.
Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum. 194. 3. et 123. 47.
Cap. 11. *Extollens vocem quædam mulier dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ ſuxiſti, etc.* 157. 27. et 195. 11.
Cap. 12. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo niſi ut accendatur.* 229. 41.
Nonnè vos paſſeribus pluris eſtis? 331. 6.
Cap. 13. *Sex dies ſunt, in quibus oportet operari. In his ergò venite, et curamini.* 261. 41.
Cap. 14. *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* 301. 30. et 306. 18
Beatus qui manducat panem in regno Dei. 8. 7.
Cap. 15. *Fili tu ſemper es mecum, et omnia mea tua ſunt.* 171. 12.
Cap. 18. *Oportet ſemper orare, et non deficere.* 210. 27.
Nemo bonus, niſi ſolus Deus. 260. 35.
Facilius eſt Camelum per foramen acus intrare, quam divitem in regnum Cœlorum. 298. 5.
Cap. 19. *Hodie in domo tua oportet me manere.* 133. 64.
Pax in Cœlo 82. 4.
Cap. 22. *Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* 243. 7.
Cap. 23. *Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam.* 350. 18.
Cap 24. *quid quæritis viventem cum mortuis* 171. 13.
Nos autem ſperabamus, quod redempturus Iſrael 110. 29.
Nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? 297 25.
Obtulerunt ei et favum mellis. 192. 53.
Ferebatur in Cœlum. 82. 4.

Ex Evangelio Ioannis.

CAp 1. *In propria venit, et ſui eum non receperunt.* 156. 22.
Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Vnigeniti. De plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam prò gratiâ. 209. 22.
Deum nemo vidit unquam. 245. 16.
Non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. 249. 31.
Eccè Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. 166. 22.
Cap. 2. *Vinum non habent.* 93. 3. et 187. 28. et 330. 28.
Quodcunque dixerit vobis, facite. 93. 3.
Cap. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum Vnigenitum daret.* 32. 4. et 163. 46. et 246. 17.
Qui malè agit, odit lucem. 227. 28.
Qui de Cœlo venit, ſuper omnes eſt. 192. 53. et 248. 29. et 391. 30.
Cap. 4. *Qui biberit ex hac aqua, etc.* 241. 39.

Cap.

Cap. 5. Pater meus uſque modò operatur, et ego operor. 261 41.
Cap. 6. Pater meus dat vobis panem de Cælo verum. 242. 3.
Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi. 357. 32.
Caro mea verè eſt cibus. 243. 5.
Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, &c 144. col. 1.
Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. 238. 19.
Cap. 7. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. 63. 10.
Cap. 8. Ego ſum lux mundi. 249. 31.
Principium, qui & loquor vobis. 99. 36. & 191. 49.
Vos autem neſcitis unde venio, aut quò vado. 329. 26.
Cap. 9. Fecit lutum ex ſputo. 52. 10.
Peccatores Deus non audit: ſed qui fecerit voluntatem ſuam, hunc exaudit. 209. 20.
Cap. 10. Cognoſco oves meas. 187. 28.
Oves meæ vocem meam audiunt. 187. 27.
Cap. 11. Eccè quem amas infirmatur. 93. 4.
Diligebat autem Ieſus Martham, et Mariam, et Lazarum. 89. 12.
Ecce quomodò amabat eum. 66. 6.
Cap. 12. Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. 186. 25.
Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. 99 36.
Cap. 13. Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos. 119 col. 1.
Sciens Ieſus, quia omnia dedit ei Pater in manus. 11. 8.
Cap. 14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. 382. 4.
Ego ſum via, veritas, & vita. 307. 24.
Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. 41. 13.
Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis. 96. 21.
Cap. 15. Manete in dilectione mea. 119. col. 1.
Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. 163. 56.
Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis prò amicis ſuis. 118. 19.
Cap. 16. Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem. 347. 29.
Tempus eſt, ut revertar ad eum, qui miſit me. 329. 26.
Cap. 17. Hæc eſt vita æterna: Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, et quem miſiſti Ieſum Chriſtum. 91. 22. et 294. 8.
Sanctifica eos in veritate. 262. 43.
Cap. 19. Scripſit autem et titulum Pilatus, et poſuit ſuper Crucem. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Erat autem ſcriptum Hebraicè, Gracè, et Latinè. 2. 1.
Stabat juxta Crucem Ieſu Mater eius. 66. 4. & 151. 50. & 187. 30. & 237. 12.
Cum vidiſſet Ieſus Matrem, dicit Matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. 56. 11. & 109. 13.

Cap. 21. Manifeſtavit ſe Ieſus ad mare Tyberiadis. 331. 10.

Ex Actibus Apoſtolorum.

CAp. 1. Hi omnes erant perſeverantes in oratione cnm Maria Matre Ieſu. 290. 22.
Cap. 3. Argentum, et aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. 143. 7.
Cap. 7. Dura cervice, et incircuncisis cordibus, et auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſtitiſtis. 111. 27.
Cap. 9. Durum eſt tibi contrà ſtimulum calcitrare. 350. 16.
Cap. 12. Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, etc. 210. 29.
Pulſante autem eo oſtium januæ, proceſſit puella ad audiendum, nomine Rhode. 396. 24.
Cap. 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. 197. 20.
Cap. 17. In ipſo vivimus, movemur, et ſumus. 238. 18.
Cap. 21. Philippo erant quatuor filiæ Virgines prophetantes. 209. 21.

EX EPISTOLARIO PAVLI APOSTOLI.

Ad Romanos.

CAp. 1. Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, etc. 387. 7.
Teſtis eſt mihi Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio filii eius. 210. 28.
Inviſibilia Dei à creatura per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. 73. 21.
Cap. 2. An divitias bonitatis eius, et longanimitatis contemnis? 209. 24.
Non eſt acceptio perſonarum apud Deum. 229. 37.
Cap. 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. 383. 19.
Commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. 247. 22.
Cap. 6. Reſurgens ex mortuis, jam non moritur. 151. 51. et 384. 21.
Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. 24. 5.
Cap. 8. Ipſa Creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. 262. 47.
Qui poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 96. 21.
Quos præſcivit, et prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui. 24. 5. et 174. 30.
Si pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? 229. 37.
Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? 56. 11. et 118. 18.

Cer-

Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. 160. 42.
Cap. 10. Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. 167. 11.
Cap. 11. Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi rami ſancti, & radix. 254. 12.
Cap. 12. Spiritus ferventes. 241. col. 1.
Orationi inſtantes, neceſſitatibus Sanctorum Communicantes. 210. 27.
Cap. 13. Induamur arma lucis: ſicut in die honeſtè ambulemus. 209. 24.
Induimini Ieſum Chriſtum. 50. 4.

Ad Corinthios I.

CAp. 1. Stultam fecit Deus ſapientiam huius mundi. 5. 2.
Cap. 2. Quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram. 387. 7.
Si cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ Crucifixiſſent. 174. 30.
Cap. 3. Dei agricultura eſtis 350. 16.
Cap. 4. In Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui. 73. col. 1.
Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. 211. 34.
Cap. 7. Volo vos omnes eſſe, ſicut meipſum. 211 34.
De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. 187. 27.
Cap. 9. Debet in ſpe, qui arat, arare. 236. 9.
Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. 122. 45.
Cap. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere. 209. 20.
Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. 122. 45
Cap. 11. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. 211 34.
Mulier gloria Viri eſt. 102. 48.
Qui manducat corpus, & bibit ſanguinem Domini indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit. 295. 14.
Cap. 13. Maior horum eſt charitas. 109. 13.
Cap. 14. Aemulatores Spirituum ad ædificationem Eccleſiæ quærite ut abundetis. 210. 29.
Cap. 15. Deus omnia omnibus. 250. 35. & 286. 16.
Stella differt à ſtella in claritate. 229. 41.

Ad Corinthios II.

CAp 2. Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt. 262. 44.
Cap. 5. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. 86. 4.
Pro Chriſto legatione fungimur. 225. 17.
Cap. 6. Eccè nunc tempus acceptabile, eccè nunc dies ſalutis. 256. 18. & 261. 40.
In omnibus exhibeamus nos metipſos ſicut Dei miniſtros. 233. 69.
Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. 99. 35.
Cor noſtrum dilatatum eſt. 271. 11.
Cap. 9. Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. 64. 14.
Cap. 11. Timeo, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu. 56. col. 1. & 321. 12.
Semel lapidatus ſum. 335. 6.

Ad Galatas.

CAp. 4. Cum venit plenitudo temporis, &c. 256. 14. & 263. 31.
Miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege. 117. col. 1. & 247. 24.
Cap. 6. Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam ætornam. 147. 24.
Dum tempus habemus, operemur bonum, maxime autem ad domeſticos fidei. 233. 69.

Ad Epheſios.

CAp. 1. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione in Cœleſtibus in Chriſto. 233. 63.
Elegit nos ante mundi conſtitutionem. 220. 71.
Cap. 2. Deus qui dives eſt in miſericordià, &c. 247. 22.
Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos. 151. 51.
Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum. 174. 30.
Cap. 4. Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes Cœlos, ut impleret omnia. 222. 4.
Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. 53. 3.
Nolite contriſtare Spiritum Sanctum, in quo ſignati eſtis. 511. 27.
Cap. 5. Criſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. 246. 17.
Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. 230. col. 1.
Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus. 52. 7.
Cap. 6. Filii obedite Parentibus veſtris. 120. 32.
In omnibus ſumentes ſcutum fidei. 12. 5. & 307. 23.
Pro Chriſto legatione fungimur. 225. 17.

Ad Philippenſes.

CAp. 1. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodò cupiam omnes nos in viſceribus Ieſu Chriſti. 95. 15. et 316. 21.
Cupio diſſolvi, et eſſe cum Chriſto. 313. 4.
Cap. 2. Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, etc. 186. 22.
Factus obediens uſque ad mortem. 375. 4.
Deus exaltavit illum, et dedit illi nomem, quod eſt ſuper omne nemen, etc. 41. col. 1.
In nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, et infernorum. 71. 4.
Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo. 54. col. 1.

Cap.

Cap. 3. Noſtra converſatio in Cœlis eſt. 98. 31.
Cap. 4. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. 224. 12.
Scio abundare, & penuriam pati. 266. 10.

Ad Coloſſenſes.

CAp. 5. Mortificate membra veſtra, quæ ſuper terram, &c. 298. 3.

Ad Theſſalonicenſes I.

CAp. 1. Accepiſtis verbum, &c. 6. 6.
Cap. 4. Vt ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore. 239. 27.
Cap. 5. Omnes vos filii lucis eſtis, & filii diei. 252. 22.
Sine intermiſſione orate. 210. 27.
Spiritum nolite extinguere. 111. 27.
Integer Spiritus veſter, anima, & corpus ſinè querelà ſervetur in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti. 54. 2.

Ad Timotheum I.

CAp. 3. Manifeſtè magnum eſt pietatis Sacramentum. 391. 28.
Cap. 5 In deliciis vivens mortua eſt. 210. 25.

Ad Timotheum II.

CAp. 4. Argue, obſecra, increpa. 296. 20.

Ad Philemonem.

CAp. 1. Appiæ ſorori clariſſimæ, & Eccleſiæ, quæ in domo tuâ eſt. 191. 50.

Ad Hebræos.

CAp. 1. Qui cum ſit ſplendor gloriæ. 51. 7. & 262. 48.
Tantò melior Angelis effectus, quantò præ illis differentiùs nomen hæreditavit. 19. 15.
Thronus tuus, Deus, in ſeculum ſeculi. 102. col. 1.
Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, &c. 125. 3.
Cap. 2. Et qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes. 262. 43.
Nuſquam Angelos apprehendit. 246. 22.
Cap. 4. Adeamus cum fiducià ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. 102. col. 1.
Cap. 6. Terra bibens imbrem, & germinans herbam illis, à quibus colitur. 249. 32.
Sic longanimiter ferens adeptus eſt repromiſſiones. 209. 24.
Firmiſſimum habemus ſolatium, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut Anchoram, &c. 360. 49.
Cap. 7. Hic eſt Melchiſedech, Rex Salem, &c. 142. 3.
Semper vivens ad interpellandum prò nobis. 96. 21.
Cap. 11. Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit. 167. 9.
Fide Moyſes, natus, occultatus eſt menſibus tribus à Parentibus ſuis; eò quod vidiſſent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum. 152. 3.
Cap. 12. Greſſus rectos facite pedibus veſtris, ut non claudicans quis erret. 90. 17.
Deus noſter ignis conſumens eſt. 4. 6. & 263. 48.

Ex Epiſtola Iacobi.

CAp. 1. Exortus eſt Sol cum ardore, arefecit fœnum, &c. 186. 25. & 228. 35.
Omne donum perfectum deſurſùm eſt, deſcendens à Patre luminum. 73. 19.
Voluntariè genuit nos verbo veritatis. 299. 17. et 331. 10.
Cap. 2. Iudicium ſinè miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam. 59. 3.
Cap. 3. Naves cùm magnæ ſint, modico vento moventur. 311. 24.
Sapientia quæ de ſurſum eſt, primùm quidem pudica, deindè pacifica, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, et fructibus bonis. 56. 4.
Cap. 4. Deus ſuperbis reſiſtit. 237. 16.
Deus humilibus dat gratiam. 190. col. 1.
Cap. 5. Cœlum dedit pluviam. 82. 4.

Ex Epiſtola I. Petri.

CAp. 1. In quem deſiderant Angeli proſpicere. 149. col. 1. et 217. 55. et 272. 16.
Cap. 2. Si tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus. 272. 16.
Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore eius. 186. 23.
Cum malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur. 156. 22.
Peccata noſtra tulit in corpore ſuo ſuper lignum. 241. 40.
Cap. 5. Non dominantes in Clero, ſed forma facti Gregis. 143. 7.
Humiliamini ſub potenti manu Dei: ut vos exaltet in die viſitationis. 373. 42.
Sobrii eſtote, et viglate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret. 337. 22.

Ex Epiſtola II. Petri.

CAp. 2. Deus Angelis peccantibus non pepercit. 247. 22.

Ex Epiſtola I. Ioannis.

CAp. 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, et veritas in nobis non eſt. 122. col. 1.
Cap. 2. Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. 96. 21.
Nolite diligere mundum. 160. 43.
Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt,

&

& concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. 300. 18.
Vnctio docebit vos omnia. 346. 27.
Cap. 3. Cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. 209. 23.
Qui non diligit, manet in morte. 161. 45.

Ex Apocalypſis Ioannis.

CAp. 1. Apocalypſis Ieſu Chriſti. 6. col. 1.
Princeps Regum terræ. 99. 36.
Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. 246. 17.
Oculi ejus tanquàm flamma ignis. 14. 10.
Et habebat in dexterà ſuà ſtellas ſeptem. 10. 5.
Ego ſum primus, & noviſſimus. 99. 36.
Cap. 2. Vincenti dabo manna abſconditum. 242. 2.
Cap. 3. Vtinam frigidus eſſes, aut calidus: ſed quid tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. 241. col. 1
Ego ſto ad oſtium, & pulſo. 364. 19.
Si quis mihi aperuerit, introibo ad illum. 226. 26.
Cap. 4. Eccè ſedes poſita erat in Cœlo, & ſuprà ſedem ſedens. 391. 29.
Et Iris in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ. 250. 39.
In conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo. 64. 13
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. 134. 11.
Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt. 155. 18.
Cap. 5. Vicit Leo de tribu Iuda. 24. 5.
Cap. 6. Et Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus: & Luna tota facta eſt ſicut ſanguis. 108. 8.
Cap. 10. Vidi Angelum amictum nube: & Iris in capite ejus. 288. 18.
Cap. 11. Apertum eſt templum Dei in Cœlo, & viſa eſt Arca teſtamenti ejus in templo ejus. 174. 31.
Cap. 12. Signum magnum apparuit in Cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus: & in capite ejus corona ſtellarum duodecim. 9. 12. & 51. col. 1. & 217. 58. & 354. 13.
Et in utero habens, &c. 262. 45.
Et adjuvit terra mulierem. 237. 13.
Cap. 18. Vidi alium Angelum deſcendentem de Cœlo, habentem poteſtatem magnam; & terra illuminata eſt à gloria ejus. 51. 3.
Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum. 210. 28.
Cap. 19. Vxor Agni præparavit ſe, & datum eſt ei, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido. 101. 41
Cap. 21. Vidi civitatem Sanctam Ieruſalem novam deſcendentem à Deo, paratam, ſicut Sponſam ornatam viro ſuo.
Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor. 335. 6.
Eccè nova facio omnia. 108. col. 1.
Veni, oſtendam tibi Sponſam uxorem Agni. 171. 13
Civitas aurum mundum ſimile vitro mundo. 78. 10.
Civitas non eget Sole, neque Luna, &c. 364. 19.
Claritas Dei illuminabit eam. 237. 17.
Cap. 22. Lignum vitæ in medio Paradiſi. 61. 11.

INDEX RERVM NOTABILIVM

Quæ in Myſtica Anatomia inveniuntur.

Vbi Symbola, & Hieroglyphica, Hiſtoriæ, & Eruditiones, Novitates Antiquitatis, Elogia, Rhetoricæ Deſcriptiones, Creaturarum cuiuſcunque generis Naturæ, ac proprietates, Etymologiæ, & Vocum Interpretationes, Scripturarum expoſitiones, Rerum Naturalium Quæſtiones, ac Theologica Theoremata, Angelicæ Hierarchiæ, Heroum, Heroidumque Coloniæ, ac plurima alia ſcitu digna, Lectoribus proponuntur, ad Deiparæ Gloriam.

A

A Litera eſt ſymbolum ſpei. 21. 3.
Eſt etiam hieroglyphicum largitatis 21. 6.
Aaron laudatus. 154. 13.
Indutus Podere extinxit flammam divinitùs accenſam. 156. 19.
Abailardus hæreticus, in Sanctiſſimam Trinitatem blaſphemus. 39. 4.
Abarin apud Scythas fuit tantæ velocitatis, ut ſagittam emiſſam pari curſu conſequeretur. 352. 31.
Abela interpretatur miſerabilis ei: vel, dimittens ei, in typo Deiparæ pietatis, ac miſericordiæ. 401. 44.
Abel virgineus Paſtor. 141. 44.
Interpretatur nihil. 141. 45.
Ex humilitate magnus Heros evaſit. ibidem.
Grata Deo ejus munera. ibidem.
Abies dicitur ab eundo. 314. 8.
Eſt arbor recta. ibidem.
Deſignat paupertatem, & aſcenſum mentis. ibidem.
Abigail valdè prudens commendatur. 177. 4.
Placabit David, nè maritum Nabal occideret.
Interpretatur exultatio Patris. ibidem.
Eſt figura Mariæ ibidem.
Abiſag nupta ſimul, & Virgo. 181. 23.
Thalamus ejus nuptialis, & virginalis deſcribitur. ibidem.
Interpretatur Pater meus abundans. Vel: Patris mei rugitus. 181. 24.
Vel: Patris incendium. 182. 27.
In omnibus deſignavit Mariam. ibidem.
Abra famula Iudith laudatur. 201. 41.
Plures ejus nominis etymologiæ. ibidem.
Interpretatur Patris magiſterium: Vel; Patris exultatio 202 43.
Eſt figura Mariæ. ibidem.
Particeps facti, & triumphi Judith. 203. 48.
Abraham uno addito charactere magnificatus. 43. 20.
Præclaris virtutibus clarus. 144. 13.
Magnæ Vir devotionis. 145. 17.
Interpretatur Tranſitus, & Pater. Et cur hoc. 146. 24.
Achaia interpretatur Soror Domini. 326. 5.
Achates Gemma deſcribitur. 277. 15.
Mirabilem annulus Pyrrhi habebat. ibidem. & 278. 17.
Indica Achates in igne poſita ſuavem emittit odorem. 278. 21.
Varia ejus genera. 278. 18.
Diverſæ ejus proprietates figurantes Deiparæ virtutes. ibidem.
Actiones magis vocales, quàm lingua. 43. 23.
Aculeus, quo perforatæ Draconis maxillæ, deſignavit Mariam. 349. 9.
Accurſius ideo dictus, quia occurrit, & ſuccurrit. 44. 1.
Acus hieroglyphicum humilitatis. 368. 9.
Symbolum quoque prudentiæ. 369. 10.
Per acum gratia Dei ſignificatur. 368. 8.
Vel interpretantur mandata Dei. ibidem.
Acus Magnetica quantà vi polleat. 62. 3.
Per ipſam figuratur pœnitentia. ibidem.
Adam eſt ænygma. 2. 4.
Mundi Compendium ibidem.
Deſcribitur felix, & infelix 135. 12.
Creatus perfectus quò ad animam, & corpus. 135. 16.
Habuit perfectiſſimam rerum omnium ſcientiam. 136. 17.
In ſtatu integro cognoſcebat Deum per clarum ſpeculum contemplationis. 136. 19.
Quot annis vixerit: duplex opinio. 136. 16.
Adamas deſcriptus. 279. 5.
Ejus etymon. 279. 6.
Hircino calido ſanguine frangitur. 280. 7.
Indicus nonniſi in auro naſcitur. 279. 6
Habet virtutem attrahendi ferrum. 280. 7.
Eſt gemma reconciliationis, amicitiæ, & amoris. 280. 10.
Cyprius ictibus frangitur. 279. 6.
Advocati boni conditiones. 96. 3.
Quantam ſibi promerentur in Republicà laudem. 343. 7.
Ægyptii ex Solis curſu diem menſis adinvenerunt. 253. 2.
Symbolum integrę valetudinis uſque ad finem vitæ pingebant in Amarantho. 309. 13.
Ægyptus eſt hieroglyphicum peccati. 110. 22.
Ænigma de anno Lunari. 254. 7.
Ænigma de anno Solari. 254. 8.
Ænigma Roſæ pulcherrimum. 399. 27.
Aeris qualitates deſcriptæ. 247. 19.
Ex ipſis ſignificantur gratiæ Spiritus Sancti. 238. 18.

Tres ejus regiones conſiderantur ſpiritaliter in Deipara. 239. 20.
Aeriophilon dicitur quaſi aeris amatrix. 334. 25.
Eſt avis nobiliſſima. ibidem.
Quaſi ſemper habitat in aere. ibidem.
Inſtruitur ad capiendas feras. ibidem.
Agar in figuram Mariæ plurimos ſuſtinet labores. 190. 8.
Interpretatur feſtum ſuſcitans. 170. 9.
Et etiam Vultur in myſterio. 171. 14.
Agminum pugnantium deſcriptio. 74. 23.
Agnus Latinè dicitur ab agnoſcendo: & Græcè ab agnon, quod eſt pium. Et de hoc quæritur ratio. 187. 28.
Agnus Caſtus herba ſemper virens figurat puritatem, & pietatem Beatæ Virginis.
Agri floribus picturati deſcriptio. 165. 1.
Ain quarè interptetatur oculus, & fons. 12. 1.
Alabandicus lapis orientis liquatur in igne, & funditur ad uſum vitri. 265. 7.
Alabaſtritis geneſis, natura, & proprietates Virgini Matri applicatæ. 266. 13.
Alauda avis eſt à laude vocata. 325. 14.
Mas eſt vocalior, quàm fœmina. ibidem.
Æſtatem prænunciat. ibidem.
Criſtato capite dicitur Galerica, vel Criſtata. ib.
Captiva altero cœcatur oculo. ibidem.
Ejus proprietates Matri Virgini adaptatæ. 325. 15. &c.
Alcion avis ſolertiæ, atque fiduciæ typus. 331. 5.
Deſcribitur nidificans. 331. 7.
Dicitur ab ales, & Oceanus, quaſi ales Oceani. 331. 8.
Ipſo cubante ſerenatur cœlum, & mare tranquillatur. ibidem.
Eſt Chriſti Redẽptoris hieroglyphicũ. 331. 9. &c.
Figurat Beatam Virginem. 332. 12.
Allectoria in ore portata ſitim ſedat, & Gladiatorem reddit invictum. 276. 9.
Aleph interpretatur Princeps, ſivè Primus. 4. 1.
Vel: Manſuetudo. 5. 5.
Vel: Millenarius, 6. 7.
Vel: Doctrina. 6. 8.
Alexander Magnus uſus eſt igne prò muro in deſertis locis ad tuendum exercitum à ferarum incurſu. 239. 27.
Adulatus à Philoſopho, qui ipſum volebat exculpere in monte Atho. 267. 16.
Alexandria dicebatur Amon. 388. 11.
Dicta fuit *No.* ibidem.
Ab Alexandro dicta Alexandria. ibid.
Interpretatur allevians tenebras, vel auferens anguſtias tenebrarum. 388. 15.
Alma interpretatur Virgo, vel Sancta. 113. 36.
Alpha in Græca Arithmetica ſignificat unitatem. 17. 11.
Amana interpretatur Inimicus ei: vel, anguſtians eum, ſeu comprimens: vel; anguſtiator ejus. Et hoc quare. 100. 38.
Vel; coanguſtatio opprimens: et quid ſignificat. 73. 18.
Amaranthus ſpica purpurea, quàm flos. 309. 12.
Decerptus, & aquà madefactus reviveſcit. ibid.
Hibernas corona facit. 309. 13.
Ejus etymon à Græco verbo. ibid.
Ex immarceſcibilitate deſignat B. Virginẽ. 309. 14
Ambroſia odoris maximi Dearum fictitiarum comis ungendis adhibita. 320. 7.
Ametyſthus propter pulchritudinem coloris dicitur Veneris gemma. 282. 20.
Ejus varia genera deſcribuntur. ibid.
Obviat ebrietati. 282. 21.
In omnibus Mariæ dotes adumbrat. 282. 22. &c.
Amiantos non conſumitur igne. 288. 14.
In amiantino lino Regum cadavera cremabantur, ut cineres ſervarentur. 289. 17.
Parthenii Scapularis Carmelitarum hieroglyphicum. ibid.
Amicus verus quis ſit. 117. 16.
Amicus Dei poteſt quis dici ſeptem modis. 89. 12.
Aminadab ex magnanimitate laudatur. 151. 49.
Primus ingreſſus eſt mare; fugiente Iſraele ex Ægypto, & cæteros ad tranſvadandum animavit. ibidem.
Deſignavit fortitudinem Mariæ in Filii ſui paſſione. 151. 50.
Amomi deſcriptio, & ejus qualitates. 299. 11.
Eſt valdè utile medicinæ. 299. 13.
In omnibus ſuis dotibus eſt Virginis hieroglyphicum. 299. 14. &c.
Amor Dei eſt quidam calor. 161. 45.
Eſt vita animæ. ibid.
Nihil præter unum diligit. 163. 53.
Eſt ſemper in motu ad amantem. 79. 4.
Habet quatuor gradus. 1. Vulnerare amantem. 2. Ligare. 3. Facere languere. 4. Inducere defectum, & mortem. 161. 48.
Amor Seraphicus eſt mobilis, acutus, calidus, & ſuperfervidus 35. 4.
Amor mundi eſt frigus, quod infrigidat conſcientiam. 159. 38.
Eſt viſcus impediens animæ volatum. 161. 44.
Amuſſis quid ſit. Varia adagia, & variæ interpretationes, & explicationes. 355. 16. & in cæteris.
Amygdalus ſpei ſymbolum. 293. 3.
Feracitatis præſagium. 294. 9.
Continentiæ hieroglyphicum. 294. 11.
Utilis morbis diverſis. 295. 15.
Virginem deſignat. 293. 8.
Significat Chriſtum. 295. 14.
Anchora hieroglyphicum timoris Dei. 360. 49.
Spei typus, & charitatis. ibid.
Tutelam, & refugium hieroglyphicè deſignat. 361. 50.
Androdamantus digitis attritus vertitur in colorem ſanguineum. 291. 32.
Anemonæ coronariæ, & medicæ. 318. 34.
Diverſæ earum ſpecies deſcribuntur. ibidem.
Spirante vento flores earum explicant foliorum comas. 319. 35.
Aneti ſatio, cultura, & virtutes medicinales. 304. 6. &c.
Angeli ordinantur immediatè ad humanam hierarchiam.
Sunt nobis noti per intelligentiam. Et ſinguli ſingulos cuſtodiunt homines. 125. 7.
Significantur per lucem. 257. 22.
Non ſeneſcunt, nec infirmantur. 244. 10.
Habent ſcientiam veſpertinam, & matutinam. 347 32.

Poſſident virtutes inamiſſibiles, ſed non meritorias. 120. 31.
Anagrammatis defin tio deſcriptiva. 22. 11.
Analogia fontis,& Solis. 14. 13.
Anatomia deſcripta. 1. 1.
Anna Samuelis Mater laudata. 194. 8.
Æmulatur Dei Matrem in prole. 195. 9.
Magna ejus fides, & Religio. 195. 14.
Anna uxor Tobiæ à ſedulitate operis commendatur. 174. 32.
Contempſit divitias, terrenaſque opes. 176. 38.
Anna Mater Virginis Mariæ dum in utero filiam gerebat, ab Angelis cuſtodita. 149. 43.
Ob filiæ merita copioſior illi gratia infuſa. 38. 6.
Laudatur propter prolem. 150. 44.
Eſt pulcherrimum Cœlum. 217. 58.
Poſt filiam ſanctior cæteris mulieribus. 220. 71.
Cur nulla in Scriptur s veteris, & novi Teſtamenti mentio fiat de ipsà. 220. 70.
Annæ Prophetiſſæ elogium. 208. 17. &c.
Æmulatio quædam inter Annæ Prophetiſſæ, & Deiparæ dotes. 211. 30.
Annæ quinque celebres fuerunt 209. 19.
Angli menſem vocant *monat* à *mon*, quod eſt Luna. 255. 11.
Annibal ſuperavit alpes. 264. 1.
Anſer ſervat Capitolia Romana. 337. 20.
Vigilantiæ hieroglyphicum ibidem.
Fertur dilexiſſe homines. 337. 21.
Comitabatur ubique Lacidem Philoſophum. ibidem.
Eſt Deiparæ ſymbolum. 337. 22. &c.
Antolemes dicuntur Aves Paradiſi. 329. 25.
Nullus color earum plumis deeſt. ibidem.
Figurant Chriſtum. 329. 26.
Significant Dei Matrem. 330. 28
Antiochia interpretatur paupertas ſilens: vel ſilentium paupertatis: & ex duplici interpretatione ſilentium, & paupertatem, ſingulares Deiparæ virtutes ſignificat. 393. 42. &c.
Antiphona Salve Regina quàm ſit grata Deiparæ. 96. 22.
Antiphona Gaude Maria Virgo: cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo Mundo: à quo tempore cœpit in Eccleſia cantari. 116. 19.
Antiphona: Regina Cœli lætare, &c. ab Angelo Gabriele Virgini dicta in die Dominicæ Reſurrectionis. 1 70. 12
Antitheſis inter Evam, & Beatam Virginem. 18. 12
Inter Adamum, & Deiparam. 135. 13.
Annulus Pyrri Regis figura Chriſti. 278. 17.
Annulus Midæ, quo circumacto fiebat inviſibilis. 372. 34.
Annulum Priſci vocaverunt angulum, & Græci ſymbolum. 372 35.
Sub annulis antiquitùs cludebantur venena. 373. 38.
Annulus fidem maritalem deſignat. 373. 40.
Annulus in ſacris Literis fidem, amorem, & charitatem ſignificat. 373. 41. &c.
Annulus Gygis. 373. 44.
Annulos ſeptem miræ virtutis compegit Jarcha. 374. 45.
Annuli Phyſici, qui vocantur Alexiteria. 374. 46.
Annulus Pronubus Beatiſſimæ Virginis quanta polleat virtute. 373. 44. &c.
Annulus Deiparæ Pronubus Peruſiæ aſſervatur,& religioſiſſimè colitur 374. 48.
Annus ſolaris pertinet ad Chriſtum. 257. 20.
Annus Lunaris ſpectat ad Deiparam. ibidem.
Annus etiam ſolaris dici poteſt B. Virgo. 357. 21.
Annus Coronatus Maria 257. 23.
Ipſa etiam Anni æternitatis Corona. 258. 24.
Annus Jubilæus eſt Maria. 260. 35.
Appia matrona laudatur. 191. 50.
Interpretatur Apis pia. ibidem.
Vel interpretatur libera, ſivè libertas. 192. 55.
Eſt figura Mariæ 191. 51.
Apis deſcripta. 323. 5.
Significat ex ſuis dotibus Deiparam. 324. 8.
Eſt Virgo,& fœcunda. 324. 9.
Eſt Chriſti typus 173. 27.
Apocalypſis quarè ſic vocatur. 16. col. 1.
Apollonia interpretatur diſciplina, & hoc qua de causà. 402. 50.
Aprilis dicitur quaſi Aperilis. 253. 2.
Aqua dicitur à quà omnia. 37. 5.
Eſt decuplo major quàm terra. 73. 21.
Multa,& magna nobis beneficia præſtat. 241. 37.
Aptiſſima eſt Deiparæ figura. ibidem.
Aquila hieroglyphicum elevatæ contemplationis. 18. 14.
Simplici intuitu reſpicit Cœlum, & quid ſignificat. 186. 26.
Ara dicitur ab ardendo. 34. 1.
Ex Græcà etymologià appellatur Ara à precationibus ibidem.
Aſylum confugientium. 33. 7.
Eſt Deiparæ ſymbolum. 34. 1.
Ara Parthenia quàm nobis proficua. 35. 6.
Arabia interpretatur veſpera,vel occidens. 298. 4.
Arbor aurea typus Beatæ Virginis. 103. 1.
Arbor Mariæ quænam ſit. 392 37.
Arbor Solis dicitur Maria. 184. 6.
Archangeli à ſuperioribus communicant: ſupra inferiores ſunt) & inferiores reducunt ad ſuperiores. 126. 8.
Arces ab arcendo dicuntur. 366. 27.
Arcus Cupidini ſacer. 352. 28.
Eſt inſtrumentum venatorium. ibidem.
Hieroglyphicum Deiparæ Venatricis,& Amantis. 352. 29.
Argentum à Græcis vocatur argiron. 274. 25.
Ex etymo dicitur Argentum quaſi ardens gentem. 274 26.
Nullum metallum dulciùs reſonat,quàm argentum. ibidem.
Multas habet virtutes medicas. 274. 27.
In omnibus figurat Mariam. ibidem.
Arithmetica Græcorum conſtat ex literis ſui Alphabeti. 16. 2.
Eſt prima inter mathematicas diſciplinas. 342. 23.
Conſiderat quantitatem diſcretam 342. 24.
Eſt maximè utilis, & neceſſaria humano Generi. 342. 25.
Qui arithmeticam neſcit,non differt à cæteris animalibus. ibidem.

Ar-

Armillę dictæ ſunt ab armo, ſcilicet ab humero. 380. 39.
Dicuntur etiam Pſellia. 380. 41.
Significant pretioſas, & honeſtas actiones. 380. 42.
Dicebantur quoque Viriliæ, quia dabantur bellatoribus ob virtutem armorum in victoriæ ſignum. 381. 44.
Arſenius de Cœlo ad ſolitudinem evocatus his verbis. Arſeni, ſi vis ſalvari, fuge homines, tace,& quieſce. 111. 24.
Arſinoi uxor Ptolomei ex Anagrammate ſui nominis violam Iunonis adumbrat. 23. 3
Artemiſia ab Artemiſia Mauſoli uxore nuncupata. 302. 32.
Parthenis antè vocabatur. ibidem.
Vel ab Artemide Ilithyà dicitur cognominata. ibidem.
A Gentilibus Dianæ conſecrata. ibidem.
Mater herbarum, undè dicitur Artemiſia monodos. 302. 33.
In tres ſpecies dividitur. ibidem.
Hieroglyphicum Beatæ Virginis. 302. 34.
Eius odore dæmones fugari dicuntur. 303. 36.
Arundo deſcribitur. 311. 20.
Hypocritæ ſymbolum. ibidem.
Etymon arundinis 311. 22.
Belli, paciſque experimentis neceſſaria. 311. 25.
Aſarum deſcriptum. 322. 18.
Tres eius ſpecies. ibidem.
Radices eius odore ſuaves, & linguam mordicantes. 322. 19
Calidum eſt, & ſiccum in tertio gradu. ibidem.
Plures habet virtutes medicas. 322. 20.
Floridum, purpureum, & odoriferum. 322. 21.
Figurat Dei Matrem. ibidem.
Aſer Chriſti typus homines beatificantis in Cœlo. 165. 63.
Significat morum iuſtificationem. 165. 65.
Eius benedictio expreſſit Deiparæ benedictionem. ibidem.
Interpretatur Beatus. 209. 23.
Asbeſton Arcadiæ lapis, ferrei coloris, ab igne nomen ſortitus, eo quod ſemel accenſus, nunquam extinguitur. 269. 29.
Aſterites eſt gemma candida incluſam continens lucem velut ſtellam ambulantem. 284. 9.
Deſignat Mariam Deo fœtam. ibidem.
Figurat Dei Matris virginitatem. 285. 10.
Aſtra deſcripta, & laudata. 224. 15.
Aſtrion dicitur ab aſtris, eò quod eis oppoſita, fulgorem rapit, & regerit. 286. 15.
In eius centro lucet Stella fulgore Lunæ plenæ. ibidem.
Eſt Deiparæ hieroglyphicum. ibidem.
Significat animam glorificatam. 286. 16.
Aſtrologi veri quinam ſint. 226. 2.
Aſtronomia laudatur. 339. 8.
Dicitur aſtrorum lex. 339. 9.
Contemplatur ſiderum curſus, & habitudines ſtellarum. ibidem.
Aſſub aſcendens, & deſcendens, impreſſio ignita, pulcherrimum ſymbolum Dei Matris. 252. 49. &c.
Athenæ à Minerva ſic appellatæ. 395. 8.
Gaudent optima Cœli temperie. 395. 9.
Literis, & armis floruere. 395. 10.
Figurant Dei Matris Sapientiam. 395. 11.
Tum ejuſdem puritatem, & morum amœnitatem. 396. 16.
Athenienſes in Æginetarum iuventutem crudeles. 274. 23.
Avaritiæ aviditas adigit in viſcera terræ humanam naturam. 270. 1.
Auguſtus Cæſar ab augendo imperium nuncupatus. 102. 45.
Auguſtus menſis, qui prius Sextilis vocabatur, à Cæſare Auguſto nomen ſortitus. 253. 2.
Triumphis Berecinthiæ à Romanis dicatus. 263. 49.
Aula Solis deſcripta. 260. 37.
Aureola avis crocei colori, mirà ſubtilitate conſtruit nidum ſuum pendentem è ramis arborum. 327. 6.
Significat Beatam Virginem ecſtaſis amore è Cruce filii ſui pendentem. 377. 7.
Aureola præmium acidentale Beatorum. 382. 4.
Triplicem Aureolam, Virginitatis, Doctoratus, & Martyrii in anima, & corde per amorem, & charitatem habet Beatiſſima Virgo. 382. 6.
Auroræ deſcriptio. 231. 51.
Dicitur quaſi Aura rorans. 231. 52.
Vel aurea hora. 232. 58.
Vel quaſi Avium hora. ibidem.
Virginis Marię hieroglyphicum. 352. 59. &c.
Aurum dictum ab aura, ideſt, à ſplendore. 271. 9.
Inter cætera metalla pulchrius colore. 271. 10.
Non patitur rubiginem. 271. 11.
In igne poſitum non evaporat. ibidem.
Non reſonat malleo percuſſum, ſed in tenuiſſimas laminas dilatatur. ibidem.
Omnes hæ proprietates Deiparam figurant. 271. 12.
Plures habet medicas virtutes, quibus exprimit in Beata Virgine virtutem medendi ſpiritualibus morbis. 272. 13.
Auſter ventus calidus, & humidus, & eius effectus ſub divinæ gratiæ typo deſcribuntur. 245. 15.
Eſt hieroglyphicum Dei Matris. ibidem.
Autumnus Mariam naſcentem coronat. 263. 50.
Axa dicitur ab ornatu. 183. 9.
Laudes eius elogiaſticæ. ibidem.
Beatam Virginem præſignavit. 183. 10. uſque ad finem.
Axis Cœli eſt linea à Polo Antarctico uſque ad Polum arcticum per rectam diametrum ducta. 226. 23.

B

BAbylon Cives ſuos ſimiles civibus Ieruſalem, ſed apparenter, habere contendit. 400. 36.
Baculus arundineus hypocrytæ typus. 311 21.

Item

Item mundanæ hieroglyphicum proſperitatis. 311. 22. &c.

Balauſtia ſunt flores malorum agreſtium. 319. 2.

Balſamum famæ ſymbolum, & exempli. 306. 17.

Deſignat morum gravitatem. 397. 20.

Baptiſta Mantuanus Carmelita, Poeta celebris. 175. 35.

Bdellium interpretatur à principio. 243. 6.

Significat humanitatem Chriſti. ibidem.

Eſt arbor aromatica, & guſtu amara, & ſignat Chriſti paſſionem. ibidem.

Beatitudo Cœleſtis figuratur in manna. 244. 11.

Inſatiabiliter eſuritur à comprehenſoribus. 165. 3.

Beati ſunt tanquam ſpecula, in quibus videtur Deus.

Beatus Benedictus totum mundum ſub uno Solis radio ſibi obiectum inſpexit. 136. 21.

Belgæ à *maen*, ideſt, Luna, menſem vocant *maent*. 255. 11.

Berecinthia fabuloſa Deorum Mater quotannis ſolemni triumpho colebatur à Romanis. 263. 49.

Berſabee interpretatur puteus ſatietatis, & deſiſignat Deiparam. 107. 25.

Bethleem eſt domus panis, & Mariæ figura. 245. 16.

Illuſtris, & famoſa Redemptoris noſtri Natali. 332. 15.

Bethſames interpreratur domus ſolis, vel domus illuminationis, & ſignificat Deiparam. 354. 12.

Bethulia interpretatur Virginitas: & cur hoc? 201. 49.

Vel interpretatur domus dolens Domino: Aut domus parturiens Dominum. Et quid ſignificat quò ad utranque interpretationem. 362. 14.

Bonifacius VIII. inſtituit primus Annum Iubilæum. 260. 36.

Bonum eſt triplex, veniæ, gratiæ, & gloriæ. 260. 35.

Bos inter aram, & aratrum poſitus ab Ægyptiis quid præſignat. 32. 1.

Botrys eſt ambroſia odorata. 370. 6.

Bovis lingua quid. 392. 37.

Bovis oculus quid. 392. 37.

Booz interpretatur virtus, & ſignificat Deum. 198. 25.

Brachia duo, quibus anima Deum amplectitur, ſunt timor & amor Dei. 114. 42.

Brentius hęreticus in Deiparam contumelioſus, confutatur. 205. 11.

Buccinæ in Jubilæo perſonantes erant arietinæ, an verò bubulæ? 259. 31.

Bullingerus licet Etherodoxus defendit magnanimitatem, & fidem in Deipara ſtante juxta Crucem. 205. 13.

Buphthalmos deſcripta. 392. 37.

Butyrum eſt flos, & pinguedo lactis. 173. 27.

Byſſus eſt ſymbolum caſtitatis. 250. 39.

Item innocentiæ typus. 376. 13.

C

CAbaliſtæ Deum vocarunt Ægla. 39. 3.

Cadmus ſexdecim literas Alphabeti Græcorum invenit: cæteras ipſi ſuppleverunt. 344. 12.

Caius induebat ſocculos ex margaritis. 275. 3.

Calami arundinei haſtis, & ſagittis conficiendis deſerviunt. 312. 26.

Calamis orientales bella conficiunt. ibidem.

Calamus Scriptorius, & papyrus de arundine. 312. 27.

Calami tibiales, & muſici. 312. 29.

Calvinus hæreticus quam bene inverſo nomine dicitur Ani ulcus. 23. 5.

Calvitium ſpirituale quam turpe. 378. 27.

Cameriere vulgo, ſunt honorariæ Ancillæ. 201. 42.

Candor in liliis, nivibus, & in albedine deſcribitur. 90. 20.

Canticum Magnificat tanquam Decachordum continet decem verſiculos. 140. 41.

Capparis Judæorum typus. 297. 12.

Capilli Beatæ Virginis Rothomagi coluntur! 378. 28.

Carbunculus deſcriptus. 175. 35.

Attrahit paleas, & folia. 281. 13.

Caſia ſymbolum pietatis. 98 33.

Caſtitas in Agnocaſto figurata. 297. 27.

Caſtitatis ſpecies triplex, ſcilicet coniugalis, vidualis, & virginalis tribus myrrhæ ſpeciebus comparatur. 299. 10.

Cauſa eſt quadruplex, materialis, formalis, efficiens, & finalis. 79. 4.

Cedrus eſt Virginitatis hieroglyphicum. 357. 30

Deſignat Angelos. 397. 20.

Centrum terræ eſt in continua quiete: & quid hoc ſignat. 79. 5.

Certamen pulcherrimum inter Patrem æternum, & Deiparam in generatione Chriſti. 46. 4.

Certamen oppoſitum, ſed ſuaviſſimum inter filii Dei iuſtitiam, & Mariæ eius Matris miſericordiam. 116. 9.

Certamen ſpecioſiſſimum inter Hyemem, & Ver. 260. 37.

Certamen iucundiſſimum inter quatuor anni tempora in Deiparà Coronanda. 261. 38. &c. uſque ad finem.

Chaldæi interpretantur fortes, vel quaſi mamilla. 387. 4.

Cherubim quatuor habent proprietates. Prima eſt, eſſe in circuitu. Secunda, reductivum. Tertia, activum. Quarta, exemplativum. 128. 20.

Chriſma quid ſit, & quibus uſibus applicetur. 306. 17.

CHRISTUS incarnatus, prodigium prodigiorum. 30. 8.

Fuit tanquam hamus eſca coopertus. 349. 12.

Ipſius incarnatio figuratur in rore. 246. 22.

Cur conceptus octavo Calendas Aprilis, ideſt, die. 25. Martii. 261. 40.

Corpus Chriſti una tantum lineà formatum: cæterorum autem hominum duabus lineis formatur. 93. 3.

Cur voluit naſci tempore hyemali frigidiſſimo. 263. 30.

Quo die natus eſt. 243. 6.

Tanquam ſplendor egreſſus eſt de utero Virginis. 227. 27.

Aſſumpſit omnes humanæ naturæ debilitates, præter ignorantiam, & peccatum. 186. 23.

In præſepio quam pauper, & incommodis egeſtatis afflictus. 176. 42.

Vagientis, & plorantis in præſepio lachrymæ deſcribuntur. 333. 19. &c.

Viator ſimul erat, & comprehenſor. 155. 18.

Tanquam peregrinus viator fuit in mundo. 110. 19.

Paſſionis eius pœnæ, & tormenta pinguntur. 68. 2.

Eius charitas in atrociſſima Paſſione quam immenſa erga nos. 162. 51.

In Cruce erat Iris pacificationis. 251. 46.

In finali judicio erit tanquam Sol. 87. 10.

Erit ſimiliter ſagittarius contrà reprobos. 171. 13.

Advocatus noſter. 96. 21.

Aurea Roſa. 272. 26.

Figuratur in Reſinà. 301. 25.

Exprimitur in Carbunculo. 281. 15

Guttę myrrhę comparatur. 298. 5.

Eſt Collyrium illuminans. 52. 10.

Aſſimilatur rori. 249. 31.

Comparatur aeri. 238. 18.

Ovis habet ſimilitudinem. 156. 22.

Eſt Apis melliflua. 173. 27.

Figuratur in mannà. 242. 3. &c.

Cinis nutrit Rutam. 304. 9.

Circulus Veneris ſecundùm Aſtrologos continet omnes voluptates. 58. 12.

Civitates ſex refugii quid ſignant. 114. 11.

Claudicare quid ſit moraliter. 90. 18.

Clavus rigorem diſciplinę deſignat. 180. 19.

Eſt prudentiæ hieroglyphicum. 180. 21.

Cleopatra Unionem magni pretii aceto liquefactum abſorbuit. 379. 32.

Clypeus ſymbolum protectionis. 32. 6.

Clypeus aureus Virginis uterus. 271. 9.

Cœlum Empyreum ex qualitatibus ſuis Deiparam figurat. 82. 2.

Cœlum ęthereum Partheniæ claritatis umbra. 223. 10.

Color albus Puram Conceptionem	)	
Rubeus charitatem	)	
Croceus auſteritatem	)	Beatæ Vir-
Viridis in operando vivacitatem	)	ginis deſi-
Clarus exemplaritatem	)	gnat. 81. 13.
Niger compaſſionem	)	
Cęleſtis devotionem	)	

Coloſſus Rhodi artis prodigium. 397. 18.

Columba ſimplicitatis, & innocentiæ typus. 13. 7.

Symbolum Spiritus Sancti. 111. 23.

Cum paſcitur, oculos in terram non figit, ſed raptim videns granum, oculos in Cœlum attollit. Et quid ex hoc ſignificari coniicimus? 194. 7.

Cur à Noe tertia vice dimiſſa, ad Arcam non eſt reverſa? 111. 21.

Columna ignis, & nubis Beatam Virginem pręſignabat. 51. 5.

Columnæ Cœli quomodò antè Deum contremiſcunt. 134. 8.

Comę mulierum variis comptę modis deſcribuntur. 368. 7.

Compendium Creaturarum, & earum perfectionum in unicà Deipara collectum videtur. 82. 1. &c.

Comprehenſores habent virtutes ſecundùm perfectionem actuum, ſed præter merendi conditionem. 122. 24.

Compunctionis duo ſunt genera, timor, & amor Dei. 185. 18.

Conchæ marinæ undè concipiunt margaritas. 231 52. & 246. 19.

Concilium Epheſinum, & Calcedonenſe ſtatuit, Catholicè Beatam Virginem dici Theotocon, ideſt, Dei Matrem: quod & Cœleſti prodigio fuit comprobatum. 300 19.

Conſtantia in Stellis hieroglyphicè figurata. 225. 16.

Conſtantinopolis olim à Saracenorum obſidione præſidio Beatæ Virginis liberata. 134. 8.

Contemplatio Beatorum in quibus præcipuè conſiſtit. 134. 8.

Cor non patitur diviſionem. Et quæ eius eſt ſignificatio moralis? 160. 43.

Corallium pudicitiæ exemplum. 47. 1.

Græcè dicitur Lithodendrum, ideſt, arboreus lapis. 47. 2.

Ex nominis etymo Corallium dicitur à radendo. ibidem.

Corallio Indi permutabant Uniones. ibidem.

Dæmones arcere perhibetur. 48. 3.

Collo ſuſpenſum ſanguinem ſiſtit fluentem è naribus. ibidem.

Salutare amuletum Infantium. ibidem.

Iovi, & Phœbo erat ſacrum. ibidem.

Et in omnibus Mariæ hieroglyphicum. ibidem.

Cornelius Cethegus dedit populo Romano muſtum rutatum ad bibendum. 304. 9.

Corrigia calceamenti eſt unio Verbi incarnati cum humana natura. 248. 29.

Cortinæ Tabernaculi quatuor compactæ coloribus, Virgines, Martyres, Confeſſores, & Apoſtolos deſignabant. 98. 31.

Corvi implumes Cœleſti rore paſcuntur. 247. 24.

Creaturæ Angelicæ, & humanæ ſunt pediſſequæ, ac famulæ Dei Matris. 71. 6.

Creaturæ omnes non ſufficiunt laudare Deiparam. 97. 28.

Creaturarum ſcala per quas Virgo deſignatur. 76. 1. &c.

Crocus deſcribitur, & eius proprietates in Typo Mariæ conſiderantur. 266. 10.

Crucigerus hæreticus benè ſenſit de fortitudine, ac fide Deiparæ juxtà Crucem. 205. 13.

Crux eſt ſalutis nota. 277. 14.

Currus eſt animi hieroglyphicum. 109. 15.
Cypreſſus eſt ſymbolum fortitudinis. 357. 30.
Patriarchas,& Prophetas ex odoris ſuavitate ſignificat. 397. 20.

D

DAlila ligans, & tondens Samſonem figura Virginis Chriſtum alligantis. 328. 18. &c.
Damaſcus interpretatur bibens ſanguinem, & deſignat diabolum. 366. 36.
Dapes ruſticæ condiuntur mentà. 303. 2.
Dathemam interpretatur doni ſufficientiam accipiens: & quid de ejus ſignificatione. 361. 2.
David interpretatur manu fortis. 87. 2.
Cytharam pulſans dæmonem à Saule compeſcebat.
Et in cujus figuram? 140. 41.
Debora interpretatur Apis. 209. 22.
Decipula à decipiendo vocata. 349. 6.
Decoratus Advocatus Romanus à Theodorico Rege laudatus. 343. 8.
Democritus ſemper lugebat. 133. 3.
Deus eſt totus oculus. 186. 25.
Totus lux. 230. 43.
Vocatus diverſis linguis. 22. 8.
Eſt ſpeculum omnia repræſentans. 136. 70.
Uſus eſt arithmeticà in mundi creatione. 342. 23.
In omnibus operibus ſuis eſt Geometra. 353. 3.
Eſt Piſcator. 350. 17.
Colitur humilitate, & amatur bonitate. 134. 8.
Laudabilior in Maria, quàm in cæteris creaturis. 102. 48.
Triplicem habet domum; Cœlum, Mariam, & æternam beatitudinem. 202. 46.
Deum videre, eſt ſapere. 134. 8.
Diaboli ululant ad Mariæ nomen. 101. 41.
Captivati fuerunt à Deipara. 99. 36.
Fugari Artemiſià dicuntur. 303. 366.
Sunt aſtutiſſimi venatores 348. 6. &c.
Diadema Mariæ ſunt peccatores, quos ipſa de culpis ad gratiam,& virtutes convertit. 100. 38.
Diameter eſt ipſa Dei Mater. 37. 1.
Diana Venationis Præſes. 348 2.
Venatu fatigata abluebat ſe fonte. ibid.
Quo nomine à Græcis vocata. 302. 32.
Dichra Hebraicè, Aries Latinè. 259. 29.
Dictum ſeptem Sapientum: Sequere Deum. 145. 19
Dictum Heſiodi: Virtutis radices amaras eſſe, fructus verò ſuaviſſimos. 294. 11.
Dictum Senecæ: Quoties cum hominibus habitavi, minus homine redii 111. 24.
Dies undè dicatur, & quæ ſint ejus partes, & hieroglyphica 258. 25.
Dies Alcionidæ ſerenæ, ac tranquillæ. 351. 8.
Digiti,& eorum officia. 11. 6.
Dignitates Eccleſiaſticæ introductæ ſunt in ſervitium, & miniſterium. 143. 7.
Diſputationes Mariæ fuerunt tres 44. 24.
Divina ſunt æterna. 39. 3.
Dolor ſuperſtes eſt lætitię mortalium. 133. 3.
Dominationes Angelicæ habent decem proprietates.
Prima eſt à ſervitute libertas.
Secunda eſt ab hoſte invincibilitas.
Tertia liberalis Severitas.
Quarta eſt minutivi fervoris ſuperioritas.
Quinta, nullius ſubjectionis egeſtas.
Sexta, diſſimilitudinis immunitas.
Septima, dominandi ordinata voluntas.
Octava, ſui, & ſuorum ad Deum conformitas.
Nona, nulla in dominando vanitas.
Decima, divinæ dominationis particeps conformitas. 127. 13.
Dominicus à Jeſu Maria invocato Mariæ nomine Pragenſem victoria Cæſareis agmnibus contrà hæreticos obtinet. 43. 18.
Dominium Beatiſſimæ Virginis quàm amplum. 70. 3.
Dominus, vel Domina dicitur eò quod domui præſit, vel quaſi dans minas. 74. 21.
Dorix interpretatur medicamentum generationis, & cujus myſterii causà. 301. 25.
Dorothea Virgo hyemali tempore ad Theophilum miſit roſas. 399. 28.
Druſus unde dictus Germanicus. 45. 2.
Dulia eſt honor debitus, & exhibitus creaturæ. 121. 34.
Dulce ſecundùm Phyſicos eſt id, quod nutrit. 158. 31.
Duodenarius numerus in Beatà Virgine duodecim ejuſdem prærogativas deſignat. 17. 10.

E

EBrietas amoris quid ſit. 119. 23.
Ebur hieroglyphicum caſtitatis. 99. 33.
Eccè Virgo: in tribus Scripturæ locis ponitur. 113. 26.
Echo varié deſcripta. 268. 24.
Echo mirabilis Incarnationis Verbi Dei in utero Virginis peracta proponitur. 26. 9.
Eccleſia hortus deliciarum. 362. 11.
Figurata per Raab. 172. 20.
Laudat Deum in tympano. 170. 7.
Elephantiaſis foliis mentæ ſanata. 303. 3.
Elephas caſtum animal. 99. 33.
Elias in ſolitudine paſtus à Domino. 111. 25.
Elitropium ſequens ſolem deſcribitur. 205. 9.
Repræſentat Mariam ſtantem antè Crucem. 205. 10.
Eloquentia Deiparæ quàm efficax. 340. 12.
Elpis uxor Boetii hymnum B. Petri, & Pauli compoſuit. 389. 20.
Empyreum Cœlum deſcriptum. 82. 2.
Epiſcopus conſecrat Templa, & Virgines. 144. col. 1.
Epithalamium in nuptiis Sanctorum Joachimi, & Annæ Parentum Sanctiſſimæ Dei Genitricis. 212. 37.
Equus rufus ſignificat humanitatem Chriſti. 309. 10.
Erinna Lesbia laudatrix Romæ. 389. 19.
Eſebon interpretatur computatio. Et hoc quarè? 12. 2.
Vel, Cingulum mœroris: & quid per hoc deſignatur. 13. 4.
Eſther Mariæ figura. 36. 11.
Ethopeia Virginis ad filium pendentem in Cruce. 66. 4.

Ejuſdem ethopeia ad filium in Cruce. 359. 41.
Ethopeia Chriſti ad Virginem Matrem ſuam, cum aſcenſurus erat ad Cœlum 112. 32.
Ethopeia Virginis Matris ad filium, ut ipſam jam morituram de mundo transferret ad Cœlum. 163. 17.
Evangeliſtæ omnes, præter Matthæum, Græca Lingua ſcripſerunt. 15. 1.
Euchariſtia figuratur in manna. 242. 3. &c.
Eudemus Philoſophus annulos faciebat miræ virtutis. 374. 46.
Euphroſina Imperatrix aurea chirotheca Accipitrem ſuſtinens venationi intereſſe delectabatur. 348. 2.

F

FAvus eſt cera virginea, è qua mel diſtillat. 192. 53.
Hieroglyphicè ſignificat Verbum incarnatum. 191. 51.
Februarius menſis à Februo, hoc eſt, à Plutone dictus. 253. 2.
Feneſtra cryſtallina in Arca Noe Beatam Virginem præſignavit. 92. 27.
Ferrum quarè à feriendo vocatur. 274. 24.
Contactum magnete aſperiora infligit vulnera. 287. 4.
Symbolum eſt peccatoris. 60. 3. & 280. 9.
Fiducia in Alcione adumbrata. 331. 5. &c.
Figura rotunda cur facilior ad motum. 11. 7.
Octangularis ſymbolum octo beatitudinum. 80. 10.
Pentagona hieroglyphicum quinque ſenſuum. 80. 8.
Quadrangularis ſignificat quatuor virtutes Cardinales. ibidem.
Sexangularis ſex opera miſericordiæ deſignat. ibidem.
Triangularis repræſentat Trinitatem. ibid.
Filius dicitur à filos, quod eſt amor. 119. 25.
Fimbria indicat perſeverantiam. 98. 29.
Firmamentum in typo Virginis deſcriptum. 88. 10.
Fiſcella ſcirpea Moyſis hieroglyphicum gratiæ Spiritus Sancti. 153. 6.
Flamma Beatæ Virginis typica demonſtratio. 14. 10.
Flora Dea ex floribus depicta deſcribitur. 168. 1.
Florum deſcriptio. 183. 9.
Floris,& militis oſtenditur diſſimilitudo. ibid.
Flores hieroglyphica vulnerum Chriſti. 192. 54.
Et propterea non comeduntur, ſed ſuguntur. ibidem.
Flos habet tria. Speciem, odorem, & ſpem fructus. 262. 44.
Fons muſicus deſcriptus. 341. 40.
Fortitudo, & magnanimitas Machabææ Matris in ſuſtinendis filiorum necibus laudatur. 204. 4.
Fructus beneficio lucis ad maturitatem perducuntur. 227. 31.
Fumus ſuperbiæ typus. 110. 18.
Fumus in bonam partem ad laudes virtutum Deiparæ ex ſuis deſcribitur proprietatibus. 204. 4.
Funiculi Divini amoris ſunt bona naturæ, bona gratiæ, & bona gloriæ. 162. 51.
Funiculus Coccineus Raab eſt titulus Paſſionis Dominicæ. 172. 22.

G

GAbriel Angelus Orator ad Virginem prò Dominica Incarnatione. 3. 1. & 178. 11.
Idem Nuncius Dominicę reſurrectionis mittitur ad Deiparam. 170. 12.
Galaad interpretatur acervus teſtimonii. 378. 29.
Galenus in digito ſuo portabat Iaſpidem. 277. 12.
Gemma unica ſatis ad abſolutam rerum naturæ contemplationem. 275. 1.
Quænam inter cæteras Gemma Veneris ſit appellata. 282. 20.
Gemmarum pulchritudo, & venuſtas in coloribus pulchrè deſcripta. 275. 1.
Sunt amuleta malorum. 279. 4.
Gemmarum luxuria damnatur in poculis. 278. 2
Genealogia Chriſti cur etiam peccatores admittat? 216. 50.
Gentiles falſa Numina adorabant. 106. 20.
Gentius Illyriorum Rex à Gentiana herbà inventa appellatus 302. 31.
Geometriæ etymon, laudes,& utilitates. 353. 2. &c.
Gladiatores, nè ſitim paterentur, & victores evaderent, gemmam allectoriam in ore ferebant. 276. 9.
Glande antiquitùs, vivebant. 321. 15.
Gloria major Virginis eſt, quod ſit Mater Dei. 117. 12.
Gomor quarè interpretatur conſolatio, vel perfectio. 244. 8.
Graii menſem vocant Neomeniam. 255. 10.
Grammaticæ etymon, utilitates, & laudes. 344. 11. &c.
Gratia quia animam Deo facit gratam, ideo dicitur Gratia quaſi gratum faciens. 277. 13.
Aſſimilatur Rori. 248. 26.
Ejus effectus in Auſtro figurati. 245. 15.
Eſt triplex: Præveniens: Proficiens: & Perfecta. 240. 32.
Inventa eſt à Marià. 197. 23.
Gula marium vorago. 376. 8.
Gutta ſanat tumores. 98. 3.
Gutta myrrhæ eſt viridis, & amara, ſed medicæ virtutis. 297. 30.

H

HAi quarè interpretatur Chaos, vel habitaculum eorum. 173. 24.
Hallum quid ſit,& quid ſignificet. 273. 22.
Hamus Beata Virgo. 349. 9.
Herba Solis amans deſcripta.
Herbam dare quid antiquitùs ſignificabat. 273. 21.
Herbæ quàm nobiles, ut ab ipſis appellari non inglorium putaverint inclyti Viri. 302. 31.
Hæreſes ortæ poſt Chriſti aſcenſionem. 105. 17.
Hæretici contemptores Eccleſiaſtici jejunii ſugillantur. 211. 31.
De ſola fide ſinè operibus ſibi perperam blandiuntur. 211. 34.
Hericius & peccatoris,& pœnitentis eſt hieroglyphicum. 104. 14.

Hermannus Joſeph devotus B. Virginis. 392. 39.
Hermon quà de causà interpretatur Anathema mœroris, *vel* triſtitiæ. 73. 18.
Heros dicitur ab Her. 132. 1.
Vel Heros, vir fortis, ſapiens, & potens: quaſi Vir herus, & quaſi Dominus terræ. ibid.
Vel dicitur Heros quaſi æthereus. ibid.
Hierarchia eſt Ordo divinus, & ſcientia, & operatio. 125. 6.
Hierarchia Beatiſſimæ Virginis Mariæ eſt ſupra omnes Angelorum hierarchias. 9. 10.
Holophernes figuravit diabolum. 362. 14.
Homo intelligitur nomine omnis creaturæ. 76. 5.
Peccando tria mala incurrit. 113. 25.
Omnis homo eſt ſpina. 167. 7.
Honeſtum eſt quod ſua virtute nos trahit. 310. 17.
Horologium hominis hieroglyphicum. 109. 14.
Humilitas, & nihil dicuntur ad convertentiam. 141. 45.
Diſtinguitur in tres gradus. 121. 36. & 377. 15.
Aſſimilatur aeri. 237. 15.
Deſcribitur in flore Violæ. 306. 18.
Humor intrinſecus devotionis procedit à gratia interiori. 184. 15.
Hydria typus Mariæ. 179. 13.
Hyena in oculis gemmam portat. 285. 13.
Hyperdulia eſt cultus debitus Beatæ Virgini. 121. 34.

I

I Literà ex ſua figura deſignat humilitatem. 21. 5
Ia eſt viola, à qua Ianthina veſtis. 305. 12.
Iacob Patriarcha dictus fuit & Iſrael: Iacob autem luctator, & Iſrael videns Dominum interpretatatur. 164. 59.
Fuit quædam viſionum, ac luctarum trutina. ibidem.
Iacobus Apoſtolus liberat à dœmone quendam ſuum devotum. 101. 44.
Iacula oculorum hieroglyphica. 351. 22
Et crinium ſymbola. 351. 23.
Oculos, & crines Deiparæ Venatricis ſignificant. 351. 24.
Iahel bellica fortitudine inſignis. 179. 17.
Tanquàm flos bellicoſus deſcribitur. ibid.
Interpretatur aſcendens. 180. 18.
Vel Dei aſcenſio. 181. 22.
Dum Siſaram interfecit, figuravit Mariam, quæ diabolum, & peccatum occidit. ibid.
Ianua typica eſt Dei Mater. 363. 18.
Per ipſam ingreſſus eſt Chriſtus, & egreſſus, obſignato virginitatis ſignaculo. 363. 19.
Eſt ianua lucis. 364. 19.
Per ipſam intramus ad fœlicitatem æternam. 364. 20.
Et plura alia habes. ibid.
Ianuarius menſis cur dicatur à Iano. 253. 2.
Iaſpis licet viridis eſt gemma multorum colorum. 277. 12.
Pulchrè Virginem figurat. 277. 13.
Quæ Iaſpis ſigno Crucis inſcripta. 377. 14.
Fidei, virginitatis, & ſanctitatis eſt hieroglyphicum. 366. 38.
Ibis avis aquatica ſerpentibus inimica. 324. 12.
Has detulit Moyſes in bellum contrà Ethiopes. ibid.
Ibides ſuas Ægyptii invocant contrà ſerpentium adventum. ibid.
Pulchrè ex ſuis proprietatibus figurat Mariam. 325. 13.
Icon eſt lapis loquens. 268. 24.
Græcè Icon dicitur, & Latinè vocatur imago. ib.
Loquentis miſericordiæ Deiparæ hieroglyphicum. 268. 26.
Ictericia eſt defœdatio cutis in qualitate. 336. 17.
Tres ejus ſpecies. Crocea: Viridis: & Nigra. ibid.
Triplicem icteritiam animæ ſignat. 336. 18.
Icterus piiſſima Avis erga hominem benè affecta. 336. 16.
Typus Marianæ pietatis, quæ ſanat nos ab ictericia malarum affectionum. 337. 19.
Idæus Dactylus lapis ferrei coloris, ſic vocatus à Pollice humano. 273. 19.
Idrargirion omnia metalla perforat, præter vitrum: & quid myſterii lateat in hoc. 265. 7.
Idus dictæ ab edendo. 253. 2.
Iejunium tres Pueros in Babylonica fornace ſervavit illæſos. 284. 14.
Ienia mirus lapis, ſub hominis lingua poſitus, ut dicitur, facit cum prædicere de futuris. 285. 13.
Eſt Mariæ typus, quam qui ſub linguà portaverit, profectò de futuris divinabit. 285. 14.
Ieova exponitur. 43. 20.
Iericho hujus ſeculi figura. 172. 20.
Interpretatur Luna, & Mariam ſignat. 108. 7.
Odorem, ſivè expiratione odoris ſignificat. 391. 33
Interpretatur Luna, vel odor ejus. 393. 41.
Ieruſalem magnifica in figura Deiparæ. 188. 33.
Quarè Ieruſalem appellatur mons. 245. 15.
Eſt Iudeæ Metropolis. 399. 30.
Situs ejus in medio terræ. 401. 45.
Interpretatur viſio Pacis 399. 32. &c.
Vel interpretatur pacifica: vel Timor perfectus; ſivè Timebit perfectè. 401. 42.
Pulcherrima Deiparæ figura. 399. à num. 30. uſque ad finem.
Ignis, ejuſque proprietates in Virgine elucent. 239. 26.
Inter omnia elementa puriorem habet naturam. 240. 29.
In omnibus antiquis ſacrificiis adhibebatur ad impetrandum a Deo. 239. 28.
Ignis divinus totam Virginem ignivit. 240. 30.
Ilex ſpecies glandiferæ quercus. 321. 15.
Temperantiæ hieroglyphicum. ibidem.
Omnes ejus proprietates Dei Matri accommodatæ. 321. 16. &c.
Impetus quandoque ſumitur prò fervore, & deſiderio. 240. 32.
Inaures ab aurium foraminibus ſunt nuncupatæ. 379. 33.
Illas in Græcia Puellæ utraque aure, Pueri tantùm dextrà gerebant. ibid.
Sunt hieroglyphicum obedientiæ. 379. 33.
Significant patientiam, verecundiam, & diligentiam. 379. 35.
Inaures deſignant aures. ibid.
Pulcherrimum virtutum Deiparæ hieroglyphicum Inaures pretioſæ præferunt. 379. 36. &c.
Incenſaria deſcripta. 318.
Ejus folia formam cordis habent. ibid.

Virtutes medicæ, aliæque ejus proprietates Virgini applicantur. 310. 19.
Incenſum evaporans odoriferum fumum in igne deſcribitur. 301. 26.
Eſt hieroglyphicum orationis. 301. 27.
Per aromaticum incenſum in igne virtutes Deiparæ ſymbolicè figurantur. 301. 28. &c.
Incus hieroglyphicum fortitudinis. 359. 38.
Typus Beatæ Virginis generoſo animo ſtantis juxtà filii Crucem. 359. 39.
Symbolum perſeverantiæ conſtantis in opere. 360. 48.
Infantes accensà Artemiſià hilariores reddi dicuntur? 303. 36.
Infernus eſt in centro terræ. 289. 2.
Influentiis cœlorum nihil terris utilius. 223. 7.
Infula quid ſit variè conſideratur. 370. 21.
Infula à Pierio Titulus vocatur, cùm priùs Tutulus diceretur. 370. 22.
Infulæ tres Beatiſſimam Virginem exornãt. 371. 26
Infulæ hæ ſunt, quod eſt Filia Dei: Mater Dei: & Sponſa Dei. ibidem.
Innocentia ſumpta prò animi candore, & puritate. 90. 19.
Inſinuatio eſt nobiliſſima ſpeties orationis. 120. 3.
Invectiva in Parentes, qui filios retrahunt à Religionis ingreſſu. 196. 15.
Ioachim interpretatur præparatio Domini. 214. 44.
Integra Panegyris de ejus laudibus. ibidem
Joanna interpretatur Dominus gratia ejus: Vel, miſericors Dominus. 189. 39.
Expreſſit Deiparam. 189. 40.
Ioannes Præcurſor ad Mariæ adventum exultans in utero Matrìs deſcribitur. 140. 38.
Erat ſimilis cytharæ ſonanti. 140. 39.
Ioannes Apoſtolus in locum filii Dei traditur Virgini Matri. 69 5.
Iod interpretatur principium. 9. 2.
Vel, Confeſſio, aut Laus. 12. 10.
Iordanis interpretatur humilis deſcenſus, & Deiparæ humilitatem deſignat. 65. 5.
Ioſabeth interpretatur ſaturitas Domini: Vel, Domini juramentum in figura Mariæ. 173. 25.
Iosbertus monachus quinque roſas emiſit è vultu in morte, & unam ex ore, cui erat inſcriptum Mariæ Nomen. 399 28.
Ioſue detinuit Solem in Cœlo. 101. 42.
Iracundi, & impatientes figurantur in Rhamno. 310. 16.
Irriguum ſuperius, & inferius multipliciter exponitur. 189. 19.
Irritare idem eſt quod evacuare; vel idem quod ad iram provocare. 182. 4.
Iris metheorologica Impreſſio multis elogiis celebrata. 249. 33.
Pluribus titulis laudata 249. 34.
Ejus generatio deſcribitur. 249. 35.
Duo ejus cornua ſignificant gratiam, & miſericordiam Dei Matris. 250. 36.
Quatuor colores Iridis quatuor Mariæ virtutes figurant. 250. 37.
Flexa in Arcum deſignat Beatam Virginem quantum ad Verbi Incarnationem. 250. 38.
Præclarum ornamentum Divini Throni in figura Beatæ Virginis. 250. 39.
Oppoſita Soli ſignificat Dei Matrem, per cujus miſericordiam juſtitia Chriſti temperatur. 250. 40.
In figura ſphæricà velocitatem obedientiæ Deipara ſignificat. 251. 41.
Pulcherrima Iris ad miraculum in Virgine ſtante juxtà Crucem. 251. 42. uſque ad finem.
Iris Gemma deſcripta. 281. 17.
Sex angulos habet in typo ſex operum miſericordiæ. 282. 18.
In omnibus eſt Mariæ figura. ibidem.
Iuvat parturientes, & in hoc Partheniæ benignitatis hieroglyphicum. 282. 19.
Iris herba odoratiſſima. 327. 27.
Quæ tangit, odorata reddit. 317. 28.
Naſcitur in diverſis regionibus. 317. 29.
Caſtis manibus legitur. ibidem.
Hieroglyphicum eloquentiæ: ſicut & cœleſtis Iris eloquentiæ Dea habebatur. 318. 30.
Vocatur Lirioeſſa. ibidem.
Lirioeſſam comediſſe dicitur de Diſertiſſimis: quales finxit Troianorum Oratores Homerus. ibidem.
In radice ſignificat conceptionem Beatæ Virginis in Gratia, quę fuit prima radix ipſius. 318. 31
Tricolor ſpecies deſignat operationem Trium Perſonarum Divinarũ in Conceptione Marię. ib.
Cætera hieroglyphica lege. 318. 32. &c.
Iſaac riſus interpretatur in lętitię prę́ſagium, quam B. Virgo naſcens attulit mundo 148. 34.
Iſciſtos lapis colore ſimilis Croco. 290. 24
Iſida avis pulcherrima venuſtate pennarum. 333. 25.
Duos tantum in pedibus digitos habet, quibus deſignat in Deipara geminam Dei, & proximi dilectionem 333. 24.
Iſpida avis quaſi ſibi contraria, quia ſqualorem in nomine, & pulchritudinem habet in corpore. 329. 20.
Eſt ſymbolum auſteritatis, & temperantiæ 329. 21.
Hæc avis, juxtà Augures, in theſauris conſervata, auget divitias, & in hoc figurat Deiparam, quę in cordis theſauro ſervata, auget opes ſpiritales. 329. 24.
Iubal inventor, & artifex muſicæ laudatur. 139. 35.
Lætitiæ Parens, à quo Latini jubilum, & jubilare ſumpſerunt. ibidem.
Ejus ingenium præclaro Encomio commendatum. 139. 35.
Muſici ejus numeri fuerunt umbratiles figuræ proportionum muſicarum, quæ ex concentu virtutum in anima Deiparæ reſultabant. 130. 37
Iubar, hoc eſt, Sol typo Mariæ honoratur. 228. 32.
Iubilæus erat annus lætitiæ, remiſſionis, & libertatis. 258. 28.
Quinquageſimus annus vocabatur Iubilęus. ibid.
Ex etymo aliqui putant Jobel à Iubal primo inventore cytharæ, & organi eſſe deductum. 259. 29
Alii autumnant Iobel ſignificare cornu arietinũ, & inde Iubilæum annum dici, quod eo anno cornibus arierum clangebant, &c. ibidem.
Vera etymologia Iobel idem eſt quod afferens omnia bona, vel germinans omne bonum. 259. 30.

In jubilæo fiebat plenaria remiſſio. 259. 31.
Significat reſurrectionem, & æternam quietem æternitatis. 259. 33.
Eſt Deiparæ typus, quæ eſt annus propitiationis. 259. 34.
Verè Iubilæus, quia ab ipſa habemus omne bonum. 260. 35.
Iudas interpretatur Confeſſio, ſivè laudans. 361. 2
Iudæi in Aſini mandibulà figurati. 328. 17.
Iudicium factum de quodam peccatore. 88. 9.
Iudith laudatur à pulchritudine, & caſtitate. 198. 20.
Decollavit Holophernem in figura Mariæ, quæ diabolum trucidavit. ibidem per totum.
Ipſius inſcriptio ſepulchralis. 201. 39.
Iulius menſis à Iulio Auguſto vocatus. 253. 2.
Iunius menſis à Iunioribus appellatus. ibidem.
Iuniperus dicitur eò quod conceptum diu teneat ignem. 296. 23.
Vel dicitur Juniperus quaſi gignens ignem. ibid.
Vetuſtatem non ſentit, nec folia deponit. 296. 24
Spinas habet pro foliis, & variis morbis medetur. ibidem.
Aptè per Iuniperum ex ejus qualitatibus Deipara figuratur. 296. 25.
Iuno dicta eſt Hera. 132. 1.
Iupiter Planeta temperantiæ ſymbolum. 224. 12.
Iuramentum accipitur etiam prò fœdere, & pacto, vel teſtimonio, & teſtamento. 174. 28.
Iuſtitia legalis Lucifer pulcherrimus. 121. 38.
Eſt omnium Domina, & Regina virtutum. ibid.
Iuſtitia originalis in primo homine antè lapſum quid erat. 135. 14.
Iuſti in tribulationibus ſemper læti. 251. 45.
Iuſti morientes, duos habent contrarios motus, quorum unus debilis, alter fortior, qui in ipſis prævalet. 164. 58.

K

KEſil hebraicè, dicitur ſtultus Latinè. 254. 9.

L

LAbores amantibus non videntur oneroſi. 160. 41.
Lac ſolum eſt, quod ſufficienter præparat naturam ad nutrimentum. 158. 31.
Lacenæ mulieres virili fortitudine præſtantes. 31. 2.
Lachryma Bdellii figurat humanitatem Chriſti in paſſione. 243. 6.
Lachrymæ taciturnæ ſunt Rhetores efficaciſſimæ. 44. 23.
Lacus arundinum muſicarum 312. 29.
Lancea eſt hieroglyphicum zeli. 233. 69.
Languor dicitur longus angor. 109. 11.
Languor amoris immutat ſtatum, pulſum, vultum, & guſtum. 158. 35. &c.
Lapides mirà colorum varietate à naturà venuſtati. 290. 24.
Latria, ſcilicet Dei cultus, conſiſtit in tribus. In actu cordis, in actu oris, & in actu operis. 120. 31
Leges inter arma ſilent. 31. 3.
Leo eſt Chriſti ſymbolum. 192. 53.
Leones terrentur ſtrepitu rotarum. 363. 13.
Lepus hieroglyphicum peccatoris. 105. 12.
Liber triplex: Naturæ: Scripturæ: & Verbi. 188. 38.
Liber intelligibilis eſt Verbum divinum in pergameno uteri Virginalis Deiparæ. 188. 36.
In hoc libro depicta eſt tota vita ſpiritualis, & Chriſtiana, quam ſequi, & æmulari debemus. ibidem.
Ligna Libani imputribilia, & procera Sanctos Patriarchas deſignant. 385. 30.
Lilium Chriſti typus. 148. 37.
Deiparæ ſymbolum. ibidem.
Similitudo Confeſſorum. ibidem.
Hieroglyphicum Spei nobiliſſimum: 49. 5.
Variæ Numiſmatum Inſcriptiones hoc indicant. ibidem.
Lineum velum à Beata Virgine acu depictum ubi aſſervatur, & colitur. 175. 37.
Lingua hieroglyphicum Spiritu Sancti. 188. 37.
Lingua Vulturis, ut dicitur, appoſita pedi ſiniſtro mulieris parientis facit eam parere. 171. 17.
Eadem gratioſum facit, qui eam portat. 171. 18.
Linguæ potiores, Hebraica, Græca, & Latina. 2. 1.
Cur tribus his Linguis ſcriptum in Crucis Titulo Nomen JESUS? ibidem.
Literæ Hebraicæ in Nomine Mariæ quid myſterii habeant. Vide à pag. 3. uſque ad 14.
Literæ Græcæ quid denotent in Deiparæ Nomine. 15. 1. &c.
Literæ Latinæ quid ſignificent in Parthenio Nomine. 20. 1. &c.
Locuſta figurat humilitatem. 294. 12.
Logica quatuor partes habet: tentativam, ſophiſticam, demonſtrativam, & dialecticam. 346. 25.
Lollia Paulina ſmaragdis, & margaritis ad luxum ornata. 379. 31.
Lorica juſtitiæ ſymbolum. 293. 96.
Luciferi matutinæ ſtellæ deſcriptio. 56. 1.
Græcè dicitur Phoſphorus à fos, quod eſt lux, & oros, quod eſt viſio, quaſi ferens lucem, & viſionem. ibidem.
Dicitur Venus, non quia ſit Dea amoris, ſed quia diſponit ad amandum. 56. 3.
Pulchrior eſt cæteris ſideribus. 97. 6.
Dicitur Venus, quia regnat in die Veneris. ibidem.
Dicitur Phoſphorus, quia præit Solem, & Heſperus, quia Solem ſequitur. 57. 10.
In omnibus Deiparam figurat. ibi per totum.
Lucta eſt diſcordiæ imago. 233. 63.
Lucta Jacob cum Angelo quid ſignificabat. 232. 61 & 233. 63.
Lucullus ex ſuo nomine marmori nomen dedit. 266. 11.
Ludovicus Primogenitus Caroli II. Siciliæ Regis, ordinem S. Franciſci ingreditur; & à Bonifacio VIII. Epiſcopus Tholoſanus creatus, moriens roſam emiſit ex ore in meritum virginitatis. 399. 28.
Luna dicitur quaſi lucens una. 253. 3.
Vel quaſi luminum una 255. 12.
Ejus præconia. ibidem.
Varia ejus epitheta. 254. 6.
Solis ſpeculum appellatur. 255. 12.
Aſſumitur pro ſymbolo inconſtantiæ, & mutabilitatis. 262. 46.
Eſt frigidæ naturæ. 223. 11.
Secundum Aſtronomos præeſt infantiæ, argento, & pituitæ. 254. 5.
Quomodo ſit typus Mariæ. 86. 8. & 88. 7. & 256. 14.
In ſanguinem verſa deſignat martyrium Deiparæ in anima. 108. 8.
Lux inter corpora primum locum tenet. 227. 29.
Eius præconia. ibid.
Pulchrè figurat Deiparam. 226. à num. 25. uſquæ ad 31.
Luxuria in rebus humanis quanta. 270. 2.
Luxus hominum carpitur. 264. 1.
Lyſimachia herba à Lyſimacho inventa, & vocata. Et quam ſit miræ virtutis. 302. 31.

M

M Litera eſt Fidei hieroglyphicum. 20. 2.
Machabeus interpretatur protegens, vel protectio, vel percutiens, aut ingenioſus. 361. 2.
Magdalenæ converſio admirabilis deſcribitur: & eius laudes narrantur. 193. 2.
Officioſa pedibus Chriſti in domo Phariſæi, & divini in Chriſtum amoris flammæ per totum elogium deſcribuntur. ibidem.
In optimà Contemplationis parte, quam elegit, Deiparam adumbravit. 194. 3. &c.
Magdalum interpretatur Magnitudo; vel Turris; ſeu defendens eos; aut Præmunitio eorum, in ſignificationem celſitudinis, & magnitudinis, quam Deus Deiparæ contulit; tùm protectionis, & defenſionis, quam nobis tanquam fortiſſima Turris exhibet. 394. 2. &c.
Magnanimitas eſt virtus Heroum. 151. 49.
Magnes lapis ab inventore ſic vocatus 266. 2.
Huic lapidi ſenſum, & manus natura tribuiſſe videtur. ibidem.
Reſpicit duos Polos. 41. 12.
Varia eius genera numerantur. 286. 2.
Virtutem trahendi ferrum habere dicunt ab Urſa cœleſti. 287. 3.
Armatus ferro fortior evadit. 41. 12.
Eius vires non præſtigiis dæmonum, ſed virtuti Divinitatis tribuendæ, quæ in operibus ſuis eſt laudanda. 287. 5.
Magnes ſignificat timorem æternæ damnationis, & divinæ ſeveritatis. 62. 5.
In magn... ferrum trahente figuratur Deipara, quæ humilitatis virtute Verbum traxit. 287. 6.
Eſt lapis reconciliationis, & Beata Virgo nos reconciliat Deo. 287. 7.
Magnetica ſtella, hoc eſt, Urſa cœleſtis hieroglyphicè Deiparam ſignat. 288. 10. &c.
Magnificare idem eſt quod magnum facere. 133. 4.
Magnificentia Dei antonomaſticè Beata Virgo vocatur. 19. 15.
Maius menſis à Maià Mercurii Matre, vel à maioribus natu appellatus. 253. 2.
Malaleel interpretatur laudans Deum, ab halal, quod eſt laudare; & el, quod eſt, Deus. 133. 2.
Vel dicitur: Lauda fortem Deum. ibidem.
Filius Cainan: & tamen Pater, & Filius diverſi genii: nam Pater lugendo, & Filius canendo Deum laudavit. 133. 3.
Utriuſque elogium ab oppoſitis. ibidem.
Præfiguravit Deiparam, quæ læto animo Dei laudes cecinit. 133. 4. &c.
Malum Punicum quia ex Punica regione tranſlatum. 319. 2.
In flore ſignificat Deiparam, cuius flos Chriſtus. 319. 3.
In ubertate fructuum: quia Beata Virgo fuit fructifera in portatione filii. 319. 4.
In multitudine granorum: quia Deipara omnes in ſe collegit virtutes. 319. 5.
Mandragora inter herbas aromaticas ſola habet in radice humani corporis ſimilitudinem. 292. 2.
Eius deſcriptio. 292. 3.
Eius cortex vino mixtus ægris laborantibus datus ſomnum, immo & ſoporem adeò profundum inducit, ut ſi corpus eorum ſecandum ſit, nullum dolorem ſentiunt. ibidem.
Præſtat mulieribus virtutem ad concipiendam prolem. 293. 6.
Eſt Deiparæ hieroglyphicum. 293. 4. &c.
Vitam contemplativam Mariæ figurat 393. 6.
Manna quandoque ſumitur pro quodam liquore melleo, & dulci, qui de rore cœleſti generatur in arborum ſuperficie. 242. 2.
Manna cœlitus datum Iſraelitis in deſerto erat parvum & rotundum ad modum ſeminis coriandri. ibidem.
Manna eſt Chriſtus de Virgine generatus. ibidem.
Eſt unio Verbi cum carne. ibidem.
Præfiguravit Euchariſtiam 242. 3. &c.
Manna interpretatur Quid eſt hoc, & ſignificat æternam beatitudinem. 244. 11.
Eſt Deiparæ hieroglyphicum, de qua vermiculus procreatus, quando Chriſtus in ipſa incarnatus. 244. 13.
Manichæi depravant Sacras Scripturas. 105. 14.
Maranatha interpretatur Dominus noſter venit. 169. 4.
Marcus Lollius Regum orientalium muneribus infamatus, veneno ſibi mortem conſcivit. 379. 31.
Mare in deteriorem partem, ſeculi hieroglyphicum. 47. 1. &c.
Mare in laudabilem partem tanquam bonum approbatur à Deo. 62. 2.
Tranquillum in ſerenitate deſcribitur. ibidem.
Eius bonitas ex variis titulis commendatur. 63. 3.
Omnium ferè virtutum hieroglyphicum. 63. 5.
Sonus undarum eius leniter affluentium Pſallentium Choro perſimilis. ibidem.
Symbolum ſacri fontis, quo peccatum abluitur. 63. 6.
Similitudo Maris cum Deipara. 63. 8.
Aliter mare cum Maria confertur. 63. 9.
Mare omnia recipit flumina, & Maria omnia gratia-

tiarum flumina. 63. 10.
A mari nuncupatur Maria, & à Maria mare appellatur. 64. 13. Plura alia vide ibi.
Mareſa interpretatur à capite, vel à principio. 387. 3.
Interpretatur etiam hæreditas. 388. 8.
Eius ſignificationes ad laudem Deiparæ. ibidem.
Margaritæ à mari dicuntur. 275. 6.
Earum generatio deſcribitur. ibidem.
Margaritifera conca fuit Maria, quæ rore Cœleſti unionem Chriſti concepit. ibidem.
Margaritæ candidæ ſunt meliores, & deſignant omnimodam Deiparæ puritatem. 276. 7.
Habent plnres virtutes medicas, quibus exprimitur gratia Beatæ Virginis, quæ ſpirituales animarum infirmitates ſanat. 276. 8.
Maria Soror Moyſi prima eſt omnium fœminarum, quæ hoc nomine fuit vocata. 168. 2.
Commendatur Elogio, in quo eius geſta leguntur. ibid.
Etymologia ipſius variis modis conſiderata. 169. 3.
Fuit Prophetiſſa tripliciter. 1. Prophetiſſa, quia Dominus ei revelabat arcana. 2. Prophetiſſa, ideſt, Doctrix, & Magiſtra. 3. Prophetiſſa, ideſt, Præcentrix. 169. 6.
Dicitur fuiſſe Virgo. ibid.
Optimè Deiparam typicè ſignificavit. 169. 7.
Marmor ſermo Græcus eſt à viriditate vocatus. 264. 4.
In ipſis Natura maculis colorum non ſolum ſerpentes effinxit, ſed & Serpentium nomen dedit. 265. 5.
Variæ marmorum ſpecies mirificè Deiparæ dotes adumbrant. 265. à num. 4. uſque ad finem.
Martha interpretatur irritans, vel provocans. 182. 2
Vel Dominans Syriaca lingua. ibidem.
Ex ſui nominis interpretatione benè adimplevit figuram Deiparæ. ibidem.
Martinus Epiſcopus ex dilectione Dei oculos ad Cœlum habebat ſemper intentos. 159. 40.
Martinus Lutherus ex ſui nominis anagrammate prædixit ſe futurum, Ter vulnus Matris; ſcilicet Eccleſiæ. 23. 5.
Martius menſis dictus à Marte. 253. 2.
Eſt menſis novitatum. 29. 6.
Martyres in tormentis patiebantur corpore, ſed anima delectabantur in Chriſto. 108. 5.
Martyrium ferri, an amoris ſit crudelius. 107. 2.
Mater Alexandri fabuloſè ipſum de Jove concepit. 92. 2.
Mater Machabæa fortitudinis virilis exemplum. 203. 2.
Facta Mater ſeptem martyrum, ſepties Martyr. 204. 4.
Miris laudibus celebrata. 204. 5.
Eius nomen. In Calendario Græcorum vocatur
Salome.)
A Ioſepho Salomona.)
Et iterum Abraha.) 204. 3.
A Genebrado Anna ideſt, gratia.)
A Divo Thoma Machabæa, quia Ma-)
chabeorum mater.)
Fuit ſimulachrum fortitudinis Deiparæ ſpectantis mortem Filii ſui in Cruce. 204. 6. &c.
Materia quadruplex: incorrupta, nobilis: vilis, & corruptibilis; quid ſit juxta myſticum ſenſum. 79. 3.
Maximilianus Bavariæ Dux invocato Mariæ nomine victoriam Pragenſem centrà Hæreticos reportat. 43. 18.
Maternus amor iu filios propè ad inſaniam accedit. 117. 13.
Medicina Generi humano utillſſima. 343. 2.
Quaſi Præſcia futurorum. ibidem.
Eſt ars, quæ in homine plus invenit, quam ipſe cognoſcit. ibid.
Medium communicat cum utroque extremorum. 307. 25.
Mel deſcendit de Cœlo. 173. 27.
Melchiſedech Rex fuit Salem, & Dei Sacerdos. 142. 2.
Sacrificavit Deo panem, & vinum in victorià Abrahæ. ibid.
Non fuit de genere Judœorum. ibid.
Chriſti Sacerdotium prefiguravit in typo. 142. 3.
Virginem in Regali Sacerdotio repreſentavit. 142. 2.
Melchites eſt lapis viridis, ſimilis Smaragdo in colore, & ſatis mollis. 279. 4.
Infantium Cunas cuſtodit. ibidem.
Ex ſuis proprietatibus optimè ſignificat Deiparę virtutes. ibidem.
Melitites melleum ſucum emittit. 283. 2.
Figurat Dei Matris miſericordiam. 283.
Mem interpretatur ex intimis, vel Ignis ex ultimis. 2. 1.
Vel interpretatur Viſcera. 3. 3.
Quid ſignificent hę interpretationes ad Virginis gloriam, ibi per totum.
Mennonis ſtatua Solis percuſſa radiis fiebat vocalis. 205. 2.
Mens hominis ſecundum quoſdam derivatur à mene, quod eſt Luna. Et huius ratio. 255. 11.
Vel mens dicitur quaſi Eminens. ibidem.
Menſis dicitur à mene, quod eſt Luna. 253. 2.
Vel ſecundum Tullium dicitur à metiendo. 255. 11.
Menſura ſupereffluens quænam ſit. 190. 43.
Hieroglyphicè deſignat Deiparam. 453. 5.
Fuit enim omnium quaſi menſura, juxtà illud effatum: Primum in uno quoque genere eſt menſura ceterorum. 354. 7. &c.
Menta apud Grecos mintha vocabatur. 303. 2.
Somnia Veneris inhibet. 303. 3.
Non patitur denſari lac. 303. 4.
Eius odor excitat animum, & ſapor aviditatem in cibis. ibid.
Medelam prebet contrà venena. 303. 3.
Mercurius Planeta domi natur aquis. 224. col. 1.
Mercurius metallum à Chimicis: hidrargyron à Græcis: & à Latinis Argentum vivum appellatur. 270. 4.
Ejus generatio. ibidem.

Ejus

Eius proprietates quadrant Deiparæ. 270. 5.
Eſt materia cæterorum metallorum. 270. 6.
Nullum metallum deaurari poteſt ſine Mercurio. 271. 8.
Melius in vaſe vitreo, quam in aliis conſervatur. ibid.
Mercurius Martyr è Cœlo Iulianum Apoſtatam interfecit. 101. 43.
Merula antiquitus vocabatur Modula, quaſi modulos, & melos edens. 326. 2.
Aliter dicitur Merula: quia Meir, hoc eſt, ſolitaria volat. ibid.
Dicitur quoque Merula, quaſi mera volans. 326. 4.
Eſt nigri coloris, ſed albi in Achaia. 326. 2.
Roſtrum, & pedes habet aurei colori. ibid.
Merula quædam novem modos notarum adeò benè modulabatur, ut à nullo hominum perfectè potuerit imitari. ibidem.
Æſtate canit, hyeme balbutit, circa Solſtitium muteſcit. 326. 5.
Omnes eius proprietates Matri Dei aptantur. 326. 3. &c.
Meritum de condigno, & meritum de congruo, quid: & quomodò diſtinguuntur. 195. 10.
Michol Mariæ typus. 177. 2.
Interpretatur Pietas. ibid.
Vel Aqua omnis. ibid.
Aut Aqua ex omnibus. ibid.
Millenarius numerus hieroglyphicum perfectionis. 6. 7.
Miracula ſeptem mundi. 397. 17.
Miraculum cœci illuminati patrocinio Deiparæ. 200. 19.
Mithra Perſicè Solem ſignificat. 368. 2.
Mitra eſt faſcia byſſina, gemmis, & bracteolis aureis, tremuliſque collucens. ibid.
Deſignat hieroglyphicè triplicem aureolam, quam aliqui conſequuntur in Cœlo propter triplicem decorem Virginitatis, Martyrii, & Doctoratus 368. 4.
Moabitę interpretantur flores. 196. 19.
Modus Philoſophice definitus. 34. 5.
Moyſes ob pulchritudinem à nece ſervatus. 152. 2.
Traditur flumini, & eripitur à Regià Puella. ibid.
Eius elogium. ibid.
In fiſcellà poſitus portum habuit ſecurum. 153. 6.
Deiparam in ſua conceptione figuravit. ibid.
Moniales utinam tacere diſcerent, & tacendo cogitarent, quomodò reſpondebunt in judicio. 394. 49.
Monile gemmeum eſt Mariæ nomen. 203. 1.
Monile dictum eſt à munere. 375. 3.
Vel ſerpentum, quia conſtat ex gemmis in modum facturæ ſerpentis. ibid.
Vel dicitur harpago, à monendo. ibidem.
Vel munile à muniendo. ibidem.
Significat puritatem, abſtinentiam, patientiam, & alias Deiparæ virtutes 375. 6.
Mons dicitur ab eminentia. 234. 2.
Eius deſcriptio in figura Deiparæ. ibid.
Mons opacus, & umbroſus dicitur Beata Virgo. 245. 13.
Montes ſunt naturæ propugnacula. 264. 1.
Sunt origo fluviorum. 234. 3.
Ex naturali altitudine dicuntur contemplationis ſymbola, & Sanctitatis. 267. 15.
Mors iuſtorum, dulcis ſomnus vocatur. 300. 20.
Mortis, & Amoris fortitudo quam ſimilis. 160. 41. &c.
Morus à Græcis, Rubus à Latinis vocatur: eò quod fructus eius, vel virgultum rubet. 313 2.
Fructus ejus ſignificat Chrictum, & Matrem ſuam. 313. 5.
Motus circularis inrer omnes perfectior. 363. 17.
Motus ſurſum, & deorſum contemplativam, & activam vitam ſignificat. 79. 5.
Motum non dari Zeno aſſerebat. 43. 23.
Aſſignantur differentiæ motus. 78. 1.
Mulierum, luxus in unionibus, & margaritis. 378. 30. &c.
Mulieres ſuperſtitioſæ in inveſtiganda pariendi hora. 392. 36.
Mundus utrum creatus in Vere. 261. 40.
An vero in Autumno. 263. 51.
Mundus moralis non videt niſi magnos. 91. 24.
Munitio, ſive murus inexpugnabilis eſt Deipara ad defenſionem, & protectionem noſtram. 361. 3. &c.
Murena in Gallia ſeptentrionali habet in dexterà maxilla ſeptem maculas ad modum ſeptentrionis aureo colore fulgentes. 381. 2.
Murenulæ ſunt virgulæ auri perplexæ, intermixtis nonnunquam ſubtiliſſimis argenti filis 381. 2.
Dicuntur murenulæ à ſimilitudine cujuſdam piſcis marini, qui murena vocatur. ibid.
Sunt ornamenta colli virginalis, & puellaris. ibid.
Murenulæ aureæ ſignificant Præmium eſſentiale Beatorum. 382. 4.
Vermiculatæ argento Præmium accidentale deſignant. ibidem.
Significant inſpirationes divinas. 389. 9.
Sunt hieroglyphicum fortitudinis in hoc mundi pelago procelloſo. 383. 13.
Sunt perſeverantiæ ſybolum in virtutis bono. 383. 16.
Significant charitatem in tribulationibus non cedentem. 383. 19.
Fidem, & conſtantiam Deiparæ in Filii ſui morte mirabiliter exprimunt. 384. 31. &c.
Murex ex quo elicitur purpurpureus liquor ad tingendas lanas regales 334. 2.
In candida vena habet murex in mediis faucibus venenum illud purpureum. 334. 3.
Eſt pulcherrimum Chriſti hieroglyphicum. 335. 5. &c.
Deiparæ ſymbolum. 335. 7. &c.
Muſcipula inter inſidias venationis computatur. 348. 4.
Muſcipulam dilectionis tendit Deipara ad capiendas animas. 349. 8.

Mu-

Muſica magnam vim habet,cuius virtute fugatur diabolus. 140. 41.
Mulcet ſuavitate beluarum ſenſus. 338. 2.
Fit triplici modo: Voce: Pulſu, & Flatu 81. 15.
Agitur quinque Tonis)
Dorio, qui caſtitatis eſt effector)
Phrigio,qui ad pugnandum efficit acres)339.6.
Æolio, qui perturbationes animi ſedat)
Iaſtio, qui aciem acuit rationis)
Lydio, qui animi tædia demulcet)
Eſt ſcientia benè modulandi, & omnia muſicis numeris conſtant. 339. 7.
Muſtela dicitur à telon, quod eſt longum, quaſi Mus longus. 323. 3
Ingenioſa in catulis ſuis ſervandis. ibid.
Fœtus ſuos caſu aliquo læſos, vel etiam mortuos curat, & ſuſcitat cujuſdam herbæ ſucco. ibid.
Pugnatura cum baſiliſco ruta ſe armat. 223. 4.
Medetur ſcorpionum morſibus. ibidem.
Corium ſcripto exaratum ſuper dæmoniacos ſuſpenſum dæmones torquet. ibid.
In omnibus eſt Mariæ figura. ibid.
Myrrha pulcherrima Nympha in arborem ſui nominis fabuloſè converſa. 297. 2.
Eſt arbor Arabiæ, & deſcribitur. 297. 3.
Interpretatur amaritudo. 298. 4.
Diſtillat guttam viridem, & & amaram, quæ ſignificat Chriſtum in paſſione. ibidem.
Eius gutta calida, & ſicca eſt medicinalis in figura Chriſti. 298. 7.
Quænam dicitur myrrha electa. 298. 9.
Eſt Deiparæ hieroglyphicum. 299. 10.
Myrtus Veneri ſacra. 308. 2.
Eius qualitates, & medicæ virtutes deſcriptæ. ibid.
Erat dicata triumphis. 308. 3.
Myrteis ramis coronabantur Victores. 309. 3.
Ex Myrti baccis conficiebatur vinum, quod vocabatur Myrtites. 308. 2.
In ſuis proprietatibus ſignificat Deiparam. 308. 6. &c.

N

NAbal ſtultus figura Peccatoris. 178. 8.
Nardus eſt herba parva, calida, odorifera, & virtuoſa. 4. 1.
Confortat cerebrum, & cor. ibid.
Deſignat quatuor ſingulares virtutes. quæ in Maria fuerunt. ibidem.
Præfert etiam deſiderii typum. 97. 26.
Natura valdè mirabilis, dum varias in marmoribus effingit maculas. 265. 5.
Naturæ nihil naturalius, quam obedire ſuo Creatori. 155. 18.
Natura humana per aquam ſignificata. 243. 4.
Navis Cleopatræ aſiatico luxu inſtructa. 357. 28.
Ex oppoſito Deiparæ navigium oſtentatur. ibidem.
Navis ſalutis Beata Virgo. 357. 29.
Hieroglyphicum fœlicitatis. 358. 35.
Indicium ſoſpitatis apud Athenienſes ibid.
Eccleſiam deſignat. 358. 36.
Nazareth quare interpretatur Sanctum, vel Flos. 262. 43.
Nebula in malam partem, triplex in mundo, ſuperbiæ, videlicet, avaritiæ, & concupiſcentiæ. 56. 2.
Nebula in bonam partem eſt Beata Virgo. 19. 16
Neomenia quid eſt, & quid ſignificat. 255. 13.
Nero cubicula viatoria ad delicias, & luxum unionibus conſtruebat. 275. 3.
Tercentis ſeſterciis paravit poculum, ut carius biberet. 279. 2.
Nobilitas generis decoratur a virtute. 209. 31.
Nomen dicitur quaſi Notamen. 39. 1.
Perſonas illuſtrat. 44. 1.
Nomen Mariæ quod impoſitum primæ fœminarum, aſſecuta eſt Maria ſoror Moyſi, & Aaronis. 168. 2.
Nonæ à nundinis vocatæ. 213. 2.
November ex numero, & imbribus nomen accepit. 253. 2.
Nubecula à Solis radiis ſecundum maiorem, vel minorem denſitatem diverſimodè coloratur 50. 1.
Nubes pulcherrime radiis æterni Solis depicta eſt Beata Virgo. 51. 5.
Nubes ſtat prò miſericordiæ hieroglyphico 116. 7.
Numerus XVII. eſt numerus mortis. Et ratio huius. 18. 12.
Nun cur interpretetur Piſcis unicus, [illegible] ternus. 241. 38.
Nux aptè ſignificat Mariam. 65. 4.
Nux amygdalina illuſtris ſymbolo Chriſti. 294. 13.

O

OBedientiæ Virtus per aurum ſignificatur. 271. 12.
Obſecratio eſt ob ſacrum petitio, val oratio: quia eſt Oratio adiurans Deum per ſacramenta, quæ exhibuit. 210. 28.
October à numero, & imbribus nomen accepit. 253. 2.
Oculi in humano vultu, tanquam in Cœlo Sidera deſcribuntur. 12. 1.
Sunt ſagittæ vulnerantes. 351. 22.
Oculi Evæ venenati. 15. 16.
Oculus triplex, contemplationis, rationis, & carnis. 52. 11.
Odor ſignificat virtutum exempla. 81. 15.
Et bonam opinionem. 306. 17.
Olda interpretatur diſcertio me[illegible]. 209. 22.
Oleum eſt miſericordiæ ſymbolum. 116. 8.
Oleum amygdalorum eſt valdè medicinale. 295. 15.
Oleum ex myrti baccis quam virtutem habet. 302. 2.
Oliva eſt hieroglyphicum pietatis. 357. 30.
Significat Confeſſores. 397. 20.

Olympus eſt mons excelſus in Macedonia. 223. 10
Sumitur aliquando prò cœlo æthereo. ibid.
Opera,alia ſunt à natura,alia ab arte. 79. 2.
Opera bona ſunt fidei vita. 229.40.
Opus Dei,Maria. 52. 8.
Ophites marmor Beatæ Virginis hieroglyphicum. 265. 5.
Ordo eſt quadruplex: Naturæ: Vnionis hypoſtaticæ: Gratiæ; & Gloriæ. 213. 19.
Origenes neminem hæreticum eſt aggreſſus,quem non convicerit. 105. 13.
Oſſa fortitudinis hieroglyphicum. 198. 26.
Oſſa vulturis in Leonis pelle,vel Lupi involuta liberant portantes à Leonibus, & Lupis. 171.16.
Othoniel victor urbis Cariatſepher. 189. 9.
Ovium proprietates in Matre Dei conſiderantur. 186. 24. &c.

P

PAlatium dictum à Palante Principe Arcadiæ. 386. 37.
Palma eſt triumphi,& victoriæ ſymbolum. 397.20.
Phaleg interpretatur dividens,aut diviſus: & quid ſignificat ex utraque interpretatione. 137. 26.
Pharam interpretatur mons gloriæ: vel gloriatio, aut glorioſus: & cujus ſit hieroglyphicū. 245.16.
Pharos, quod eſt turris, dicitur à phos, quod eſt ignis,& oros,quod eſt viſio. 366. 35.
Philomena dicitur à Philos,& mene, quod eſt deficere,quaſi præ amore. 158. 33.
Papa interpretatur,& eſt,Pater Patrum. 144. 11.
Papula uberis in os infantis immiſſa valet, ut Medici dicunt, contra omnem infirmitatem infantis. 157. 29.
Pardus deceptorum typus. 73. 18.
Parentes Moyſi cur poſuerunt ipſum in fiſcella, & Nilo flumini tradiderunt, 113. 5.
Parentes transfundunt in filos qualitates proprias. 356. 22.
Parius lapis Virginis candorem deſignat. 265.6.
Parturire,& parere in quo differant. 108. 8.
Paſſio Chriſti fuit amariſſima ſicut Myrrha. 298.6.
Paſtor dicitur à paſcendo. 156. 23.
Paſtores, id eſt, Epiſcopi, ſarculum potius, quam ſceptrum verſare debent. 143. 5. &c.
Paſtoritia optimi Principis imago. 141.44.
Patientia eſt honeſtatis, & utilitatis cauſa, rerum & arduarum,& difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio. 312. 17.
Paulus Apoſtolus in magnete figuratus. 41. 12.
Paupertas in Chriſto enutrita, ditatur in Cœlo dotibus animæ, & corporis. 137. 28.
Peccator in arundine figuratur. 311. 24.
Eſt inimicus Dei. 87. 7.
Peccator auxilio Deiparæ a diabolo liberatus. 88. 9.
Peccatum eſt obliquitas quædam, & curvitas,quæ curvas,& obliquas animas facit. 90. 17.
Peccatum primorum Parentum tria habuit,ſcilicet ſuperbiam,inſipientiam,& malitiam. 174. 29.
Peccata tria univerſalia à Dei Matre fuerunt profligata. 300. 18.
Peregrinus à diabolo deceptus, ſed Deiparæ patrocinio ab eius inſidiis ereptus. 101. 44.
Petra loquens, & gratias promittens eſt Dei Mater. 268. 26.
Pilades,& oreſtes,amici veri. 68. 5.
Piſcis dicitur à paſcendo,& ſignificat carnem Chriſti, qua paſcimur in Sacramento Euchariſtico. 241. 38.
Platanus habet folia ad modum ſcuti, & ſignificat fidem. 307. 23.
Eſt etiam Virginitatis hieroglyphicum. 397.20
Pleiades Stellæ cujuſnam rei ſint hieroglyphicum. 87. 4.
Pluviæ portentoſæ. 398. 23.
Pocula per luxum magno pretio comparata ad bibendum. 279. 2.
Poderis Aaronis habebat Orbem terrarum deſcriptum,& Parentum magnalia. 156. 19.
Pollex digitus cur à Græcis dicatur ἀντίχειρ. 273.22
Dicitur à pollendo. ibidem.
Apud Romanos hieroglyphicum compoſitæ pacis habebatur. 273. 20.
Per pollicem ſignificabatur applauſus, & laus. 273. 21.
Erat ſymbolum virium robuſtarum. 273. 22.
Per pollicem amputatum impotentia, & inutilitas denotabatur. 273. 23.
Figurat robore,& virtute ſua Beatæ Virgininis protectionem. 274. 24.
Polus cur à pollendo ſit dictus. 226. 21.
Pompeius integrum è gemmis conſtruxit, & celebravit triumphum. 275. 1.
Deſcribitur Pompei triumphus. 275. 2.
Sugillatur de luxu,quia in eo triumpho effigiem ſuam ex margaritis tulerunt. 275. 3.
Pontifex Romanus qua de cauſa Dom. 4. Quadr. Roſam auream portat per Vrbem. 272. 14.
Quarè in aſſumptione ad Pontificatum novum ſibi nomen imponit. 45. 3.
Populus dicitur à polis,quod eſt Civitas: & definitur,quod eſt Populus humanæ multitudinis cœtus,jure,conſenſu, & concordi communione Sociatus. 73. col. 1.
Porticus Olympiæ ſepties eandem vocem reddebat. 268. 25.
Porticus natalitia Redemptoris deſcripta. 332. 14. &c.
Poſteritas Alexandri, imaginem Alexandri ferebat in veſte depictam 216. 52.
Poſthumius Tudertus triumphans de Sabinis myrto Veneris victricis coronatus inceſſit. 309. 11.
Poteſtates Angelicæ ſunt ſui Ordinis,& dignitatis conſtitutivum: aliorum ordinativum: & activum,& reductivum. 176. 10.
Prædicator cur in principio Sermonis recitat Ave Maria. 171. 18.
Priamus in everſione Troiæ ad aram confugit. 33. 3.
Princeps ex etymo ſuo dicitur quaſi principium capiens. Vel à principio,& à principatu. 99.36.
Principatus Angelici tres habent proprietates, ſcilicet. Primi Principii imitativum. Ordinativum principalium virtutum. Et inferiorum ad primificum Principium reductivum. 226. 9.
Prometheus ignem cœlo furatus. 116. 10.
Proſperitas mundi in baculo arundineo figurata. 311. 22. &c.

Providentia Dei quàm mirabilis in rerum diſpoſitione,& ordinatione. 117. 13.
Pruinæ effectus in Euchariſtico Sacramento. 243. 4.
Ptolomæus ex ſui nominis anagrammate dulcis facundiæ typus. 23. 3.
Pulchra facies eſt decenter colorata, hilariter affecta,& benè proportionata. 98. 29.
Pulchritudo quantum poſſit. 152. 3.
Eſt flos bonitatis. 153. 4.
Pulchritudo eſt plerunque ſuperba. 185. 21.
Punctum eſt minimum in quantitate, & deſignat humilitatem. 10. 4.
Purgatorii pœna dicitur fluctus maris, quia tranſitoria,ſed amara propter acerbitatem. 72. 14.
Purpura eſt Regalis dignitatis inſigne. 305. 16.
Significat avitam nobilitatem. 214. 44.
Eſt patientiæ ſymbolum. 376. 13.
Pyrrhi gemma,in qua novem Muſæ cum ſuis Inſignibus,& Apollo cytharam tenens,ſpectabantur. 277. 15.

Q

QUadragenarius numerus quatuor virtutum Cardinalium eſt typus. 16. 3.
Eſt etiam obedientiæ hieroglyphicũ. 17. 7
Qualitates frigidi, & calidi, ſicci, & humidi, &c. quam myſticam habeant ſignificationem. 81. 17.
Quaſi adverbium, aliquandò ſumitur prò verè. 47. 9.
Quies quid myſticè deſignet in B. Virgine. 79. 5.

Quæſtiones Philoſophiæ naturalis.

1 CUr una cytharæ chorda pulſata, reſonat alia ſimilis alterius cytharæ,& non altera chorda. 140. 39.
2 An ſit credibile,quod alabaſtrum valeat ad obtinendam victoriam,& amicitiam cõſervet. 267. 14
3 Utrum Amethyſtus habeat virtutem attrahendi ſibi vicina. 282. 21.
4 Cur Argentum, cùm ſit candidum, lineas nigras ducit. 274. 21.
5 An ſit verum,quod qui ſub linguà Jeniam lapidem portat,habeat virtutem prædicendi futura. 285. 11.
6 An poſſit dari Rubus ſinè ſpinà. 296. 22.
7 Undè provenit color flavus. 285 11.
8 Quæ ſit cauſa, quod nocte adveniente animalia reſolvuntur in ſomnum. 228. 36.
9 Quid ſit,quod ſpeculum concavum objectũ Soli, accendit ignem in materia combuſtibili. 228. 35
10 Cur ſomnus eſt dulcior in Aurora. 232. 58.
11 Cur Terra dicitur ſolum. 235. 6.
12 Vndè evenit,ut Terra licet gravis,& ponderoſa, ſit immobilis, & ſuſpenſa. 235. 7.
13 Vndè Magneti cum ferro amica ſocietas, diſſidium autem cum allio olere agreſti, & cum aliquibus Gemmis. 287. 5.
14 Quarè ferrum in libra poſitum cum Magnete, nihil ponderis addit Magneti. 287. 8.
15 Quid eſt Antipathia,& Sympathia. 280. 7.
16 An Adamas trahat ferrum. 280. 9.
17 Num flores in lapides, aut lapides in flores converti poſſint. 290. 24.
18 Cur Mandragora vocatur Antropomorphos. 292. 2.
19 Undè Ruta magnam habet cum ficu amicitiam. 304. 9.
20 Quæ cauſa, undè aurum eſt ponderoſius argento. 271. 10.
21 Cur multi fortes, ac robuſti citò moriuntur 184. 15.
22 Quarè Juvenes magis ſperant, quàm Senes. 294. 9.
23 Quænam eſt materia Roris. 248. 27.
24 Quot ſunt colores in Arcu Cœleſti, quatuor,an duoſ & quid ſignificant. 250. 37. 38. & 41.
25 Quid eſt ſtella aſcendens, & Stella cadens. 252. 49. &c.
29 Cur numerus Senarius dicitur numerus perfectus. 261. 41.
27 Fluxus,& refluxus maris à quonam cauſatur. 254. 5.
28 An poſſit dari circuli Quadratura. 29. 5.
29 Cur antiquitùs Romanæ mulieres herbam Agnocaſtum in conviviis, & in exequiis ſecum ferre ſolebant. 297. 27.
30 An Ruta comeſta habeat virtutem acuendi viſum. 305. 11.
31 Quarè Amaranthus dicitur immarceſcibilis. 309. 13.
32 Cur Abies eſt arbor alta,& recti ſtipitis. 314. 8.
33 Cur Jaſpis in argento poſitus maiores habet vires,quàm in auro ligatus. 274. 27.
34 Cur animalia ad tutandos pullos ſuos tam mirabiliter pugnant. 117. 13.
35 Undè inter crocum,& præcordia hominis tanta enaſcitur ſympathia. 291. 31.
36 Quà de causà duas Natura effinxit Irides, unam in nubibus,alteram in lapide. 281. 16.
37 Utrum Portenta ſint contrà Naturam. 155. 18.
38 Cur fontes,& lacus hyberno tempore calidiores fiunt. 350. 20.
39 Quarè retia magis hyeme, quam æſtate putredinem ſentiunt. 350. 20.
40 Utrum ab amatis oculis emittantur radii, quibus amantium corda vulnerantur. 352. 28.
41 An corpora nutriantur cibo malorum. 319. 2.
42 Undè eſt quòd Turris quamvis quandoque quadrata, à procul tamen videntibus exiſtimatur rotunda. 365. 28.
43 Quæ cauſa eſt,quod hidrargyron, id eſt, argentum vivum poſitum in ſuperficie plana non liqueſcit,nec adhæret tangenti. 270. 4.

Queſtiones variæ Theologicæ.

1 NUm Deus, qui eſt infinitè magnus, poſſit fieri magnus à Creaturis. 133. 4.
2 Quomodò dicitur Spiritus Sanctus extingui. 111. 27.
3 Cur dilectio dicitur dura ſicut Infernus. 118. 18.
4 Chriſtus cur octavo Calendas Aprilis, ideſt, die 25. Martii, conceptus. 261. 40.
5 Quarè Chriſtus voluit naſci tempore hyemali frigidiſſimo. 263. 51.
6 Quæ fuit cauſa, quod Chriſti mors inter omnes fuit exceſſiva, & pœnalis in dolore. 161. 47. & 164. 68.

7 Cur ter ab Eccleſia Agnus Dei in Miſſa cantatur. 187. 28.
8 Utrum Viatores poſſint videre Angelos in ſuà ſubſtantia. 147. 29.
9 Utrum Moyſes fuerit ſanctificatus in utero Matris. 153. 3.
10 Utrum Adam in ſtatu innocentię viderit Deum per eſſentiam ſaltem tranſeunter. 136. 19.
11 Utrum ſciri poſſit numerus Angelorum. 73. 20.
12 An Animæ Purgatorii ſint certificatæ de Gloria. 72. 14.
13 Cur Chriſma ſacrum conficitur ex oleo, & balſamo. 306. 17.
14 Undè in Beatis animæ dotes, & corporis proveniunt. 139. 34.
15 Quarè viſio Rubi dicitur magna. 295. 6.
16 Quid eſt,quod apud Iſraelitas non ſolvebatur quæſtio *Manuh*,quod ſignat,*Quid eſt hoc?* 244. 9.
17 Cur Deus Moyſi apparere voluit in Rubo. 295. 17.

Quæſtiones Theologicæ ad Dei Matrem pertinentes.

1 QUæritur, cur B. Virgo potiùs in Septembri,quàm in alio menſe eſt nata. 263. 30.
2. Utrum Beata Virgo meruerit concipere filium Dei. 195. 10.
3 An Beata Virgo dum erat viatrix viderit Angelos in ſua ſubſtantia. 147. 28.
4 Utrum Beata Virgo in ſtatu viæ viderit aliquãdò Divinam eſſentiam. 136. 20. & 147. 31.
5 Quarè Beata Virgo,cùm in paſſione filii,& morte,quaſi immenſo dolore repleta fuiſſet, non eſt mortua præ dolore. 68. 6.
6 Quomodò cor Virginis Matris in filii Paſſione ex compaſſione eſt emollitum. 281. 11.
7 Cur Beata Virgo in Litaniis Lauretanis ter invocatur. 300. 18
8 Qua de causà menſe Auguſto celebratur Aſſumptio Deiparæ ad Cœlos. 298. 9.
9 Quarè Eccleſia noluit definire: Utrum Beata Virgo ſolùm in anima,an in animà ſimul & corpore fuerit ad Cœlos aſſumpta. 301. 30.
10 Cur Maria dicitur Civitas Dei 145. 16.
11 Qua ratione intelligendum eſt illud, quod ab Angelo dictum eſt Mariæ: Inveniſti gratiam. 197. 23. &c.
12 Utrum Beata Virgo in mortali corpore potuerit ſinè miraculo ſuſtinere conſolationes à Filio dimanantes in ipſam. 112. 30.
13 Cur ab Eccleſia dicitur Maria, Regina miſericordiæ. 115. 5.
14 An Beata Virgo teneatur ſuccurrere peccatoribus. 107 25.
15 Quomodò poteſt eſſe, quod Maria Virgo omnes hæreſes interemiſſe dicatur. 105. 15. &c.
16 Utrum charitas Beatæ Virginis fuerit magis inceſſabilis, quàm charitas Seraphim. 129. 22.
17 Cur Beata Virgo dicitur Benedicta in mulieribus, & inter mulieres. 302. 35.
18 Quarè in Evangelio nulla miracula ſcripta ſunt facta à Dei Matre. 194. 4.
19 Utrum in Patria Mariæ Virginis pulchritudo, poſt ſpeciem humanitatis Chriſti, magis oblectabit oculos Beatorum. 271. 10.
20 Cur Maria dicitur Mater timoris. 107. 23.
21 Undenam Beata Virgo vocatur Illuminatrix. 105. 16.
22 Cur mors Beatæ Virginis fuit ſinè dolore, non autem mors Chriſti filii ſui. 164. 58.
23 Utrum Beata Virgo ſuſceperit Sacramenta peccatoribus inſtituta. 144. 12.
24 Quomodò Beata Virgo dicitur eſſe in medio. ſivè medii rationem habere. 307. 24. &c.
25 Quarè Deus Beatam Virginem præ cæteris, creaturis ſua gratia voluit adimplere. 289. 42.
26 An Gratia Mariæ collata fuerit immenſa. 219. 66.
27 An in ſtatu viæ charitatis actus fuerit in Virgine ſemper actualiter,& continuò. 146. 20.
28 Cur in feſto Purificationis portantur accenſæ Candelæ. 106. 20.
29 Quarè à Hieronymo Beata Virgo appellatur mulier quæſtuaria. 176. 39.
30 Quid eſt quod nonnunquam velocior eſt ſalus, invocato Mariæ nomine, quàm nomine Jeſu filii ſui. 352. 33.
31 Quarè in nomine *Maria* producitur media ſyllaba; & in vocabulo *maria*, quod ſignificat congregationes aquarum, media ſyllaba corripitur. 64. 14.
32 Quarè voluit Deus à muliere incipere noſtræ ſalutis exordium. 29. 3.

R

R Litera eſt typus charitatis. 20. 4.
Hieroglyphicum etiam timoris. 21. 3.
Raab laudata,& fidei merito in ſtemmate Redemptoris inſerta. 172 19.
Ejus elogium. ibid.
Figura fuit Eccleſiæ. 172. 20.
Excluſo peccato Deiparam figuravit. 172. 21.
Raben eſt lapillus rotundus, & mollis ſicut pupilla piſcis,qui in capite cancri invenitur. 276. 11.
Ex ſuis proprietatibus ſignificat Dei Matrem. ib.
Rachel pulchra ſinè faſtu. 185. 21.
Ejus elogium. ibid.
Optimè figuravit Mariam. 186. 22.
Interpretatur Ovis Dei 186. 24.
Vel: Viſum principium: Vel; videns Deum; aut munda.
Quæ omnia quadrant Deiparæ. 287. 29.
Radius eſt lucis effluxus à corpore luminoſo. 226. 25.
Ragau, ſivè Rehu interpretatur Paſcens, vel Paſtus: & quid ſignificat quò ad utramque interpretationem. 132 26.
Raguel interpretatur Paſtor Dei. Vel ægrotans Deo, vel, Paſcens Deum. Aut; Pabulum ejus Deus. 256. 23.
Quæ omnes interpretationes exponuntur ad Deiparæ laudes. ibid.
Ram, ſivè Ranni, ideſt, bolus Armenicus,eſt terræ vena, quæ habet virtutem conſtringendi ſanguinem, & ſignificat munditiam, & abſtinentiam, quæ omnes gulæ, & luxuriæ voluptates coercent. 289. 18.
Pulchrum Mariæ hieroglyphicum, de qua Cœ-

leſtes boli conficiuntur ad compeſcendum vitiorum fluxum. 290. 23.
Ramia decimum Ungariæ Regnum. 36. 1.
Ramia, & Maria tranſpoſitis literis idem ſunt. ibidem.
Rangifer dicitur ramifer, quia ad modum Cervi, ramoſum Cornuum nemus gerit in capite. 336. 14.
Pugnat cornibus contrà beſtias adverſantes. ibid.
In ipſo Deiparæ ſymbolum, quæ cornibus divinæ virtutis diabolicam poteſtatem contrivit. 336. 15.
Raphael cur interpretatur medicina Dei. 52. 12.
Rebecca à corporis, & animi pulchritudine laudatur. 178. 10.
Ejus Encomium. ibidem.
Deſponſata Iſaac fuit typus Mariæ deſponſatæ filio Dei. 179. 12. &c.
Pulcherrimum dedit pudicitiæ exemplum. 60. 2.
Interpretatur Patientia. 179. 14.
Reclinatorium Salomonis figuravit Beatiſſimam Virginem, in quà æternus, pacificuſque Salomon requievit. 385. 30. &c.
Rectum dicitur, cujus medium non exit ab extremis. 90. 17.
Vel Rectum propriè eſt, quod applicatum recto, undique tangit, & tangitur. 89. 14.
Tripliciter aliquid poteſt eſſe rectum, per lineam aſcendentem, per lineam deſcendentem, & per lineam tranſverſalem. 89. 15.
Refugium eſt Beata Virgo omnibus ad eam confugientibus. 104. 10.
Dicitur Civitas refugii. 104. 12.
Reginæ occurſu ſuo poſſunt liberare damnatos ad mortem. 116. 8.
Regiones aeris tres, & earum extenſio, atque temperamentum. 238. 21. &c.
Regula Lesbia quid ſit, & quid ſignificet. 355. 20.
Regulæ, quibus Creaturarum perfectiones explicantur, & accommodantur Dei Matri. 78. à num. 1. uſque ad finem.
Regulus, qui & Parra, quaſi avis parva, Italicè *Reatino*, ingenio, & ſolertia præſtans, humilitatem Beatæ Virginis adumbrat. 333. 21. &c.
Regum cadavera cremabantur in Amianto, ut eorum cineres ſervarentur. 289. 17.
Religio eſt virtus, quæ Deo debitum cultum, & reverentiam affert: & dividitur in actum Latriæ, Duliæ, & Obedientiæ. 120. 29.
Res interpretatur Sapientia. 7. 2. & 166. 2. & 373. 15.
Vel Paupertas. 7. 4.
Vel Primatus. 8. 9.
Vel Caput, ſive Primatus. ibid.
Reſina eſt lachryma ſudore exhalata lignorum. 300. 21.
Etymon ejus derivatur à Græco verbo reon, quod ſignificat quicquid manat. ibid.
Species ejus duæ, ſicca, & liquida. Sicca è Pinu, & Picea: liquida è Terebintho, Laricè, Lentiſco, & Cupreſſo fluit. 300. 22.
Variæ ejus differentiæ. ibid.
Adhibetur medendis plurimis morbis. 300. 23.
Significat gratias, & virtutes à Deiparæ arbore ad medelam ægritudinem animarum ſtillantes. 301. 24. &c.
Reſpicere, & videre quam diverſitatem inter ſe habent. 5. 4.
Reſpha laudatur à pietate in defunctos. 212. 35.
Propriiſſimè Deiparam ſignificat 212. 36.
Reſten eſt lapis, qui ſecundùm Avicennam invenitur in capite Cancri, aliquandò albus, & aliquando flavus. 285. 11.
Frigidus, & humidus eſt naturaliter. 285. 12.
Pollet medico vigore: & figurat innocentiam, temperantiam, & alias Virginis Beatiſſimæ virtutes. ibid.
Rete eſt ſilentii hieroglyphicum. 351. 21.
Symbolum etiam perſuaſionis ex divinis Literis. 351. 21.
Piſcium Capturæ adhibetur, & ſignificat Deiparam animarum piſcatricem. ibid.
Reticulum eſt fœminei capitis ornamentum, quod colligit comas, & eſt dictum ab eo, quod retinet crines, nè effundantur. 377. 20.
Sumitur etiam Reticulum prò Vittis, & Peplis, quæ operiunt ornamenta capitis muliebris. ibid.
Propriè eſt Reticulum aureum, textile, & implexum, complicandis capillis accommodum, ut præſtantia coloris excitet capillorum colorem. ibidem.
Significat in Beata Virgine legem diſciplinæ, timorem Dei, & dilectionem charitatis, quibus ipſa ornavit capillos ſuos, ſpiritales ſcilicet cogitationes, ſanctaſque meditationes. 377. 21.
Ricinium Latinè, Stola Græcè vocatur. 369. 11.
Dicitur etiam Mavors, quaſi Mars. ibid.
Eſt ſignum maritalis dignitatis, & poteſtatis. ibidem.
Hieroglyphicum pudoris matronalis probatur, eò quod ſit de Palliis fœminarum. 369. 12.
Symbolum præclarum verecundiæ virginalis Deiparæ noſtræ. 369. 13.
Signum quoque maritalis dignitatis, ac poteſtatis fuit in Maria, quia obumbrata, & protecta Altiſſimi virtute. 369. 16.
Roditis gemmea Roſa eſt: & ex eo nomen accepit. 272. 14.
Signat Beatam Virginem, quæ Gemmea Roſa, & Chriſtum pulcherrimam Roſam produxit. 273. 18.
Roma undè dicatur Alma. 113. 34.
Ejus elogia. 389. 15.
Eſt Petri ſedes. 389. 17.
Mauſolæum exuviarum Petri, & Pauli. 389. 18.
Interpretatur robur, ſublimitas, & celſitudo. 390. 21.
Varia ejus etyma. 390. 22.
Antiquitùs Valentia vocabatur. ibid.
Amor, & mora dicitur duplici anagrammate puriſſimo. 390. 23.
Septem collibus coronata, & munita. 390. 24.
Ejus encomia ad Dei Matrem relata. 390. 25.
Pulcherrimum eſt Deiparæ hieroglyphicum. 291. 27.
Prærogativæ Romæ potiores Dei Matrem honorant. 391. 28. &c.
Inter Romam, & Beatam Virginem comparatio. 291. 29.

Ro-

Romæ, & Deiparæ ſimilitudo. 291. 31.
Roma apud veteres vocabatur Pambaſilea. 389. 21.
Romani Diis ſuperis Ianuarium, & Diis inferis Februarium conſecrabant. 253. 2.
Roſa deſcribitur. 314. 10.
Eſt hiroglyphicum laudatiſſimi Viri. 398. 26.
Græcè Roſa dicitur Rhodos à Retin, quod eſt fluere, eo quod diſſluat redundantià odoris. 314. 11.
Odore ſuo ſordentem Scarabæum necat. ibidem.
Eius encomia, & epiteta. 314. 12. &c.
A Roſa, Rododactylos, ideſt, roſeis digitis decora, nuncupatur Aurora. 315. 14.
Ob inſignem Floris elegantiam, gratiis erat Sacra. ibidem.
Ex fragrantia ſua ſignificat Sapientiam. 314. 21.
Eſt Martyrii hieroglyphicum. ibid.
Symbolum quoque, & corona Virginitatis. ibidem.
Virtutes, propretates, & ſignificationes figurativas Sanctiſſimæ Dei Genitricis habes. 315. à num. 5. uſque ad finem.
Roſæ Ierichuntinæ ſpecioſiſſimæ, quæ nocte Natalis Domini ſeſe aperire, & poſteà ſe concludere dicuntur, in teſtimonium Virginei partus. 392. 33.
Roſæ Chinenſis pulchritudo, & admirabilis natura deſcribitur. 392. 35.
Roſa Beatæ Virginis Mariæ quænam ſit. 392. 36.
Beata Roſa Limenſis ex vultu infantis in roſæ effigiem transfigurato ſic vocata. 398. 25
S. Roſæ Viterbienſis corpus incorruptum, atque flexibile. 398. 26.
Roſula ſub Valeriano Imperatore glorioſum obiit martyrium. ibidem.
Roſurella eſt animal roſei coloris in dorſo, & odoriferum valdè. Viſus hominum fugit, &c. 324. 10.
Optimè figurat Virginis ſolitudinem, charitatem, & alia animi decoramenta. 324. 11.
Ros eſt impreſſio aeris, quæ gignitur ex cœleſti virtute, & ad terras inſenſibiliter deſcendens, irrigat, & nutrit herbas, & plantas. 246. 18.
Generatur in aeris interſtitio temperatè calido, & temperatè frigido. 246. 22.
Significat Beatam Virginem, quæ in utero Matris Annæ virtute cœleſti, & per miraculum fuit genita. 247. 25.
Dicitur etiam Mater roris, ideſt, divinæ gratiæ. 248. 26.
Ros lucis dicitur Chriſtus, quia fœcundat affectum inquantum ros, & intellectum illuminat inquantum lucis. 248. 30.
Rota eſt hieroglyphicum Divinitatis. 18. 5.
Et ſymbolum Dei Genitricis. 18. 14.
Rota Ezechielis, quæ quatuor facies habebat, Beatam Virginem ſignificabat, quæ habuit quatuor virtutes. ſecundum quas vita activa regitur. 363. 15.
Figurat Virginis terribilitatem contrà dæmones: quia ſicut Leones terrentur, quando audiunt ſtrepitum rotarum; ità dæmones fugiunt, cum audiunt invocari hanc rotam divinam 363. 16.
Rota in medio Rotæ eſt Verbum incarnatum in utero Virginis. 363. 17.
In hac Verbi Rota auditur vox tonitrui Paterni ibidem.
Rotæ Ezechielis potentias animæ repræſentant.
Rhamnus eſt arbor parva, dura, & ſpinoſa, quę etiam habet folia ſpinis acutiſſimis circunſepta. 310. 15.
Quanto plus creſcit, & ſeneſcit, tantò in acutiorem aculeum indureſcit. ibidem.
Significat Tyrannos, & detractores, qui quanto plus vivunt, & antiquantur, eò ipſo in ipſis vitiorum ſpinæ duriores efficiuntur. ibid.
Dicitur eſſe igneæ naturæ, ita ut folia eius, & rami propter ſiccitatem in calidis regionibus ad ſolis repercuſſionem concipiant ignem, quo ſeipſos, & proximas Silvas incendunt. 310. 16.
Figurat iracundos, & impatienies, qui ſeipſos operibus crudelibus, & proximos incendunt. ibid.
Rhamnus in bonam partem ex oppoſitis eſt Beata Virgo. 310. 16.
Significatur per Rhamnum, quem ligna petierunt in Regem. 315. 17.
Rhenus amni s Bononienſis calamos ſagittis aptiſſimos producit. 302. 26.
Rhetorica eſt ars bene dicendi. 340. 11.
Tota vis eius in eloquentia. ibid.
Rhetorica Beatiſſimæ Virginis eximia: nam in omnes formas ad efficaciter perſuadendum ſe mutat. 340. 12.
Rhetorica lachrymarum efficaciſſima. 44. 23.
Rhinoceros, qui & unicornis, eo quod unicum cornu habeat in fronte, eſt bellua fortiſſima, quæ nullo ingenio capi poteſt. 327. 9.
Eius venatio fit per puellam Virginem decoram, & pulchram, cuius pulchritudine captus capitur à Venatoribus. ibidem.
Eſt Chriſti hieroglyphicum, qui ultrò puellari pulchritudini Virginis Marię captivum ſe dedit. 327. 10.
Rhode Puella, quę Petro è catenis per Angelum erepto, oſtium aperuit ianuæ, interpretatur viſio fortitudinis. 398. 24.
Vel fortè veriùs Rhode dicitur à Roſa. ibidem.
Rhode hęc, quæ Roſulia dicta eſt, in Sardinia martyrium paſſa eſt in perſecutione Traiani. 398. 26.
Rhodus famoſa portentis. 397. 17.
Solis Coloſſo miræ magnitudinis, centumque aliis Coloſſis minoribus illuſtrata. 397. 18.
Eius deſcriptio, potentia, peritia in legibus, & re nautica deſcribitur. 398. 22.
Rhodi nulla dies, in qua Sol non conſpiciatur. ibidem.
Etymologiam Nominis à capulo Roſæ invento aliqui derivant, alii à Rhodia puella ab Apolline adamata. ibidem.
Rhodum auro complutam aſſeruit Pindarus. 398. 23.

Rho-

Rhodum alii dictam putant à Roos, ideſt, fluxu vertentis Pelagi. 398. 24.
Ruben interpretatur videns filium, vel filius viſionis, & ſignificat Deiparam, quæ jure merito Filia viſionis vocari poteſt. 147. 27.
Rubinus an ſit idem quod Carbunculus: 281 12.
Rubus ardens, & non combuſtus, Mariam præfigurabat, vel eius conceptum. 295. 16.
Rubus eſt arbor parvula: aſpera; viridis; florida; odorifera; & ſpinoſa. 295. 8.
His qualitatibus pulchrum exhibet Mariæ hieroglyphicum. ibid.
Rubus ſecundum Iſidorum eſt quædam arbuſcula, quæ Gallicè vocatur Botomer, & dicitur Rubus, quia fructus, vel virgultum rubet 295. 17.
Rubus generaliter eſt nomen ſpinarum, & veprium, in particulari tamen eſt frutex ferens agreſtia mora. 295. 19.
Deſignat Virum perfectum. 296. 20.
Eſt ſymbolum Crucis. ibidem.
Rupes ex naturali altitudine ſignificant altiſſimam Deiparæ contemplationem, vel eminentiam eius ſanctitatis. 267. 15.
Emittunt quandoque fontes, & continent gemmas, & metalla: & figurant Beatam Virginem, à quà fluenta gratiarum, virtutum gemmæ, & meritorum metalla. ibid.
Sunt loca alta, & tuta, & caſtris ædificandis aptas: & Deipara fuit Rupes à vitiis, & tentationibus tuta. ibid.
Rupes ſunt fortiſſima naturæ repagula, in quibus franguntur impetus procellarum: & Deipara iuxtà Crucem fuit tanquam Rupes immota, in qua fluctus dolorum fracti. 267. 16.
Ruſcus inter myrtos ſilveſtres refertur. 320. 9.
Emittit folia gladio acuto ſimilia, & quaſdam baccas corallino, rubentique colore perfuſas. ibid.
Eius radix variis ægritudinibus medendis adhibetur. ibidem.
Ruſcus aculeatus Deipara, quæ cuſpide gratiæ præmunita diabolum vulneravit. 320. 10.
Ruta dicta, quod ſit ferventiſſima. 304. 8.
Ponitur inter olera odorata. ibid.
Satio eius, & cultura. 304. 9.
Manducata acuit viſum. 305. 11.
Odore fugat ſerpentes. ibid.
Comeſta generat Caſtitatem. ibid.
Obviatur veneno. 304. 8. &. 305. 11.
Deiparam repręſentat. 304. 10. & 305. 11.
Ruth mulierum flos, de cuius ſtirpe prognatus flos campi, liliumque Convallium. 196. 19.
Tanquam Ceres ſpiceà corona eſt donata. ibidem.
Eius geſta in elogio commendata. 197. 19.
Figuravit Eccleſiam ex Gentilitate collectam. 197. 20.
Virtutes, gratias, & acta Deiparæ ſignificavit. 197. 21. &c.
Interpretatur Videns, vel Feſtinans, quo ſignavit Mariam in contemplatione videntem, & in actione feſtinantem. 298. 25.

S

SAba ingrediens Ieruſalem typus Beatæ Virginis in ſua Aſſumptione Cœlum ingredientis. 134. 11.
Interpretatnr clamor, & figurat Deiparam prò nobis intercedentem. ibid.
Sabellius hæreticus in SS. Trinitatem blaſphemus. 105. 15.
Sagitta ſignificat Deiparæ verba, & conſilia, quibus ſagittat hominum corda ad amorem Dei. 352. 27.
Sagittis ſuis ſalubriter ferit peccatores, eoſque ad pœnitentiam compungit. 352. 29.
Sagitta ſymbolicè figurat celeritatem ſuppetiarum, quas Deipara hominibus affert. 352. 30.
Armenii Sagittam vocant Tigrin.
A Sagittarum pernicitate Itali formaverunt verbum *Affrezzare*, ex quo ſagittam *frezzam* appellant. 352. 31.
In ſagittis Apoſtoli qui perniciſſimo volatu orbem terræ peragrarunt, figurati. 352. 31.
Sal Dei ſapientiæ typus. 64. 2.
Saliunca cur dicatur à ſaliendo. 273. 17.
Sanctimonialis quædam Principi amanti erutos oculos miſit, ſcribens: Eccè ſagittæ, quæ cor tuum ſauciarunt. 351. 22.
Sanctus dicitur Domino dicatus. 114. 41.
Interpretatur mundus.
Vel Agios, ideſt, ſinè terra.
Aut ſanguine tactus.
Vel ſanguine tinctus. ibidem.
Sanir interpretatur fœtor, & qua de cauſa. 100. 38.
Vel avis nocturna, & quid deſignat. 73. 18.
Sapor plura ſymbola præfert. 81. 14.
Sapphyrus eſt gemma, in cuius venis naſcitur Carbuculus: & ſignificat Deiparam, in cuius viſceribus inventus eſt Carbunculus Dei filius per Incarnationem. 281. 15.
Sara interpretatur Princeps, vel Carbo: & hoc in figura Beatæ Virginis. 99. 36.
Sarug interpretatur perfectio, & interpretationis ratio aſſignatur. 137. 26.
Saturnus ab Aſtrologis dicitur Planeta malevolus. 224. 13.
Scala Iacob typicè eſt Maria. 222. 4.
Scala Creaturarum, in quibus Beata Virgo figuratur. 76. ab initio uſque ad finem.
Scapulare Parthenium Carmelitarum comparatur Aaronis Poderi. 156. 19. &c.
Eſt ſignum ſalis. 172. 13.
Eius mirabilia recenſentur. 156. 19. &c.
Singularia eius prodigia in Amianto expreſſa. 289. 17.
Schola Divinæ ſapientiæ, ubi. 101. 28.
Schopar hebraicè, Corneum Latinè. 259. 32
Scipio cur dictus Aſiaticus, & Africanus. 45. 2.

Sco-

Scopulus dicitur à ſcopin, quod eſt ſpeculari. 267. 16.
Scutum eſt fidei hieroglyphicum. 307. 23.
Quia ad modum ſcuti tres angulos habet, ideſt, tres principales articulos, quibus credit Sanctam Trinitatem. ibid.
Vel quia ad modum ſcuti defertur in lęva, ideſt, in in vita præſenti. ibid.
Scyllacium Urbs maritima deſcripta.
Sebaſtianus Luſitaniæ Rex vovit ſe ſubditis conceſſurum quidquid ob quinque Chriſti vulnera flagitarent. 41. 13.
September eſt menſis abundantiæ. 263. 51.
Apud Judæos erat menſis totus ſolemnis ex dierum ſolemnitate feſtorum, quos celebrabant. 263. 52.
Significat Beatam Virginem, que nobis attulit maximum feſtum. ibid.
Dicitur ſeptember à numero, & imbre: quia ſeptimus eſt à Martio, & imbres habet. 253. 2.
Serafim ſunt octo proprietates. Mobile. Inceſſabile. Calidum. Acutum. Superfervidum. Intenta. Intima. Inflexibilis. 129. 21.
Sicli quinque antiqui erant typus quinque vulneum Chriſti. 196. 15.
Item hieroglyphicum quinque ſenſuum. ibidem.
Signum datum nobis à Deo fuit Beata Virgo concipiens, & pariens Dei filium. 113. 34.
Signum iſtud fuit ſuprà naturam, quia Virgo ſinè virili ſemine concepit. Contrà naturam, quia ad hoc non pertingit natura, ut Virgo concipiat, & pariat, integritate ſervata. 113. 35.
Signum pacis & miſericordiæ; indulgentiæ, & gratiæ, & gloriæ Beata Virgo. 113. 40.
Silentium figuratur in auro. 271. 11.
Silentii hieroglyphicum habetur in piſcibus. 350. 21.
Silex eſt hieroglyphicum fortitudinis. 227.
Simila, candidiſſima farina, humanitatem Chriſti deſignat. 243. 5.
Simon Stochius à B. Virgine accepit ſcapulare Carmelitarum Inſigne. 156. 19.
Singularitas præexcellens in Beata Virgine eſt, quod ſit Mater, & Virgo: fœcunda, & intacta 266. 11.
Siſara interpretatur excluſio gaudii, & ſignificat diabolum. 180. 18.
Sixtus IV. reduxit Iubilæum ad 25. quemque anum. 260. 36.
Sol Chriſti typus. 32. 3.
Figura Virginis. 86. 8.
Hieroglyphicum Sapientiæ. 224. 12.
Peritiſſimus Apelles. 50. 1.
Solis deſcriptio, encomia, & proprietates. 228. 32.
Ex Etymo dicitur Sol, quaſi ſua omnibus largiens. 229. 37
Vel Sol quaſi ſurſum levans. 229. 38.
Vel ſol quaſi ſolus lucens. 229. 39.
Sol unus in univerſitate boni. 230. 40.
Solitudo mentis divinas meretur conſolationes. 111 25.
Sonus muſicus, gravis, acutus, & ſuperacutus. 81. 15.
Species Superior continet perfectiones inferiorioris ſpeciei. 76. 1.
Species, ideſt, venuſtas Deiparæ quanta fuerit. 153. 7.
Spes cur ex etymo dicatur quaſi pes. 48. 1.
Spina Mater eſt florum. 167. 7.
Spinæ ſunt omnes peccatores. 298. 4.
Spinæ vitiorum quà ratione in roſas, & flores virtutum convertuntur. 272. 17.
Spiritus Sanctus in Divinis eſt terminus Divinarum Proceſſionum. 3. 6.
Eſt Amor igneus. 4. 8.
Eſt flammea ſagitta. ibid.
Spiritus Paraclitus datur principaliter in ſacro chriſmate. 306. 17.
Sportula iuncea Pueri Ieſu ubi aſſervatur, & colitur. 175. 37.
Spuma argenti habet multas medicinales virtutes. 274. 27.
Statera figura Crucis. 298. 5.
Statua fortitudinis in Deipara ſtante iuxta Crucem exculpta. 206. 16
Statua Deiparæ Lauretanæ, ſcalpello Lucæ ſculpta, deſcripta, & geſtis præclaris ejuſdem Deiparæ compta. 206. &c.
Stephanus Prothomartyr inſigni pręconio commendatus. 31. 1.
Stellæ deſcriptæ. 53. 1.
Stella Maria, que peperit Chriſtum Solem. 53. 2.
Cur Maria comparetur Stellæ. 53. 2. &c.
Stella matutina eſt Maria. 56. 1. &c.
Stellæ comparatur Deipara ob varias rationes. 54. &c.
Stella regia dicitur Maria. 58. 1. &c.
Stella Maris Maria vocatur. 59. &c.
Stragula dicitur à ſtragos, quod interpretatur talus, vel varium: & eſt veſtis talaris, quæ ſignificat perſeverantiam in bono. 376. 12.
Stragulata dicitur quaſi triangulata: hoc eſt trium angulorum, qui in ſenſu ſpritali ſunt, animi devotio, proximi compaſſio, & carnis mortificatio. 377. 14.
Vel tres anguli, laus Dei, utilitas ſui, & exemplum proximi. ibid.
Stragulata veſtis figurat in Deipara varietatem donorum, & gratiarum, operationum, virtutum, & graduum. 377. 15.
Stultus antonomaſticè vocatur Peccator. 178. 8.
Succus Croci, eiuſque flos ebrietati, & temulentiæ reſiſtit. 266. 10.
Sunamitis interpretatur Coccinea. 65. 5.
Vel mortificata, & beneficiata. 182. col. 1.
Vel deſpecta. 192. 57.
Superbia fnit occaſio hæræſum. 155. 14.
Superbus antonomaſticè intelligitur diabolus 180. 21.
Syllabæ ſacratiſſimi Nominis Mariæ quam efficaces. 21. 1.
Syria interpratatur Ara vel Hùmecta: aut ſublimis; vel ſublimitas. & quid deſignat. 193. 42.

T

TEgula ex arundinibus. 311. 25.
Terra Deiparæ hieroglyphicum. 289. 20.

Eſt

Eſt centrum mundi. 233. 64.
Dicitur ſolum quaſi ſolidum elementum. 231.6.
Eſt Mater fœcunditatis. 235. 7.
Appellatur Orbis terræ. 235. 4.
Terra arida cordis indevoti typus: irrigua verò hieroglyphicum mentis devotæ. 185. 20.
Terra ſemper virens fuit Beata Virgo. 186. 25.
Terra aliter dicitur quia teritur. 236. 9.
Humus vocatur ab humido mari, cui coniungitur. ibid.
Tellus appellatur, quia fructus eius tollimus. ibid.
Ops dicitur, quia frugibus opem fert. ibidem.
Vocatur Arida, quia araturæ, & culturæ eſt apta: vel quia ariditate, & ſiccitate propria diſtinſta eſt ab aqua. ibid.
Teſſeracoſton quid interpretetur. 17. 7.
Tecuitis fuit mulier prudens. 97. 29.
Teodolinda Regina fundavit Eccleſiam inſignem Sancti Ioannis Baptiſtæ Modoetiæ, eamque plurimis Reliquis, theſauriſque dotavit. 175. 37.
Theophilus à diaboli captivitate per Deiparam liberatus. 101. 43.
Theſſali coronas amaranthinas primi omnium invenerunt. 309. 13.
Thorax Amaſis Regis Ægypti ferarum figuris, & venationibus intertextus. 156. 21.
Thronus divinæ miſericordiæ eſt Maria. 115. 2.
Throni Angelici ſex proprietatibus decorantur. Prima eſt Celſitudo. Secunda, Regis circundatio. Tertia, ſtabilis Collocatio. Quarta, regni ſuſceptio. Quinta Regis delatio. Sexta, familiaris apertio. 128. 8.
Thus fragrans deſignat odorem Dominicæ Reſurrectionis. 109. 10.
Tiara Pontificis, in qua ſculptum Sanctum Domini, figuravit Daiparam 189. 38.
Tibia clauda undè dicitur clauda. 90. 18.
Timor Dei fœcundat animam bonis operibus. 288. 35.
Tineæ ſucco mentæ pelluntur. 303. 3.
Titulus Dominicæ Crucis cur tribus Linguis, Hebraicà ſcilicet, Grecà, & Latinà ſcriptus. 2. 1.
Titus Petronius conſularis trullam murrhinam fregit invidia Neronis. 278. 2.
Traianus Imperator in Venatione deſcriptus. 348. 1.
Trutina pulcherrimũ præbet humilitatis hieroglyphicum. 142. 46.
Tuba Neomenia in ſcripturis memorata quid ſignificabat. 255. 13.
Tubæ, quibus Iudæi antiquitus perſonabant in Iubilæo, ex qua materia erant fabrefactæ. 259. 31.
Tumulus Achillis quotannis Amaranto ſolitus coronari. 309. 13.
Turris ex proprio etymo dicitur quaſi teres, ideſt, rotunda cum proceritate. 365. 28.
In Turri bellica ſingulares prærogativæ, & virtutes Beatiſſimæ Virginis ad defenſionem noſtram exprimuntur. 365. à num. 29. uſque ad finem.
Tympanum eſt macerationis corporis hieroglyphicum. 170. col. 1.
Tyrus interpretatur anguſtia. 99. 44.

V

VBera ab ubertate ſunt dicta. 157. 27.
Velum lineum à Beata Virgine acu pictum Modoetiæ magna cum veneratione aſſervatur, & colitur; 175. 37.
Vellus Gedeonicum cur dicatur Mariȩ typus 247. 23.
Vena vitæ eſt Deipara. 289. 19.
Venus Planeta dicitur hieroglyphicum puritatis. 224. 1.
Venus amoris Dea in habitu Venatricis deſcripta, 348. 2.
Ver, iucundior anni pars: undè ſerenitas Vernalis dicitur riſus Iovis. 261. 39.
Veris, & hyemis ſpecioſum Certamen. 260. 37.
Verbum Incarnatum eſt liber, in quo tota vita Chriſtiana, & Evangelica eſt depicta. 188. 36.
Vermis corrodens impios eſt Chriſtus. 244. 8.
Veſtes fœminarum nimio abundant luxu in odoramentis, & in coloribus. 376. 8. &c.
Deſcribuntur ſpecies colorum, quibus veſtes muliebres tinguntur ad luxum. 376. 9.
Viæ Domini miſericordia, & veritas. 154. 10.
Vienna Auſtriæ à barbaris, & penè innumeris Turcarum aciebus obſeſſa, & ope, & patrocinio Deiparæ, profligatis barbarorum caſtris, ab obſidione liberata. 366. 42.
Vinum ex quo evadit acetum. 159. 38.
Violæ deſcriptȩ. 305. 12
Viola, lȩta prænuncia Veris. 306. 20.
Pulchrè eius proprietates Deiparæ virtutes adumbrant. 306. 21.
Ex proprio etymo Viola dicitur à vi odoris. 306. 20.
Unio (ſcilicet margarita) dicitur eo quod unus tantum, & nunquam duo ſimul reperiantur. 275. 5.
Unitas eſt humilitatis ſymbolum. 17. 11.
Unum eſt maximè neceſſarium, quod eſt ſoli Deo vacare. 194. 3.
Virga triplex: Piſcatoria; Venatoria: Et quæ ſervit agriculturæ. 350. 15.
Virga hieroglyphicum Deiparæ. 19. 16.
Virga Aaronis florens miraculosè typus Beatæ Dei Matris. 155. 15.
Viridiarum amœnum deſcriptum. 177. 1.
Viriditas ſymbolum honeſtatis, & ſpei. 265. 4.
Virtutes Angelicæ tres habent proprietates, ſcilicet incommutabilem virilitatem: nullius imbecillitatis tarditatem: & ad inferiores largitatem. 126. 11.
Virtutes Babylonicæ fictæ, non veræ: & quæ ſint. 400. 37.
Viſcus, quo capiuntur aves, pulchrum Chriſti hieroglyphicum. 350. 18.
Viſio Rubi quare dicatur magna. 295.6.
Viſio intellectualis eſt excellentior viſione corporali. 147. 28.

Vita eſt triplex: Naturæ: Gratiæ: & Gloriæ. 35.9.
Vita humana ſub metaphorà maris deſcripta. 47.1.
Vita hominis tanquàm muſica quædam. 339. 7.
Vita Contemplativa per Mandragoram figurata. 293. 6.
Vita, actus, & geſta Beatiſſimæ Virginis in Scripturis Sacris figurata. 84. à num. 16. uſque ad finem.
Vitrum ſymbolum humilitatis habetur. 271. 8.
Unda dicitur undè omnia. 37. 5.
Unguentum optimè ſervatur in alabaſtro. 266. 13.
Repræſentat Gratiam hieroglyphicè. 266. 14.
Vnicornis Latinè, Græcè Monoceros dicitur, eò quod unum cornu habet in capite medio. 327. 11.
Capitur ab inſidiatoribus in Puellæ gremio dormiens. ibid.
Eſt figura Chriſti, qui in uterum Virginis deſcendens per carnem ex eà ſumptam captus fuit à Judæis, & morte Crucis damnatus. 327. 12.
Vrbs ab orbe vocata. 145. 15.
Vrſa cœleſtis magneti virtutem trahendi ferrum impertit. 287. 4.
Vrtica eſt concupiſcentiæ hieroglyphicum. 273. 17.
Vulnera quinque Chriſti ſunt quinque characteres Redemptionis noſtræ. 42. 14.
Vulpes amygdalas comedendo moriuntur, in ſignificationem eorum qui indignè ſuſcipiunt Dominici corporis, & ſanguinis Sacramentum. 295. 14.
Vxor importuna, & mala eſt aculeus criminoſæ conſcientiæ. 110. 18.

X

XEnophon ſcripſit Cyripedian. 144. 13.

Z

ZEno Philoſophus dari motum negabat. 43. 23.

INDEX PARTHENIUS

Brevi epitome complectens Excellentias, Prærogativas, Hieroglyphica, Virtutes, Laudes, & Feſtivitates Beatiſſimæ Dei Matris Virginis Mariæ.

MARIÆ NOMEN.

DE theſauro divinitatis evolvitur. 3. 2.
Æmulum Nominis Jeſu. 2. 2.
Æmulum Nominis Tetragrammaton. ibidem.
Datum eſt ei à totâ Trinitate. 45. 4.
Eſt Prophetiæ germanum. 201. 38.
Quædam incantatio ſpiritualis. 42. 18.
Nomen gratioſum. 64. 24.
Nomen ſuaviſſimum. 24. 6.
Totum floridum. 168. 1.
Peccatoris refugium. 21. 4.
Cur habeat ſecundam ſyllabam productam. 64. 14.
Cætera vide pag. 39. uſque ad 43.

Eius Etymologia.

MAria idem quod exaltata, & excelſa. 169. 3.

Eius Interpretatio.

MAria interpretatur Deus ex genere meo. 45.
Doctrix, & magiſtra maris. 47.
Myrrha maris. ibid.
Spes. 48.
Illuminata. 50.
Illuminatrix. 51.
Stella. 53.
Stella maris. 59.
Mare. 62.
Amarum mare. 64.
Domina. 70.

Conceptio Virginis.

MAriæ fœtus non fuit abortivus, ſed maximè vivus vitâ gratiæ, à primo ſuæ Conceptionis inſtanti. 92. 27.
Fuit concepta in originali juſtitia. 135. 15.
Ejus nobilitas, & immunitas fuit originalis. 27. 5.
Fuit tanquam aqua Oceani ſinè maledictione, ideſt, ſinè culpâ originali. 37. 4.
Tota tincta divino ſanguine Agni, & ideò immaculata. 28. 8.
Tota fuit Angelica in carne ſinè vitiis carnis. 135. 15.
Semper fuit libera, & libertas. 192. 55.
Mariæ Nomen ſemper triumphale, nunquàm ſervile. 169. 7.
In Maria tanquam in Diametro Dei tria ſunt inſtantia vitæ. Primum, ultimum, & medium. In medio (hoc eſt totâ vitâ) fuit in corde Dei. In primo, ideſt, in ipsâ conceptione fuit apud Deum. In ultimo, hoc eſt, in tranſitu, & aſſumptione fuit apud Deum. 38. 3.

Nativitas Virginis.

PRæſagia de ejus qualitatibus. 104. 10.
Fuit riſus Univerſi, & roſa ſuaviſſimi odoris. 148. 34.
Parentum ſuorum lætitia. 149. 42.
Sex mirabilia in ipsâ facta fuerunt. 91. 21.
Expreſſit proprietates Stellæ matutinæ. 57. 3. &c.
Reſplenduit tanquam Stella maris. 62. 1.

Præſentatio ad Templum.

EGreditur de domo paterna. 145. 20.
Quibus virtutibus comitata fuerit. 146. 23.
Templum ingreditur. 145. 20.
Eius converſatio, mores, & occupationes in templo. 175. 34. 35.

Deſponſatio cum Ioſeph Sponſo ſuo.

VIde Tomum 4. de Interpretatione verbo *Deſponſata.*

Annunciatio.

GAbriel Angelus Dei Legatus defert ad B. Virginem epiſtolam Trinitatis, in qua erat ſalutatio ad ipsã, & decretũ Incarnationis Verbi. 3. 1
Fuit deſponſata Deo tanquã Rebecca Iſaac. 179. 13
Pulchritudine ſua de Cœlis Unicornem Dei filium ad terras attraxit. 328. 15.
Dalila nova fortiſſimum ligavit Samſonem. 328. 17.

Puerperium.

PEregrinatur à Nazareth ad Bethleem. 332. 13.
Parit filium ſuum in Porticu, & in incommomodis maximæ pauperitatis. 332. 18.
Reclinat eum in præſepio. 333. 20.

Purificatio.

PUrificationis myſterium commendavit. 17. 7.
Obediendi dedit exemplum. ibid.
Quantum ſe dimiſit, ut legem adimpleret. 121. 36
Dedit nobis filium ſuum in triplex donũ. 25. 2. &c.
Adimplens Purificationis legem, omnes extinxit hæreſes. 105. 13. &c.

Viſitatio ad Eliſabeth.

ABiit cum feſtinatione tribus de cauſis. 35. 4.
Fuit Cythara, quæ excitavit à ſomno ignorantiæ, & ſanctificavit Ioannem in utero Matris. 140. 37.
Cythariſtia magna, quæ Deum magnificavit. 141. 42.

Geminæ Lyræ conſonantes Maria, & Eliſabeth. 140. 39.

Aſſumptio ad Cœlos.

EIus aſſumptio certat in admirabilitate cum filii Dei generatione. 267. 16.
Arca Deifera ad Cœlos evecta. 358. 31.
Aſſumpta cum honorabili ſocietate. 138. 28.
Cum ineffabili jucunditate. 138. 29.
Cum mirabili claritate. 138. 30.
Cum terribili poteſtate. 138. 31.
Non ſolùm quantum ad corpus, ſed etiam quantum ad animam glorificata. 138. 32. & 139. 33. &c.
Super omnes Cœlos exaltata. 223. à num. 9. uſque ad 13.

Mariæ corpus, & eius membra.

FIſionomia Parthenii corporis. 175. 34.
Caro ejus erat quodammodò ſpiritualis. 113 30.
Collum monilibus virtutum decenter ornatum. 375. 6. & 376. 7.
Collum etiam, quia in fideles gratiam Dei transfundit.
Cor fuit Tabula Divini Pictoris. 277. 16.
Fuit Pharetra plena ſagittis amoris. 352. 27.
Lac Virgineum verum, ſed miraculoſo modo înfuſum. 157. 24.
Decoctum dupliciter ab igne Spiritus Sancti. 173. 26.
Fuit maximè ſaporoſum. ibid.
Manus Beatæ Virginis ſunt Dei manus. 10. 5.
Salvant fideles. ibid.
Continent Prædeſtinatorum ſtellas. ibid.
Producunt quinque Gratiarum effectus in hominibus juſtis. 11. 6.
Dicuntur tornatiles. 11. 7.
Aureæ ſunt. ibidem.
Significant ejus poteſtatem, & dominium. 11. 8. &c.
Oculi Mariæ pulcherrimi. 12. 2.
Comparantur Piſcinis. 12. 3.
Sunt gratioſi. 13. 4.
Sunt flammei. 14. 10.
Lucis fontes. 14. 11.
Efficaces, mirabiles, & amabiles. 15. 16.
Arcus, & ſagittæ amoris. 352. 29.
Vulneraverunt cor Dei. 13. 16. & 328. 15. & 351. 23
Sunt oculi columbarum. 194. 5. &c.
Pedes auri fulgore nitebant. 326. 5.
Genæ purpureæ ob verecundiam virginalem. 316. 20.
Et propter ruborem naturalem. 319. 5.
Labia favus diſtillans. 191. 51.
Lingua eius, lingua Eucharis. 340. 15.
Lingua curationis, mitigationis, & miſericordiæ. ib.
Roſa loquens. 318. 33.
Ubera Virginis Virginea. 157. 27.
Aſſimilantur botris. 157. 28.
Sunt Phialæ butyri. 157. 29.
Gemellis hinnulis comparantur. ibid.
Beata dicuntur. 158. 32.
Effundunt nobis dulcedinem, & conſolationem. 138. 32.
Uterus ejus Clypeus aureus. 271. 9.
Paradiſus. 136. 21.
Achates, in quo pictus, id eſt, Incarnatus Dei filius. 277. 16.
Locus voluptatis Dei. 202. 45.
Acervus tritici. 263. 51.
Thalamus picturatus: coloribus virtutum diſtinctus, & imaginibus decoratus. 202. 44.
Pulchritudo corporalis Mariæ quanta fuerit. 150. 10.
Harmonia membrorum Deiparæ mirabilis, & excellentiſſima. 154. 12.
Venuſtas ſpiritualis in Beata Virgine quàm ſuperexcellens, & decora. 153. 7. &c.

Hieroglyphica Mariæ Dei Matris.

ABies. 314. 8. &c.
Achates. 277. 16. &c.
Aculeus. 349. 9.
Acus. 368. 8. &c.
Adamas. 280. 8. &c.
Aer. 237. 15. &c.
Aeriophilon. 334. 26.
Ager floribus picturatus. 165. 1.
Agnocaſtus. 297. 27.
A Lauda. 325. 15. &c.
Alabaſtrum. 266. 14.
Alcion. 232. 12.
Allectoria. 76. 10.
Alexandria. 388. 11.
Altare. 36. 2.
Amaranthus. 310. 14.
Ambroſia. 320. 8.
Amethyſtus. 282. 24.
Amiantos. 289. 16.
Amomum. 239. 11.
Amuſſis. 376. 27.
Amygdalus. 293. 8.
Anchora. 360. 49.
Androdamantus. 291. 32.
Anemona. 318. 35.
Anetum. 304. 7.
Anſer. 337. 22.
Anſolemes. 329. 25.
Antiochia. 393. 42.
Annulus. 372. 34.
Anni corona. 257. 17.
Annus coronatus. 257. 20.
Annus Jubilæus. 259. 34.
Apis. 324. 8.
Apollonia. 402. 50.
Aqua. 240. 31. &c.
Aquæductus. 362. 8.
Aquila. 186. 26.
Ara. 34. 2. & 35. 6.
Arbor Solis. 184. 16.
Arca Moſaica. 19. 16. & 384. 25.
Arca fœderis. 124.
Arcus Cœleſtis. 249. 35.
Arcus venatorius. 352. 27.
Argentum. 274. 25.
Armilla. 380. 39.
Artemiſia. 302. 34.
Arundo. 312. 27.

Aſaron. 322. 21.
Asbeſton. 269. 29.
Aſterites. 289. 9.
Aſtrion. 286. 15.
Aſtrum. 224. 15. & 225. 16.
Aſſub. 252. 49.
Athenæ. 295. 8.
Aula. 386. 27.
Aureola. 327. 7.
Aureum vellus maris. 236. 13.
Aurora. 231. 51. &c.
Aurum. 271. 9.
Aurum medicum. 272. 13.
Auſter. 245. 15.
Autumnus. 263. 50.
Bethleem. 245. 16.
Civitas Dei. 145. 16.
Cœlum. 82. 1.
Collum. 13. 16.
Columna ingnis, & nubis. 51. 5.
Corallium. 48. 5. &c.
Crocus. 266. 10.
Dies. 158. 25.
Domus Sapientiæ. 148. 35.
Ferculum. 385. 30.
Feneſtra 172. 21.
Flora. 168. 1.
Fons lucis. 15. 14.
Fumus odoratus. 321. 28.
Hydria. 179. 13.
Ia. 305. 13. &c.
Iaculum. 351. 22.
Ianua. 363. 18.
Iaſpis. 277. 13.
Ibis. 324. 13. &c.
Icterus. 337. 19.
Ideus dactylus. 273. 19. & 274. 24.
Ienia. 285. 14.
Iericho. 397. 32.
Ieruſalem. 599. 30.
Ignis. 240. 50.
Ilex. 321. 16.
Incenſaria. 310. 18.
Incenſum. 301. 27. &c.
Incus. 359. 30. &c.
Infula. 370. 21.
Iris meteorologica. 249. 35. &c.
Iris Gemma. 282. 18.
Iris herba. 317. 27. & 318. 31.
Iſida. 333. 24.
Iſpida. 329. 21.
Iunctura. 386. 34.
Iuniperus. 296. 25.
Lilium candidiſſimum. 148. 37.
Lilium ſinè ſpinà. 292. 22.
Lucerna ſemper accenſa. 269. 29.
Luna. 95. 16.
Lux. 105. 16.
Magdalum. 394. 2.
Magnes. 287. 6. &c.
Malum Punicum. 319. 3.
Mandragora. 292. 3. & 293. 4. &c.
Manna. 244. 13.
Mare. 63. 8.
Mare fuſile. 65. 6.
Mareſa 387. 3. &c.
Margarita. 275. 5. &c.
Marmor. 265. 4. &c.
Melantes. 283. 2.
Melchites. 279. 4.
Menſis. 256. 16.
Menſura. 353. 5.
Menta. 303. 5.
Mercurius. 270. 5.
Merox. 330. 3.
Merula. 376. 3.
Microcoſmus Eccleſiæ. 134. 24.
Mitra. 368. 3.
Monile gemmeum. 203. 1.
Monile. 375. 3.
Mons. 19. 15.
Mons altiſſimus. 234. 2.
Morus. 313. 2.
Mundus cœleſtis. 221. 2.
Mundus maior. 155. 14.
Mundus intelligibilis. 121. 37.
Munitio. 361. 2.
Murenula. 381. 2.
Murex. 315. 7.
Muſcipula. 349. 8.
Muſtela. 323. 2.
Myrrha. 297. 2.
Myrthus. 308. 6.
Nebula. 19. 6.
Nubes. 51. 5.
Nubes Eliana. 355. 13.
Nux. 65. 4.
Organum Idraulicum. 341. 22.
Palatium Dei. 386. 37. &c.
Parra. 333. 2.
Petra loquens. 268. 26.
Picus viridis. 330. 3.
Purpura. 305. 16.
Raben. 276. 11.
Radius. 273. 18.
Rhamnus. 310. 16.
Ram. 289. 19.
Rangifer. 336. 15.
Ratis. 357. 28. &c.
Reclinatorium. 385. 30.
Regio. 239. 25.
Regulus. 333. 22.
Reſina. 301. 24.
Roſten. 285. 11.
Reticulum. 377. 20.
Rete. 260. 21.
Ricinium. 369. 11.
Roditis: 273. 18.
Rhodus. 397. 17.
Roma. 389. 15.
Ros 246. 19.
Roſa. 315. 15.
Rota. 365. 15.
Rubinus. 281. 12.
Rubus. 295. 16.
Rupes. 267 15.
Ruſcus. 320. 10.
Ruta. 304. 10.
Sagitta. 352. 32.
Signum. 113. 40.

Sol. 86. 10.
Stella. 53. 2. &c.
Stella matutina. 56. 1. &c.
Stella Regia. 58. 1. &c.
Stella Maris. 59. 1. &c.
Stella Maris iterum. 62. 1. &c.
Terra. 236. 10.
Vallis benedictionis. 283. 10.
Vellus laneum. 247. 23.
Vultur. 171. 14.
Zodiacus. 155. 14.

Excellentiæ Mariæ Virginis Deiparæ.

ADvocata Generis humani. 103. 5. & 37. 49.
Ancilla Trinitatis. 103. 3.
Camœna florida, & elegans. 141. 43.
Celleraria ſpiritus Sancti. 103. 4.
Coadiutrix ad Redemptionem. 119. 12.
Corona Anni æternitatis. 257. 23.
Creaturas omnes in divitiis gratiarum ſupergreſſa. 165. 1. &c.
Cythara Regis Æterni. 140. 41.
Deſiderium antiquorum Patrum. 181. 24.
Deum inviſibilem dedit nobis in carne viſibilem. 188. 34.
Domus deliciarum Deï. 202. 15.
Interemptrix hæreſum. 105. 13. &c.
Magiſtra Eccleſiæ 7. 2.
Magnificentia Dei. 19. 16.
Mare omnium gratiarum. 63. 10.
Martyr, & plus quam Martyr amoris martyrio. 107. 2. &c.
Mater Ieſu. 117. 12.
Mater Gratiæ. 198. 27.
Media inter comprehenſores, & viatores, dum vivebat in terris. 233. col. 1.
Opus Dei. 52. 6.
Oſtiaria Paradiſi. 103. 3.
Pacificatrix Angelorum, & hominum. 233. 63.
Patris Æterni æmula. 231. 48.
Porta aurea Cœlorum. 260. 36.
Principium quo ad humanitatem filii Dei in incarnatione: 9. 2.
Regia Solis æterni. 260. 37.
Regina, & Mater miſericordiæ. 115. 5.
Sacrarium corporis Chriſti. 397. 19.
Sanctiſſima per excellentiam. 114. 42.
Sedes ſapientiæ. 396. 14.
Soror, & ſponſa Spiritus Sancti. 326. 5.
Spes omnis boni. 35. 7.
Spes noſtra, & medicina. 25. 4.
Sponſa Dei. 115. 3.
Terror dæmonum. 233. 64.
Theſauraria Dei. 103. 4.
Thronus divinæ Miſericoriæ. 115. 2.
Turris bellica ad defenſionem Eccleſiæ. 365. 27. &c.
Veſtis Chriſti deaurata. 139. 34.
Virgo per excellentiam. 113. 38.

Angelorum Dotes in Deipara.

HAbuit communes Angelorum proprietates. 124. 2. &c.
Primæ Hierarchiæ prærogativis fuit decorata. 125. 7. &c.
Secundæ Hierarchiæ ornamentis fuit ornata. 126. 10. &c.
Supremæ Hierarchię dotibus fuit illuſtrata. 128. 18.

Virtutes Deiparæ in Communi.

POſſedit virtutes per modum Patriæ ſecundum perfectionem actuum, & ſecundum ſtatum viæ per conditionem merendi. 122. 44.
Habuit iuſtitiam originalem. 135. 15.

Virtutes Theologales.

Fides.

CRedidit omnia credenda ſuprà ſe, & credidit omnia perficienda in ſe. 115. 3.
Adhæſit filio in Cruce per fidem. 152. 54.
Tanquam fidei fundamentum, fuit ſemper ſtabilis in ea. 235. 6.
Stetit immobilis in fide tempore Paſſionis. 289. 21

Spes.

PRopter ſpem, quam hahebat in Deo, conſolabatur in anguſtiis Sponſum ſuum Ioſeph, ut fideret in Domino. 332. 13. &c.
Spei gratia fuit in ipſa, quia habuit miſericordiam, & largitatem in opere. 241. 35.
Spes eius in morte Chriſti totam ſuſtentavit Eccleſiam. 365. 32.

Charitas.

CHaritas eius erat circularis, quia à Deo incipiebat, & in Deum redibat. 225. 20.
Tanquam amoris victima perpetuo chariatis incendio cremabatur. 34. 2.
Poſtquam facta eſt Mater Dei, tunc amor in Virgine regebat omnia. 89. 11.
Eius charitas erat inſeparabilis, quia tanquam ſponſæ ad Sponſum, Dilectæ ad Dilectum, & Matris ad Unigenitum. 118. 18.
Inſuperabilis, quia dilexit fortiter, & mori prò filio, vel prò ſalute mundi deſideravit 118. 19.
Inſatiabilis, quia guſtaverat quam ſuavis eſt Dominus 118. 21.
Singularis, quia extrà Deum nihil quæſivit. ibidem
Mobilis, velox, movens, & promovens. 118. 22.
Inceſſabilis, ideſt, perſeverans, quia charitas eius nunquam excidit. 119. 22.
Fervens, & calida. 119. 23.
Penetrativa, & acuta. ibid.
Febriens amore divino, mortua eſt præ amore divino. 161. 47.

Virtutes Morales. Et primò Virtutes Cardinales in communi.

PRopter virtutem Iuſtitiæ Beata Virgo dicitur pulchra: ſuavis propter virtutem Prudentiæ: decora propter virtutem Temperantiæ: fortis propter virtutem Fortitudinis. 400. 35.

Deindè in Particulari.

Iuſtitia.

PErfectiſſima fuit in omni actione, & opere bono. 121. 38.
Honeſtè vixit, alterum non læſit, & ſua cuique tribuit. ibid.

Prudentia.

IN omnibus prudentia, & diſcretione ſe regebat. 333. 24.
Prudentiſſima fuit ad evincendas ſerpentis aſtutias. 180. 20.
In omnibus actionibus ſuis, gravitatis, & maturitatis pondus habebat. 271. 10.
Prudentià ſua placat iram Dei. 178. 5.

Fortitudo.

EIus fortitudo in ſuſtinendis adverſis ſuper omnes viatores. 224. 11.
Fuit exemplar fortitudinis. 205. 6. &c.
Fortitudinis ſimulachrum in ipſa proponitur. 206. 16.
Fortitudo eius diabolum ſuperavit, peccata delevit, mundum vivificavit. 200. 32.
Quam magnanima fuerit in ſufferendo, dum Chriſtus patiebatur. 152. 52.
Suſtinuit fortiter in Paſſione filii maximum dolorem intenſivè, extenſivè, & oſtenſivè. 66. 3.
Abſorbuit in Paſſione filii tanquam mare omnes amaritudines, & nunquam redundavit per impatientiam. 69. 11.
Stabat iuxtà Crucem filii ut miraculum fortitudinis. 251. 44.

Temperantia.

TEmperatiſſima in ſuis ſenſibus. 224. 12.
Abſtinuit ab omnibus nocivis. 123. 46.
Abſtinuit à licitis. ibid.
Abſtinuit à ſuperfluis. 123. 47.
Abſtinuit à neceſſariis. ibidem.

Reliquæ Virtutes Morales.

Religio.

PErfectiſſimè adimplevit omnes Religionis actus, qui ſunt Latria, Dulia, & obedientia. 120. 29.
Angeli admirabantur excellentiſſimam Virginis Religionem, quia tota fuit Religionis exemplum. 120. 28.

Obedientia.

TRes obedientiæ qualitates adimplevit. 1. Audire vocem Dei præcipientis. 2. Audire vocem Dei conſulentis. 3. Audire vocem Dei inſpirantis. 187. 27.
Exercuit in ſummo obedientiam, quam exhibuit inferioribus; pari; & Superiori. 121. 36.
Fuit ſummè ductilis, ſivè docilis, tanquam aurum per obedientiam. 271. 12.
Erat tota ſphærica per velocitatem in operibus bonis. 251. 41.
Velociſſima tanquam Sol in motu obedientiæ. 208. 33.
Tanquam metallum liquefactum in omnes modulos divinæ voluntatis decurrere parata fuit. 379. 37.
Aſſenſu ſuæ obedientiæ totam Trinitatem ſibi debitricem effecit. 148. 33.
Ex ipſius obedientia initium ſumpſit reparatio noſtra. 380 38.

Miſericordia.

MIſericordia Deiparæ quinque ſimilitudinibus declaratur. 95. 13.
Quam longa, lata, ſublimis, & profunda eius miſericordia. 96. 19.
Dicitur Theſaurus, & Theſauraria miſericordiæ. 95. 18.
Suavificat mortem devotorum ſuorum. 300. 20.
Liberat devotos ſuos à pœnis Purgatorii. 72. 14
Emittit radios ad vivificationem Peccatorum. 223. 7.
Eius miſericordia ſuper omnes poſt Chriſtũ. 180. 4.
Eliquatur per compaſſionem ad utilitatem hominum. 274. 28.
Dulcis eſt, & miſericors omnibus miſeris. 283. 3.
Ipſa poſſidet regnum miſericordiæ, & Deus regnum juſtitiæ. 115. 5.
Ipſa dedit Filio Dei miſericordiam affectivam mediante Incarnatione. 287. 6.

Humilitas.

VIrtute humilitatis Chriſtus de ſinu Patris in uterum ſuum attraxit. 4. 1.
Humilitas in Ipsà fuit cæterarũ cuſtos virtutũ. 5. 2.
Deus ſolam in Virgine reſpexit humilitatem. 5. 3.
Ex humilitate ad nihilitatem ſe redegit. 10. 4.
Ab ipſius humilitate omnes numeri conſurrexero virtutum. 17. 11.
Non ſolum fuit humilis in mente, ſed etiam in voce. 13. 6.
Habuit humilitatem in animo, in verbo, in facto, & in ſigno. 54. 3.
Quæſivit ſemper ſe occultare ſub nigredine propriæ deſpectionis. 274. 25.
Humilitate Luciferum debellavit. 333. 12.
Ex humilitate ſuper omnes Angelorum Choros exaltata. 89. 13.
Antonomaſticè propter humilitatem dicitur Ancilla Domini. 202. 43.
Humilitate ſua Deum magnificavit. 133. 4.
Humilitas Mariæ Mariam fecit aſcendere, & appropinquare Deo. 142. 46.
Fuit vallis humilitatis, ad quam gratiarum aquæ confluxerunt. 183. 11.

Manſuetudo.

NIhil unquam habuit increpatorium. 6. 5.
In Paſſione filii nec irritavit, nec potuit irritari. 6. 6.
Nec nocuit, nec nocere oogitavit. ibid.
Mitiſſima ſuper omnes, & ſuper Moyſen, qui mitiſſimus fuit. 146. 21.

Modeſtia.

IN ſenſibus ſuis fuit modeſtiſſima, & temperatiſſima. 224. 12.
Modeſtia virtutum ſuarum fuit Purpura. 282. 22.

Pudoris, & pudicitiæ flammeo cooperta nullis hominum voluit patere conſpectibus. 330. 3.

Paupertas.

PAupertas eius habuit omnes paupertatis gradus. 8. 6 &c.
Omnia hæc inferiora contempſit. 224. 17.
In puerperio omnibus humanis deſtituta auxiliis in ſumma paupertate peperit Chriſtum. 176. 41.
Coluit paupertatem non neceſſitate, ſed voluntate, & verè fuit pauper ſpiritu. 393. 43.

Liberalitas.

IN paupertate liberaliter erogabat in pauperes. 176. 40.

Bonitas.

BOna tanquam Lux. 227. 8.
Omnibus communicat ſuam bonitatem, ſicut lux lucem. ibid.
Omnibus ſua communicat beneficia. 227. 30.
Bonis, & malis influit ſua bona. 229. 37.
Ab ipſa Mundus habet omne bonum. 260. 35.

Patientia.

QUuanta fuerit in adverſis æquo animo tolerandis eius ſuſtinentia. 164. 60.
Patientia eius in adverſis eminuit ſuper omnes viatores. 234. 11.
Mira eius patientia, & manſuetudo, dum non ſolum patientiſſima fuit in Crucifixione filii, ſed etiam antè crucifixionem, dum propter ipſam filius conviciis impeteretur. 204. 6.

Puritas.

NOn ſolum in ſe habuit puritatem, ſed etiam aliis ingenerabat, extinguens cogitationes pravas, dum aſpiceretur. 61. 6. & 200. 36.

Caſtitas.

CAſtitas eius potius dici poteſt inviolabilis Virginitas, eo quia fuit Virgo antè partum, in partu, & poſt partum. 46. 22.
Virginitas fuit in eà qualis Angelorum, ſed in corpore fragili, quod non Angelorum. 166. 3.
Virginitas ipſius vocatur Gloria, non decus, ut aliarum. 231. 30.
Sic eam amat in aliis, ut defendat Virgines, quaſi clientes ſuos. 201 49.

Silentium.

OMnibus dedit laudabile, atque imitandum ſilentii exemplum. 393. 45.
Gravitatem taciturnitatis habebat. 393. 46.
Solitaria ſedebat, & tacebat, & levabat ſe ſuper ſe per contemplationem Dei. 393 47.
Tempus tacendi fuit ipſi ante mortem Chriſti, & loquendi poſt obitum filii ſui. 394. 48.
Turbata fuit in ſalutatione Angeli; quia ſilentium ſuum, quod valdè amabat, reſpondendo infringere cogebatur. 394. 49.
Soli Deo, & ſibi vacabat. 110. 21. &c.

Solitudo.

FUgiebat hominum aſpectus 324. 11.
Mundi evitabat conſortia. 326. 4.

Perſeverantia.

BOnum quod incœpit, nunquam deſeruit. 325. 15.
In Dei gratia ſtabilis, & firma perſeveravit, & in omnibus virtutibus ſolida permãſit. 224. 13
Stella maris hieroglyphicum eius perſeverantiæ in bono, & in ſtatu gratiæ. 225. 20.

Prærogativæ Virginis Mariæ.

Gratia gratum faciens.

FUit gratiæ plenitudo in Deipara. 241. 35.
Plena fuit gratiis omnibus ſimul ſumptis, ſed unaquæque earum ſic plena erat, ut eam totam occuparet. 190. 44.
Per gratiam inflexibilis fuit ad culpam. 291. 32.
Gratia fecit eam delicioſam, miraculoſam, & glorioſam. 197. 23.
Gratia ejus fuit ſupereffluens, quia de ſua plenitudine aliis effluxit. 190. 43.
Imperatrix totius gratiæ exiſtit. 248. 26.
Gratia ejus utiliſſima fuit toti Generi humano. 198. 25.
Gratia ejus liberat à morte æternà univerſos, qui liberantur. 198. 27.
Habuit in ſe Gratiam vitæ. Gratiam veritatis. Gratiam Spei. Et Gratiam virtutis. 241. 35.
Omnia gratiarum flumina in Mariam intraverunt. 63. 10.
Habuit etiam omnes gratias gratis datas, quas enumerat Apoſtolus. 137. 24.

Maternitas Virginis Mariæ.

IPſa fuit tota Mater Chriſti, quia totam ſubſtantiam miniſtravit, ita quod nullus Pater aliquid dedit. ibi. 93. 3.
Modus maternitatis ejus eſt incomprehenſibilis, & ſine exemplo ſingularis. 234. 2.
Ex hoc quod eſt Mater Dei habet dignitatem quandam infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus. 3. 5.
In Mariæ prærogativis non eſt procedere ultrà Divinam maternitatem. 3. 4.

Interceſſio Virginis ad utilitatem noſtram.

IN die Paſſionis ſtetit juxtà Crucem ex parte Aquilonis, quaſi inter peccatores, & filium ſuum, ut prò eis intercederet. 235. 5.
Ejus interceſſio utiliſſima nobis. 272. 13.
Potentia plurimùm valet ad intercedẽdum. 274. 24
Ipſa nos reconciliat Deo. 280. 10.
Interceſſio ejus efficaciſſima, quia prò ſalute familiarium ſuorum, & quorumcunque non ſolùm poteſt filio ſupplicare, ſed & eidem maternà auctoritate imperare. 318. 33.

Dominium Mariæ Dei Matris.

DOminatur Angelis. 70. 3. & 71. 4. & 71. 5.
Dominatur omnibus Sanctis. 70. 3.
Dominatur hominibus. 71. 7.
Dominatur dæmonibus, qui velint, nolint, ipſam adorant. 71. 4. & 71. 9.
Dominatur in Cœlo. 72. 11.

Dominatur in regno inferni. 72. 13.
Dominatur in regno Purgatorii. 72. 14.
Dominatur in regno mundi. 72. 15.

Exaltatio Mariæ Virginis in gloria ſuper omnes Beatos.

Hierarchiam ab Angelis diſtinctam, & ſuper Angelos elevatam in Cœlis conſtituit. 9.10.
Vt in merito ſuperavit Angelos, & homines, ita & in gloria ſuper Angelos, & homines exaltata. 397. 20. &c.
Eſt Corona Sanctorum in Cœlo: ſic tamen eſt Corona, ut ſit ſub Corona filii, qui eſt omnium Sanctorum Corona. 258. 24.

Laudes eius diverſæ.

Epiteta laudum ſuarum. 15. 15.
Præconiæ. 100. 39.
Laudes præclaræ. 147. 26.
Elogia virtutum. 149. 41.
Laudationes excelſæ. 150. 47.
Encomia ſingularia. 151. 4.
Commendationes præconiales. 225. 16.

ERRATA. CORRIGE.

Pag.	*n.*	*lin.*	ERRATA.	CORRIGE.
1	1	16	articulo.	articulos.
1	3	65	theſauris.	theſauros.
2	4	1	primis.	primo.
2	4	16	Aretos.	Arctos.
3	5	1	Duſtenſis.	Buſtenſis.
6	6	25	fecit.	fuit.
9	*col.* 1.	1	ros.	res.
9	10	14	ut	eſt.
10	20	20	cavebat.	canebat.
12	1	6	ſtellante.	ſtellantes.
12	1	10	agent.	agunt.
13	4	12	popularum.	populorum.
13	4	14	vobis.	urbis.
13	6	38	laria.	laris.
14	9	14	dicantur.	dicuntur.
14	11	37	eructam.	eructans.
15	16	22	domum.	demum.
16	2	14	quinta.	quarta.
19	15	36	influxum.	influxuum.
20	17	5	Angelis.	Angelos.
22	8	18	Booth. Boog.	Gooth. Goog.
28	6	1	Marte.	Macte.
28	6	12	favit.	favet.
32	4	8	revereret.	reveheret.
33	1	1	hominem.	homine.
33	*col.* 1.	1	veteros.	veteres.
40	10	2	habet.	habeat.
49	*col.* 1.	65	dat.	date.
54	2	3	in.	inter.
56	13	12	cungruunt.	congruunt.
58	13	16	redidere.	reddere.
72	*col.* 1.	13	colle.	colla.
79	4	13	Domina.	Domine.
80	*col.* 1.	65	ille.	illa.
87	3	11	coſtitutus.	conſtitutus.
101	41	26	teſtatum.	Poteſtatum.
105	15	4	Parſonas.	Perſonas.
111	23	15	legit.	legitur.
112	*col.* 1.	3	baeatos.	beatos.
112	29	25	obſercro.	obſecro.
121	38	10	Non.	Nos.
121	38	18	ras.	rus.
126	9	24	Principatum.	Principatuum.
132	1	18	Eucas.	Eneas.
142	1	9	fortitudines.	fortitudine.
142	4	15	aquandm.	quandam.
156	22	25	cunabilis.	cunabulis.

Pag.	*n.*	*lin.*	ERRATA.	CORRIGE.
164	58	16	ſecunda.	ſecundùm
186	22	18	ſemetipſam.	ſemetipſum.
187	29	2	eum.	cùm.
195	10	17	peccatum.	peccator.
221	2	20	ſtatuæ.	ſtateræ.
223	10	21	turbinis.	turbines.
236	*col.* 1.	23	arabit.	arabitur.
249	31	29	ſillas.	ſtillas.
253	3	13	Phœbo.	Phœbe.
256	17	12	ſtellerum.	ſtellarum.
258	*col.* 1.		§. I.	§. III.
258	27	6	dici.	diei.
258	28	15	uniſquiſque.	unuſquiſque.
259	34	5	elanges.	clanges.
260	37	3	ludare.	ludere.
261	*col.* 1.	3	cinetum.	cinctum.
⟶	—	5	calatis.	calcatis.
263	49	2	Amica.	Amicta.
264	1	11	denſadis.	denſandis.
269	28	7	voces.	vocis.
269	29	10	tempeſta.	tempeſtas.
277	14	8	roræ.	rore.
280	8	21	pretioſiſſimos.	pretioſiſſimo.
282	21	13	vin.	vim.
289	18	3	argò.	ergo.
294	*col.* 1.	12	læſionem.	læſione.
298	*col.* 1.	1	perungitur.	perunguntur.
301	25	18	intpretatur.	interpretatur.
305	11	17	medicationem.	meditationem.
329	21	13	vicidem.	*viridem*.
331	6	5	paſceribus.	paſſeribus.
334	4	3	faces.	faſces.
339	9	1	vade.	de qua.
341	17	17	ramis.	remis.
341	19	19	feſtinis.	feſtivis.
358	35	51	ſententia.	ſententiam.
360	49	15	habemur.	habemus.
367	1	7	redimeret.	redimiret.
367	43	27	Mariam.	Mariano.
370	21	24	ſermo.	ſervo.
374	47	15	ſalnè.	ſalve.
375	6	8	implicitas.	ſimplicitas.
377	20	21	Non.	Nos.
379	*col.* 1.	1	gita.	giata.
387	4	17	domibus.	dęmonibus.
390	22	45	Obtſia.	Obſita.
403	2	2	Syros.	Syrus.

005646363